

R. 1258




7 400 40




MADE IN SPAIN

R. 1258



R. A. P. M.
 FR. DIDACI
 DE CASTILLA,
 ANTIQVÆ REGVLARIS
 OBSERVANTIÆ BÆTICÆ PROVINCIÆ CARMELITÆ
 HISPALENSIS,
 SPECVLVM
 THEOLOGIÆ BACCONICÆ,
 ET COMMENTARIA IN EJUS SENTENTIARVM,
 ET QUODLIBET. LIBROS.



SPECULUM
THEOLOGICÆ BACCONICÆ
ET COMMENTARIA
QUODLIBETICA IN LIBROS SENTENTIARUM
JOANNIS BACCONII,
CARMELITÆ ANGLICI,
DOCT. RESOLVTI,
ET THEOLOGORVM SVI
TEMPORIS PRINCIPIS.


A V T H O R E
R. A. P. M. F. DIDACO
DE CASTILLA,
ANTIQUÆ OBSERVANTIÆ REGULARIS BÆTICÆ PROVINCIÆ
Carmelita, Ex-Provinciali, & Hispalensis Archiepiscopatus Examinatore.
TOMVS IV.

IN QUO CONTINENTUR
Tractatus de Gratia Dei.
De Iustificacione Impii.
De Merito Iusti.
De Fide, Spe, & Charitate:

De Verbi Divini Incarnatione:
Appendix de Purissima B. V.
Mariæ Conceptione.
De Statibus naturæ humanæ
De ultimo fine hominis.



ANNO DOMINI



M. DCC. L.



HISPALI: Ex R

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. C. N.



DE HARO,



Es de este Man, y R. Colegio de ^{na} Cruz de la
see Imp. U. de Granada, omnia peres. P. D.
Joseph Perez de Alva

BEATISSIMÆ
SEMPER VIRGINI
GENITRICI
DEI MARIÆ
DE MONTE
CARMELI.



EXIGUUM SANE (DOMINA MEA, ATQUE
Dominatrix mea) exiguum munusculum in Tem-
plo dignissimo Tuæ Celsitudinis appendo: Exi-
guum (inquam) non ex materiæ præstantia, in
qua Maximum est; sed pro merito offerentis, &
oblationis, circumstantiis in minimo æstimabili-
bus. Dona tua sunt, quæ tibi in hoc Libro of-
fero, & facro. Non enim, quæ Tua sunt, ut
mei merita constituam; sed in Tuis manibus collocantur, ut tam-
quam Dona Tua coronas. Tua igitur sunt hæc munera quia Mater
illius es, cui omnia dedit Pater in manus: Tua igitur, quia utcum-
que mea; Tua, quia vitæ meæ Authrix, & Conservatrix extiteras; ut
sic in hoc Tuo Viridario, & Carmelo, ubi sedes est gloriæ Tuæ, Le-
titia, Decoris, & Exultationis, non ut elevatus Cedrus, sed veluti
conculcabilis Hissopus plantatus secus decursus Tuarum salutarium
aquarum, fructus, quos, & quales dedissem, si quid habent hono-
ris, & honestatis, suavitatis, dulcedinis, pulchritudinis, cui nisi
Tibi tribuendi? Tibi, quia propter Te vivimus, & in Dei hono-
rem movemur: Tibi, quæ Lampas es in extinguibilibus mundum illu-
minans, & ut Sapientia habitas in Consiliis Eruditorum: Tibi, in-
quam, quia Stella ex Jacob orta vaticinaris, per quam Deus Trinus,
& Unus adoratur, sanctificatur, & veneratur in sua Essentia, Atribu-
tis, Operibus, Gratiis, Donis; & homo per Filium Tuum Redem-
ptorem

ptorem ad agnitionem veritatum Fidei pervenit. Tibi insuper, taliter in Prophetis adumbrata, & per Apostolos mirabiliter predicata. Quam bellè de Te Isai. 35. *Gloria Libani data est ei Decor Carmeli, & Saron*: In Libano Majestatem, in Carmelo Decorem, in Saron fecundissimam Ubertatem decantans. Majestatem materiæ hujus voluminis Tuis manibus configno; decorem ex Tua protectione recipiet; & si quid ubertatis contulerit Tuæ debetur Maternali Pietati. Accipe gloriosissima Mater, quod tuum est, & humilem restitutionem nè despicias. Protege Benigna, refove Misericors, & Potens tenuem hanc opellam, & pro omnibus Filium Dei deprecare; quia cum Filius Tuus verus sit, partem habes in illius bonis. Parce oblationi, & nè obliviscaris obsequium offerentis.

Amabilissima Domina Carmeli Decor

Ad tuos Sanctissimos Pedes

Fr. Didacus de Castilla.

CENSURA

CENSURA THEOLOGORUM REGENTIUM COLLEGII

D. Alberti Hispalensis Ordinis Beatissime V. Mariæ de Monte Carmelo.

JUSSUM accepimus à Patre N. Rmo. Generali totius Ordinis nostri inspiciendi Thomam IV. speculi Theologiæ N. R. D. à N. admodum P. Mro. Fr. Didaco de Castilla in lucem editum, & nostræ Censuræ, & trutinæ Commissum; læti agredimur, & censoriam Virgam in Ramum Daphnes convertendam attentè cernimus; sed quid mirum! Si nil in eo, nisi opus summo sanè studio elucubratum, & omnigena eruditione mentis N. R. Doct. repletum pervolvimus. Sic cum Anastasio Germonio Episcopo Tarantasiæ de Sacr. Comm. cap. 6. *Nihil copiosius, nihil doctius, præstantius nihil, cui nec addi quidquam, nec minui posse videatur.* Jani Antesignanus Noster Tribus speculis prælo datus in Orbe Literario notissimus splendet, hunc Typographiæ subjiçere parat; ut nil nervosius, nil elaboratius, solidiusque nihil in Nro. R. inspicia- tur; utinam plura alia sui ingenii pateant specula, in quibus (sicut Sol in Isopetro) videant omnes *vultum Nativitatis suæ.* Sanct. Jud. Epist. cap. 1. videlicet, natum esse ad ex antiquandas sententias Resoluti Scholiarchæ Ordinis nostri à paucis consideratas, & à pluribus non benè perpenfas; sed postquam in speculo isto, & præcedentibus radios ejus doctrinæ emittit, à cunctis contemplari potest, & enucleari, quia resolutiones Baconicæ tantam illustrationem arripiunt, ut novus, & perspicuus ipse D. R. N. videatur; quare non ignobilis Poeta cecinit.

Hoc opus est tantum solo tibi dicere verbo,

Castellæ speculum, sicque Bachonii opus.

Nam magni Doctoris nostri esse undique mira

Doctrina fultum dicere non opus est.

Sed quia cognomen Authoris *Castilla* mentionem facimus; libet tantisper in ethimologia tantæ cognomen immorari. *Castella* caput Regni Hispanici apud Indagatores Nominum sic fuit vocata à multitudine Castellorum, quæ invenerunt Romani, qui plures edificarunt ad tuitionem, & in clipeum Regni; inde plures familiæ in memorandam nobilitatem sumpserunt, test. D. Covarrub. in Thes. Ling. Castellæ. V. *Castilla.*

Nunc autem Doctrina nostri mirifici Archetypi Studiosorum, h'cæ *Castellæ* speculis, quasi *Castellis* munitur ad resistendum in Minervali bello disidentibus exteris, non timendæ adversantium machinæ, nec arietantium obsidiones, si in his *Castellis* studio, & labore manentes, Elimariani clientuli profecto ejus armaturam induant. Plures indefessos Commentatores Doctrinæ Baconicæ sorte hilari, fausto omine possidet, optimos quidem, sed quosdam ob brevitatem obscuros, alios verò studentibus præsertim tironibus, ob latissimum calamum fastidiò sunt; sed Author speculi hujus, quasi apis argumentosa ex floribus D. N. R. & illorum favum mellis construxit, nec tan brevi stylo ut latiore desiderent, nec tan diffusis explanationibus, ut studentes defatigati succumbant; quare illis hæc monita salutis damus.

Discite Tirones Carmeli, discite promptè

Castellæ in speculo dogmata vera Scholæ.

Evadet doctus quisquis legat, impiger autem

Eucaros studio hinc colat ingenio.

Plu.

Plura in laudem Authoris benemeriti possemus afferre, sed quia affectuosè colimus, & reverenter diligimus, ut Correligiosi Consilium secundi Plinii 14. Epist. lib. 1. amplectimur. *Sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus.* Solum super millia elegimus Epistolam missam ad hunc laudatum Authorem Illust. P. Pizzolanti, olim Patriarchatum N. Religionis obtinentis, benedictionibus plenam, & monitoriis expeditam, & in isto speculo completam, sic ad litteram dabimus: „ Moneo tandem in hoc eruditissimo, ac „ rerum Scholasticarum non nihil fastidioso speculo, opus esse magni periculi hujusmo- „ di opera in lucem edere; requirit enim, & brevitatem dilucidam, & plenam Sac- „ ci, & rerum, & stylum nitidiorem, & res dogmatis Scholasticis conjunctas, & „ saporè controvertiarum, & Methaphysicam solidiorem non captantes araneo- „ rum telas, & super omnia in delectu rerum argumentorum autoritatem eam, quàm „ appellant *Criticam*, bonarum litterarum nutricem, moderatricem scientiarum om- „ nium, & Pedagogam, ut ita loquar, ingeniorum. Hac Illust. Pater,

O! Decus! O! fame merito pars maxima nostra
Mæcenas :::

Jam, jam & labium digito præmimus, & calamum in atramentario collocamus, & quia ad munera crisis rigorosæ accedentes, nihil contra bonos mores, & Religionem Catholicam invenimus notandum; dignissimum existimamus, ut publica luce omnes in hoc speculo mirificè inspiciantur: *Sic fecimus in hoc N. D. Alberti Colegio, Die 10. mensis Junii, anni 1750.*

Fr. Petrus de la Guardia,
Mag. & Rect. hujus Colleg.

Fr. Franciscus Muñoz,
Present. & Lect. Theolog.

Fr. Hieronymus Carmona,
Present. & Lect. Theologia.

Fr. Emmanuel Lopez,
Present. & Lect. Theolog.

Fr. Joannes de Aguilar,
Magist. Studentium.

NOS FR. ALOYSIVS LAGHIUS
Sacrae Theologiae Magister, & Doctor, humilis Prior Generalis, nec non Commissarius, ac Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum Beatissimæ, semperque Virginis DEI Genitricis MARIE de Monte Carmelo antiquæ Observantiæ Regularis.

Authoritate nostra tenore præsentium tibi dilecto nobis in Christo Adm. R. Pri. Mag. Didaco de Castilla, Ex-Provinciali, & Scriptori Provinciæ nostræ Beticæ licentiam, & facultatem, quantum in nobis est, concedimus, & impartimur, ut quartum volumen tui operis Theologici, cui titulus: *Speculum Theologiae Baccônica, & Commentaria Quodlibetica in Libros Sententiarum Joannis Baconi Carmelitæ Anglici* typis mandare possis; dummodo prius à studio Collegii nostri Sancti Alberti Civitati Hispalensis revisum, & approbatum fuerit, omniaque alia de jure servanda serventur. In quorum fidem, &c: Dat: Romæ in Conventu nostro S. Mariæ Transpontinæ die 8. Maii, ann. 1749.

Fr. Aloysius Laghius Generalis Carmelitarum.

Reg. 59.

Magr. & Doct. Hispalensis Fr. Emmanuel Barrera & Narvaez,
Socius, & Secret. Generalis Hispaniæ.

LICENTIA

99

APPROBATA

APROBATIO Rmi. P. Fr. GASPARI A D. NICOLAO DE TOLENTINO.

Sacri Ordinis Eremitarum Discalceatorum M. P. N. Augustini, Lectoris Jubilati, Qualificatoris Supremæ Inquisitionis, Examinatoris Synodalis, Archiepiscopatum Granatensis, & Hispalensis, & Diffinitoris actualis suæ Provinciæ Bæticæ Operis iudicium.

Tomum Quartum, cui Titulus, Speculum Theologiæ Bæconicæ, ex deputatione D.D.D. Petri Cespedes, Canonici thesaurarii, & hujus Archiepiscopatus Hispalensis Provisoris, & Vicarii Generalis examinandum suscepi. Lineatim inspexi hunc librum, vel cum Versione Græca Speculum: Liber, id est, Speculum. Cum his inscriptionibus, quas Picinellus Speculo apposuit: *Nulli fallax. Fallere nescium. Prodere non novit. Omnibus omnia. Lucet, ut emendet.*

Volvat quisque paginas istas, inviet claritatem, candorem, puritatem, objectiones, & solutiones miro ordine dispositas. Legat, & quasi ad tactum cognoscat esse lucem, qua ingenia, ad sacræ Theologiæ intelligentiam dedicata, facilius illuminentur. Legat illud: fiat lux: & dicet cum Caballitis: *Speculum lucens.* Et quodnam aliud Doctrinæ Bæconicæ Speculum lucens, nisi præfens? Omnibus repræsentat Bæconium clarissimum, maximè, tersum, atque politum, & ab omni macula doctrinæ incontaminatum. Legant, & admittentur cum Angelo Politiano fatam rerum multarum, atque magnarum: Sub expolitis verbis, remotissimas sententias, plenas questionum, plenas solutionum, queis apri sumas apprimèque instructi, ambiguitates tollere, scrupos, gryphosque dissolvere, involuta volvere, flexa nimis, illogitima, & infirmare falsa, & corroborare vera.

Quid mirum! si omne præciosum vidit oculus ejus, profunda quoque fluviorum scrutatus est, & absconita in lucem produxit. Job. 28. Quid mirum! si ejus doctrina est succus ex sacris Doctoribus eliquatus, Patrum, & conciliorum medulla, & totius antiquitatis doctrinæ quinta essentia, & sacrum elixir. Longissimè distat à tenebris veritati oppositis, elarescit catholicis veritatibus, & vestigiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tam reverenter se accommodat, ut dicamus de hoc nitidissimo Speculo, quod de Angelis D. Dionysius: *Imago Dei est Angelus, manifestatio oculi luminis, speculum, purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, recipiens totam (si iustum est dicere) speciositatem formatæ Deiformitatis, & pure declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis.* Igitur absque labe adulationis possum aptare huic speculo verba Sixti IV. in laudem doctrinæ D. Bonaventuræ: *Non solum summis studiis, sed accepta divinitus, nimirum, quia is, qui illuminat mirabiliter à montibus æternis, in illius mentem, tanquam in speculum suæ lucis radios effudit.*

Tota enim vita Christi (inquit M. P. N. Augustinus lib. de vera Relig.) *Speculum fuit.* Supra modum sapientes sunt, qui hoc speculum assidue intuentur, & crediderim intuitu, & contemplatione assidua hujus Speculi, suum tot splendorem, & lucibus ornatum in lucem publicam evulgaverit. Sed quis Inventor, & Author hujus animati Speculi? Exaratus est in illo, responderet Caliodorus: *Speculum siquidem cordis hominis verba sunt.* Igitur si doctrina est Imago, & Speculum in quo clarissime videtur, & disertè demonstratur tota Authoris Persona: quis non videt in hoc Speculo, clarius luce meridiana Sapientissimam Magistrum Castillæ? Parcat mihi hæc Parosmia: *minuit præsentia famam.* Tractavi, & pertractavi, audivi, & auscultavi milles fluentia suæ sapientiæ, & taliter ejus fama, & præsentia fuit, & est mihi gratissima, ut possim veraciter dicere, cum secundo Plinio, quod ipse de alio meritisimo Magistro: *Observatur oculis ille vir, quo neminem atas nostra graviorem tollit: quem cum ex admiratione diligere cepisset, quod evenire contra solet, magis admiratus sum postquam penitus inspexi.*

In quodam liberulo meo, cui inscriptio, *Synopsis Exegetica facere omnium difficultatam, apposuit tesseram suæ amicitia; & nunc in hoc Speculo quid exhiber tantus Magister! Plutarchus definit, amicitia: Tesseræ amoris Speculum amanti veri cor uti splendidum Speculum.* Propinat fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum, Aliilegunt:

gunt: *Speculum igitur.* Mare vitreum simile crystallo: *Simile Speculo.* Speculum juxta Bæconium signat vitum iustum, & honestum; & in expositione aliorum de viro perfecto potest dici istud sapientiæ: *Candor enim est lucis æternæ, Speculum sine macula, & Imago bonitatis illius.* Si dicitur Speculum quia cuncta, manifestare debet: si est veritatis, & sapientiæ certitudo, idè dicitur Speculum. Si in Speculo, quid verum, quid falsum sit inspicitur: ibi fœda, ibi pulchra cognoscuntur. Si non rei Imaginem, ut vulgus putat, sed ipsam rem oculis exhibet, totum Bæconium hic cernere licet.

In hoc præclarissimo Ordine (quem meritò præ oculis habuit Philipus Abbas quando scripsit: *O Carmelitarum Religio! O Domus, quam magna facta est in domo Domini! Nunquid non olim à modico Elia Dei Propheta fonte principium habuisti? & ecce nunc in magnum fluvium exivisti. Tu olim plantata in Eremo, nunc facta es Civitas plena populo. Sic enim olim de Te processerunt Patriarchæ, & Propheta, sic nunc de Te procedunt Sacerdotes, & Levitæ, Doctores, & Evangelistæ. Et Clemens Quartus: In agro Ecclesiæ hæc uberes fructus produxit, & produxit. Sed quid immemor tubæ Soli clarissimo faculas? Sol enim non indiget interprete. Primas omnium calculo tenet Joannes de Bæcone Natione Anglus, Doctor Parisiensis, Vir undè, quaque doctissimus, Philosophus, Jurista, & Theologus celeberrimus ingenio subtilis, & clarus eloquio; scripsit multa præclara opera, in quibus omnibus ingenium suum mirificè excitavit. Joannes Bæconius Angelicus Ordinis Carmelitarum, Theologorum sui temporis Princeps, & in exponendis Divinis Scripturis non ignobile natus ingenio. Expoluit Novum Testamentum, editis more Commentariorum lib. 27. claruit temporibus Caroli Quarti, & Clementis Sexti, circa annum 1345.*

Hanc (prætermittis quàm plurimis Authoribus, qui in Regno Angliæ suis lucubracionibus, non solum suam præclarissimam Religionem, sed totam Rempublicam litterariam mirum in modum illustrarunt) in Hispania insecutisunt, & suis vigiliis, & laboribus varia litterarum monumenta, seculis futuris reliquerunt; Joannes Baptista Lezana, Vir præclarus ingenio, eruditione, eloquentia, sic floruit in sua Theologia, ut inter primos merito sit numerandus. Eliseus Garcia, varia scientiarum suppellectile ordinatus; Philosophia, Divina Scriptura, & Sacræ Theologiæ cognitione instructus doctrinam Bæconicam ita locupletavit, ut passionis dicere. In diebus ipsius emanaverunt patet aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Magister Ponce Baca, Vir litteratissimus Bæconii arcana sic patefacit, & mirabili dispositione digestsit, ut seipsum superasse videatur. Ille, omnes Authores, qui ante eum Theologicè scripserunt, legit, & in compendium redegit, & ad illustrandam, doctrinam Bæconicam singulariter convertit.

Bene sermonem longius protraham prætermitto multos alios doctissimos, & nominatissimos Magistros, qui ex hac foecundissima Matre prodierunt; sed non præteribo illos Viros, & Sapientissimos Magistros Blasco, & Lumbier: isti simul extiterunt in Coelo hujus Religionis Duo Luminaria Magna. His debet Theologia, quod & omnes Anfractus, & Difficultates, quæ in Theologia Divina occurrere solent, ipsi debilitarunt, & fregerunt.

Meritò Rmus. Magister Frater Franciscus de Elcueta, Ordinis Seraphici D. Francisci, sic illos callaudat. *Philosophia, & Theologia con largos raudales nos franquaron ya en quintas essencias, las dos Fuentes clarissimas, las dos Mamilas Celestes de la publica doctrina, los dos Ejes de el Plastro de Minorva, las dos Supremas Inteligencias, y Lumbreas del Orbe Literario los dos Fenices (en el Carmelo no se estrañase geminen) de la Escolastica Erudicion. los dos Generales Maestros; otro dixera, unicos, por quien se sabe quanto hoy en estas Provincias se sabe: los dos Milagros de la Salvandria Rmas. PP. MAs. y Cathedralicas de Prima Jubilados, el Rmo. P. Raynundo Lumbier en Zaragoza, y el Rmo. P. Fr. Dionysio Blasco en Huesca, por cuyo valor, y espiritu mas purpuro, mas flamante, mas excelsa, y mas vicino a las estrellas, estara eternamente el Carmelo en todo el mundo.*

Hos inter Author noster inelytus, sic profectò, ut solet, omnia scribit, sic omnia tractat, sic disputat, ac determinat, sic novas difficultates ad unguem, & lucem redigit, quasi semper in sinu sui Magistri recubuerit. Nihil grande, nihil doctum, hi Præstantissimi Magistri excogitarunt, quod ad suum Speculum ornandum non advocet. Meritò cum

cum doctissimo Calmet dicamus: *Viri Sapientis personam gerit* (Rmus. M. Castilla) *in utramque partem disputans, qui post expositas varias sententias omnia ponderat, omnia discutit, & aqua iudicii lancè utriusque partis momentis librans, tandem in sanioem inclinat, & tam strenue certat, ut possit gloriari Carmelitarum Familia, se talem, ac tantum suæ doctrinæ defenforem inveniisse.* In suo Speculo possunt videre sectatores illius, quid corrigere debeant, & quid tenere. Habenda igitur præ oculis ejus doctrina, quia nullus est Speculi usus, si nemo in illud oculos dirigat; non satis est inspicere, nihil fere prodest inspectio nuda; opere perficienda sunt, quæ in hoc Speculo conspiciuntur. Alioquin ludorum Theatralium inspectores erunt similes, qui ita ludos inspiciunt, ut nollint imitari, quæ fieri ab aliis vident.

Oportune M. P. N. Augustinus: „ Qui videt litteras in Codice optimè scripto, & non novit legere, laudat quidem Antiquarii manum, ad mirans apicum pulchritudinem: sed quid sibi velint, quid indicent illi apices nescit; & est oculis laudator, mente non cognitor. Ita, qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt, quid sibi vellent, & quid intelligentibus quodam modo innuerent, mirati sunt tantum, quia facta sunt: alii verò, & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in Schola Christi esse debemus. Et lib. 12. confession. cap. 18. Omnes, qui legimus, nitimur hoc indagare, atque comprehendere, quod voluit ille, quem legimus.

Igitur si in Speculo, quid verum, quid falsum sit inspicitur: ibi foeda, ibi pulchra cognoscuntur, si non rei imaginem, ut Vulgus putat, sed ipsam rem oculis exhibet, auscultemus, quid viderit in hoc Speculo, & quid senserit de illo flos ingeniorum omnium, ingenio acutissimus, stupor Universitatis Salmanticæ Rmus. & Illmus D. D. D. Franciscus de Perea, Archiepiscopus Granatensis: *Multos, & micantes lucis radios in crystallino Speculo resplendentes, oblato à Rmo. P. M. Castilla Carmelitanae jubentuti, Scholis ejus in obsequium singularis doctrinæ, ejusque insignis Doctoris Baconii, vidi, cui non obstantibus obscuritatibus hucusque suspicatis aliqua proprietate possem aptare, quod Apostolus in prima ad Corinthios cap. 13. Videmus nunc Baconium per Speculum, propter specialem claritatem, qua illum exponit. Hucusque Meritissimus Prælatus. Sed quid est, Illme. Domine Baconium videre? Ego certè minus video, sed magis audio. Percipio enim Doctorem Baconium clare loquentem, ac si revera esset vivus: Defunctus adhuc loquitur. Aliis vivit.*

Mirabilis statua Memnonis! Hæc enim ethi marmorea, & sculptorio tantum ornata lumine exposita lucidissimis Solis radiis non modo voces emittebat, sed sic, planè, & distinctè loquebatur, ut humanis ei spiritus Coelitus illapsus, & immisus videretur. Fabulosè, dictum, sed in hoc Speculo verissimè impletum: quippè radiis Solis, tanti Magistri, Baconius non solum videtur, sed auditur. *Audivimus eam in Ephrata. Alii, Audivimus eum, & M. P. N. Augustinus: Audivimus eum in Speculo. Conficiamus Speculum in obsequium Doctoris Baconii, suæ Religionis, & Authoris; & venia illius super addamus suo Speculo sequentia: Joannes Baconius, post quatuor secula, & amplius Redivivus, reddit vivus. Et uno verbo cum doctissimo Orumbela claudamus iudicium: Inde librum Sanctorum Patrum, Conciliorum medullam, ac Theologorum Speculum inscribi posse censeo. In hoc Cœnobio Deiparæ del Populo excalceatorum S. P. N. Augustini. Die 31. Augusti, anni Domini 1749.*

Fr. Gaspar à Divo
Nicolao.

EL DOCT. D. PEDRO MANUEL DE CESPEDES,
Dignidad, Theforero, y Canonigo de la Santa Iglesia
Patriarchal de esta Ciudad de Sevilla, Provisor, y Vica-
rio General en ella, y su Arzobispado, & c.

POR el tenor de la presente doi licencia para que se pueda imprimir el Libro quarto Tomo, escrito por el M. R. P. Mro. Fr. Diego de Castilla; del Orden de Nuestra Señora del Carmen, en su Colegio de San Alberto de esta Ciudad, Examinador Synodal de este dicho Arzobispado, cuyo titulo es: *Commentaria Theologica in libros Sententiarum Joannis de Bacono Carmelitæ*, para que ha dado su Censura el M. R. P. Mro. Fr. Gaspar de San Nicolàs, Augustino Descalzo: Atento à no contener cosa alguna contra nuestra Santa Fè Catholica, y buenas costumbres; con tal, que al principio de cada Impresion se ponga dicha Censura, y esta mi Licencia. Dada en Sevilla à veinte y nueve de Octubre de mil setecientos quarenta y nueve años.

Doct. D. Pedro Manuel
de Cespedes.

Por mandado del señor Provisor,

Francisco Ramos,
Not.

LICEN:

CEN:

CENSURA Rmi. P. JOSEPHI PONCE CLERICORUM MINORUM
Ex Provincialis in Sacra Theologia Doctoris, Sancte Generalis, & Supremæ
Inquisitionis Qualificatoris, ac hujus Archiepiscopatus Hispalensis Examinato-
ris Synodales.

JAm non *vertex Carmeli exiccatus* dicatur: Ex Amos 1. cum ad illum ascendens
Elias ejus Patriarcha ad orandum pro pluvia, utique frugifera, ut exponit Cardina-
lis Hugo: *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari: & facta est pluvia grandis*, Libr. 3. Reg. c. 18. eam quæ terra frugiferavit, & decorem Carmeli refloruit.

Sed quæ est ita, quæ ascendebat nubes tam parva, quasi hominis vestigium resoluta in pluviam grandem? Beatissima Virgo, respondet citatus Cardinalis, vel humanitas filii sui parva per humilitatem. Purpuratus Hugo hic. Attamen cum Laurentius Chislogonus dicat: Mund. Mar. disc. 22. quod Elias in nubecula hac prævidebat Beatam Virginem, non utcumque, sed ut eligentem Carmelum in locum foundationis suæ Religionis, & hortum tot florum, quot filiorum: cogitabat, quisnam poterat esse inter tot, filius ille singulariter in nube præfiguratus, tam diminutus homo, quod nubecula pro pallio erat, obvolutus, resolutus tandem in grandem pluviam? Sed quisnam, inquam, poterat esse hic, nisi Doctor Resolutus Janes Baconius, de quo inquit Lezana referens hæc verba Pisei: *Erat quidem, ut alter Zachæus, statura pusillus, sed ingenio magnus, ut mirum sit in tam exili corpore tantas habitasse virtutes, & naturam in tantillo homuncione, tam sublime collocasse ingenium. Tam ingentia scripsit volumina, ut corpus non tulisset, quod ingenium protulerat.* Lez. tom. 4. annal. Carmel.

Sed ubi tuat scripta tanta? Proh dolor! *Ablata est lætitia, & exultatio de Carmelo*, Jerem. 48. sed non auferatur de illo lamentatio de injuria temporum, quæ non omnia hujus Doctoris opera, sed paucissima reliquit, videlicet in *quatuor libros sententiarum, & quodlibeta*. Nonne potest nunc renovari dolor de hoc *Vertice Carmeli exiccato*? Minime: nam etsi tanta ejus fluentia ad *parvum fontem* reducta videantur, tam magna in illo clausa erat virtus, quod *crevit in fluvium, in lucem, solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit*, Esth. c. 10. quibus magis, ac magis Carmelus refloruit, & in illo iterum, atque iterum lætitia exultat.

Insinuavit mihi, & exposuit hunc Sacratum parvum Baconii fontem ejus *Speculator* clarissimus R. P. M. Fr. Didacus de Castilla, mihi que semper venerandus, ac clarissimus semper. Mag. idem in Prolog. ad hoc opus Tom. 1. Sed rogo hunc sapientissimum Magistrum, ut literario Orbi indicet, quo studio, quo ingenio hic parvus fons creverit in fluvium, in lucem, solemque conversus fuerit, & in aquas plurimas redundaverit? Certè ingenio, & studio suo; nam laboribus non parcens super parvo isto fonte sententiarum Baconico, taliter illum ad modum Aquæductoris periti illuminavit, quod non solum deduxit ex eo fluvium doctrinæ Doctoris Resoluti, sed si fons gerit vicem speculi, & conversus in lucem, & solem, nihil aliud videri possit nisi speculum, vel crystallus clarissima; cum Sol ex aquis, ut exponit Doctor modernus, Bala. sup. Esth. c. 10, Genes. 1. quarta die, vel *quarta luce* fuerit formatus; propriissimè convertit noster ingeniosissimus *Speculator* hunc

parvum Baconii fontem sententiarum in lucem, & Solem, dum formavit ex illo quatuor lucidissima *Specula*, in quibus Theologia sui Doctoris reverberatione, seu reflexione crevit, & non solum propriis, sed extraneis oculis jam, jam patet.

Meæ autem speculationi hoc quartum speculum mandavit supremus, Regius, que tenatus, quod tam obtemperanter, quam jucundissimè inspiciens, video in eo solem ex materia aquarum factum, dum video in ipso materiam de *Gratia*, ejusque *Effectibus*, & *Virtutibus Theologicalibus*, materiamque de *Incarnatione Verbi* & de *Statu nostræ naturæ nec non de hujus ultimo fine*; cum hæc quasi aqua dilabatur, & Verbum sicut pluvia ad Incarnationem descendat, & virtutes, & Gratiæ in aquis sint communiter representatæ: unde in hoc differt quartum speculum à primo, secundo, & tertio hujus operis; quod hæc tria ea congenita claritate, qua lux, illuminant Baconicam doctrinam, cæterum ista non minus quàm claritate, Solis per quartum hoc Speculum sit illustris.

Denique, ut muneri Revisoris Catholici satisfaciam, si Deus videas lucem, & Solem ex aquis factum, hunc; ut bonum, & illam, ut bonam approbavit; Genes. 1. non egebat hoc opus opprobatione ulla, & solum de illo dicam, quod de Sole Ecclesiasticus: c. 43. *Vas admirabile, opus Excelsi*. Excelsus ergo in suo Authore resplendet, dum in lucem prodit hoc vas, non solum plenum, tam gratia, quàm scientia, sed super plenum, ut potè in aquas plurimas, quasi bibitas, redundans, ex quibus sui Alumni bibant, & vivant, Isai. c. 29. *Si convertetur Libanus in Charmel*, ut Cedri Libani usque ad Cælum crescant, nec non decor Carmeli ipsius (cui gratulor) non marcescat unquam, sed semper vireat, arideat, floreat, & infinitos fructus faciat. Sic sentio, salvo meliori judicio, in hac nostra Domo Hispalensi, die 28. Februarii, anni Dni. 1749.

Josephus Ponce
Clericorum Minorum.

SUMA DEL PRIVILEGIO.

Tiene privilegio, y licencia del Rey nuestro Señor, y de los Señores de su Real Consejo de Castilla el P. M. Fr. Diego de Castilla, del Orden de N. Señora del Carmen, de la Antigua Observancia, para que por una vez pueda imprimir, y vender el Quarto Tomo, libro intitulado: *Commentaria Quodlibetica in Libros Sententiarum Joannes Baconii*: guardando en la impresión, &c. como mas largamente consta por dicha licencia. Dada en Madrid à 24. de Noviembre de 1710. Firmada, y rubricada al fin por Julian del Zerro, Escribano del Rey nuestro Señor, y Oficial mayor de la Secretaría de Camara, y Gobierno del cargo del Secretario D. Miguel Fernandez Munilla.

SUMA DE LA TASSA.

Tassaron los señores del Real Consejo este Libro à seis maravedis cada pliego, el qual tiene ciento y quarenta y dos, sin principios, ni tablas, à cuyo respecto importa ochocientos y cinquenta y dos maravedis y à este precio mandaron se vendiesse, y no mas. Fue fecha en Madrid à siete de Julio de mil setecientos y cinquenta.

D. Joseph Antonio de Yarza.

FEE DE ERRATAS.

Núm. 34. fol. 11. superant, lege	_____	superat.
Núm. 13. fol. 17. summum bonum, lege	_____	diligo ex toto corde.
Núm. 24. fol. 39. collectivè, lege	_____	successivè.
Núm. 261. fol. 70. attestatum, lege	_____	attestantem.
Núm. 270. fol. 78. nobilissimus, lege	_____	nobilissimus.
Núm. 278. fol. 81. prærequiruntur, lege	_____	prærequirunt.
Núm. 283. fol. 82. nominem, lege	_____	hominem.
Núm. 325. fol. 94. vitam, lege	_____	vitam.
Núm. 368. fol. 106. autumantur, lege	_____	autumantur.
Núm. 15. fol. 111. concinum, lege	_____	coccinum.
Núm. 30. fol. 115. tenus, lege	_____	genus.
Núm. 40. fol. 118. consistit, lege	_____	non consistit.
Núm. 128. fol. 159. nec respondeas, lege	_____	nec insens.
Núm. 239. fol. 160. vade, lege	_____	valde.
Núm. 32. fol. 192. indebita, lege	_____	debita.
Núm. 129. fol. 217. ablatum, lege	_____	oblatum.
Núm. 3. fol. 186. in illo, lege	_____	in ista.
Núm. 136. fol. 218. sufficio, lege	_____	sufficit.
Núm. 7. fol. 235. infiducia, lege	_____	fiducia.
Núm. 72. fol. 251. para, lege	_____	puta.
Núm. 2. fol. 498. textuisset, lege	_____	texuisset.
Núm. 80. fol. 536. amoris, lege	_____	majoris.

El libro 4. tomo, intitulado: *Commentaria Quodlibetica in Libros Sententiarum Joannis Baconii*, su Author el P. M. Fr. Diego de Castilla, del Orden de N. Sra. del Carmen de la Antigua Observancia, corresponde con estas erratas à su original. Madrid, y Julio 7. de 1750.

Lic. D. Manuel Licardo de Rivera,
Correct. Gener. por S.M.

THEO;



THEOLOGIE
BACCONICÆ
CARMELITARVM
SPECVLI
TRACTATVS XII.
DE GRATIA.
PROOEMIUM.



POSTQUAM DE ANGELIS TRACTUI ULTIMAM IM-
posuimus manum, & finem quæst. 49. primæ partis D. Thom.
cujus methodum observandam proposuimus, ex industria ab
ibi dictis, & notatis usque ad 109. q. secundæ partis ejusdem
Angelici præceptoris omisimus, ut aliqua, quæ propria sine
tractatum, qui inferius agitabuntur, suis in locis ingerantur, &
non pauca in corpus unum Theologiæ moralis practicæ,
ac speculativæ (Deo dante, & vita comite) redigantur, &
pro nunc ab his, quæ propria sine q. 109. incipientes de
Gratia Dei nostra quodlibetalia ad mentem D. R. Joannis Bac-
conii commentaria ordiemur, ut in isto lucidissimo speculo divinæ bonitatis, tan-
quam in totius vitæ spiritualis fonte, intelligi, & representari valeant omnia ea, quæ
ad salutem substantiæ rationalis viventis expectant: Ea etenim est vita, pulcritudo,
candor, vestis cælestis, maxima, pretiosa, ac, uno Verbo, Divinitatis consortium,
participatio naturæ Dei, similisq; suæ bonitatis imago. De hac acturi, ibidem etiam
de illius quidditate, necessitate, divisione, effectibus realibus, & moralibus, pro-
prietatibus, donis, ac eidem annexis virtutibus, meritoque justificato-
rum (O! utinam felici auspicio!) agemus.

Tom. IV.

A

QUÆ;

QUÆSTIO I.

An, quid, & quotuplex sit gratia Dei?

1. **S**ub titulo præsentis Tractatus comprehendimus non omne id quod nomine gratiæ venit, sed solum gratiam illam de qua sacri textus, Concilia, & P.P. qui tum ad nostram iusticiam, & salutem spiritualem animæ, tum ad profectum, & utilitatem sermonem instituerant: ideòque manent exclusæ ab hoc instituto gratia creationis, & conservationis, quoniam à Pelagio tanquam vera Dei gratiarum genera non ita propriè gratia nuncupari solita, nec hic veniunt elucidanda, solum ergo loquimur de gratia Dei per Christum Redemptorem nobis collata, & per quam extollimur, & elevamur supra id, ad quod vires nudæ naturæ humanæ pertingere valeant, quæ æquidem gratia Dei dicitur, & quia à Deo descendit, & nulli hominum debetur, aut per alicujus meritum comparari possit, ac denique, quantum fas sit creaturæ, modum essendi, & operandi divinum emulatur.

2. Et in primis: Existentia hujus divinæ entitatis cum sit supra totius naturæ ordinem, & superexcedat, & excellat naturalem creati intellectus facultatem nullis cogentibus rationibus convinci potest: unde solum, fide supposita, de exaltatione, & elevatione humanæ naturæ ad ordinem supernaturalem, & proxima promobilitate ad æternam vitam, claram Dei visionem, & ipsiusmet pacificam fruitionem, ex eo monstrari poteri existentia alicujus, vel aliquorum donorum, seu gratiarum, mediis quibus finis iste æternalis, ad quem everta est natura humana, assequi valeat, quæ quidem donâ, & mediâ gratia Dei dicerentur, quia necessario haberent illa omnia supra notata, quæ pro gratia Dei constituenda annotabimus: & quamvis de hoc nulla extaret ratio ad

illius veritatem fundandam, nobis sufficere ut textus quam plures utriusque testamenti istam Dei gratiam asseverantes, declarationes Conciliorum circa idem, & communis sensus, & intragabilis sententia Ecclesiæ.

3. Quidditas gratiæ, de qua in præsententi, & quæ verè dici possit gratia Dei, non a quo modo à D. D. Scholasticis explicatur; nam cum quidam teneant, & doceant, dari veram Dei gratiam intra metas, & limites naturales, aliis asserentibus, omne quodcumque gratiam verè denominari, esse supra totius naturæ facultatem, propter hoc, & secundum horum DD. sensum varietatem variæ instituntur gratiæ Dei definitiones: quibus ad hærendum nobis sit, brevibus indicabimus; dicimus enim, quod est intra ordinem naturæ, aliqua concedantur gratiæ, ut puta auxilia quadam actualia ad honeste operandum in esse moris, præfata gratiæ cum in communi usu Theologorum, secundum quid, & analogice in nomine gratiæ Dei conveniant; propterea aditus nobis non ocluditur ad hoc, ut unam constitruamus gratiæ Dei propriè talis definitionem, quæ simul & explicet, quid est illius; & omnem suæ lineæ gratiam comprehendat. Est ergo, ut dictis conformemur, hæc gratia, Donum Dei liberale, & munificum, quo elevatur rationalis natura, ut agere valeat ad suam salutem spiritualem, & ad Ecclesiæ ornatum, augmentum, & utilitatem, est optima gratiæ definitio, quia totius Dei gratiæ hominibus conferibilis comprehendit essentiam, & de illa majorem dabunt probationem divisiones hujusmodi gratiæ, quæ sunt in hunc modum.

4. Primò ergo dividitur gratia in actualem, & habitualem, ad modum quod ens per prius dividitur per actum, & potentiam: Actualis gratia est, quæ in actu secundo consistit, eoque transacto desinit esse, & nihil sui præter præteritum ejusmodi secundum actum; habitualis est, quæ è contra consistit in potentia proxima, daturque, ut per prius ad actum secundum, facultas naturalis eleveatur, facilitate, & proportionetur ad illum. Hæc gratia habitualis alia est formata, informis alia; formata, & quæ antonomastice vocatur nomine isto, estque charitate for-

Quæst. I. An, quid, & quotuplex sit gratia Dei?

formata; & hæc est illa nobilissima inter omnes qualitates, qua sumus Dei filii, & amicos suos Deus nos constituit, ad quam sequitur charitas, fides, gloriæ spes, lumen gloriæ, scientia supernaturalis infusa, &c. Informis gratia est, quæ separatur à charitate, ut fides, & spes in homine peccatore. Potest insuper gratia hæc formata considerari in homine ante & post lapsum primi peccati, & primorum parentum, de qua infra. Utraque hæc gratia est adhuc gratis data, & gratū faciens: Prima est in ordine ad alios; secunda in ordine ad ipsam habendam, & in quantum illum constituit Deo gratum, vel simpliciter per sanctitatem perfectam, vel secundum quid per aliud quodlibet donum supernum.

5. Gratia actualis item apud alios dividi solet in supernaturalem, & naturalem quam divisionem gratis, & nos admittimus; ista datur à Deo liberaliter, & ut indebita naturæ, eamque habilitans, & proportionans ad actus, est non altioris ordinis, alicujus tamen arduitatis, & viribus ordinariis naturæ improportionatos, quæ etiam gratia naturalis nobis per Christi merita comparatur: supernaturalis est adjuvamentum, seu divinum auxilium cito transiens, quo excitamur, movemur, & elevamur ad actus similiter supernos. Hæc præterea gratia actualis superna dividitur ab aliquibus in talem secundum substantiam, quatenus scilicet, per eam juvatur natura ad actus in sua entitate supernaturales; alia vero solum confertur ad effectum illum patrandum, qui est in sua substantia naturalis sit, quoadmodum tamen supernaturalis evadat; ut si Deus cuivis conferret per modum transeuntis virtutem ad resuscitandum mortuum. D. R. in quadam sui lucidissimi ingenii subtilitate aliter discurret de hac divisione, ut nos supra tom. 1. tract. 4. dedimus, cæterum non ita quod velit à communibus placitis deviare.

6. Gratia actualis superna, quæ frequenter apud Theologos vocatur nomine auxilii divini multinomia est: nimirum præveniens, concomitans, subsequens, sufficiens, efficax, præmotio, impulsus interior, inspiratio; cæterum quia de hac materia aliqua dedimus supra tract. 4. & 5. & 7. dispersa pro necessitate mate-

ria; est ab ea, ut secundum dignitatem tractaretur, abstinuerimus, ideò ab hoc supercedere judico; gratiam denique aliam esse intrinsecam, extrinsecam illam asseveramus; prima habetur in anima deo intus in ea operante; secunda expectatur in exterioribus signis, exemplis, miraculis, quibus cor emolitur, ut intus moveatur, & exiteretur, ut ad bonum salutare pertingat. Prædicta ebibimus ex D. D. majoris notæ, suntque fere omnibus obviam, de illisque qualis qualis noticia habetur in D. R. ac de illis pro nunc satis.

7. Ut ergo de gratia gratū faciente, quæ præcipue scopus est hujus tractatus, agamus, per prius de gratiis gratis datis aliqua prælibabimus. Quoniam autem sunt gratiæ hujusmodi Paul. ad Corint. 12. collegit istis Verbis: *Alii per spiritum datur sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alii fides in eodem spiritu, alii gratia sanctorum, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genere linguarum, alii interpretatio sermonum.* Hæc autem operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. Itæ igitur gratiæ ut conditionatæ à donis Spiritus Sancti non semper, & omnes simul anime sanctificatæ conferuntur, sed Deus illas vel seorsim, cui voluerit, quando, & quomodo pro sua libertate, communicat. Insunt præterea, & à Deo conferuntur transeunter, & per modum cujusdam motionis, excitationis passionis, quibus sua respective munia exercentur, est enim aliquando dentur permanentes, & per modum habitus, ut accidere potest in gratia fidei, & hoc ideo, quia prædicta species gratiæ simul est, & gratis data, & gratū faciens.

8. Per primam gratiam, quæ ab Apostolo vocatur sermo sapientiæ, frequenter accipitur lumen, & cognitio mysteriorum Dei, ut possit aliis in eis proficere, eosque in talibus instruere; ad hoc etiam facit secunda species gratiæ per Paulum declarata, nimirum *Alii sermo scientiæ* cæterum cum aliud sit sapientia, & aliud scientia apud Philosophos, ideò alienum non erit à Theologia, ut istas duas gratias distinguamus, quod innuere videtur sacer textus. Est ergo sapientia juxta ideam R. in 1. q. 4. prolog. art. 5. certissima cognitio principiorum, & simul eorum omnium, quæ ex iis deducuntur,

ad distinctionem scientiæ, quæ solum circa conclusiones versatur, & in illis accipit principiorum notitiam: in hoc sequutus fuit Arist. 6 Ethic. cap. 7. ex quibus non incongrue dicimus, quod gratia scientiæ consistit in certissimo lumine principiorum nostræ fidei, & in iis mysteriis, quæ ex illis deducuntur, circa quæ solum versatur *sermo scientiæ*.

9. Tertia ex gratiis huiusmodi est fides; hæc igitur est simul gratum faciens in quantum dicit certum, & firmum assensum rebus, & mysteriis à Deo revelatis, estque & dicitur gratis data, prout addit firmissimum assensum in Doctore fidei ad aliorum instructionem prærequisitam. Gratia sanitarum communiter pro virtute à Deo infusa alicui, ut sanitatem, non speratam viribus naturæ, impertiatur, quæ & solet ab aliquibus gratia miraculorum vocari; & ad hanc item gratiam reduci potest quinta per ordinem, quæ operatio virtutum nuncupatur. Prophetia quæ sextum locum obrinet inter has gratias, ab Adam frequenter legimus ad aliquos communicatam, quatenus Deus per illam pro variorum temporum diversitate, & necessitate suam Ecclesiam rexerat, & erudierat. Est ergo prophetiæ gratia sic à Deo aliquibus collata, ut præcii sint rerum, quarum nullius esse potest præsens notitia, quæ conducat cum effectu ad veritatem mysteriorum Dei, & fidei catholicæ, propter quod tria adnotantur in Prophetia, unum est Dei revelatio Prophetæ facta de occulto arcano, secundum est hujus apprehensio, ac tertium firmus, & indubitabilis assensus.

10. Gratia discretionis spirituum multifariam accipi solet; tum per secretorum cordium notitiam, qua secernantur, & discretio fiat inter bonum, & malum, sic de aliquibus legimus, quod iustos per odorem, sicut peccatores per factorem dignoscere. Accipitur etiam discretionis gratia pro ea experta, & satis apta facilitate, qua quis dirigit, & gubernat spiritum sibi creditum, ut promptius progrediatur in via perfectionis. Denique, & meo videri, certius, accipitur gratia ista pro illa specialissima Dei motione, & assistentia ad hoc ut secundum regulas sanæ doctrinæ spiritus anxius, & dubius, & minus securus recte instruat,

& omni metu discussio per tramitem veritatis perducatur. Gratia linguarum etiam variis modis accipi solet, de quibus hunc, vel alium referemus: Primò accipitur pro gratia loquendi cuilibet juxta suum idioma: secundò, ut uno idiomate docendo, ab auditoribus diversorum, percipiatur: tertio, & forte principaliter gratia hæc erit illa, cujus ratione jucundius, dulcius, & clarius, & suavius mysteriis nostræ fidei mens audientium instruat. Denique gratia interpretandi sermonem præditi fuerunt ii omnes PP. & Ecclesiæ lumina utriusque Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ, qui primi post Sanctos Apostolos nobis nota reliquerunt arcana Sacrosanctæ Sanctarum scripturarum, & conformiter ad hos discurrendum est de aliis secundum successionem temporum pro statu, & conditione Ecclesiæ.

QUÆSTIO II.

De statibus, & conditionibus naturæ hominis, sub quibus ipsi valeat Dei gratia communicari.

11. **A**liqua de natura in Theologica acceptione dedimus supra tom. 1. tract. 4. q. 2. & specialiora dabimus hic de eadem natura ad humanam determinata, quatenus in præsentem tractatum sumus de divina gratia, quæ hominibus conferenda erit, & quia præfata natura multis modis conceptibilis est in suo statu, de his prælibanda censuimus aliqua, ut ex iis expressior de gratia hac notitia habeatur. Et in primis loquendum nobis est de statibus talis naturæ non propriè, sed famosè consideratis, videlicet in quantum *status* dicit modum, aut conditionem existentie naturæ secundum diversam rerum, vel temporum constitutionem; & pro nunc superfedendum erit ab illa religiosa status acceptione in immobilitate rei sub aliquibus obligationibus consistente, Dei attempta

rentia sapientia, & ordinatione. De quo D. Thom. D. Subt. & alii D. D.

12. Natura ergo humana sub triplici statu, & consideratione accipienda est secundum ea, quæ de facto habuit, quid sit de possibili, de quo postea: Primo in statu innocentie, & originalis gratiæ, & iustitiæ; secundo ut lapsa, & per peccatum injusta; tertio, quatenus per gratiam unius Mediatoris assumpta, & reparata est. Præter hos status, & humanæ naturæ acceptiones, duo alii possibili à D. D. considerantur, nimirum puræ naturæ, ac naturæ integræ. Natura humana in puris naturalibus concepta solum dicit sua prædicata physica, quibus constituitur, & realiter ex sibi debitis completur, ut scilicet, quod hoc corpore, & ista anima, secundum omnia sua, & propria, constet, & componatur. Natura humana in statu integritatis dicit moralem rectitudinem, & conformitatem utriusque appetitus cum ratione, ideòque integritas, de qua hic, non physice, sed moraliter accipienda erit: diciturque rectitudo hæc integritas naturæ humanæ; quia cum hæc natura essentialiter rationalis sit, tunc integrè, & perfectè est talis, quando omnia, quæ illius sunt propria, rationi subduntur.

13. In hoc duplici statu naturæ humanæ duo quæri solent; de primò: si per prius ad gratiæ elevationem, & innocentie statum, fuisset homo conditus in puris naturalibus? De secundo: si integritas humanæ naturæ sit connaturalis, & cum eadem congenita; vel an esset præcisè donum gratiosum, & eidem indebitum? Circa primum quæsitum supponant Theologi omnes potuisse primum hominem à Deo creati in puris naturæ debitis, & hoc est sua attenda absoluta potentia; tum quia hoc nullam involvit contradictionem, cum prædicata physica ejusmodi naturæ physice considerata non implicent in re poni, & ad existendum procedere; tum etiam quia si homo nunc de novo à Deo creatur, ut potest, quique non esset ex semine Adæ, taliter maneret conditus, ut nec in gratia esset, nec peccator, sed solum gauderet statu illo, qui naturæ humanæ competit secundum sua physica prædicata de hoc iterum tract. 17. per tot.

14. In quæstione verò de facto non de est hic, aut ille Theologus asserens, & tenens, primum hominem fuisse à Deo in puris naturalibus conditum, posteaque tractu temporis elevatum ad ordinem supernaturalem gratiæ, & in iustitia originali constitutum: hujus ejusdem sensus necesse est esse eos omnes hæreticos qui cum Pelagio negant totius gratiæ supernæ necessitatem, & existentiam ad gloriæ meritum, & assecutionem: ceterum pro contrario sensu habetur concors fere omnium catholicorum sententia, fundaturque primò in illo Eccles. 7. *fecit hominem rectum ex quo DD. ex Aug. 12. de civitat. Dei cap. 9. ubi de Angelis habet, quod Deus in illis fuerit simul & conditor naturæ, & largitor gratiæ, idem docuerit de homine; ad quod maxime facit illud Trident. sess. 5. Amisisse sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat.*

15. Præterea assertum fundari potest hac efficaci, & congruenti ratione: Deus hominem condidit propter se tanquam finis ultimus ejus, sicut & omnia alia propter se metipsum operatus est; sed ita, & propter istum finem non conderetur in puris naturalibus: Ergo congrueret divinæ providentiæ, quod esset simul in gratia conditus. Major est certa, & minor probatur: Deus finis est hominis, ut clare visus, cognitus, & amatus; sed hoc modo non potest esse finis naturæ hominis in puris naturalibus creatæ. Ergo. Patet assumptum: finis hic altior, & elevatior est tota humana natura, in istaque nulla dantur, nec possunt excogitari media huic fini proportionata: Ergo quin Deus hominem in ordine gratiæ constitueret, & eum ad eam elevaret, non esset illius finis, nec taliter propter illum hominem creasset; cum frustra esset talis finis intentio, & ordinatio, cum media ad illum suppetere nequeant; in superque homo esset omnibus creaturis infelicio, si quidem in eo statu puræ naturæ pertingere non valeret ad suum finem prosequendum.

16. Nec obest contra hoc, quod ex dictis sequitur, quod nec de posse Dei absoluto dabilis sit humana natura in puris naturalibus condita; siquidem vel non esset propter Deum creata tanquam ipsius finem, quod dici nequit, vel incidere in

in inconueniens, quod scilicet, in illo eventū Deus esset ab ea assequibilis per vires suas naturales. Hoc inquam non obest: nam in casu, quo Deus per suam absolutam potentiam ita conderet naturam in puris naturalibus, hæc Deum respiceret, ut finem sibi, & non ut est in se, assequibilem, sed tantum naturaliter per ipsiusmet cognitionem, abstractionem, & amorem purè naturalem, unde non currit eadem ratio. Fundamentum enim supra positum, & quo convincimus, de facto fuisse creatam humanam naturam ita elevatam, procedit secundum ea, quæ congruunt connaturaliori modo operandi divinæ providentiæ, & ejus ordinatæ facultati, quæ taliter petit propter Deum producere creaturam rationalem, ut non modo sit illius finis naturaliter, & imperfectè assequibilis, verum & ut est in se, consequenter supernaturaliter.

17. Secunda difficultas, quæ contra suum statum possibilem naturæ humanæ se offert, sic discutienda est: num integritas præfata, qua in illa hypothesi natura humana conderetur, esset Dei donum, & indebitum beneficium, vel perfectio eidem conveniens, tanquam debitum naturalitatis titulo? Ad quam resolvendam cum distinctione loqui tenemur; vel enim integritas sumitur physice; tuncque habetur, ut illius passio; quatenus est quoddam ens, convertiturque cum bono, & perfectio; & in hac forte consideratione loquutus fuerat Durand, cum assereret hanc integritatem debitam fore illi naturæ, si sic à Deo creata fuisset; ceterum sub hoc sensu nil diceret speciales; omnes namque sentire debent naturam sic fuisse à Deo creatam immò in quacumque providentia ac condita esset, hac integritate physica diceretur tanquam ipsius propria passio.

18. Aliter sumitur integritas naturæ humanæ, & est usus frequens Theologorum, pro ea scilicet rectitudine morali, & in suis operationibus cum recta ratione conformitate, de quo supra; & sub isto sensu nullus Catholicus asserere potest præfatum integritatem esse naturæ humanæ debitam titulo connaturalitatis in sua conditione; nam præterquam quod tale assertum facile dilui posset, per hoc quod ea integritas est quid superadditum, &

naturæ adveniens in suis prædicatis constituta, nulloque jure pertinens ad esse illius; videtur fuisse ab Eccles. proscriptum in capite Michaelis Baii. hic enim docuit art. 26. quod integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ, sed naturalis ejus conditio, quæ quidem fuit una ex propositionibus damnatis ab Ecclesia sub Greg. 13. & licet torrat hic attendatur ad eam integritatem, quæ esset propria innocentie, & originalis justitiæ; cum ratio utrobique sit eadem, hæc potest esse ratio censura. Hucusque de statibus possibilibus naturæ humanæ.

19. Nunc ad eos, in quibus de facto steterit, ad eam: Primus est status innocentie; & originalis justitiæ in qua creata, & condita fuerat, & à Deo sic misericorditer evecta, & elevata, ut per eam homo simul esse creatus ad imaginem Dei in naturalibus, sed & assumptus ad ejus similitudinem in supernis, imitator factus illius modi peculiaris divinæ operationis; qua Deus se cognoscit, & amat. Secundus status naturæ humanæ, est illius casus in culpam mortalem, & lapsus in peccatum, cujus ratione Dei gratiam amiserat simul cum innocentia; originali sanctitate, & aliis donis liberalibus; quibus nobilitata fuerat. Tertius status hujus humanæ naturæ est ejusdem reparatio per unum Mediatorem Christum Jesum; in quo gratiam, & alia dona superna, quæ per peccatum perdidit, per hujus Redemptoris merita, & suis Sacramentis mediis, iterum recuperanda veniant. De his secundò, & tertio statibus humanæ naturæ non pauca, Deo dante, suis in locis dabimus, reservato pro nunc primò, de quo aliqua in præfati, ab eoque expediti,

tractatum de Gratia Dei, juxta sensum supra tactum, prosequemur.



QUÆ

QUÆSTIO. III.

Quidnam sit proprium constitutivum innocentie, & originalis justitiæ, sanctitatisque illius status?

20. **D**EUS non solum ab initio fecit hominem sibi amicum, sanctum, & justum, verum & omni rectitudine innocentem, præditumque gratis aliis gratis datis, & virtutibus naturalibus, quibus undequaque decoraretur. Sic enim David extollit hominis dignitatem primaviam Ps. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum. & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus ejus: quid est homo, &c.* Ex quibus pro certo apud fære omnes habitis etiam fære omnes Theologi conveniunt in eo, quod Adamus habuit scientiam naturalem rerum omnium sublunarium, immò & cælorum, ac elementorum, ex parte, qua faciunt ad hominis vitam, & conservationem; prætereaque & ipsi indita fuit notitia, saltem obscura, & confusa mysteriorum Ecclesiæ, adhuc eorum quæ ipsi pro eo statu non erant intimata, nec fidei illius propria objecta. Circa gratiam sanctificantem, ejusque virtutes, ac Spiritus sancti dona ipsi collata, est dogma ab omnibus tenendum, & ad minus probabiliter per Ecclesiam declaratum contra Pelagium aliosque hæreticos, unde solum superest, quod de originalis justitiæ quidditate ejusque dotibus aliqua dicamus.

21. Justitia originalis eo dicitur, vel quia fuit prima, quæ humanæ naturæ indita, & communicata fuerat, vel forte certius, quia fuisset aliarum origo, servato pacto inter Deum, & primum hominem inito de illius conservatione. Hæc ergo justitia originalis vocatur in primis innocentia, in quantum scilicet, primus homo ea dotatus fuisset immunis ab omni peccato, & macula lethali, & veniali, non modo negative, sed positive; nem-

pè per formam eam, quæ omne peccatum, & maculam excludit, quæ quidem est gratia justificationis; & quia hæc gratia tali statui naturæ communicata fuerat adhuc veniale peccatum non permittebat in homine illo talibus dotibus insignito. Dicitur item justitia ista gratia, & sanctitas, non quia sit talis quidditative, & intransitive ad aliud, ut infra dabimus, sed quatenus fortassis esset effectus formalis saltem secundarius ipsius sanctitatis, & gratiæ primo homini collatæ, vel in ea fundatus, aut ipsam supponens.

22. Consistit ergo formaliter, & quidditative originalis justitia, de qua tractamus, in subjectione, & subordinatione appetitus sensitivi inferioris ad superiorem volitivum recta ratione regulatum; siquidem cum ex natura rerum caro concupiscat adversus spiritum, & spiritus contra carnem, quin Deus sua usus omnipotenti virtute ista conveniret, & concordaret, quantumvis homo esset perfectus in naturalibus, & proventus ad supernaturalia, adhuc ipsi inesset rebellio carnis, concupiscentia vitæ, fomesque peccati, tanquam leges membrorum legimentis repugnantes; quod & fecisset de se lectum habemus per unam videlicet originalem justitiam. Ex quibus videmus, quod hoc justitiæ donum Dei sit à natura independentis, & ea elevatius, ceterum ex genere suo cum gratia sanctificante inconnexum; nam præfatum subordinationem appetitus sensitivi ad superiorem potuisset Deus homini communicare, ipso ad ordinem gratiæ non promotum. At quia aliter factum vidimus, & credimus, quærimus, num donum hoc sit aliquid de facto præter gratiam sanctitatis primi hominis, vel si sit effectus quidam ex visceribus gratiæ natus, & in quo genere causa?

23. Antè cujus resolutionem sciendum ulterius est, hominem non modo sic conditum fuisse originaliter justum, verum & dotibus immortalitatis, & impassibilitatis donatum: ipse enim per naturam suam mortalis est, & passibilis, ut fide catholica tenendum credimus contra aliquos Hæterodoxos, cum natura suæ conditionis defectus exigeret, imperfectionesque similes pateretur, ac ob altissimos fines divinæ providentiæ ejectus fuit ad

ima;

immortalitatem sibi, & posteris obtinendam, uno elu ligni veriti interdicto, per cuius transgressionem mors in illum, & in mundum introivit. Utrum immortalitatis hujus, & impossibilitatis donum sit etiam eadem gratia sanctificans huic primo homini infusa, vel aliud quid ab ea distinctum, poterat novam hic ingerere difficultatem. Sed quia hæc, & altera superius propofita summi desquisitioni offerantur, potius confusionem parerent, quam claritatem; ab hac expediemur breviter, ut ad illam facilius transeamus.

24. Et per prius de impassibilitate cum distinctione loqui debemus; vel enim impassibilitas sumitur per ordinem ad aliquid extrinsecum, quoquomodo nocivum, & hanc tenemus ortum ducere à divina mantenentia eorum; qui quomodolibet alium nocere valeant; sin autem ab intrinseco accipienda esset præfata impassibilitas, tunc ab eo oriretur; à quo dicamus immortalitatem oriri. Hæc igitur, etsi per aliam Dei providentiam non implicaret, quod ab ipsa divina gratia sanctitatis habeatur, de facto tamen nobis constat ex tacitis litteris, quod suum originem sumeret à ligno vitæ, quod Deus in paradiso constituerat, ut ad etum illius fructuum homo conservaret perpetuo vitam, immortalisque constitueretur; simulque doloribus, & infirmitatibus non expositus constitueret, ac esset denique ab intrinseco impassibilis; quorum hæc est unica ratio: Mors infligta primo homini ob transgressionem sumitur litteraliter, ita quod per esum ligni scientiæ boni, & mali homo mortalis rediret ad suam physicam mortalitatem: Ergo immortalitas, quæ ex esu ligni vitæ haberetur, si post peccatum comederet, etiam litteraliter intelligenda est: Ergo ut ante peccatum immortalis permaneret homo, Deus providerat illi de esu ligni vitæ, per cuius nutritionem ejus vita immortalis permaneret. Alia quam plura de hoc videri possunt apud D.D.

25. In puncto præfate difficultatis D. Subr. in 2. dist. 32. videtur sentire; quod gratia, & originalis justitia primi hominis sint duo Dei dona; duoque habitus distincti, ipsasque denominationes sancti, videlicet, & justitiam originaliter à duobus

formis provenire. Alii, ut Suarez, in hoc eodem conveniunt, ceterum alia via explicatum; nimirum quod sanctitas illa ex divina ordinatione sit veluti fundamentum originalis justitiæ, proptereaque etsi essent duo habitus ex genere suo inconnexi, tamen facta suppositione, unus alium supponeret, & veluti coexigeret; unde in his placitis sunt duo formaliter distincti habitus, quidquid sit de reali distinctione. D. Thom. q. 4. de malo art. 2. asserere videtur, quod ea dona sanctitatis, & originalis justitiæ ab uno habitu gratiæ gratum facientis proveniat, qui sub diversis statibus, & considerationibus, hos, & alios effectus præbere valeat.

26. Conclusio prima: Originalis justitia, ut de facto eadem datus fuit primus homo, est Dei donum, ipsique collata fuisset per modum habitus, & permanent. Est communis inter DD. probarique poterit; primo per R. in 2. vel potius in 4. dist. 2. art. 2. ubi justitiam originalem vocat promptitudinem; sed promptitudo per eundem R. ex Arist. sapius in 1. est facilitas; & habitus: Ergo sic erit originalis justitia, ut de facto collata fuit. Ad 2. Secundo probatur conclusio: Donum originalis justitiæ fuit naturæ humanæ à Deo communicatus, ut toti illi naturæ proficeret, integræque constitueret; non modo in subiectione mentis ad Deum; quod erat beneficium gratiæ sanctificantis, sed in subordinatione carnis ad spiritum; sed donum hujusmodi, quod erat proprium speciei, conferri non congrueret transeunter, & tanquam dispositio: Ergo permanent, ac per modum habitus. Denique probatur conclusio: Justitia originalis est donum, & gratia constituens statum innocentie primi hominis; sed forma alicujus status debet esse permanens: Ergo ita erit ea justitia. Minor constat: quia status, ex sua ethimologia, & communi acceptione, dicit stabilitatem, & firmitatem: Ergo forma illi us stabilis est, permanens, & habitus.

27. Conclusio secunda: Justitia originalis ex genere suo, & secundum communem usum, accepta est de specie gratiæ gratum facientis. Hanc non habemus in R. sed ex infra ex eodem dicendis colligitur, sicque probatur: Justitia originalis collata fuit primo homini in illius beneficium, & ut eam suæ posteritati si-

militer

militer conservaret; sed Donum ita collatum est de linea gratiæ gratum facientis ad distinctionem alterius gratiæ gratis datæ, quæ quidem confertur ad aliorum profectum, ut puta gratia curationum, interpretatio sermonum; &c. Ergo ad hanc speciem gratiæ gratum facientis reducenda est justitia originalis. Nec contra hoc obicit: quod ista originalis justitia ex genere suo non sit quid ad ordinem supernaturalém expectans, quod equidem requirebatur, ut perimeret ad hanc speciem gratiæ gratum facientis; non inquam obest; siquidem ut de facto fuit homini collata eadem fuerat ad istam ordinem supernaturalem ex conjunctione cum gratia sanctitatis, de quo infra.

28. Conclusio tertia: Justitia originalis est effectus formalis secundarius gratiæ sanctificantis primum hominem innocentem constituentis. Conclusionem colligo ex doctrinis R. in expositiva sua Theologia, & specialiter super Math. cap. 22. ac super Epistolas Paul. Et ex his sic formatur probatio illius prima: Quando duo, vel plures denominationes intrinsecæ idem subiectum afficiunt, ordine quodam inter se servato, vel ex natura rerum vel ex Dei divina ordinatione, & aliunde nullam dicunt incompatibilitatem inter se, vel in tertio, prima est effectus formalis primarius, reliquæ verò secundarii illius formæ, in qua contineri non repugnet, ut non multiplicentur entia sine necessitate, quod abhorret natura; hoc videtur in natura, & substantia, in extensione quantitatis, & substantia, & similiter in gratia justificationis; hæc enim ex genere suo, & primario habet constitutive hominem Deo gratum, Sanctum, justum, ex divina tamen ordinatione, ac filium Dei adoptivum, operum meritoriorum vitæ æternæ principium, &c. Et cum hujusmodi denominationes servant ordinem inter se, aliundeque non incompatiantur eidem gratiæ, se habent ut effectus secundarii unius gratiæ hujusmodi, ab unaque ista forma formaliter denominantur; sed hoc modo se habet absque ulla implicatione justitiæ originalis respectu gratiæ primæ justificationis: Ergo ab hac eadem habetur formaliter utrumque, unum primario, secundario aliud.

29. Major probatur: Sic & eodem

Tom. IV.

ferre modo se habet lumen gloriæ respectu anime; ut Deum clare videat, & secundario in ordine ad corpus, ut immortalis; & impassibilis constituatur, sicut gratia prima primi hominis, ut mentem Deo subjiciat, & valeat subdere corpus menti; sed ex R. quia effectus illi habent inter se ordinem ex divina tamen institutione, & alias non repugnant eidem formæ, ab uno lumine habentur primario primus, & principalis, secundario verò minus principalis: Ergo idem sentiendum erit in via R. de justitiæ originali respectu gratiæ sanctificationis. Sic enim loco supra citato loquendo de Gloriæ dotibus legitur: *Item quia erat lumen gloriæ in anima:: sunt etiam ab anima (dotes corporis gloriolæ) quia lumine gloriæ dotata gratuito, effectus formalis luminis gloriæ beneficio in corpore transfundit:: &c.* Ex quibus liquido constat: quod beneficium luminis gloriæ, & in genere causæ formalis ab eodem habeatur, & gloria anime, & dotes corporis gloriolæ; sed æque se habent subiectio corporis ad spiritum respectu mentis ad Deum: Ergo sicut illi tales effectus ab eodem lumine gloriæ proveniunt formaliter, sic in nostro casu similes effectus à gratia.

30. Superest, ut probetur; quod præfati effectus formales eidem formæ non implicent; & clare convincitur: In forma ea, quæ talis eminentiæ, & perfectiōnis sit, possunt formaliter eminenter, & virtualiter contineri effectus formales secundarii, etsi deterioris, & inferioris conditionis sint: Ergo etsi subiectio corporis ad spiritum sit veluti sensibilis, & corporea, ac deterioris conditionis, posset à gratia Dei sanctificante, quantumvis spiritualis sit, in genere causæ formalis, secundario tamen, provenire. Antecedens probatur per exemplar de anima rationali, quæ in plurium sententia præstat formaliter effectum corporeitatis, & in aliorum, etsi non præstat de facto, posset tamen in effectum propriæ formæ corporeitatis, ac in omnium, præstat formaliter gradus vegetativum, & sensitivum: Ergo propter eandem rationem, & vi ejusdem eminentiæ, & quia Deus taliter gratiam sanctitatis voluit extolli, ut de ea 2. Petr. 2. dicitur: *Maxima, & pretiosa nobis donavit, pote-*

B

runo

tunt absque aliqua implicatione ab eadem gratia prima primo homini communicata oriri formaliter, & primario sanctitas, & subjectio mentis ad Deum, secundario vero, & sine addita alia entitate, iustitia originalis, & subordinatio corporis ad spiritum, etsi non ex natura rerum, ex divina tamen dispositione.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

31. **R**imò arguitur contra tertiam conclusionem: Iustitia originalis accepta secundum Theologorum usum est separabilis à gratia sanctificante, & de facto separatur; ut videre est in Angelis, & in homine reparato: Ergo sunt quid distinctum; etsi advenitur, & conveniant in eadem naturâ humanâ in statu innocentie constituta. Pater hæc consequentia: Siquidem nullum majus signum est; quod distinctionem duorum convincat, quam eorum separatio, aut separabilitas, ut est commune inter Philosophos. Antecedens etiam constat ex hic, & superius dictis: nam potuit Deus hominem condere tali modo, quod caro sua subderetur spiritui, immò & immortalitate aliisque donis gratuitis, quibus nunc creatus fuerat, & quibus originaliter iustus constituitur, dicatum, quin ipsi gratus esset, & perfecta charitate amicus; vel è contra: Ergo quia hujusmodi dona integritatis scilicet naturæ, & gratiæ sanctitatis, sunt adeò diversa; ut separabilia sint.

32. Respondetur ad argumentum concessio antecedenti, cum sua probatione, & iis omnibus similiter, quibus fulcitur, sunt etenim vera, & à nobis supra exposita, & ad consequentiam primam dicimus: quod ex separatione reali entitativa concluditur realis entitativa distinctio, at vero à separatione reali graduâ graduum unius entitatis solum concluditur distinctio realis graduum eorum prædictæ entitatis: distinctio hæc est obvia nostris principis; sic substantia, & existentia separantur à natura, & essentia, quin ex hoc nõ

inferatur inter eas entitativa distinctio, sed solum gradualis; quia non separantur licet res à re, sed licet gradus à gradu ejusdem rei; idem dicitur apud alios de extensione quantitatis in ordine ad locum, quæ quidem etsi realiter separatur ab eadem quantitate, ab ea realiter entitative non distinguitur, & propter eandem rationem; quod & nos idem sentiendum tenemus de iustitia originali respectu gratiæ sanctificantis.

33. Sed contra sit: essentia, substantia, & existentia, sive alia hujusmodi, ista possunt distingui graduâ distinctio, quia sunt ex natura sua gradus ejusdem entitatis, habentque ordinem inter se, ita quod prius posterius inferat, & ad illud hoc naturaliter sequatur; sic ex substantia, si sibi relinquatur, sua oritur substantia, sicut ex quantitate naturaliter modo existentem sequitur localis existentia, tanquam gradus quidam veluti secundarius ejusdem unius entitatis; sed hoc non habemus in iustitia originali, cum valde inter se distent: Ergo nec quod tali specie distinctionis distinguantur. Breviter ad instantiam responderetur: quod licet ex genere suo non fervent præfatum ordinem gratia sanctificans, & iustitia originalis ex divina tamen constitutione, & ordinatione sic in primò homine condita fuerunt, ut præfatum ordinem observarent; istud nec Deo dedecet, nec in se implicat: Ergo potuit ita fieri per suam omnipotentem virtutem.

34. Sed contra iterum sit: Etsi per divinam virtutem; & secundum suam ordinationem simul convenirent in eadem naturâ humanâ gratia sanctitatis, & iustitia integritatis, non tamen videretur possibile, aut congruum ad minus, quod Deus rerum naturas invertendo effectum illum, qui unius causæ formalis est, & eam naturaliter exigit, transeat, & veluti transmigraret ad aliam, in cujus visceribus, & causalitate contineatur; atqui sic accideret in casu nostræ resolutionis: nam integritas hujus humanæ naturæ, quæ ex genere suo effectus formalis est unius doni, etsi gratuiti, naturalis tamen, transfret ad gratiam supernam; ut constituitur illius formalis effectus; ex quibus omnibus sequeretur inconveniens, quod abhorretur natura, & de eo Philosophia male sentit, quod

quod unus, & idem effectus formalis possit causari in isto genere causæ à duplici causa disparata inter se distante: Ergo etsi concedamus, quod Deus possit prædicta facere, non congruit asserere, quod de facto fecisset, cum alia supererant media commodiora ad præfatum finem obtinendum; nimirum, quod per duplex donum, & primus homo sanctificetur, & integra maneret sua natura.

35. Respondetur ad replicam, & in primis, quod non implicet virtuti divinæ tali modo constituere, & ordinare præfatas gratias, certum adeo est; licet enim in iis quæ sunt de quidditate rerum, Deus nihil possit, cum non valeat ad impossibile, potest tamen vel per se, vel per alias causas inter medias ad ea, quæ sunt effectus secundarii, adhuc in genere causas formalis; unde unus, & idem effectus secundarius unius causæ formalis potest in alterius causæ virtute, & in eodem genere causæ contineri; siquidem effectus secundarii rerum essentias nec constituunt, nec distinguunt, ut patet in iis exemplaribus, quæ supra nunc dedimus: Imò & effectus ille formalis primarius, qui in una forma continetur, & ab ea formaliter naturaliter præfatur, potest ab alia eminentiori præfari, & in eodem genere causæ, sicut in ea contineri, ut vidimus in anima rationali ad vegetativum, & sensitivum: Et idem sentimus de gratia sanctitatis, quæ cum ita eminentis sit inter omnes gratias gratum facientes, in ea eminentiori quodam jure primarii effectus aliarum hujus ordinis, & in ea continentur, & ab ea, etsi secundario, formaliter præfatur. Factum hujusmodi Deo nec dedecet, nec incongruit, quia his gratis utitur pro sua voluntate, & modo commodiori naturæ, & hic petit superfluas, & multiplices entitates vitare, quando per unam multiplex effectus communicari potest.

36. Alia via, & satis probabili possumus argumento, & dubitationi factæ satisfacere per expressas doctrinas R. quas habet in 3. dist. 36. art. 3. §. 2. & 3. docet enim ibi contra aliquos DD. virtutes eas morales, quæ moderantur, & quasi coercent appetitum hominis sensitivum inniti, & subjectari in voluntate principaliter, ut ex ea, & per eam fruantur passiones

inferiores, & sensitivas. Hæc sunt verba R. *igitur virtus moralis potest poni in appetitu intellectivo :: sed hoc posito, voluntas virtuosissima, ipsa nata est redundare; seu imprimere aliquam impressionem in inferiorem appetitum, & auferre; vel moderari ejus passiones.* Doctrinam corroborat ibi variis exemplaribus; & ad ultimum concludit, quod moderatio appetitus sensitivi est effectus minus principalis, & consequens ad rectam inclinationem appetitus intellectivi per unam virtutem moralem recte, & virtuosè inclinati, à qua veluti redundat per impressionem quamdam, & excitationem passionem cito transeuntem efficienter tamen habitâ ab ipso appetitu intellectivo, formaliter verò, etsi secundario ab eadè, & unica virtute morali in eo in hærente. Hoc adeo probabile est. Sed quidquid de illo sit.

37. Contra sic instatur hæc via: Etsi probabilis forte appareat, non est tamen comprobabilis cum doctrinis hic, & supra datis ex R. tum quia non vitatur inconveniens de multiplicitate entitatum sine necessitate, quam in ista dist. R. apponit vitandâ ex Philosopho, siquidem virtus moralis, quæ in fit in appetitu intellectivo moderatur sensitivum per impressionem quamdam huic appetitui veluti communicatam, & hanc asserit esse, ibi, excitationem de genere passionis; sed est qualitas alia, & distincta ab habitu virtutis moralis: Ergo idem dicendum erit de iustitia originali respectu gratiæ sanctificationis. Tum: quia per illam impressionem habitam in appetitu sensitivo à virtute morali existente in voluntate vitatur causalitas formalis, cum efficienter habeatur impressio ista à prædicta virtute: Ergo idem dicendum erit de gratia sanctificante respectu subjectionis portionis interioris ad superiorem, & consequenter hæc subordinatio, in qua sistit originalis iustitia, non diceretur effectus formalis gratiæ, sed efficientis.

38. Instantia non urget, sicque ad primum dicimus: quod impressio ea, quæ habetur à virtutibus moralibus voluntati inexistentibus respectu appetitus sensitivi est excitatio de genere passionis cito transeuntis, ideòque est quædam entitativa, & recula, minimæque durationis, & quasi per instans coexistens virtuti, & habitui, à quo oritur, unde non datur in

inconueniens, quod R. ex Phylol. vitare intendit; siquidem quod abhorret, natura est multiplicitas entitatum simul coexistentium, & sine necessitate; hic autem, & est necessitas aliqua, & non est habitualis multiplicitas entitatum; cum ea impressio deficiat à perfectione entis, quia ens minimum est, & cito transiens, nec permanenter coexistens virtuti morali: Idem dicatur de gratia, & iustitia originali: Ad secundum respondetur: quod ea moderatio appetitus sensitivi, & esset effectus formalis secundarius virtutis moralis; & hæc efficienter causaret illam impressionem cito transeuntem, unde sub una ratione esset formalis, & sub alia efficiens causa; sicut de lumine gloriæ ad intellectum, & de aliis habitibus ad suas respectiue potentias, in illas ergo exitando ad suos actus afficienter agunt, formaliter vero elevando, disponendo, &c. Ergo similiter gratia respectu subiectionis appetitus sensitivi, & virtus ad illum moderandum se habere possunt.

39. Secundò arguitur, & videtur instantia solutionum: Integritas naturæ, & huius originalis iustitia, etsi per divinam ordinationem gratiam sanctificantem supponat, & eam veluti prærequirat, non tamen huius formalis effectus dici debet: Ergo est aliud donum gratuitum distinctum entitative, & realiter ab ea. Antecedens probatur: effectus formalis alicujus formæ, ita eam comitatur, ut semper, & ubique forma ponatur, ejus effectus poni est necessarium, ideòque exiit in axioma: quod effectus formalis formæ sit forma eadem subiecto suo communicata; sed gratia prima sanctificans primi hominis non habet in se talem effectum integritatis post lapsum, & per peccatum reparata, cum in hoc statu sit in eadem specie sua: Ergo quia effectus ille integritatis ab alia causa, siue ab alia gratia oriri debet, vel aliud donum est à gratia sanctitatis distinctum.

40. Respondetur ad argumentum negando antecedens, ad cujus probationem distinguitur major: effectus formalis primarius adæquatus formæ ita est necessario concomitans formam, concedo; effectus formalis secundarius, nego majorem; immò & de effectu primario inadæquato non desunt Theologi recentiores asseren-

tes, quod à sua formâ quandòque separatur; ita docent de filiatione Dei adoptiva; quæ à gratia sanctificante in Christo Domino existente separatur, quia etsi effectus primarius illius sit, est tamen inadæquatus; cæterum quidquid de hoc sit ad nostrum sensum dicimus: quod præfata integritas naturæ præter quam quod non est effectus connaturalis gratiæ sanctitatis, sed tantum ex divina ordinatione; insuper habet solum, quod sit huius gratiæ secundarius effectus; propter quod solum illi subiecto communicatur, in quo sit capacitas talis denominationis, ideòque in homine lapsò non præstat effectum illum subiectionis carnis ad spiritum, quia homo per inobedientiam constitutus fuit in capax prædictæ primæ iustitiæ, & suæ integritatis, Deo res sic disponente; si enim voluisset, vel media sua redemptione, vel aliter, hominem integre reparare, & suæ pristinæ iustitiæ restituere, tunc propter subiecti capacitatem gratia præstaret effectum originalis iustitiæ, sicut præstabat in illo prioristatu innocentia.

41. Tertio arguitur: Integritas naturæ humanæ, & originalis iustitia pertinent primo, & principaliter ad partem inferiorem hominis, & ad appetitum sensitivum: Ergo huiusmodi iustitia haberi nequit à gratia sanctificationis. Antecedens patet: Nam iustitia originalis est Dei Donum, quo subditur caro spiritui, ejusque rebellionem moderatur, franat, & coercet: Ergo subiectatur in ea parte inferiori, quæ ad sensitivam pertinet; vel si in eadem non subiectatur, ipsi præstaret suum effectum formalem, quin eandem partem, & per eam informaret. Quoad primam consequentiam hæc est potior probatio: Gratia sanctificationis est qualitas simpliciter spiritualis: Ergo corpoream portionem non potest informare, neque eidem inniti, ut suum effectum communicet, quod ita convincitur: effectus hic præstitus à gratia, & portioni inferiori hominis communicato, vel esset corporeus, vel spiritualis; non primus, quia in forma spirituali effectus corporeus nequit contineri formaliter, nec secundus effectus est ad rem; quia effectus spiritualis formæ similiter spiritualis implicat subiecto corporeo, sicut & similis denominatio: Ergo ex nullo capite potest gratia san-

ctificans

ctificans talem effectum formaliter præstare.

42. Respondetur ad argumentum per doctrinam R. quas repetit, & à me non semel in medium adducuntur; & in primis supponimus tanquam de fide certum animam rationalem esse veram hominis formam, sic extat ab Ecclesia definitum; ex quo cum Theologorum concordia sententia certissime inferitur; quod nullo modo repugnet formam spiritualem vere corpus informantem; quod sic convincitur: Anima rationalis est vera hominis forma; atqui in sua substantia spiritualis est, sicut altera pars hominis ab ea informabilis, corporea: Ergo nullo modo repugnat, quod spiritualis forma corpus informet, & eidem innitatur, ipsum denominet, & constituat. In quoniam ergo ista est difficultas, quod gratia, & alia qualibet qualitas spiritualis, & maxime superna, quæ informat, non naturalem, sed obedientialem potentiam, afficiat subiectum corporeum, cumque sic, vel sic, & pro modo sui denominet secundum effectum proprium suæ quidditatis? Ergo casu, quo gratia sanctificans portionem inferiorem hominis, sicut eam subiecit rationi, in eadem inhareret, & eandem informaret adhuc ex isto capite in argumento allato nullam haberemus contradictionem, & aliunde non appareret majus inconueniens.

43. Ideòque & quia alio tendit noster modus dicendi, & discurrendi in hoc puncto ad intentum dicimus, quod subiectionis, & subordinatio carnis ad spiritum non est effectus formalis primarius, & immediatus gratiæ sanctificationis, sed secundarius, mediat, ex divina ordinatione, ac quasi per quandam redundantiam præstitus ab eadem; ut pote in prima hominis conditione, ita affluenter eidem fuerat communicata, ut non modo hominem illum sanctum, & amicum Dei constitueret, verum & iustum ea originali iustitia, impassibilem, &c. Quæ quidem dotes eminenti quodam jure in gratia sanctificationis, quæ Domina, & Regina est, omnium donorum gratiæ, continentur; ad quod sufficit, quod præfata gratia prima animam primi hominis informaret, eidem inniteretur, ipsi suos primarios effectus communicaret, ac per redundantiam, & su-

perfluentiam ex ista anima sic elevata, ut per talem gratiam ad ordinem supernum evecta, corpus taliter informantem ipsum sibi, & suæ superiori portioni subicere faceret, sedaretque rebellionem carnis, eo fere modo; quo R. citatus sentit; dotes gloriosæ corporis provenire ab anima; quatenus lumine gloriæ vestitur, & per illud elevatur: unde concludimus; quod non ab anima grata primi hominis habetur in eo originalis iustitia, sed quasi per animam sic communicatur corpori; & in virtute illius primæ gratiæ eidem animæ inhareret, ita quod id, quod anima quasi hiberat à gratia in genere causæ formalis, hoc corpori in eodem genere causæ præstaret juxta ipsius proportionem; & capacitatem; proptereaque cum corpus capax esset talis iustitiæ, & impassibilitati non improportionatum; effectus prædicti eidem ita præstantur, & communicantur. Doctrinam accepimus ex illo ps. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: quomodo ergo cor, & caro exultari in Deo possent per redundantiam ex anima?

Supra tom. 1. tract. 2. habetur.



QUÆ

QUESTIO IV.

Qualiter homo per naturam suam valeat, & sine gratia Dei, in ordine ad opera bona naturalia moraliter, & nulla ratione superna?

44. **S**ub hac indefinita quaestione plura discutienda recensentur, quae singulariter, & per partes à nobis resolvenda erant, quatenus talis methodus circa praesens invaluit apud DD. antiquos, & recentiores; & in primis ut certum supponimus, quaesitum solum locum habere in operibus moralibus, & quae modo humano fiant, vel cum ordine ad rationem, & deliberationem, sive de ratione ipsa, aut rerum notitia, & scientia eliciantur; nam plura ab homine fiant, quae humana non sunt ob hujus defectum, & haec abs dubio fieri possunt solo expectato Dei generali concursu, & aliis de necessitate ad operandum requisitis. Insuperque nec procedit de operibus moralibus supernaturalibus, aut quomodo libet aeternae vitae meritorii; ista namque opera sine Dei speciali favore, aut gratia fieri nequeunt, ut constat ex litteris sacris utriusque testamenti, de quibus nos tra&. 3. 4. 5. & 7. Estque ab Ecclesia in variis conciliis declaratum, & definitum secundum temporum varietatem, & pro necessitate conservandae fidei nostrae, & veritatis incolumitate.

45. Praeterea hic non disputamus de homine in statu naturae per gratiam, & iustitiam originalem integræ: in hoc ergo perfectissimo innocentiae statu non solum ex divina dispensatione, sed ex suppositione omnium aliorum donorum, & charismatum, quibus insignitus erat, habilis constitutus erat ad omnia, & singula opera moralia naturalia cujusvis gradus essent, & conditionis, atque ad illa, aut levia, conducentia tamen ad illum

perfectissimum statum plus enim non licet concedere, cum ad hoc nullum fundamentum habemus: Immo nec poterat in sensu composito illius status defecti ab impletione cujusvis naturalis praecepti quamvis enim traheretur ad esum naturalem ligni, & fructus prohibiti hujusmodi esus etsi quoad substantiam naturalis esset, tamen superior, & excellens fuit quoad modum, cum per illum scientiam boni, & mali comestam censeret, & in similitudinem divinitatis extolli, sua concupiscentia distractus judicaret: Ecce fractio, & violatio divini, & supernaturalis praecepti: *Non habebis alium Deum praeter me*, quod, etsi non litteris, signatum tamen erat in corde illius, & impressum.

46. Denique nec loqui volumus de homine, si in pura natura esset conditus, & perseverans; tum quia casus hic, etsi possibilis, est solum imaginarius; & ad inquirendum quantum valeat natura hominis suis viribus relicta, & quam stragem in illam faceret in naturalibus peccatum origine non est adeo necessarium praeterquam quod per aliam naturam humanam statum sufficienter, quantum fas sit, & pro imbecillitate de hoc assumpto declarabimus. Procedendum impresentiarum erit de homine in natura per peccatum primum lapsa, & adhuc per unum Redemptorem reparata, & de hujus naturalis virtute, & facultate inquirendum, quantum valeat in ordine ad opera moralia purè naturalia, ut ex hoc dignoscamus, quo pervenerit decrementum hujus lapsae naturae, & quanta sit dignitas talium operum. Dissidium, & sententiarum varietas inter DD. praecipue fundatur in textibus sacris, Conciliis, doctrinis pro utraque parte cogentibus, ideoque per prius deficientia humanae naturae praerequisita ad moraliter bene operandum erit nostra resolutio, & sententia, ut postea, quid in puncto taliter controverso placitum R. afferamus.

47. Secundò, ut certum cum PP. supponimus, per peccatum primum hominis nil ab eo amissum, aut de perditum fuisse de iis, quae ad veritatem naturae humanae pertinent, sicut nec in Angelis similiter per suum peccatum, unde in eis idem intellectus, eademque voluntas eum eodem

libe-

libero arbitrio quoad, suas physicas, & antecedentes potentias, & facultates mansisse, & perseverasse tenendum; quo sic stabilito, cum quaerimus pro hujusmodi potentis post peccatum, vel ad verum cognoscendum, vel ad bonum naturale prosequendum, non dubitamus de potentia physica, & antecedenti, sed purè & praecise de potentia morali, & expedita, an homo post peccatum valeat, & possit moraliter in hujusmodi operum elicentia sine aliquo Dei speciali adjutorio? Est ergo potentia physica illa, quae attenditur praesens realem facultatem; & vim naturae; moralis vero, quae expedita est, nulloque interiori, aut exteriori impedimento praepediatur: Et consequenter ad hoc nec hic assumitur Dei potentia absoluta, nam sicut per hanc potentiam homo claudus curreret, & ager longum iter perficeret, nullo alio auxilio fulcitus; sic homo sauciatus vulnere peccati posset per Dei absolutam potentiam in opus sibi consuetum sine aliquo alio adjutorio superaddito.

48. Et ut ab omnibus expediamur, & ad ea, quae sequuntur, inoffenso pedecurramus, tertio ut certum supponendum est, quod pro gratia Dei sic, vel sic desiderata ad opera bona moralia, quaeque coadjuventur vires debilitatae naturae lapsae non debemus gratiam creationis, seu conservationis intelligere, cujus generis, gratia dolose proclamata fuerat à Pelagio in Concil. Palestin. pro operibus meritorii desiderata; nam licet non subsit eidem damnationi, ad rem tamen non facit, nec proficit ad nostram difficultatem evacuantem: nec item eam gratiam intelligere debemus, quae sit sanctificationis, & justificationis; de fide enim est sine ista gratia posse hominem bene moraliter operari; sic idem definitum est contra Michaelem Bajum per felic. record. decretum Pii V. Greg. XIII. & Urbani VIII. damnatum varias ad hoc praedicti Baii propositiones, quibus assererat nominem in peccato constitutum nec posse bene moraliter operari; aliundeque docebat, omnia hujus hominis peccatoris opera moralia peccata esse: antiquis damnationem subjerat praefata haereticus esse N. D. R. in 4. dist. 1. q. 2. circa finem exponente illud Pauli ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est;*

ubi per varios Canones explicat, quomodo opera quae non sunt ex fide, & simul recta conscientia, sint peccata; &c. aliterque sentientes haereticus damnet; unde relinquatur, quod gratia ea, de qua in praesenti, sit auxilium quoddam naturae humanae pro illo statu indebitum à Deo, que descendens cito, & transeuntet pro modo operis, & necessitate naturae; cujus quiddam sit? Postea dabimus.

49. Quartò, & proprius ad assumptum praemissis habitum, ut certum supponimus; scientiam aliam esse speculativam, practicam aliam, prima consistit in contemplatione veritatis; secunda ordinatur ad aliquod faciendum, vel agendum; utraque potest esse universalis, vel particularis; haec dicitur talis, quia ad hoc vel illud scibile tendit; illa vero ad omnia; quae omnia sumi possunt collectivè, & divisivè; scire omnia speculativè, & practicè, collectivè, & simul, solius Dei est; qui omnia respicit, & alta à longe cognoscit; scire aliqua speculativè est innegabile; quod revera remanet in homine post peccatum, ut experientia compertum est; praeterquam quod omnia ea scire simul cum non haberet ante peccatum; quia eidem solum congruebat ea particularia scire; quae essent necessaria pro illo statu; quomodo valeret in omnia taliter scibilia post peccatum? Nec item dubitare licet de ea scientia; quae quomodolibet conducit ad meritum vitae aeternae; nam desideriam habemus, quod nec ante, nec post peccatum haberi valeat sine Dei speciali adjutorio talis scientia ad superna conducens; ideoque superest ut ad scientias practicas ad opera moralia bona ordinatas sermonem nostrum coarctemus.

50. Prima sententia est eorum, qui ad quodlibet opus bonum practicè sciendum praerequirunt aliquam Dei gratiam; hanc inter recentiores primus suscitavit Vazquez, citans pro se non paucos DD. ex antiquis; legatur à disput. 138. fundatur variis in locis sacris, de quibus aliqua postea dabimus; cum rationes ejus solvantur; secunda sententia extreme opposita ad nullius practicae dictationem exigit hujusmodi gratiam, cum omnia cujuscumque gravitatis sunt intra

spha-

sphæram virtutis naturalis intellectivæ contineantur. Tribuitur D. Sutor. Aleos. Bonavent. & aliis. Tertia sententia mediana docet, posse hominem lapsum aliquas ex virtutibus practicis cognoscere eas scilicet, quæ non sunt majoris ponderis, & dignitatis, ut hanc: Deus, ut summum bonum est, diligi debet ex toto corde, & ex tota anima. De hac Lezan. Noll. tract. 7. q. 2. De placito R. in hac materia non est facile ferre iudicium, & maxime cum videtur adversari communibus doctrinis recentiorum, & nos, qui ab isto numero separari nolumus, etsi difficulter, eum concordare curavimus. Pro quo sit.

51. Conclusio prima: Nullus hominum in natura lapsa potest scire collectivè, aut divisivè omnes veritates practicas, quæ quomodolibet conducere valeant ad opus morale naturaliter bonum. Conclusio quoad primam partem satis clara est, loquendo de potentia hominis morali, & Dei ordinariâ virtute, sub quibus terminis procedimus hic, & in questionibus circa hoc; ratio assertionis est: quod nullus hominum in natura integra, & in statu innocentie posset cognoscere simul has omnes veritates: Ergo multo minus in statu corruptionis, ubi tot, & tales difficultates, incommoda, & impedimenta intrinsicæ, & extrinsecæ occurrant, quæ possint intellectus vires minorare, retardare, & præoccupare, ne valeat tam plures elicere actus scientiales, & in rebus iis tantis difficultatibus vestitis. Antecedens etiam constat; siquidem scientia naturalis status innocentie esset ea solum, quæ illi statui congrueret, & alia major, etsi physicè possibilis esset, non tamen moraliter; cum homo, adhuc quod esset, naturæ integræ, non denunderetur à pensionibus corporis; atqui scientia præfata congruens statui innocentie, & pro modo humano operandi sic, non esset ad simul omnes veritates practicas; hæc enim simultas in virtute talis hominis, esset donum speciale Dei superadditum ad donum integritatis: Ergo: Probatur minor: In dono integritatis solum concipimus eam scientiam practicam prærequiri, quæ sufficiat ad conservationem illius status; sed ad hoc sufficit successiva, & indeficiens notitia de re-

agendis: Ergo alia collectiva non desideratur.

52. Probatur conclusio quoad secundam partem: Nec in natura integra valeret homo ad omnes veritates practicas adhuc divisivè cognoscendas sine speciali auxilio Dei: Ergo minus in natura lapsa. Antecedens probatur unica ratione, quæ utrumque convincit: Practicæ veritates naturales non solum sunt, quarum notitia, & dictamine circa eas adimplentur naturalia præcepta, & sine interruptione bene moraliter operatur, verum etiam dantur præterea aliqua, & non pauca, quæ intra metas virium naturæ ordinent, & dirigant voluntatem ad melius, & perfectius operari, ut puta hæc: *Inimicus non solum est diligendus, sed meis bonis præferendus; et: Amicum succurrere intendo cum jactura meorum bonorum; sed hæc, & alia innumera veritates practicas non possunt successivè, & divisivè cognosci ab homine pro nullo statu sine speciali dono Dei: Ergo ad has non valet homo per vires suæ naturæ integræ, quanto magis lapsæ: Minor probatur: Cumulus talium veritatum constitueret hominem, non modo bonum naturaliter, sed in hoc ordine perfectiorem; sed hæc excellens perfectio nulli statui est debita, & ad illam non suppetunt vires naturæ: Ergo superior vis desideratur: Patet: Nam vires dantur in natura ad id, quod est conforme eidem; sed quod excellens est, & superius, conforme non est, ut ex suis terminis constat: Ergo: Fundatur hic, & supra asserta doctrina, in eo quod Arist. 3. Et hic docuit, dicens: *Non esse sufficientem naturam humanam ad omnes actiones bonas, sed indigere extrinseco motore.**

53. Conclusio secunda: Homo lapsus, & adhuc non justificatus potest viribus propriæ naturæ non simul, & collectivè, sed divisivè, & successivè eas omnes veritates practicas cognoscere, quæ sufficiant ad impletionem naturalium præceptorum. Quoad primam partem, coincidit conclusio cum supradictis, & infra dicendis; nam difficultates eæ, quibus irretitur humana natura propter carnis rebellionem, obstant, quominus valeat homo lapsus eas cognoscere practicas veritates, quæ conducant ad rectam moralem operationem. In secundâ

dâ verò parte habemus expressam doctrinam in R. in 4. dist. 1. q. 2. art. 2. Dabimus per prius ejus verba, tum quia ad hanc deservirent, tum quia non parum faciunt ad sequentes resolutiones 7. *Ethec. ponit Philosophus unam virtutem naturalem perfectissimam, quam vocat heroicam, & illam, ut dicit, destruit omnem bestialitatem, & facit hominem rectè dici puerum Dei propter virtutis excellentiam. Deinde cap. 2. ponit aliam virtutem, quam vocat continentiam, per quam homo perseverans fit heroicus, seu puer Dei perfectè vivens secundum rationem:: Et aliquantò post: Potest enim heroicus (loquebatur de virtute heroica naturali) sic filogizare: summum bonum, sed Deus est summum bonum: Ergo Deum diligo ex toto corde. Major, & minor ponuntur 12. meth. text. Com. 39. & 52.*

54. Ex quibus sic probatur conclusio ad mentem R. Intellectus humanus viribus propriis, & sua attenta naturali ratione potest elicere eam supra positam demonstrationem: Ergo iisdem viribus potest in alias omnes veritates practicas, etsi non collectivè, divisivè tamen. Antecedens est R. ex Phyl. & consequentia probatur: Veritas in illo filogismo demonstrata est major, & excellentior, ac eminentior omnium aliarum veritatum practicarum: Ergo si intellectus humanus sibi relictus, & suis viribus naturalibus innixus potest in eam practicam veritatem, potest in omnes alias. Antecedens est certum, & consequentia liquet per argumentationem à majore: si enim potest in arduum, & difficilius, quomodo non valeret in aliud, quod in hoc præconteritur? Atqui omnes veritates practicas naturales in illa prima continentur, ad illamque ordinantur, omne siquidem bonum propter primum scitur, sicut & prosequitur: Ergo si purus Philosophus potest in primam illam veritatem, valet ad omnes alias similiter practicas, tuncque diceretur heroicus, & continens à virtutibus naturalibus continentie, & heroicitatis, quæ vel intellectum vel voluntatem afficiant.

55. Secundò probatur conclusio: Omnes practica veritates, quæ faciunt, vel ordinantur ad observationem naturalium præceptorum, non sunt supra naturalem rationem intellectus humani: Ergo per hanc valet ad eas omnes, etsi non si-

mul, divisivè tamen, & in quolibet statu consideratus: Antecedens probatur: Eæ omnes veritates, in primis, suæ propriæ lineæ sunt, & intra sphæram naturalem intellectus, nullisque difficultatibus implicatae quæ vinei naturaliter non possint: Ergo potest ad eas intellectus suis naturalibus viribus, adhuc quod esset in statu peccati, & corruptionis. Antecedens probatur quoad secundum; maxima inter difficultates, quibus intellectus præpediretur, esset vulnus ignorantie, veluti præconceptum ex originali peccato; sed vulnus istud non læsit intellectum, nec vires ejus minuit, quoad has veritates naturales practicas per se cognoscendas; etsi per accidens distrahi possit, à concupiscentia voluntatis; de quo inter argumenta: Ergo. Minor probatur: Vulnus ignorantie hujusmodi ortum habuit tum ex rebellionem appetitus sensitivi; tum ex defectu charismatum gratiæ illius status, sed ne unum, aut aliud facere potest, quod vires naturales intellectus non valeant ad præfatas practicas veritates: Ergo. Patet minor; cum utrumque faceret solum ad expeditius, facilius, extensius prædictas veritates penetrandas.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

56. PRIMò arguitur contra primam conclusionem: veritates omnes practica, adhuc eæ, quæ sunt de Concilio, & pertinent, non ad bene, sed ad perfectius moraliter operari, sunt intra sphæram humani intellectus, ejusque capacitatem non excedunt: Ergo potest ad eas omnes per vires suas naturales, etsi non simul, & collectivè, quia sua virtus ad hoc non valet, & inter se confunderentur, divisivè tamen, & successive. Antecedens ex se constat; cum de illis solum veritatibus loquamur, quæ attingi possint per rationem naturalem intellectus. Consequentia verò probatur: Intellectus, & qualibet alia potentia, si debite applicetur, potest in objectum sibi connaturale, & suas facultates non excedens; sed sic se habent ad intellectum humanum omnes practica veritates pertinentes ad lineam operis moraliter hõne-

fi: Ergo ad has omnes valet intellectus huiusmodi suis viribus insistens. Major constat: liquidem & dicitur potentia, quatenus potest in suum objectum agere: Ergo vel intellectus talis deficeret à ratione potentia, vel posset in objectum, quod supra se non esset.

57. Respondetur ad argumentum quod intellectus, sicut quaelibet alia potentia potest absolute in objectum sibi connaturale, & suae lineae, proprium, vel intra propriam sphaeram constitutum, & hoc est, posse in illum antecedenter, & physice, ut autem valeat in illud expedite, & moraliter, ulterius desideratur, quod objectum huiusmodi esset proportionatum, & accommodatum viribus naturalibus potentia; sic senes, & puer possunt physice generare, ceterum moraliter loquendo, verum est, dicere, quod sunt ad generationem impotentes, quatenus eiusmodi actus, etsi sint intra sphaeram propriae virtutis generativae, sunt tamen improporionati, & ad illa attingendum, requiritur ex parte potentia, quod adiciatur eidem robor ad hoc desideratum; idem ad nostrum intentum sua proportione dicendum iudico: Omnes veritates honestae, quaecumque sint, non excedunt lineam, & sphaeram naturae intellectus, ceterum huic deficit rebus, & suae virtuti efficacia ad eas omnes, quia illi improporionatae sint: Unde informa distinguitur antecedent: omnes ex veritates non excedunt capacitatem physicam intellectus, concedo, moralem, nego antecedens.

58. Secundò arguitur contra secundam conclusionem, contra quam afferri possunt textus sacri, conciliorum decreta, & PP. sententiae, sed quia omnes ad unum & idem facere videntur, unam de hoc, vel alteram dabimus auctoritatem: & sit prima ex illo 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Item ex illo Proverb. 3. *Meum est Consilium, mea est prudentia:* Ecce ratio practica agendorum; quod rotum exprimit Conc. Milevit. Can. 4. *utrumque esse donum Dei, & scire, quid agere debeamus, &c.* Et secundum Conc. Arausic. Can. 9. *Divini est muneris cum recte cogitamus.* Ex quibus concludit Aug. Epist. 105. *Ne mo recte sapit, recte intelligit, nisi qui donum in-*

tellectus, & Consilii acceperit. Respondetur breviter, has, & omnes alias auctoritates loqui, & intelligi debere de ea solum scientia, quae ordinat homines ad aeternae vitae meritoria opera & de qua Psal. 95. *Beatus quem tu erudieris Domine, &c.* et si alio modo intelligendae essent, maximè de Dei generali influxu ad omnia qualibet opera requisito.

59. Secundò arguitur: Si posse viribus suae naturae homo lapsus omnes practicas veritates, quae faciunt ad adimplentionem omnium praeceptorum naturalium scire, posset & omnia huiusmodi praecepta servare; sed non potest suae naturae, viribus cum sint inter ea quaedam ardua, & difficillima, quae superant sensum nostrum, ut puta, dilectio Dei appetitiva, & proximi adhuc inimici: Ergo nec ea scire, quae practice ad hoc faciunt. De minori infra; major verò probatur: stante iudicio practico & recto de dictamine unius veritatis practicae pervires naturales intellectus, staret in voluntate similiter vis naturalis ad huius prosecutionem: Ergo stante ad omnes veritates eadem facultate in intellectu hominis lapsi, staret & naturalis vis ad omnia praecepta naturalia adimplenda. Consequentia legitime sequitur per argumentationem à simili proportione.


60. Respondetur ad argumentum negando maiorem; non enim in hoc est similis proportio intellectus ad voluntatem; tum quia adhuc, quod intellectus diceret vel simul si posset, vel successive, omnes veritates practicas, posset voluntas pro suo libito ab iis resilire, & aut imperare intellectum, ipsumque distrahere, ut aliud cur proponeret; vel ea dictatione contempta, deestere ad contrarium bonum delectabile, solum speculativè ostensum, de quo tract. de Angelis cum de peccato demonum agamus; tum etiam, & ex hoc reducitur, quod vulnus, infirmitas, & laesio voluntatis hominis major fuit receptum per peccatum, quam in intellectu ratione, liquidem ab ea incepit malitia, ipsamque rationem suam allectam concupiscentia distraxit, & veluti, ac sicut mulier, seduxerat intellectum, ideòque minus potest in bonum, quam intellectus in verum, magisque sauciata extitit per lapsum, quia ipse fuit

fuit tota ferè malitia; unde ex eo, quod non valeat, in omnia opera honesta, & bona, non sequitur, quod intellectus in omne verum practicum saltem praeceptum, seu prohibitum naturaliter.

61. Tertio arguitur: Intellectus hominis fuit per peccatum laesus, & vulneratus, sicut arbitrium eius attenuatum, &c. sed propter hoc liberum arbitrium non valet ad omne bonum honestum naturale: Ergo nec intellectus ad omne scibile huiusmodi. Minor est certa, & major patet; nam ex tali vulnere homo cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus fuit iumentis, & similis tactus est illis. Praeterea probari potest consequentia: homo lapsus tali vulnere sauciatus, & molle corporis pressus, & propter rebellionem appetitus sensitivi praecipuus sensibus, aliisque perturbationibus implicatus, non posset habere ita promptam, & expeditam rationem, ut naturae suae viribus omnique alio auxilio destituta, iudicaret de bono quolibet arduo eligendo: Ergo ratione huius vulneris peccati non valeret ad omnem veritatem naturalem practicam, nec ad eas, quae faciunt ad observationem naturalium praeceptorum.

62. Respondetur ad argumentum concedendo vulnus ignorantiae in intellectu hominis lapsi, sicut infirmitatem in eius viciata voluntate, ceterum non aequalibus laesionibus subiecti, intellectus enim quia minus erravit, minorem intulit morbum; voluntas, quia malitia suae concupiscentiae distraxit intellectum, maiorem quasi panam subijt, ideòque non potest liberum arbitrium suis viribus relictum in ea naturalia bona, in quae valet notitia intellectus: utraq; potentia suam, & suo modo substituit idem; intellectus, ut non possit in omnem quamlibet veritatem moralem, sed solum ad eas, quae conducant ad praecepta naturalia possit sua naturalis extendi virtus, voluntas ulterius aegra permansit, cum ad has omnes bonitates non pertingeret, nisi vel aliquo superiori adiutorio fulciatur, vel aliter sua infirma virtus roboretur, de quo

immediate nunc.



QUAESTIO V.

Qualiter homo in statu lapsae naturae valeat ad opera pure naturalia moralia elicienda, & facienda?

63. **D**octrina superius data de scientia hominis lapsi in ordine ad practicas veritates, non aequali jure tenet quoad voluntatem, & huius executionem: respectu horum naturalium operabilium; ut superius dedimus, & in quo non discedimus à placitis non minoris notae DD. ideòque instituitur praesens dissertatio ab alia separata, & distincta; quatenus de illa nova elicitur difficultas, & non parvi momenti inter Theologicos praesentes tractatus, immo, & multipliciter resolvi est necessarium pro multiplici statu, & conditione operum, de quibus dubitamus, vel ut conformius loquar, pro varietate respectuum, quos voluntas hominis lapsi dicere potest ad ista naturalia bona moralia: Voluntas enim praedicti hominis comparari potest ad unum, aut alterum bonum morale eliciendum; potest insuper considerari sua infirma virtus in ordine ad omnes: Praeterea ad unum, vel alterum arduum, & difficile; ac denique in hoc vel illo, aut omnibus diu consistens, & perseverans, & de illis omnibus tenemur ad suam cujusque singularem resolutionem.

64. Et antea supponimus; quaestionem procedere de opere morali, non solum bono ex bonitate objecti; sed taliter bono, ut undequaque, & in omni sua circumstantia tale sit; nam si ex objecto suo habet bonitatem propriae materiae, & aliunde vitiatur, vel ex pravo fine, vel medii, non honestis assumptis ad illius prosecutionem, absque dubio non bonum, sed malum erit moraliter opus tale.

tale, cum malitia oriatur in operatione ex quocumque defectu; sic est largitio elemosinæ assumpta propter vanam gloriam, & ad tale, & similia opera nullus dubitat sufficere arbitrium humanum adhuc vulnere peccati sauciatur, & sine ullius superioris adiutorii auxilio. Superest quod de alterius generis bono procedamus, quodque nec minimum habeat Christianæ pietatis, nec ullatenus conducat ad æternam vitam; nam ad huiusmodi elicientiam de fide habemus contra Pelagium declaratum, non sufficere arbitrium creatum quodcumque sit, & in quolibet statu, dummodo sibi relinquatur, & omni initio fidei divinæ destitutum.

65. Præsupponendum etiam ut certum censui, quod in ista gravi difficultate nihil certi statui potest, quod tanquam fidei nostræ dogma stabilatur, nam textus sacri utriusque testamenti Conciliorum dererminationes, PP. sententias, quas quisque pro se affert, si in litteralem sensum trahantur, ut patet in materia doctrinali, omnes loquuntur de operibus bonis moralibus, quatenus fide, vel charitate formentur, ut ad vitam faciant sempiternam; & in hac operum talium acceptione, non proceditur hic, ut nos cum omnibus supponimus: Et licet in aliquibus propositionibus damnatis, & proscriptis inferri possit, quod Ecclesia loqui possit de bono aliquo moraliter tantum honesto naturaliter assequibili, adhuc tamen residuus fuit locus Theologicæ huic disputationi. Quod ut clarè fiat hoc, adducimus exemplum: Ecclesia anathematizavit Bajum afferentem, liberum arbitrium post lapsum non valeret nisi ad peccatum; ex quo sequi videtur, quod declarasset veritatem illi propositioni contrariam; quod scilicet arbitrium huiusmodi ad aliquod non peccatum valet: sed opus quod peccatum non est, bonum est, & honestum: Ergo ad hoc valet. Valeret consequentia, si non daretur in præfatis medium; unde nil de præfatis difficultate, vel ad eam conducens Ecclesia deterravit. Nec item in Concil. Palest. Milëvit. & Arausic. cum contra Pelagium agebatur, aliquid à PP. fuit declaratum; quod faceret ad opera bona moralia, de quibus

hunc; siquidem ibi solum tractabatur de gratia vera Dei prærequisita ad bona opera; quæ ad vitam æternam, & Catholicam pietatem conducere.

66. Et ut terminis probabilibus tantum procedamus in hoc puncto, necessarium duximus hunc locum speciosum Paul. ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent naturaliter, quæ leges sunt, faciunt; in medium adducere; qui, ut sonat, intellectus magnam facit probabilitatem apud eos DD. qui viribus naturæ tribuant, quantum sufficiat ad opera legis exequenda; cum Paul. dicat, quod ea, quæ leges sunt naturaliter faciunt; & quia nos intendimus adstruere, quod textus omnes qui ad hoc facere videantur, intelligi debent; & explicari de operibus salutariibus, idè ut hoc stabiliamus, locum præfatum Paul. cum hoc asserto consiliare debemus. Loquebatur ibi Apost. de gentibus adhuc ad fidem non conversis, ut potè legem naturalem in Decalogo contentam nondum scientibus, ac de his docuerat; quod quamvis eam legem scriptam non haberent, eam tamen inditam à Deo obtinuerant in tabulis cordis, & luminis naturalis sculptam; ut eam sic naturaliter facerent pro modo, & virtute naturæ humanæ corruptæ, à quo abstinuit Paul. relicto hoc ad Theologorum disputationem.*

67. Quo supposito, & ut plenius, & clarius, ad resolutiones adeamus; sub aliis terminis proponi solent præfata difficultates, & quæstiones, utrum scilicet arbitrium humanum in humanitate lapsa valeat ad omnia præcepta naturalia servanda, & per consequens ad non peccandum contra istam legem sine Dei speciali adiutorio? Vel ad minus possit isto modo in aliqua præcepta? Sive ad ardua, & difficiliora, ut puta dilectionem Dei perfectam, vel proximi, amici, & inimici. Ac denique si his præcisè intentum viribus naturalibus, possit superare, & vincere graves tentationes contra huiusmodi observationem insurgentes? Ad quod sequi est necessarium, quomodo perseveraret in ista vitæ perfectione, aut non? Comprehendi tenemus; totam legem naturæ, naturaliaque præcepta in decem Decalogi præceptis, ipsaque complecti, & veluti copulari in his duobus: *Di-*

liges

liges Dominum Deus tuum; &c. & proximum, &c.

68. Triplex in præfati versatur sententia: prima asserit, hominem lapsum per vires naturales arbitrii, & omni seclusa gratia; posse totam legem servare in eaque permanere; ac diu in illa perseverare; dummodo lex non sit supra naturam; aut aliquomodo respiciat finem supernum. Tribuitur Durand. in 2. dist. 26. Gabriel. q. 1. D. subt. q. ult. Alstaino, & Abulens. Secunda sententia huic opposita; tenet; ad nullum opus bonum morale præceptum sit, aut non; non valere humanam naturam lapsum, quin aliquo divinæ gratiæ auxilio adjuvetur: Est Vazq. q. præcedent. citati cum aliis antiquioribus DD. quos pro se affert. Tertia sententia inter has media docet, hominem lapsum ad unum, vel aliud opus bonum morale sive præcepti sit sive Concilii; valere viribus propriæ naturæ; dummodo abstinuit contra illius observantiam gravis, & vehemens tentatio, vel in eo non esset diu perseverandum, ex quo concludunt, quod nec ad omnia huiusmodi opera collectivè accepta, sua intentus facultatè, possit perfectè & efficaciter elicienda: Est communis inter Theologos, & specialitè recentiores sententia omnes. Quid de hoc R. sequentes dabunt conclusiones.

69. Conclusio prima: homo lapsus existens adhuc in peccato mortali actuali potest elicere, & patrare aliquod bonum honestum morale non solum ex objecto; sed ex omni circumstantia naturali bonum. Conclusio; ut jacet, est communis; ut supra notavimus; & quamvis textus sacros supra dixerimus de hoc non loqui; cum ad litteram debeant intelligi de operibus salutaribus, tamen possent afferri aliqui, qui circa præfatis magnam faciunt probabilitatem; & sit primus ex isto Paul. ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent; naturaliter quæ sunt leges, faciunt.* Ubi per ly naturaliter satis datur cognosci, quod in vi luminis naturalis possunt adimplere; quæ sint per legem præcepta; sed non omnia, ut infra dabimus: Ergo aliqua. Secundus habetur ex illo Deutoron. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non supra te est: sed juxta te est sermo valde in ore tuo. & in corde tuo; ut facias illud:* Igitur in corde, & in ore habemus sufficien-

tem vim ad ea præcepta saltem divisivè servanda: Ex Conciliis non incongruè convinci potest eadem conclusio, & specialitè Trident. Can. 1. ubi hæc habet: *si quis dixerit; hominem suis operibus; quæ vel per humanam naturam vires vel per legis doctrinam sicut usque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathemate sit.* In quibus Concilium supponit, dari huiusmodi operum bonam; quæ per vires naturæ fiant.

70. Scimus; quid ad hæc respondeant contrarii; præter quam quod supra insinuatam extat; dicitur enim ad locum Paul. quod ly naturaliter non debet accipi pro viribus nudis arbitrii creati sed divino favore adjuvi; qui quidem favor cum esset ordinis etiam naturalis; non extraheret opus illud; nec modum elicientiæ ab statu naturali; propterea Gentes; quæ sine legis notitia; legem in virtute illius adiutorii adimplerent; non supernaturaliter; sed adhuc naturaliter prædictam legem servarent: Dicerent etiam ad illud Deutoron. quod Decalogum à Deo per Moysen populo intimatum; verum est, quod nec præcul; nec in Cælo; sed juxta populum esset; & nec supra suas vires existeret; cum etiam aliqua circa illius observantiam adessent impedimenta; præsto erit divina virtus auxilians; & assistens; semper enim physicè posset ad illud visitata; & connaturali arbitrio creato humano: Denique responderent ad verba Trident. quod in his non supponantur prædicta opera bona moraliter possibilis humanæ naturæ corruptæ; sed solum declaratur; quod ex suppositione quod darentur, vel per vires proprias; vel per auxilium Dei in naturalibus; adhuc non sufficerent ad justificationem, quin per aliam superiorem gratiam; & ut ad salutem oportet, eliciantur.

71. Solutiones datæ non possunt cogenter urgeri, cum nec loca sacra expressiora; nec rationes convincentes; quæ ad hoc faciant; adduci possint; quo non obstante; prima responsio sic instatur: Gentes; qui legem adimplent sine exteriori promulgatione legis; idè legem naturaliter servarent; quia per naturam; etiam nullâ superaddita eisdem gratia; talem legem adimplerent: Ergo semel quod esset necessaria gratia ad huius legis adimplerionem; adimpletio hæc non di-

diceretur naturaliter habita, sed per gratiam. Probatur assumptum: quamvis ea gratia in vi cuius lex adimpleatur, esset de ordine naturali, adhuc adimpletio legis per eam non haberetur naturaliter: Ergo semel quod esset in vi alicujus gratiæ, in vanum diceret Paul. quod gentes illæ naturaliter legem adimplerent. Antecedens probatur: Non fit naturaliter, quod non fit per vires naturæ; sed quamvis auxilium illud esset naturale, opera, quæ in vi illius eliciantur, non possunt dici facta per vires naturæ: Ergo quamvis, &c. Ad minus enim tenentur dicere contrarium, quod ly naturaliter non accipi debeat in sensu suæ rigorosæ significationis; sed non est fundamentum ad ampliandam hanc suam significationem, & minus strictè de illa sentire: Ergo propriè debet accipi, & prout communiter usurpatur.

72. Contra secundam solutionem fit: Sic Deus intinuit Decalogum populo per Moysen, ut simul eos instrueret, quod præcepta in eo contenta nec supra eorum facultatem essent, nec de cælo pararequiretur vis ad eorum observationem; sed si ad hoc ultimum desideretur aliqua quævis gratia Dei in homine lapsa, non diceretur, quod essent in eorum facultate, immo & de Cælo descenderet vis, qua adimpleri valeant: Ergo tunc Decalogum esset supra illos, ejusquæ adimpleratio super Cælum existeret. Tertia denique solutio ad verba Trident. suo etiam modo stabiliri possent, & contra solutionem datam firmari: Concilium supponit de facto possibile opera bona elicitur viribus naturæ, cum declarat hæc non sufficere ad justificationem: Ergo non debet explicari per sensum conditionatum. Probatur: in primis Concilium indefinitè, & absolutè loquitur: Ergo non est fundamentum ad opponendam eam conditionem, si nimirum ea opera moralia bona possibile essent, non valeant ad justificationem: De inde: Concilium dicit, quod opera, quæ eliciantur per vires naturæ sunt insufficientes ad illum finem supernum: Ergo præsupponit de facto possibilem ejusmodi elicientiam, sicut, & aliam, quæ fieret per legis doctrinam.

73. Secundò probatur conclusio per

PP. authorit. Et sit prima Aug. lib. de peccato. just. cap. 20. ubi dicit: *valere liberum arbitrium ad naturali bona capeffenda, & mala vitanda, sed non ad querendum, perficiendamque justitiam.* Chrysost. Homil. 5. ita clarè pronobis loquitur: *Per natura autem Verbum naturales intelligit cogitationes, & ratiocinationes: Per hæc rursus ostendit, Deum sic hominem finxisse, ut possit per se virtutem intelligere ac vitium declinare.* Insuper Hieronim. super 22. Matth. ista habet: *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita, cum sciamus, quosdam esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala, alios, ob honestatem morum, virtutibus deditos.* Denique D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4. & de veritate, ac alibi non semel distinguens inter bona opera, & quædigna sunt æterna mercede, & pura naturalia, apertè, & clarè sentit ejusmodi naturalia opera fieri per vires arbitrii creati; quasi dicat ibi, quod ad hoc sufficit bonum naturæ, quod per peccatum non mansit corruptum.

74. Tertiò probatur conclusio per R. in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. ibi enim (ut supra notavimus) ponit ex Phylol. 7. Ethic. duplicem virtutem moralem, unam vocam heroicam, quia destruit bestialitatem, & facit hominem dei puerum Dei perfectè viventem secundum virtutem; aliam agnoscit, & est continentia, per quam homo perseverans dicitur puer Dei perfectè vivens secundum rationem; utrumque habet Arist. ibi cap. 1. & 2. ex quibus concludit Baconius, quod homo his virtutibus præditus, possit in hunc modum filogizare: *summum bonum ex toto corde diligo; sed Deus est summum bonum: Ergo Deum ex toto corde diligo. Major, & minor ponuntur 12. met. text. 20m. 39. & 52. Conclusio sequitur demonstrativè: Ergo conclusio Heroica demonstrata semper potest vincere omne contrarium judicium, & sic potest esse semper continens, & non peccans; sed esse sic continens, & heroicus; haberent Phylolophi per solam rationem naturalem, & omni seclusa gratia: Ergo per solas vires naturales potest bonum continentia generalis patrari: Ergo cum natura per peccatum mansisset integra quoad se, adhuc illa in statu sui lapsus possit per suas vires in ea bona moralia, ad quæ ipsi suppetit virtus.*

75. Sed contra fit primò: Ex verbis R.

solum probatur, quod per virtutes præfatas naturales possent Phylolophi talimodo circa Dei bonitatem filogizare, atenta autem natura, & secundum prædicata ipsius physica, quod solum arguit in homine lapsa, & purè phylolopho potentiam physicam ad rectè operandum, & non peccandum contra naturam, quod nullus negat; non verò potentiam moralem, & expeditam, de qua hic dubitamus. Sed contra est: R. concedit homini phylolopho in naturalibus per virtutes heroicam, & continentiam fulcito eam potentiam servata proportione ad rectè operandum in naturalibus, quam tribuit charitas Theologo in supernaturalibus; sed potentia habita per charitatem ad benè operandum, est expedita: Ergo & quæ tribuunt illæ virtutes in naturalibus. Probo majorem per ipsum R. ibi dicentem: *Et sicut argumentatum est de peccato mortali, sic arguentum est de peccato, quod Theologi vocant culpam mortalem: Ergo per virtutem continentia, per quam perseverare possum in hac conclusione: possum vitare omne peccatum, &c.*

76. Sed iterum contra fit: videtur, quod R. distinctionem ponat inter peccatum mortale phylolophorum, & culpam mortalem sic vocatam à Theologis; sed hoc dici nequit: Ergo ratio non probat. Major est R. & minor probatur; primò: quia non est peccatum phylolophicum, quod non sit culpa, & offensa Dei, ut est damnatum ab Alex. 8. Secundò: Quia si illud peccatum, quod possent vitare phylolophi per eas virtutes naturales, non esset culpa, nec illorum contraria operatio esset moraliter bona, cum medium non detur inter bonum morale, & malum, quod sit culpa moralis: Ergo aliò tendit litera R. Ad replicas respondetur breviter, & faciliter; R. enim non ponit præfatum distinctionem inter peccatum, & culpam, sed solum asserit, eam, ut positam à Phylolophis, cum diceret: de peccato, quod Theologi vocant culpam ad differentiationem Phylolophorum, quod solum peccatum nominant; ideòque nec incidit in damnationem Alexand. 8. nec facit dilemma ad eam.

77. Quartò probatur conclusio: Liberum arbitrium hominis non mansit extinctum per peccatum, ut decrevit Ec-

clesia non semel: immo nec in naturalibus læsum, ut cum Dionis. loquendo de Angelis communiter sentitur: Ergo remansit post lapsum, non solum physicè, verum, & moraliter potens ad aliquod bonum opus morale. Probatur hæc consequentia; primò: quia licet homo lapsus manserit debilis, & infirmus, potest adhuc in opus, quod esset hominis sani proprium, ut patet per simile de operationibus physicis ad moralia; infirmus enim, etsi ægrè, tamen potest ambulare, comedere, &c. sicut sanus: Ergo. Secundò: opus bonum morale intra ordinem naturæ elicitum non excedit vires, & potentiam physicam, vel moralem naturæ humanæ, adhuc lapsæ: Ergo potest hæc natura suis viribus in tale opus. Antecedens probatur de potentia tunc verificatur, quando nec gravis difficultas, nec notabile impedimentum obest operationi; sed neutrum est, quod naturam hominis lapsi possit sic impossibilitare ad aliquam benè moraliter operandum: Ergo. De hoc nullam aliam dabimus probationem, quam experientia multiplex ab omnibus habita de pluribus hominibus naturaliter liberalibus, castis, parcis, & in quibus nulla obviat difficultas ad exercendas hujusmodi operationes bonas. De hoc iterum postea.

78. Conclusio secunda: Homo lapsus suis viribus relictus non potest in omnia quælibet opera bona moralia collectivè accepta. Credo, quod hæc est communis, & de ea nullus dubitaret, cujus hoc est fundamentum: sub nullo statu posset homo in prædicta bona sine specialiori auxilio Dei: Ergo minus in statu corruptionis. Antecedens probatur: sub nullo statu posset homo suis viribus relictus in bona moralia ardua, difficilia, & meliora, & quæ sub præcepto non cadunt; sed sub collectione omnium bonorum comprehenduntur omnia illa bona: Ergo ad hanc collectionem sub nullo statu valet homo suis viribus. Major probatur: collectio talium bonorum superat naturalem virtutem hominis, adhuc quod esset præditus integritatis dono: Ergo in quolibet sui statu possibili non valeret prosequi eam collectionem bonorum naturalium. Probatur antecedens: Natura hominis defectibilis est ex se, in nihilum ten.

tendens, idèdque conservare non posset talem perfectionem in operibus suis, ut non modo esset redificata in illis, verum nec leviter deficeret in naturalibus; sed si posset in eam collectionem omnium bonorum, sic esset: Ergo ne hoc dicatur, dicendum erit, quod superet suam connaturalem virtutem præfata collectio omnium bonorum.

79. Conclusio tertia: Homo lapsus suis viribus innixus non potest totam legem naturalem collectivè, & perfectè servare. Est scire omnium Theologorum, de qua nil vidi expressum in R. ea parte, quæ facit ad perfectam adimplerionem legis, & ideo communibus fundamentis itabillenda erit. Primum sumitur ex sacris litteris per varios textus, quorum unus sumitur ex sap. 8. *Non aliter possum esse continens, nisi Deus dederit*; Ex quo sic arguo: Sapiens hic loquitur de ea virtute continentia, quam Philosophi dicebant, constituturæ hominem perfectè viventem secundum rationem, omnemque bestialitatem excludere, ut nos ex R. conc. 1. dedimus sed hanc habemus ex sacris litteris nobis inesse non posse, nisi Deus dederit: Ergo nec eam habere possumus nostris viribus relictis. Ne huic opponitur, quod supra dedimus de virtute continentia naturalis cum R. nam ibi solum de cumulo legis, quoad substantiam erat sermo, nunc vero procedimus de operatione virtutis rigorosè perfectæ, quam nullus habere potest, nisi Deus dederit.

80. Secundò probatur conclusio per aliud commune fundamentum: Perfecta adimpletio totius legis haberi debet per ordinem ad Deum perfectè dilectum, ita quod omnia hujusmodi opera in illum finem naturaliter ordinentur; sed perfectæ dilectio Dei, ut naturæ authoris, assequi non potest ab homine lapsò sibi relicto: Ergo nec perfectæ adimpletio totius legis. Major satis constat: Ex eo quod omnia præcepta Dei in hoc uno continentur: *Diliges Deum tuum ex toto corde, &c.* Minor verò probatur, primò per Aug. Epist. 107. dicentem: *Liberrimum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*; atqui hic loqui non potest de alia minus perfectæ Dei dilectionem: Ergo de hac perfectæ dilectione. Item subsumo; sed nec hic loqui potest de dile-

ctione charitatis: Ergo de alia naturali. Antecedens probatur: per liberum arbitrium solum non diligitur Deus amore charitatis: Ergo si hoc deperditum fuit granditate peccati, præcisè intelligi debet respectu amoris naturalis.

81. Secundò probatur eadem minor: Dilectio Dei perfectæ adhuc naturalis est amor benevolentia, strictæ amicitia, & super omnia apreciatiuus excludensque omnem affectum ad peccandum cum firmo connatu; & proposito nunquam dissolvendi ejusmodi amicitiam, ac Deo semper in omnibus placendi, honorandi, obediendi, &c. sed amor ita efficax, & purus non potest haberi in viribus naturæ humana corruptæ: Ergo nec perfectæ Dei dilectio. Major est certa, & minor probatur ratione, quam insinuat R. in hoc 2. & hac dist. q. 5. art. 1. quærit enim qualiter homo peccaret stante hoc iudicio certo in eo: quod Deus est summum bonum, & quod summum bonum sit summe diligendum, respondet: *Licet enim sit recta ratio, tamen concupiscentia, quæ est ei contraria distrabit intellectum*: Et stante distractione hac facta, voluntas, quæ prona est ad consentiendum concupiscentia carnis, consentit. Concordant hæc cum aliis, quæ ibi ante dixerat q. 2. art. 1. ex illo Paul. 7. ad Romanos: *Ego carnalis homo vendatus sum sub peccato*; &c. Et: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; de quo nos infra suo loco.

82. Ex quibus sic in forma procedimus ad illam minorem: Natura humana per peccatum remansit prona, curva, & inclinata ad malum, liberum arbitrium attenuatum, demissum, infirmum, ut habemus in Trid. sess. 5. caro hominis in concupiscentias carnis proclivis, & alia innumera obstantia rectæ rationis distamini, quod scilicet Deum tamè esset diligendum, distaret; sed ex his confurgit ea impossibilitas moralis ad perfectam Dei dilectionem, amicitiamque strictam servandam: Ergo cum his, moraliter loquendo, stare nequit. Minor probatur: præfata moralis impossibilitas consideratur in iis operibus, quæ nunquam eveniunt, nec sunt visæ, & ad quarum positionem concurrunt impedimenta urgentia, & graviora, quæ potentiam coarceant, detineant, circumdant, ne in actum

actum hujusmodi exeat; atqui ista, & alia quam plurima circumstant voluntatem humanam; ut non possit prorumpere in illum purum affectum amicitia ad Deum cum tali proposito efficaci, ut nunquam eidem displiceat, semper honorem debitum præstet, &c. Ergo.

83. Conclusio quarta: Homo lapsus potest in omnia præcepta legis naturæ suis viribus quoad substantiam implenda, in ipsorumque observantia aliquanto, et si non diuturne, & finaliter perseverare. Conclusio et si non sit omnium eorum, quos prima conc. citavimus, coincidit tamen cum ejus probationibus: & in primis quoad textus sacros satis clarè convincitur, quod si faciunt in ordine ad aliqua præcepta naturalia juxta naturæ ordinem servanda, æquè se habent ad omnia, sicut ad unum, sic enim cum Deum Moz. si dixerit, quod suum præceptum non esset supra hominum vires, non loquutus fuit de uno, vel alio, sed de omnibus collectivè in illo Verbo *Præceptum* contentis, siquidem non modo ad eorum observantiam divisive, verum & collectivè eos adstringere volebat. Idem dicimus de PP. doctrinis, & sententiis, omnes etenim de substantia omnium præceptorum naturalium intelligi parati, cum eorum observatio quoad substantiam non raram, aut gravissimam ingerat difficultatem.

84. Propter quod, & ut asserta conclusio nullam patiatur æquivocationem, sciendum est præceptum aliquod posse adimpleri perfectè, & insuper quoad substantiam suam; tunc adimpletur perfectè, quando in ejus adimplerione servatur rectus ordo, non solum ad rem intimatam, & præceptam, sed ad finem præcepti & præcipientis, ad omnesque circumstantias ipsum præceptum comitantes: Sic præceptum jejunii v. g. quis adimpleret perfectè, quando non solum attenderet ad rem præceptam unius scilicet comestionis in die secundum usum Ecclesiæ, verum, & ad carnis macerationem, Christi que Domini imitationem, & ad alia, quæ ad hoc facerent. Tunc præterea præceptum observatur præcisè in substantia sua, quando actus prohibitus, vel præceptum solum respicit rem prohibitam vel præceptam in sua specie, & quantum attinet

Tem. IV.

ad propriam rationem objectivam, nullo pensato respectu ad finem operis præcepti, aut præcipientis, &c. ut videre erit in adimplerione ejusdem præcepti jejunandi, quod fortè sic communiter observatur.

85. Nuncque potest conclusio quoad primum, quod continet, probari per eammet rationem, quam ex R. dedimus conc. 1. hujus q. ex qua item hanc deducimus probationem: observatio totius legis naturæ non est supra vires hominis lapsi: Ergo potest totam eam legem suis viribus servare. Antecedens probatur, primò: homo lapsus tenetur ad totam legem saltem quoad substantiam servandam: Ergo potest suis viribus ad hanc observationem, alias ad sibi non possibile, obligaretur. Secundo probatur idem antecedens: tota lex in substantia sua non est ita talibus difficultatibus implicata, nec ad eam præpeditur liberum arbitrium majoribus impedimentis, immò neque ita infirmum est, ut pro modo naturalium præceptorum, & quantum dicuntur ex objecto suo, superabile non sit per vires hujusmodi arbitrii: Ergo non est, nec moraliter, impossibilis hujusmodi legis adimpletio, nec supra vires humanæ fragilitatis.

86. Assumptum probari potest ex quidditate, & natura Decalogi, in qua aliqua sunt præcepta affirmativa, quæque non omni tempore sunt obligatoria, & alia negativa, quæ et si semper obligent, experientia concludi potest, quod cum dentur inter homines quidam talis naturæ, & indolis, ut nec perturbationem in animo patiantur, nec carnis illecebras sustineant, nec irascibilem commotam, in his talibus tota præceptorum negantium series faciliter adimpleatur, & cum huic adjungamus, quod affirmantia non pro semper obligent, ad ultimum devenimus ad hoc, quod homines hujusmodi totam legem quoad substantiam saltem observarent, immò in ejus custodia per aliquantum temporis perseverare possent; sed hoc totum non est moraliter impossibile: igitur nec hæc totius legis adimpletio: Nec denique in hac posset quis finaliter, & diu perseverare, quia hujusmodi diuturnus, & finalis usus boni liberi arbitrii cum conjunctum quid sit, vel

D

pro:

proximum finali penitentia, aut impenitentia, in quo medium non reperio, si primum; erit ex Dei gratia; & secundum; dicit omnimodali possessionem: Ergo et si per aliquod tempus possit quis sic totam legem servare, non vero diuturne; & finaliter: de hoc iterum postea.

87. Conclusio quinta: Homo lapsus non potest viribus suae naturae vincere tentationem gravem contra aliquod ex praecipis naturalibus: haec etiam hodie est communis; licet habeat contra se aliquos ex antiquis DD. & antequam proberur, est sciendum; tentationem, quae est impulsus interior, vel exterior ad peccandum provocans; vel ex propria concupiscentia ortus, ut ait Jacob: 1. vel Daemonis astutia, aut hominum malitia; aliam esse levem, quae Paul. vocat humanam, gravem aliam; haec est prostaticor, vehementis, illa vero brevis, & parum efficax; utraque superari potest positive per actum scilicet, contrarium peccato, ad quod stimulat, vel negative scilicet, per omnimodam suspensionem voluntatis, ita quod nec eidem consentiat, nec positive dissentiat; & de illis duabus procedimus, & loquimur. Scimus praeterea textus; qui ad hoc adduci possent, loqui de tentatione vincenda vera victoria, & cum proventu ad aeternam felicitatem: ceterum aliqui possent in medium afferri, qui clarius loquantur de tentationibus superandis in ordine ad pure naturalia.

88. Per quos sic primo probatur conclusio ex illo Paul. ad Roman. 7. *Habeo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae: prosequitur: quis me liberabit a corpore mortis huius?* Et respondet ipse: *Gratia Dei per Jesum Christum ex quibus verbis ista formatur ratio: Lex membrorum repugnans legi mentis est carnis rebellio, cuius ratione unusquisque tentatur a concupiscentia sua; sed tentatio ista, quae cum Apostolum infelicem constituat, vehementis est; & alio modo ab eo superanda non judicatur, nisi per Jesu Christi gratiam: Ergo ad eam non valent vires propriae suae naturae. Non minus claram habemus probationem in Ps. 17. *In te eripiar a tentatione.* Et ps. 127. *Impulsus eversum, ut caderem, & Dominus suscepit me.* Denique in Concil. Arausico. 2. Can. 9. dicitur: *Divini muneris est cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate detinemus; sed in**

his, quia dorminaliter loquuntur, intelligere debemus universaliter, & indefinitum; quod quoties aliqua superari tentatio, quae in malum culpae mortalis inclinaret, in quocumque esset ordine; divini muneris esset: Ergo non posset hoc tribui viribus propriae naturae.

89. Sed responderent contrarii: Quod in his locis, & ex eius doctrinis minus probatur contra a nobis supra assertum; nimirum quod nullum opus bonum sit, in quo non detur transitus hic a falsitate, & injustitia, ac impulsus; ut detur casus in peccatum: Igitur non solum in casu conclusionis desideratur Dei gratia. Contra responsionem dicendum est: quod non in omni opere bono fiat talis transitus, cum multoties ab uno in alium actum virtutis fiat progressus; insuper nec impulsus ad peccandum solet quandoque accidere in propositione aliquid boni honesti prosequendi, ut Magistra experientia docemur; & practice videtur in exercitio plurimum naturalium virtutum; quae sine tentatione in contrarium parantur: Ergo idem non est prosequitio aliquarum virtutum, adimpletio praceptorum naturalium saltem imperfecte, & quoad substantiam, cum vehementibus tentationibus vincendis.

90. Quid de hoc senserit R. infra dabimus immediate sic: Voluntas hominis lapsi ex se prona est ad peccatum, ut ex eodem R. dedimus, quia infirma, & fauciat vulnere originalis peccati: Ergo si huic pronitudini, & inclinationi in malum addatur gravis, & vehementis tentatio ultra suam inclinationem; haberet impossibilitatem ex se ad bonum illud, a quo per tentationem illam retraheretur. Probatum haec consequentia: Impossibilitas haec cum pure moralis sit, ponit actum prosequendum talibus vestitum impedimentis, ut numquam in illum proficeret: Ergo haberet eiusmodi impossibilitatem; sed haec vinci non posset per vires naturae: Ergo aliunde, & per Dei gratiam: Minor probatur: Cumulus omnium eorum impedimentorum, nimirum pronitas voluntatis ad malum, rebellio appetitus, caro vehementer concupiscentis adversus spiritum, infirmitas arbitrii humani, suggestio continua, & activior Daemonis non cadunt sub potestatem moralem

lem voluntatis, si simul accipiantur: Ergo non possunt vinci per ejus naturales vires.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

91. **P**rimo arguitur contra primam conclusionem, per varios textus; & loca sacra; in quibus demonstratur, vel convincitur omnia bona nostra tribuenda esse auctori, & largitori omnium bonorum, sine quo nihil boni perficitur; nihil bonum inchoatur, cum ab eo cuncta bona procedant, tanquam a Patre omnium luminum; ad hoc clamant declarationes Conciliorum, PP. doctrinae; & in hoc uno conspirant DD. omnes; tenentes; ad quodlibet opus bonum perficiendum aliquam Dei gratiam requiri: Quod item probant, ex eo quod homo de suo non habeat aliquid boni; cum quidquid sibi in esset, a Deo receptum asserant cum Paul. *Quid autem habes, quod non accepisti?* Alias si nil Deus speciale poneret in opere taliter bono; posset in eo utique gloriari de ea bonitate a se patrata eodem Paulo contradicente: *si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acciperis?* 1. ad Cor. 4. ac denique cum omnino, & quodlibet opus bonum incipiat a bona cogitatione; homo iste ex se sibi sufficeret ad aliquid boni cogitandum, non obstante quod idem Paul. dicit: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. ad Cor. 3.

92. Ad hoc reducuntur parte innumeri textus, Conciliorum, & PP. auctoritates, quas accumulavit DD. in praedicta materia, & specialiter Suarez, & Vazquez supracitati, qui inter recentiores fortius in ea contendunt, relictisque pluribus solutionibus; quae quia in idem cum nostra conspirant, vel magis ad doctrinas R. accedunt, quasque tom. 2. tract. 5. & 7. dedimus, hac una contenti erimus; & ad hanc formam reducitur: Bonitas operis, quaecumque sit, a Deo descendit, per Deum inchoatur; & propter Deum perficitur; ideoque nullum est tale opus, quod

non a Deo acciperetur; & in quo nos gloriari oporteret; aliter tamen bona superna, vel ordinata ad finem superiorem, & aliter pure naturalia; illa enim cum altiora sint natura; petunt aliquam Dei gratiam praevidiam inchoantem in creatore arbitrio; vicijus proportionetur, ut ad ea pertingat; quaeque cum majus a Deo acceperint beneficium; majori, & potiori titulo sunt Dei propria, ab ipsoque inchoantur & perficiuntur.

93. Opera vero pure naturalia, quamvis intra proprium ordinem, bona sine cum Deo ab initio sic constituerit arbitrium inter bonum; & malum potens; ut ad quod voluerit manum suam determinationis potrigat; sicut nobis; revelatur per 15. Ecclesi. etiam suo jure sunt Dei pluribus, etiam minoribus titulis; nimirum ratione conditoris generalis, sic statuentis facultates arbitrii creati, ratione permissionis suae; hominem sicut liberè operari; ac denique quatenus generaliter habet ad ejus operationes suum concursum paratum; atque in his naturalibus bonis operibus sunt quaedam ita ardua, ut ad ea non valeat infirmum arbitrium hominis, ac per peccatum vulnere, ulterius Deus allevat; fortificat; & veluti sanat praedictas vires; & etiam propter istud sunt a Deo opera bona hujusmodi; & neque in his; nec in illis; nec in aliis posset gloriari; tanquam si non essent a Deo accepta; omnia enim sunt Dei; suo quaque modo; & ideo in nullo ex his operibus bonis gloriandum. Huc accedit, quod N. Lezan. cum aliis doceat, quod in opere bono etiam concurrat Dei protectio quae quaedam externa gratia dici potest, estque nobis indebita, & propter hanc ulterius Dei sunt omnia nostra opera, & ideo in nullo nos gloriari oporteret.

94. Secundò arguitur: Ut bonum aliquod adhuc naturale perficiatur, & compleatur, debet inchoari per bonam aliquam cogitationem a Deo gratiose liberaliter immisam; sed haec esset gratia, & auxilium ipsius Dei: Ergo nullum bonum potest prosequi ab homine lapsa, ad quod non praecedat aliqua Dei gratia. Pater haec consequentia: nam gratia praerequisita ad bonum morale patrandum, non est praesens ex defectu virium creati arbitrii; sed pro conditione rationalis

naturæ, quæ non potest incipere velle, quin precedat cogitatio de bono intendendo, & hæc quidem debet esse à Deo immissa, ut communiter sentitur de prima deliberata electione. Minor etiam constat: siquidem bonum à Deo indebitè collatum, gratia est, & beneficium liberale: Ergo si ea cogitatio à Deo indebita immitatur naturæ rationali, ut rectè operetur, erit gratia, & beneficium Dei. Major etiam liquet, & sicut de consequentia diximus: quia scilicet prima bona deliberatio haberi non potest absque boni cogitatione; sed hæc præfata cogitatio non haberetur, quin Deus illam immitat; nam ab intellectu non, ut pote indeterminatus ad cogitandum sic, vel sic; omnis namque determinatio à voluntate oriri debet: Ergo à Deo præcisè immitatur prima cogitatio, quæ est prima determinatio ad bonum.

95. Ad hoc ferè fundamentum reducit Vazquez suum placitum, & modum opinandi circa præfens, additque pro majori explicatione hujus fundamentalis rationis, quod ea prima cogitatio sive esset prima in ingressu usus rationis, sive alio quodam tempore, de quo non curamus, nam semel, quod primum inchoativum bonæ operationis moralis esset donum Dei gratiosum, verificari est necessum, hanc eandem operationem non elici viribus naturæ rationalis creatæ: hæc inquam, prima cogitatio potest esse congrua, aut incongrua, illa nullum sortitur effectum in arbitrio creato, at verò congrua habet suam efficaciam, & consequenter infallibiliter conjungitur cum opere bono per eam quasi inchoato; hancque asserit esse illud beneficium, auxilium, & gratiâ Dei, cujus ratione qualibet bona operatio consummatur; alia præterea cogitatio cum nullum sortiatur effectum, etsi à Deo liberaliter immitatur, non propterea dicitur gratia, & beneficium. Utraque cogitatio est ejusdem speciei in terminis hujus D. distinguunturque per illam scientiam mediam, qua Deus prævidet, & præcognoscit occasionem, in qua habitura sit effectum, & in ea confertur liberaliter, & cum deliberata voluntate talis effectus parandi, vel ab opposito, si non prævideatur effectum consequutura, incongrua dicenda est, de hoc plura habet, quæ cum

nos parum præstant; ideoque iis omis-
sis.

96. Respondetur ad argumentum negando absolute, & sine ulla restrictione requiri præfaram cogitationem non liberam creaturæ, sed à Deo immissam ad bonam moraliter operationem, hæc enim incipit intra claustra, ut sic dicamus, arbitrii creati, & in illo perficitur. Et per prius ad rationem quæramus: casu quo natura humana incipiat operari peccando, & malè moraliter operando; à quoniam incipiet ea cogitatio in malum, & quodnam erit primum determinativum illius primæ cogitationis? Non Deus, quia principium peccati esse non potest: Ergo natura ipsius arbitrii creati, à qua malum illud oriretur. Idem dicemus respectu bonæ moralis operationis; ut autem hæc primò inchoetur, aliqua boni cogitatio præire est necessum, & hæc erit ab eodem principio, à quo ortum habere potest, & mala, cum utriusque sit principium natura humana, in qua posuit Deus ignem & aquam, ut quo voluerit manum porrigat. Quomodo hoc fieret? Satis clarè experientia docemur: Incipiunt enim præfate cogitationes præviæ ad deliberationem arbitrii creati secundum diversitatem objectorum, quæ sensibus proponantur; & pro conditione, & inclinatione ipsius naturæ, in qua concipimus vires sufficientes ad opus aliquod bonum cogitandum, sicut & ad malum habet; si autem ulterius quærat, à quo determinatur intellectus in hoc primo sui actu? Per idem respondemus, quod cum intellectus potentia necessaria sit, semel propositis ab extrinseco, vel ab intrinseco veritatibus universalibus, & particularibus practicis, & speculativis, determinatur necessario pro conditione, & inclinatione naturæ individua, & in actu subsistentis, vel ad verum singulare, quod bonum honestum esset, vel delectabile juxta ea sensibilia, quæ primò occurrant, vel in ingressu rationis, vel in principio operationis, quo posito actu sequitur judicium, & reliqua, quæ ordine naturæ se habent, & quod deveniatur ad bonum, vel ad malum unice voluntatis est.

97. Aliter dicere possumus ad rationem argumenti: quod dato, quod prima cogitatio, quæ esset inchoatio libera de-

terminativis creaturæ rationalis, adhuc quod à Deo eidem immitteretur, non posset dici beneficium, & gratia ipsius, cum ex ea nil boni aut mali inferatur ex arbitrio creato, sed prohibito voluntatis posset ab ea resistere, intellectuque imperare, ut aliud objectum proponat, ipsumque distrahere, & veluti pervertere; & ideo, etsi bona sit talis cogitatio, homo esset de ea mali utens, & in hoc casu non diceretur Dei speciale beneficium; sed reduci deberet ad providentiam generalem, & numerari inter alia beneficia hujus providentiæ; qualia sunt creatio, conservatio, &c. ut potè connaturaliter requisita ut arbitrium humanum suam ordinaret operationem. Unde vel ea cogitatio à Deo immissa necessaria est, ut inchoetur deliberatio, vel non; si hoc dicatur: Ergo potest arbitrium humanum deliberatè procedere ex se, & ab intrinseco sui sine tali cogitatione: Ergo sine ea posset in bonum, sicut & in malum; si primum dicatur, ea cogitatio à Deo esset universalis provisorio, qui ex suppositione conditionis arbitrii creati taliter indigentis, tenetur eidem immittere primas cogitationes, vi quarum operaretur, sicut tenetur ad concursum generalem cum omnibus causis præstandum.

98. Tertio arguitur: Ad opus bonum morale æternæ vitæ meritorium desideratur auxilium per Christum communicandum: Ergo ad idem opus bonum desideratur etiam auxilium Dei adhuc quod meritorium non esset. Antecedens est certum, immo, & fide tenendum, & consequentia probatur. Opus bonum moraliter meritorium ejusdem substantiæ, & speciei est cum eodem opere non meritorio: Ergo si ad primum requiritur auxilium Dei, ut eliciatur, etiam ad secundum. Patet consequentia à paritate rationis. Si enim sint ejusdem substantiæ, & speciei, easdem vires prærequirunt ad sui elicientiam: Ergo & idem auxilium. Antecedens probatur: largitio elemosinæ, v. g. propter honestatem virtutis misericordiam in homine justo, & sancto opus meritorium est æternæ vitæ, non alias in peccatore; sed largitio Elemosinæ hinc inde eadem speciei est, cum sit de eodem objecto per eundem finem, & iisdem circumstantiis: Ergo opus bonum

meritale meritorium vitæ æternæ est, vel potest esse ejusdem speciei cum non meritorio.

99. Hoc est aliud fundamentum Vazquez, ad quod dicimus, quod etsi concedamus prædicta opera in utroque homine elicitæ esse ejusdem speciei, adhuc aliquam distinctionem inter ea ponere debemus, saltem in modo quo eliciantur, in fine, vel in regulatione, cujus ratione unum meritorium esset, non verò aliud, & hujus erit necessitas auxilii. Exemplum sit clarissimum. Actus dilectionis Dei naturale ejusdem speciei, & substantiæ est eum supernaturali Dei dilectione, & quæ, ut oportet ad salutem, eliciatur; hæc est meritoria vitæ æternæ, illè verò non; ad hanc requiritur sanctitatis gratia ex genere suo, ad illam verò non: Ergo ex eo quod utrumque illud opus naturale sit idem in specie, non sequitur illatio argumenti. Sin autem non concedat arguens, quod hæc dilectiones Dei super omnia sint ejusdem speciei, nec nos concederemus præfata opera moralia esse eadem ex circumstantia finis; unum enim esset ad minus habitualiter ordinatum in Deum auctorem gratiæ, non verò aliud, & hæc diversitas sufficiens esset, ut ad unum requiratur gratia Dei, non autem ad aliud. Hoc argumento convincitur: Largitio Elemosinæ propter virtutem, & propter vanam gloriam sunt actus ejusdem speciei, atenta ratione objecti, & solum differunt ex circumstantia finis; sed hæc differentia facit, ut ad unius elicientiam requiratur auxilium Dei, non verò ad alterius: Ergo idem dicendum erit ad casum arguentis.

100. Quarto arguitur: Quod in nostra est potestate, inaniter, & talaciter a Deo petimus, & oramus; sed petimus frequenter, ut nos adjuvet, in quibusvis bonis operibus parandis: Ergo si bonum aliquod opus honestum in nostra situm est potestate, inaniter ex petitur à Deo adjuvatorum, ut fiant. Major constat: nam indefinitè à Deo frequenter instrumur petendum pro bono opere eliciendo: Ergo pro quolibet arduum sit, aut leve. Major convincitur per hoc, quod à Deo non petimus suum concursum generalem, quia hic nobis debitus est, & quasi si esset in nostra potestate reputatur. Insuper ar-

guit ex gratiarum actione: Deo enim frequentius etiam gratias referimus semper ac nos movet, aut sunt, aut promovet, ut aliquid boni faciamus: Ergo quia ad illius efficientiam adjuvit nos, & specialis fuit benefactor in talis operationis prosecutione.

101. Respondetur ad argumentum, & per prius notanda erit differentia inter orationem, & gratiarum actionem, quae perfecto aut imperfecto modo fiat; tunc enim Deum perfecte oramus, quando omnia in finem perpetuae beatitudinis ordinantur, & haec Ecclesiae sanctae doctrina in suis collectis, & orationibus demonstrata videtur; imperfecta enim oratio habetur, quando aliquid pure temporale oratur, & a Deo petitur sine ulla ad hunc finem respectu; quae divisio suo modo applicari debet gratiarum actioni: quo supposito, ad argumentum dicimus: quod inaniter Deo oramus oratione perfecta, immo, & fallaciter pro eo, quod in nostra sit potestate; nam cum hoc genus orationis sistat in Deo gratiae conditore, ad illiusque finem respiciat opus desideratum, illud neququam positum est in nostra potestate, & sic Deum orabimus pro eo, quod nostrum non est, ac si esset ex nobis. Ecce fallacia orationis. Imperfecte orare possumus pro eo, quod in nostra est potestate, sicut oramus, & gratias referimus pro bonis temporalibus propter praesentem commoditatem naturalem, quia haec quamvis naturalia, adhuc sunt Dei dona, & beneficia saltem generalis providentiae.

102. Quinto arguitur: Nullum est opus bonum, & honestum quod in Deum ut finem saltem naturalem non ordinetur: Ergo ad omne opus bonum, & honestum praerequiratur Dei auxilium & gratia. Patet antecedens: Nam quilibet constituit sibi ultimum finem in quolibet opere a se deliberato; vel enim hunc finem ponit in creatura, vel in Deo; si primum, erit peccatum: Ergo si in secundo, ut opus bonum fiat, debet Deum proponere sibi tanquam finem suae operationis. Consequentia prima probatur. Non potest Deus amari, & intendi sine aliquo ipsius adiutorio; sed semper ac aliquod bonum opus efficitur propter Deum, Deus diligitur, & intenditur: Ergo semper ac aliquod bo-

num opus efficitur, Dei auxilio, & adiutorio elicitur.

103. Sexto item arguitur alio fundamento, quod etsi generaliter non concludat, facit non parum ad rem nostram: Quodlibet opus bonum morale, & honestum disponit, & praeparat naturam rationalem ad gratiam justificationis, etsi non immediate, mediate tamen; quatenus, scilicet, Deus bene in naturalibus operanti moveatur ad provehendum illum, & promovendum in supernaturalibus; istud maxime congruit divinitati, & benignitati; & specialiter ad nos atinet hae doctrina, qui non improbabiler sentimus, & tenemus cum R. tom. 3, tract. 9. citat. Deum moveri, & allici ad electionem praedestinativam adultorum a bono usu finali arbitrii creati in naturalibus: Igitur juxta hunc modum discurrendi idem, quod valet hic bonus usus finalis in moralibus ad electivam praedestinationem, valeret quodlibet aliud opus ejusdem ordinis ad initium justificationis, sed si hoc ita esset, ad quodlibet opus in hoc ordine elicendum, gratia Dei consideratur; cum aequaliter expectat ad ordinem supernam gratiae: Ergo nullum tale opus dabile erit sine alicujus gratiae beneficio.

104. Ad quintum, quod est argumentum Marfil. respondetur distinguendo antecedens: Dari non potest bonum aliquod honestum, quod actu, vel virtute ad Deum non ordinetur, concedo; actualiter praecise, nego antecedens, & consequentiam. Ad cujus probationem concessa majori, distinguitur minor: semper ac actu ordinatur in Deum, actualiter, Deus diligitur, concedo; si virtualiter ordinetur, Deus summe bonus diligitur, nego minorem; & eadem distinctione subdistinguitur eadem minor. Dicimus, quod verum est, quod non datur aliqua humana operatio, in qua non statuatur sibi ultimum finem taliter operans, ceterum non semper actu, sufficit sibi si virtualiter ordinetur in finem ultimum suam operationem; unde operatio bona, & honesta, quae sic virtualiter ad Deum summum bonum ordinatur, supponit Deum virtute intentum ut finem, ad quod nullum desideramus auxilium, sed sufficientes vires naturae creatae, Etsi quaeramus, quid est Deum

vis.

virtute respicere ut ultimum finem respondetur, quod elicere operationes, quae ei non opponantur, quaeque alium finem ultimum non intendunt, ac denique quod operatio illa ex sua natura petat in istum ultimum finem referri, quamvis alias creatura ea sic operans, sit a Deo averta per peccatum mortale, de quo in suo loco.

105. Ad sextum respondetur absolute negando, quod ullum bonum morale ut tale possit esse dispositio ad gratiam; aut illius initium propter sapientiam a nobis repetita circa hoc ex Ecclesiae declaratione contra semipelagianos, unde non efficitur in presenti immoremur; & licet nos cum R. supra loco citato amplexi simus suum probabilissimum, quod solum gratia disputandi adituerat de causa allicientis praedestinationis electorum ex parte eorum sumpta a bono usu finali arbitrii creati in moralibus; ibi nec nos cum eo concedimus, hanc esse dispositionem ad electivam praedestinationem; sed solum asserimus, esse allicientis quoddam ut si Deus velit, possit moveri, sic, quod qui bene uti sunt arbitrio creato in moralibus, bene uterentur in supernis. Nec in super illum bonum usum finalem arbitrii creati ita nudum statuimus, ut ad eum non praerequiramus aliquod Dei adiutorium; siquidem quamvis solum in linea moralis esset ita bonus, cum supra hoc dicat arduitate illius status, nimirum finalis, ab hoc desideratur specialis Dei gratia ad ejus elicentiam.

106. Septimo arguitur contra tertiam conclusionem, & iterum redit, quod supra ex R. tetigimus in 4. ibi citato: homo lapsus perfecte philosophus potest adhuc perfecte legem naturae servare solum viribus rationis: Ergo ad hanc observantiam non desideratur adiutorium Dei. Antecedens probatur per R. ibi primo: homo lapsus perfecte philosophus potest esse praeditus iisdem virtutibus, quos Arist. 7. Ethic. citato vocat heroicam, & continentiam; sed per has praecise virtutes constitueretur perfecte vivens secundum rectam rationem, ex iisdem R. & Arist. Ergo per has virtutes possit totam legem naturae perfecte servare. Patet haec consequentia. Non esset philosophus ille perfecte vivens secundum rectam ra-

tionem, quin perfecte totam legem servaret: Ergo si per eas praecise sit puer Dei perfecte vivens secundum rectam rationem, per eas inter solum totam legem perfecte adimpleret. Secundo: Philosophus vi solius naturae faceret per illas virtutes in naturalibus praecipis servandis, quid quid theologus per charitatem ex R. sed hic per charitatem totam legem supernaturalem postea perfecte servare: Ergo ille totam naturalem per eas virtutes heroicam & continentiam.

107. Respondetur ad argumentum negando antecedens, & ad utramque ejus probationem ex R. per Arist. dicimus, quod ibi procedebat de viribus naturae humanae secundum se expectatae, vel de eadem in statu pura naturae considerata; ex quo nos supra sumpsimus fundamentum prolatum naturae lapsae: Si enim, ut dicebamus, homo philosophus in statu pura naturae possit totam legem perfecte servare, valeret ad eam saltem imperfecte servandam in statu peccati, cum nil de integritate naturae perdidisset per peccatum; sic enim paulo ante dixerat ex Mag. 2. dist. 24. cap. 1. *Adam in statu naturae potuit vitasse omne peccatum*; quod corroborat, & probat rationibus in argumento factis: Igitur assumptum R. non erat de tota lege a perfecto philosopho adimplenda; nisi considerato in statu pura naturae; ad convincendum ex hoc, quantum valeret gratia, & charitas in statu elevationis naturae hujus: Ergo ex loco R. non probatur aliquid contra nos, cum hic procedamus de viribus naturae non in statu naturae consideratae, sed reduplicative, & quatenus per peccatum lapsae: & in ista consideratione verum est, quod homo purus valeret per vires naturae ad moralia praeccepta, quantum charitas ad superna servanda.

108. Octavo arguitur: Voluntas hominis lapsi mansit post peccatum perfecte libera: Ergo potuit post lapsum sicut antea in omne opus bonum morale perfecte, & collective, non dico collectivum, quia de hoc nullus dubitat, cum simul simultate actus elicere omnes actus praecceptos non sit possibile voluntati. Antecedens est de fide declaratum in Trident. contra Calvin. & alios haereticos, & consequentia probatur: homo ratione liber-

tatis

tatis potest in omne opus bonum, & specialiter præceptum: Ergo collectivè, & perfectè. Antecedens cum consequentia patent; nam sic Deus constituit hominem in manu Consilii sui; præterea: si homo ratione suæ libertatis non posset in omne opus præceptum non essent sibi præcepta imputabilia, & de his diceretur; quod Basilianita de supernis, quod scilicet Deus homini lapsus non possibilia suæ naturæ præcepisset; insuperque R. ibi q. 5. art. 1. ex 3. & hic cap. 8. docet, quod sit in potestate hominis rectè judicare, rectè eligere, & velle ac denique concupiscentiæ prædominare; sed hoc non solum est posse voluntatè humanam adhuc lapsam; quia libera, non modo in omne opus bonum præceptum, sed etiam rectè servandum: Ergo in hoc valet sine Dei speciali gratia.

109. Respondetur ad argumentum; quod antecedens, quod tanquam de fide certum reputatur, debet adhuc explicari; sub quo sensu induit eam infalibilem veritatem; definitum est enim quod arbitrium liberum hominis non est mortuum, & extinctum per peccatum originale; sed verè, & realiter, & quoad sua essentialia mansisset integrum, cum quo adhuc ideum Trident. composuit, quod per peccatum contraxerit languorem quemdam, & infirmitatem, & ideo illud vocat attenuatum, in firmum, &c. Et sic quomodo arbitrium hominis post peccatum fuit perfectè liberum, sicut erat antea, & hoc est certum de fide; cæterum quoad vires morales, infirmatum, attenuatum, & hoc etiam modo non est ita perfectè liberum post peccatum, sicut antea erat; nec consequenter ita moraliter potens ad perfectè præcepta naturalia servanda post peccatum, quam antea; nam antea erat sana libertate præditum, postea vulneratum vulnere ignorantie, cæcitate, & pronitatis ad malum. Et ad ultimum deveniendum, quod physicè potest homo nunc in ea præcepta perfectè servanda, sicut antea, non verò moraliter, ideoque potest rectè velle, rectè judicare, rectè eligere, &c. quantum est ex suis prædicatis, si aliunde non obstarent vulnera, quæ post peccatum eidem supervenerunt.

110. Sed contra solutionem duplici-via instari potest. Adhuc stante peccato

originali, mansit in hominè obligatio ad perfectè servanda præcepta legis: Ergo, etsi ratione vulneris contracti, difficulter posset ea adimplere, non potest dici, quod ea adimpletio foret impossibilis eidem, siquidem Deus tunc impossibilia præciperet, quod dici nequit. Præterquam quod: vulnus, attenuatio, & infirmitas arbitrii hominis lapsi, quid est aliud, quam rebellio appetitus sensitivi, & pugna frequens contra spiritum, & alia exteriora impedimenta, quæ obstant expeditioni arbitrii in bonum suum? Sed hujusmodi interiora aut exteriora impedimenta non interunt impossibilitatem in voluntate hominis sic lapsi ad perfectè adimplenda præcepta legis, sed solum quandam difficultatem ab eadem voluntate per vires suas, etsi non ita faciliter, superandam; cum R. ex Arist. dicat: *Arbitrium hominis habere in sua potestate, quod possit prædominare concupiscentiæ, & carnalitati*: Igitur ad summum non poterit servare ordinariè, regulariter, & faciliter præcepta, cæterum absolutè poterit, & isto etiam modo inexcusabilis erit.

111. Respondetur ad instantiam negando antecedens: Nemo enim tenetur ad præcepta qualibet perfectè servanda; esset tunc onus impositum durum, & non suave jugum; siquidem teneremur, non solum ad bonum & perfectum, sed etiam ad melius; sic enim (de hoc supra dedimus aliqua, & quæ ad hoc facere possunt) sic enim salvatur, quod hæc præcepta essent hominibus imputabilia, quia adhuc post peccatum mansit in illis vis proxima, & expedita ad eorum adimplerionem quoad substantiam, & hæc est substantia obligatoria præcepti. Patet in præceptis legis gratiæ, quorum plura adimplentur quoad substantiam, & non perfectè, & ex perfectò Dei amore, & charitate, ut puta fidei, spei, &c. Ergo si ad præcepta divina legis gratiæ perfectè adimplenda non adstringimur, neque ad naturalia pura perfectè servanda, erit in hominè obligatio: Ad hanc enim perfectam adimplerionem solum moralis impossibilitas conceditur in arbitrio hominis lapsi; nam hæc, etsi supponat metaphysicam potentiam, nunquam tamen in actum reducenda erit, & ideo plusquam difficultas, denominatur impossibilitas præfata moralis

ralis impotentia ad totam legem perfectè servandam in statu naturæ lapsæ. De reliquo immediate post.

112. Nono arguitur contra quintam conclusionem: Victoria tentationum, quæ Dei gratia fiat, deberet esse per Dominum nostrum Jesum Christum, ut à Paulo doceatur; sed ad vincendas tentationes contra naturalia præcepta non requiritur hujusmodi gratia per Jesum Christum: Ergo hæc victoria potest haberi adhuc in gravibus tentationibus per vires naturæ. Major patet, siquidem omne quodlibet beneficium, quod nobis conferatur, debet esse per Christum; minor verò probatur: per victoriam tentationum contra præcepta naturalia nil homini suppeditatur, quod conducere possit ad finem, propter quem assumptus est homo, & in mundum venit, nimirum salus nostra, & vita æterna: Ergo ad has non desideratur gratia per Jesum Christum: Ergo nulla sufficit, aut requiritur: Ergo homini sic tentato suæ vires sufficerent ad victoriam.

113. Respondetur ad argumentum: quod victoria tentationum dupliciter haberi potest; primò perfectè, quando scilicet vitatur peccatum propter salutem animæ, & æternam vitam; secundò imperfectè, nimirum si solum quia rationi contrariatur, & bono virtutis opponitur, vitatur; utraque victoria, si tentatio sit vehementis, est sine Dei gratia impossibilis, ideoque ad unam, & aliam victoriam Dei gratia desideratur; cum hac tamen differentia; quod vincere gravem tentationem vel contra præcepta supernaturalia, vel contra naturalia, quatenus ad superna ordinantur, seclusa Dei gratia, & speciali adjutorio, est metaphysicè, aut physicè impossibile, quia natura suis viribus relicta, est essentialiter impotens sicut ad vitandum malum, in quantum huic bono opponitur, vel immediate, vel mediate: at verò ad vincendas tentationes contra præcepta purè naturalia, si graves sint, & nullus pensetur ordo ad superna, etsi in natura supersint vires physicè ad eam victoriam, moraliter tamen est impossibilis: Unde utraque impossibilitas cum non cadat sub viribus naturæ lapsæ, ut vincatur, gratia Dei requiritur proditi-

Turr. II.

gnitate victoria; ad primam, gratia de ordine naturali; utraque tamen per Jesum Christum; nam licet hæc victoria directè non tendat ad salutem, habet tamen aliquid quoddam eam faceret, veluti indirectè, cum ex ea sequatur in homine tentato non offensio Dei in naturalibus, quæ offensa incompatibilis est cum ejus amicitia in supernaturalibus; & hujus ratione hæc gratia quamvis naturalis, nobis confertur in vi meritorum Christi; siquidem per illam vitatur peccatum, & offensa Dei ut authoris naturæ, cum qua est incompatibilis amicitia Dei, ut authoris gratia.

114. Decimò arguitur: Nulla talis tentatio ita vehementis considerari potest, cujus victoria non cadat sub potentia tentati: Ergo nulla talis, & tam vehementis potest esse tentatio contra præcepta naturalia, cujus victoria non cadat sub viribus propriis naturæ humanæ adhuc lapsæ. Antecedens probatur, primò ex illo Paul. 1. ad Corinth. 10. *fidelis Deus, qui non patitur vos tentari ultra id, quod potestis*: igitur hæc attempta Dei fidelitate non est conceptibilis tentatio, cujus victoria non cadat sub potentia tentati. Secundò probatur idem antecedens: Si victoria tentationum adhuc vehementium non caderet sub potentia tentati, cadere in peccatum non esset eidem imputabile; cum nemo teneatur ad id, quod non potest: Ergo sicut ad supernaturalia præcepta non violanda, Deus necessario confert gratiam, ex suppositione præcepti, sic & conferre deberet gratiam ad naturalia in casu gravis, & vehementis tentationis; sed hic non tenetur conferre sicut ibi: Ergo quia arbitrio hominis non est impossibilis hæc victoria, & cadit sub ejus potentia.

115. Argumentum facit non solum contra præsentem conclusionem, sed etiam contra aliud assumptum, de quo supra, & quia est specialis circumspectio, in ejus solutione aliquanto plus solito immorabimur. Certum est enim quod gratia Dei prævenit homini, cui intimatur præceptum supernum, ut ipsi possibile feret, aliàs Deus impossibilia præciperet, & illa quidem gratiosè, & liberaliter confertur, cæterum ex suppositione præcepti supra vires naturales excellentis, necessario, quæ necessitas, cum talis sit ex sup-

E

posi-

positione, nec obstat conceptui gratia, nec opponitur liberalitati benefactoris. Aliter tamen ut jam notavimus, loqui debemus de præceptis purè naturalibus, hæc namque etsi altiora, & in sua adimplerone quandoque impossibilia, vel ob sui arduitatem, vel ob vehementem tentationem eam prohibentem, sint, numquam tamen sunt supras phæram potentia naturalis humana, & ideo ad eorum observantiam eidem suppetunt vires, quæ licet ad actum reduci non valeant, vel propter debilitatem suam, vel propter arduitatem materiae præceptæ, vel propter imminentia impedimenta extrinseca, & intrinseca, vel propter totum hoc simul acceptum, hæc tamen potentia verè est potentia talis, quæ sufficiat, ut eidem homini sic per omnia tentato, sint in observantia imputabilia, essetque tentatus taliter, ut ultra id, quod possit non tentetur.

116. In his terminis tota hæc doctrina concluditur: homo tentatus vehementer contra præcepta naturalia non potest physice vincere tentationem, non potest moraliter non succumbere, si Dei gratia desit, & hoc sufficit, ut sit illi imputabile præceptum. Ratio hujus est: quod hæc moralis impotentia non oritur ex altitudine materiae præcepti, cum sit purè naturalis nec ea impedimenta sunt eidem violenta, & adæquate ab extrinseco, cum eisdem possit facere resistantiam; nec denique interior lucta ab alio, quam ab ipso homine orti non potuit, & consequenter omnia ea, quæ sic moraliter impossibilem facerent eam victoriam, in ipso homine inchoantur, & perficiuntur: Igitur hæc moralis impossibilitas eidem imputabilis erit, & nullomodo Deus teneretur ad gratiam; cujus ratione victoria moraliter possibilis fiat.

117. Sed adhuc non acquiesces: Vel ea moralis impossibilitas est purè difficultas, vel aliquid aliud supra difficultatem operis addit; si primum, solum sequitur, quod Dei gratia solum desideretur, ut facilius vincatur tentatio: ea vehemens; si verò aliquid ulterius est quam difficultas, erit defectus potentia, & virtutis in arbitrio humano, cum aliud non sit con-

ceptibile; sed hoc dici nequit, quia ea impotentia faceret, quod casus intimatione non esset imputabilis, quod nullus dicit: Ergo nec id ex quo sequitur. Vel denique ea impossibilitas poterit esse infirmitas arbitrii humani ad gravia patranda inhabilis, & superanda adhuc intra metas naturæ; sed nec hoc esse potest, quia per peccatum nil amittit de suis naturalibus viribus: Ergo aliunde consideranda est hujusmodi impotentia moralis.

118. Respondetur: quod ea moralis impossibilitas non est defectus potentia naturalis in arbitrio humano, cum circa hoc nullum detrimentum acceperit, nec item est mera difficultas in ordine ad opera bona ardua, sed solum impotentia quædam, quam prudenter existimamus eidem arbitrio in esse ad talia opera patranda, quia videlicet ratione peccati primi hominis taliter implicatur impedimentis exterioribus & interioribus, ut numquam se solo eliciat ejusmodi opera, & hujus ratione, & quia hæc impotentia prudenter tantum existimatur, ideo non physica, sed moralis est. Dicimus, denique quod arbitrium humanum numquam eliciat per vires naturales opera ardua bona intra limites naturæ, fundati in continua pugna appetituum, infrequentibus tentationibus, in pronitate ad malum ex peccato relicta in arbitrio hominis luto, & vulnerato, & hæc omnia, & alia, quæ adjici possunt, stabiliunt hanc prudentem existimationem: vide me tom. 3. tract. 9. q. 8.

vide in hoc tom. tract. 16.

q. 19.



QUÆST.

QUÆSTIO VI.

Utrum gratia sanctificans desideretur in homine lapsa ad omnia præcepta naturalia perfecte adimplenda?

119. **N**on loquimur in presentia de perfecta adimplerone præceptorum naturalium cum proven-

tu ad salutem spiritualem animæ, vel quatenus æternæ vitæ meritoria sint, ad hæc enim certo gratia sanctificans requiritur, modoque postea declarabitur. Distinximus enim supra hanc præceptorum adimplerone per perfectam, & imperfectam adhuc intra limites, & terminos finis naturalis; illa consideratur, quando tota lex impletur, vitantur omnia mortalia contra eam ex motivo naturalis amicitia erga Deum, ac propter Deum summè dilectum ut naturæ conditorem, & ut hæc non dissolvatur amicitia: Imperfecta adimplerone horum præceptorum concipitur tunc quando nullum contra eam committitur peccatum, omnia mandata, & prohibita in lege servantur, præcisè propter amorem virtutis, & solum attenta naturali continencia; de hac adimplerone non habemus specialem difficultatem, cum supra sit à nobis assertum, adhuc sine naturalibus auxiliis haberi posse; unde tota difficultas reducenda est ad primam eam considerationem legis totius observantia, & de hac inquirimus, an ad eam præter gratias actuales, quibus prævenitur libertas creata, & veluti roboratur, ulterius Dei gratia sanctificans requiratur ex parte hominis hujus in statu lapsæ naturæ existentis?

120. Huc veniunt plures resolvendæ difficultates, & inculcandæ quæstiones, de quibus suo ordine agendum erit, ut ex earum noticia quantum vim obtineat Dei gratia clarè fiat. Sub hoc etenim titulo, Tom. IV.

& modo quo adimplerone totius legis à nobis dividitur, & explicatur, non tantum resolvere est necessum, sit ne gratia Dei, qua justus sumus & sancti, necessaria ad eam legem perfecte, ac diuturne obtinendam, verum etiam quomodo, & quo jure illa gratia desideretur? Et ulterius scite erit congruum, num hac data gratia sanctificationis, alia auxilia ordinis naturalis superfluerent, ita quod hæc præfata gratia sufficeret ad præstandum aliarum gratiarum inferiorum defectum, nec ne? De hoc ultimo inferius agemus, quia petit longiorem discursum, ut stabiliatuæ quadam specialis doctrina R. circa præfatum materiam; sicut etiam, quamvis punctum singulare, quo insistit perfecta legis adimplerone sit, ut amor Dei benevolentia, & amicitia non vitietur, & hujus gratia habeatur, de illo tenemur etiam separatim tractare, quia & in se, & in modo, quo eliciendus esset, etiam patitur plures, & graves difficultates.

121. Et antea recollere licet, quod auctoritates, quæ hic afferri possunt, quæcumque sint, solum faciunt aliqualem probabilitatem ad presens pro quacumque adducantur sententia, cum non debeant in sensu proprio legis intelligi, nisi ea ratione, quæ ad salutem conduceret, & eo etiam modo accipiendæ sunt cum de vitandis peccatis loquantur; unde relinquatur, quod tantam vim probativam habeant, quantum quisque de eis sumere posset congruentem rationem, qua suum convinceret intentum: ad quod ulterius sequitur, quod nec ratio, aut fundamentum cogens, & convincens habeatur apud Theologos pro qualibet firmanda probabilitate, ideoque congruentibus utemur probationibus, juxta ea, quæ tum ex sacris litteris; tum per prudentem experientiam capere possimus.

122. Non sunt AA. majoris notæ, asserentes, hominem lapsum posse legem totam servare, & diu in ejus observantia perseverare, non modo sine præventionè gratia sanctificantis, verum etiam suis viribus relicto. Hæc sententia verum loquitur a teatâ sua physica, & antecedenti potentia, de qua (ut credo) nullus dubitat: Alii à contrario docent, hominem talem (etsi aliter explicent divisionem eam à nobis supra annotatam, per perfecte
E 2
tam,

Etiam, & imperfectam adimpletionem totius legis naturæ) posse viribus propriis totam legem; aliquando, imperfecte servare, & maxime quin ad hoc gratia sanctitatis præsuponatur in eo, secus vero ad eam diuturno tempore adimplendam valere. Cum his ergo conveniendum nobis erit, tum quia sensus eorum est communis nunc inter Theologos, ideoque magis receptum à recentioribus, tum quia quamvis assumptum non tractet R. iis terminis, ejus doctrinæ favent huic præfacto placito, & modo dicendi, pro quo varias proponemus conclusiones.

123. Conclusio prima: Non potest haberi totius legis naturæ diuturna adimpletio, sive perfecta sit, sive quoad substantiam, solum ab homine lapso non iusto, vel quod idem est, sine gratia sanctificantis; est communis, loquendo de morali impotentia, ut par est, nam de physica potestate nullus dubitare potest, cum tota lex collectivè, aut divisivè accepta non sit supra naturalem spheram arbitrii humani, quod in physicis integrum mansit post peccatum, & eadem pollet integritate adhuc quod in lethali peccato existat; ideoque semper quod de hac impotentia loquamur in subiecta materia, intelligi debemus, de morali loqui. Insuper de totius legis observantia quoad substantiam, & imperfectè (nam de perfecta quoad hoc postea) Etiam est færecertum, immò & frequenti experientia habitum, quod dentur non nulli homines, alias in peccatis contra superna implicati, & maxime in partibus septentrionalibus, qui honestis negotiis occupati totam legem quoad præcepta negantia in substantia impleant, & affirmantia pro aliquo brevi tempore: in his autem non sine fundamento concipere possumus totam legem naturæ completam absque eo, quod obstat eis implicatio in peccatis contra superiorem legem commissis: solum ergo tota devolvitur difficultas ad litteram conclusionis.

124. Primòque probari potest sacris litteris, ex quibus unum, aut alterum locum dabimus, per quem aliquam congruentem rationem formare possumus nostræ conclusionis probativam: primus sit ex illo Isai. 57. *abscondi à te faciem meam,*

& indignatus sum. Ecce exclusio justitiæ, & sanctitatis, quæ per Dei recessum & indignationem explicatur: prosequitur propheta de hoc peccatore loquens: *Et abiit vagus in via cordis sui;* hoc est, non currit viam divinorum mandatorum; sed declinavit in viam suam, viasque difficiles ambulavit; atqui istud innuit nobis, quod homo peccator suæ peregrinationis vias, quas per Dei gratiam non habet à Deo demonstratas, nec per illam gressus ejus diriguntur, ambularet vias non bonas, & poit peccata sua: Ergo homo non iustus non potest currere viam divinorum mandatorum, cujus cor non erat per divinam gratiam dilatatum, & directum, ad quod alludit illud Tren. 1. *Peccatum peccavi Hierusalem, idè instabilis facta est;* quod ad moralem sensum de anima intellectum convincit, quod si peccati mortalis vinculis ligetur instabilis, vertibilis, & non diu permanens in aliquo bono esse poterit. Conformiter ad quod Gregor. lib. 1. hom. 11. in Ezechie. *Peccatum quod per penitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.*

125. Secundò probari potest conclusio ratione, quam super hunc textum Eccle. 27. fundamus: *si non te in timore Domini tenueris instanter, cito subvertetur domus tua;* ex quo sic argues. Ad hoc ut tota lex naturalis permanenter servetur, ut non cito, & transeunter, requiritur timor Dei continuus, & instans; sed hic timor haberi non potest sine gratia sanctitatis: Ergo nec in bono, adhuc naturali, insistentia, & diuturnitas. Minor patet; siquidem timor Domini instans debet esse sanctus, & filialis, cujus ratione iustitia maneat in seculum seculi, & eoposito, non subvertatur domus nostra, quæ templum vivum est divini spiritus, sicut eo ablato, auferetur. Major verò probatur: Ut tota lex adhuc naturalis, & quæ in decalogo, diuturnè servetur, requiritur, moraliter loquendo, non modo subjectio appetitus inferioris, verum & quod mens, & superior portio hominis sit Deo subdita, & ipsi ordinata; sed ad hæc omnia desideratur Dei timor sanctus, qui coerceat simul animum & sensum ut proclamant rextus, & cum illis PP. ut patet clarè in illo psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui:* *faci.*

faci iudicium & iustitiam, &c. Ergo.

126. Secundò probatur conclusio variis congruentibus rationibus, quæ licet improbeantur ab aliquibus D.D. mihi non displicent, & ex iis posset forsan depro micogens fundamentum: prima sumitur ex Dei benignissima liberalitate, & misericordia, quæ maxime resplenderet, si in adimpletione diuturna totius legis naturalis moveretur, & alliceretur ad promovendum, & efficaciter constituendum, & elevandum hominem taliter operantem circa naturalia in superna: hæc ratio habet notissimum fundamentum in PP. ut August. in lib. qq. ubi loquens de causa prædeterminationis, asserit, venire de occultissimis meritis, hoc est, non de condigno, sed de congruo, extrinsecè, & sumpta unicè ex divina largitate; fortè ad hoc alluderet illud Math. 25. *Euge serbe bone: quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam.* De hoc N. R. clarius in 1. dist. 40. & nos fultus cum eo tract. 7. tom. 2. consonat D. Tho. in 1. qui fortassis de hoc homine loquens, dicit: *Si quis in silvis enutritus ductum rationis sequatur in appetitum boni & fugam mali, &c. Deus tenetur (ex gratia scilicet, & liberalitate) mittere, vel per se instruere in rebus fidei, sicut misit Petrum ad Cornelium.*

127. Alia ratio congruens accipi posset ex indignitate peccati mortalis cujus ratione homo constituitur Deo exosus, inimicus, & ab eo intimè aversus, sed non videtur congruum, quod homo taliter indignus valeat diuturnè totam suam legem adimplere, ejusque mandata servare; ergo ut ad apicem hujus virtutis perveniret, requiritur, quod sit constitutus in statu veræ justitiæ. Minor probatur: Diuturna hæc totius legis adimpletio petit appetitum subjectum rationi in omnibus, simulque habituales conformitates cum ratione in ordine ad omnia præcepta affirmantia, & negantia; sed homo talimodo à Deo separatus per peccatum sive personale, sive originale, non potest habere, moraliter loquendo, ut par est loqui in præsentia, conformitatem istam, & uniformitatem in suis humanis operibus: Ergo. Major debet esse certa, & minor probatur: quando appetitus superior recedit in omnibus à subordinatione ad Deum, sub cujus ditione est, congruit,

ut inferior recedat, & non conformetur in omnibus superiori; sed primum habetur per peccatum lethale: Ergo moraliter existimari potest secundum.

128. Secunda conclusio: Gratia sanctitatis non est necessaria ad observantiam diuturnam totius legis ex natura rei, & metaphysicè, sed solum moraliter, & quia ita congrueret divinis decretis. Conclusio colligitur clarè ex superius dictis; si enim homo peccator retinet vires ad totius legis adimpletionem, quamvis perfectam, nil amplius desideratur adhuc effectum ex natura rei, quam debita, & libera applicatio earum virium, ut in re ponatur: Igitur nec desideratur ad hoc gratia sanctitatis ex natura rei. Præterea: Non sunt ex natura rei incompatibiles privatio gratiæ, & totius legis naturalis observantia: Ergo potest hæc esse sine illa attentata rerum quidditate. Patet: quia nulla oppositione opponuntur, suntque diversa in ordine; nam privatio gratiæ est in ordine superno, sicut est forma, quæ privat; & tota lex ita est in ordine naturali: Ergo nullo modo opponuntur, nec ex rei natura incompatiuntur. Denique tota lex naturæ collectivè accepta, & adhuc in gradu majoris perfectionis, non evacuat eam privationem gratiæ, qua homo per peccatum incurrit: Igitur dari potest attentata rei natura tota lex adhuc perfectè adimpleta ab homine in peccato mortali constituto.

129. Secundum, quod continet conclusio, satis insinuatam manet, & probatum: nam gratia desideratur ad collectivam diuturnam adimpletionem totius legis; sed non metaphysicè, & essentialiter: Ergo ex divino pacto, vel quia Deus sic decrevit, fieri ob honorem suæ læsæ majestatis per peccatum mortale, vel aliunde, de quo non curamus. Major supra constat, & minor; consequentia verò legitime inferitur; siquidem ea, quæ ex natura rei non componuntur, quandoque uniri, & conveniri solent, divino supposito pacto, & decreto interveniente; ut videre est, in pluribus nostræ fidei mysteriis; & è contrario: alia etiam opponuntur, & incompatiuntur, non quia hoc eisdem ex natura rei conveniat, sed divina atenta dispositione libera sic statuentem; tum pro-

pter manifestas, & congruentes rationes, tum propter altissimas infallibiles, ac sibi reservatas causas: hujus generis est, ea incompatibilitas privationis gratiæ cum totius legis naturæ exacta observantia. Hoc, inquam, decretum nobis constat ex sacris litteris, tam malè loquentibus de homine peccante, ut eum quasi inabilem, & ineptum reputent ad servandam justitiam, & æquitatem, cæterasque virtutes naturales. Sic eum comparant jumentis insipientibus; & quod magis est, peccantem ipsum, & Deo odibilem, ac inter non entia annumerant, &c.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

130. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: *Tota lex naturalis sic cadit sub facultatem arbitrii humani, ut solum expectetur ad totam, & collectivam ejus adimplerionem, vel roboratio suarum virtutum per peccatum infirmarum, aut si ex parte ipsorum præceptorum detur major dignitas, quam sit arbitrii humani potestas, aliquod principium, sive forma, aut quid aliud, cujus ratione proportionentur; sed totum hoc haberi potest per auxilia quadam naturalia, per quæ unum, vel aliud, sive utrumque præstetur: Ergo frustra, & sine necessitate recurritur ad superioritatem gratiæ habitualis.* In hoc syllogismo sistit totavis adversæ sententiæ, quæ adhuc roborari potest ex locis sacris, in quibus legitur, tum extensio arbitrii humani ad ea, quæ sunt purè naturalia patrandæ; et si quid de hoc ordine desit ex parte ipsius, ipsa ratio naturalis distat, vinci, & superari debere per formam intra eundem ordinem constitutam; & maxime cum non agatur de tota lege servanda perfectè, adhuc intra terminos naturæ, sed solum imperfectè, & quoad substantiam suam.

131. Respondetur ad argumentum, quod totus syllogismus convincit, si metaphysicè consideremus potestatem arbitrii in ordine ad adimplerionem præceptorum totius legis naturæ, sub quo sensu

non solum potest ad ea imperfectè, & quoad substantiam, verum & perfectè servanda, & ex motivo strictæ amicitia naturalis cum Deo: Sic enim hic non procedimus, sed solum quantum attinet ad moralem considerationem sub qua cadere potest, quod homo suis viribus intentus, adhuc peccato implicatus valeat, et si per breve aliquod tempus in totius legis naturæ observantiam, non verò ad diuturnam ejus adimplerionem, immò nec sufficit ad hoc præstandum auxilium naturale cito transiens, sed ulterius requiritur, quod in gratia, & sanctitate sit constitutus propter rationes superiores datas: non quia ista gratia faciat per se adhuc effectum, sed quia sic Deus decrevit fieri ad majorem suæ legis ornatum, & dignitatem.

132. Sed contra: Ex data solutione sequitur, quod non solum expectetur gratia sanctitatis ad diuturnam, sed ulterius ad brevem totius legis naturæ observantiam; sed hoc non dicitur: Ergo nec aliud. Major probatur, primò: quia magis, vel minus non variant speciem, sicut dignitas, seu difficultas unius actus non crescit, aut decrevit per hoc, quod fiat protractius, sive brevius; secundò: quia tota lex per breve tempus adimpleta ponit eundem effectum in animo adimpletis, ac si per longum permaneret in ea: Ergo si ad primum non desideratur, gratia sanctitatis, cur ad secundum? Ad instantiam hanc breviter respondemus: quod et si adimpletio totius legis, ut sic, sit per eisdem actus adimpleta, vel omissiones, aliter potest esse intra breve, ac aliter per longum tempus; nam in brevi tempore solum occurrere possunt præcepta ea, quæ pro semper obligant, & negativa dicuntur; non verò affirmativa, quæ non pro semper instant; & in hoc casu stare totius legis adimpletio quoad substantiam, & non esset ejusdem rationis, immò nec speciei cum ea diuturna, & quæ omnium præceptorum executionem suponeret, & sic non esset ea diversitas constituta inter terminos, qui solum distarent panes magis & minus.

133. Aliter dicere possumus ad replicam: quod concessio, quod totius legis adimpletio per breve tempus sit eadem speciei cum diuturna, adhuc datur

locus nostræ doctrinæ; siquidem istud magis, quod dicit diuturnitas, petit vires majores ad sui prosecutionem, quam illud minus; sicut videmus in physicis, siquidem ad magis ambulare, plus virtutum requiritur, quam ad minus, & ita juvenis inter facit protractius fenestram: & propter hoc dicebamus, quod ad totam legem diuturnam implendam, non suppetunt vires arbitrio hominis lapsi, quin per gratiam Dei adjuvetur; & hæc quidem adimpletio, si perficiatur, & perseveret in substantia sua, prærequirit ulterius gratiam sanctitatis in isto homine sic legem adimplente, quia ad gradum hujus adæquatæ observantiæ pertingere non valeret, nisi in amicitia Dei, & justitia constitueretur; non ex defectu virtutis, sed aliunde, & ob aliud principium insinuatam supra, non quidem ex rei natura, sed quia Deus taliter decrevit fieri.

134. Secundò arguitur: *Tota lex naturalis adimpleri non potest per ullam potentiam collectivam, hoc est, simul, sed tantum collectivè, & veluti successione quadam, & juxta instantem obligationem præceptorum; sed ad primum occurrens v. g. nec ad secundum, saltim quoad substantiam complendum, non desideratur status justitiæ, & sanctitatis: Ergo nec ad ultimum complendum.* Major est certa, non modo physicè, verum & moraliter loquendo. Minor sic probatur: ultimum præceptum non est majoris dignitatis, & difficultatis, quam reliqua; sed alia impleri possunt sine sanctitate: Ergo & ultimum. Præterea: Si solum ad ultimum complendum desideratur in homine status gratiæ, non tamen ad totam legem perfectè, & diuturnè adimplendam; siquidem reliqua observari possunt sine ista gratia: Ergo. Pater assumptum: nam ultimum præceptum non est tota lex, sed aliqua ipsius pars. Ulterius: Si solum ad observantiam ultimarum præceptorum desideratur gratia sanctificans, maxime erit, quia in his quasi verificatur non solum tota lex adimpleta in substantia sua, sed & diuturnitas in ejus adimplerione: Ergo non expectatur gratia sanctificans propter totam legem servandam, sed ut diuturnius servetur, cum aliqua pars legis sine ista gratia observetur.

135. Insuper: Gratia sanctificans vel

consideratur in homine præviè ad adimplerionem ultimarum præceptorum, vel concomitans, vel subsequens; si primum dicatur, inferri est necessarium, quod gratia prærequiratur, non modo ad totam legem servandam, sed ad partem legis; cum præviè ad totam adimplerionem hujusmodi legis adæquatè expectetur in homine eam adimplente quasi inchoativè; si verò subsequatur, fortius sequitur, quod præviè ad sanctitatem tota lex possit moraliter diu adimpleri; ac denique si unicè comitetur hominem completam omnia, & ultima mandata, per accidens se habet ad hunc effectum, ita quod ea non data, adhuc stare ejusmodi adimplerio: Ergo de primo ad ultimum gratia sanctitatis ad hoc non desideratur. Denique: posset quis omnia usque ad ultimum præceptum servare per breve tempus, ut si occurrerent omnia sic: sed in hoc casu non desideraretur Dei gratia sanctitatis: Ergo non bene convincitur diuturnitas in observantia per omnium præceptorum completam observantiam: Ergo licet ad priora præcepta servanda ista gratia non requiritur, nec ad ultima.

136. Respondetur ad argumentum concessa majori, & minori, & negando consequentiam, ad cujus primam probationem dicimus ad majorem: quod ultimum præceptum totius legis naturæ adimpletæ secundum se consideratum, & cæteris paribus, non est posterioris dignitatis, aut difficilius in sua adimplerione, nec ad illud sub hac ratione requiritur gratia sanctitatis, sed in quantum supponit omnia alia in sua observatione completa. Ad secundam probationem est similis solutio: Non requiri, scilicet, gratiam hujusmodi ad ultimum secundum se, sed in quantum dicit, & connotat totam legem naturæ adimpletam. Ad tertiam probationem respondetur: quod verum est, gratiam desiderari ad diuturnam legis observationem, cæterum ex hoc non sequitur, requiri ad hujusmodi diuturnitatem, quam in abstracto, sed ad diuturnitatem concretam cum totius hujus legis adimplerione. Ad ultimum dicendum erit: gratiam sanctitatis non per se requiri ad opera legis, sed ex divina ordinatione, & ut efficaciter tota servetur; id est, que eam prævenit, committatur, & subsequi.

sequitur; praevenit ea occasione à nobis indiscernibili, qua prudenter existimare possemus, Deum allici, & de facto moveri, ut eam conferat, & per prius ad completam adimplerem totius legis; hanc comitatur ut conditio moraliter requisita, ut homo uniformiter operetur, ut in rebus naturae propriis; subsequitur: denique, quia ea posita, & à Deo infusa non deperditur nisi adveniente novo peccato mortali actuali, quod coexistere non potest cum ea ultima legis adimplerem, sed in alio tempore sequenti.

137. Tertio arguitur contra secundam conclusionem: Nobis hucutque non constat de aliquo Dei decreto, quo stabiliat coexistentiam gratiae necessariam in homine lapsò totam legem naturae perfecte adimplente: Ergo non est fundamentum ad talem modum discurrendi. Praeterea: Si datur non per accidens, sed per se expectaretur haec gratia ad talem adimplerem; sed istud non dicitur: Ergo nec aliud dici potest. Probatur major. Semel quod Dei gratia sanctitatis comitetur legum naturae observantiam perfectam, se habet veluti principium, non ut eliciens, aut elevans, sed tanquam sanans naturam infirmam, & roborans languidas vires hominis hujusmodi; atqui sanare naturam, eamque roborare, dicit aliquid exactum, saltem moraliter ex parte principii elicientis opera praecipua: Ergo sic se habet gratia in nostro casu: Ergo per se moraliter exigeretur. Probatur assumptum: Gratia sanctificans est superior inter omnes gratias, & ut superius innuimus, eminenti quodam jure continent omnium aliarum proprios effectus: Ergo ea posita in homine circa totam legem conante, praestaret eas vires, quas darent auxilia ea, quibus in statu peccati mortalis homini conferuntur ad sic operandum: Ergo non solum sanaret animam, verum roboraret naturam attenuatam ad completam legis observantiam.

138. Ad argumentum respondetur: in primis per doctrinas superius in conclusionis probatione datas, ibi enim dedimus textus, & Conciliorum sanctiones gratiam Dei, & sanctitatem in esse hominibus recte, & conformi-

ter ad rationem operantibus; quod etsi suas patiantur solutiones, quia non cogunt secundum litteram, faciunt tamen congruentem probationem. Nec ex eo quod ea gratia comitetur totius legis strictam observantiam, se habet ut principium per se adhuc moraliter petitum ad ejusmodi operationes praecipuas; siquidem sanctas naturae humanae, quae solum ab ista gratia habetur, est conditio ad perfectam secundum rationem operationem, & ut moraliter completa exeat: Praetereaque vires, quas praestant auxilia debili humanae naturae, cum sint intra ordinem naturae constituta nec à gratia Dei habituali praestari possunt, nec in ea formaliter, aut eminenter continentur; et est ratio: quod solum potest à gratia communicari, vel in gratia eminenter contineri effectus ille, qui ordinatur ad finem proprium ipsius gratiae habitualis; cumque auxilia, de quibus hic, etsi possent ordinari, de facto tamen non ordinentur ad finem gratiae justificantis, ut supponimus, ideo effectus horum auxiliorum, ut jacent, nec praestantur à gratia, nec in ea ullo modo continentur. Et praesto est disparitas de originali justitia, & dotum corporis gloriosissis; isti enim effectus, etsi materiales, & sensibiles, possunt secundo praestari à gratia, quia suo modo ad idem tendunt, & ut cumque superni sunt.



QUEST.

QUAESTIO VII.

An sit gratia sanctificans? Et quid sit in sua essentia?

139. **I**nstituimus praesentem tractatum de Gratia sanctificante, quaeque nobis per Spiritum Sanctum diffunditur, & communiter apud Theologos gratia habitualis nominatur, & est ea, quae propriissima est, & dicitur gratum faciens, quatenus per eam efficiamur Deo grati, Sancti, amici, filii, & haeredes ejusdem Dei, cohaeredes autem Christi, nam de aliis gratiis, quae actuales dicuntur, vel ideo quia cito transeunt, & non permanent, vel quia frequenter se habent ex parte actus secundi, & nomine auxiliorum decorantur, satis superque; & quantum fas est, de eis tom. 2. tract. 5. & 7. & circa principium hujus quaedam annotavimus, inferiusque completa dabuntur pro locorum opportunitate, ut nec in minimo sacris Ecclesiae sanctionibus contraveniamus.

140. Et in primis de hujus gratiae existentia brevibus aliqua dabimus, ut ex eis ad suae quidditatis notitiam accedentes, quae sunt Theologiae discursiva, & scholasticae partes expleremus: apud Catholicos certa fide habetur hujus gratiae sanctificantis, & intus animam renovantis existentia, quae veritas praeterquam quod variis utriusque testamenti textibus exprimitur, sacris canonibus Conciliorum declaratur, de ea novissime Trident. contra haereticos ultimos divinae hujus gratiae adversarios. Licet enim temporibus August. acriter ageretur contra Pelagium & suos, imò, & adversus Semipelagianos divinae gratiae oppugnatores, quia tamen non de hac gratia, quae justus sumus, & Deo grati, quamque nos vocamus habitualem, & sanctificantem, sed de alia actuali, & quae per modum auxilii desideratur ad salubriter operandum, ea sancta

differtatio texeretur, & haec erat seopus illorum haeresis, etsi non bene sentirent de alia gratia permanenti scilicet & sanctitate, sicut totum legitur in August. contra Pelagium, & in sacris Conciliis Palet. Milevit. & Arausic. 2. extat declaratum; ideo hic solum mentem intendimus ad praefatam interiorem gratiam, non qua supernaturaliter adjuvemur ad meritorie operandum, sed qua justus & sanctus constituamur.

141. Haec enim clare, & expresse reclamata fuit primò per Luther. Haereticum, ejusque sequaces; & licet inter eos esset suum disidium, ut unus ex eadem asseverat, omnes tamen in unum conspirant, quod scilicet, gratia, qua justus sumus apud Deum non est interior nostri sanctitas, & renovatio, sed solum Dei justitia, & sanctitas hominibus per Christum veluti applicata, ita quod sancti, & grati extrinsecè tantum denominemur per eamque sanctitatem, & justitiam, qua Deus justus, & sanctus est; ac similiter non aliter hominum remittuntur peccata, quam per non imputationem eorum apud Deum, & absque ulla munditia in illis intrinsecè accepta; non attendentes ad tot, & tam multiplices sacrorum textuum doctrinas, quibus innotescit opposita veritas, clariusque convincitur interior hominum renovatio per Dei gratiam habita. De hoc expressius Concilium Trident. variis sessionibus fulmine anathematis nos credere facit, homines justificari interior, eorumque peccata dimitti, non per Dei justitiam extrinsecè eis applicatam, nec per non imputationem peccatorum suorum, sed ulterius per aliquod donum ab ipso descendens, hominibus diffusum, in illisque inhaerens; videatur sess. 4. cap. 5. 7. 11. & 14.

142. Hac veritate definita, & apud Theologos orthodoxos, ut infalibilis recepta, duplex difficultas ex ea suboritur solvenda: num, scilicet, istud inhaerens animae, quod Dei donum est, quo sancti, & justus constituimur, à peccatisque mundamur, & gratia sanctificans dicitur, sit quid permanens, & per modum habitus existens? Signanter additur per modum habitus existens; quia non desunt Theologi, qui permanentiam tribuerent charitati supernae, quin eam in specie habi-

F tus

tus collocatent; per hoc præcisè quod sit accidens quoddam de linea actus secundi continuè, & successivè fluens in anima Deo chara, & dilecta, & hujus ratione sancta constitueretur per qualitatem inherens sibi permanentem, absque eo quod pertineret ad habitum primam speciem qualitatis. Modus dicendi, nescio, qui ratione fundari possit, immò nec video, quare non contradicat Methaphysicè rationali qualitas inherens permanentè, quæ esset de linea actus secundi, de eajus ratione est successio, motus, & quæ permanentiæ contrariantur. Vel aliter: Cui gratia sanctitatis esset interior renovatio nominis permanentè per modum actus secundi continuo fluens, & animæ succedens, non verò tanquam species habitus, quæ sine successione permanentè eidem animæ inexistere? Sive quid inconvenit istum habitum adstruere, & maxime cum vi; & pondere textuum, & conciliorum teneantur ponere formam permanentem in anima per gratiam renovata, quæque eidem in esset?

143. Unde semper ac tenendum sit, quod interior hominis renovatio, justitatio, & sanctificatio intrinseca sit illi, & permanentè inherens; fateri est necessarium, quod donum hoc interiorius renovans, sive Dei gratia sanctificans animam sit accidens quoddam ad genus qualitatis pertinens, & in specie habitus constitutum, idè quæ gratia habitualis proprio nomine nuncupatur. Et in primis, quod gratia sanctificans sit accidens verum, & reale, fide divina credendum censeo (quod quid sit de sententia Cartesianorum, a qua pro unè abstrahere, quia ad rem nostram nil facit) probarique potest assumptum hac Theologica argumentatione: Ens verum, & reale, quod non est substantia, accidens est, sed gratia sanctificans non est substantia: Ergo accidens est. Major est certa apud Philosophos, & minor est declarata sic per Conc. Trident. ut constat ex Cathéchismo jussu Pii 5. edito, sic enim habetur ibi in materia de Baptismo: *Est autem gratia quem ad modum Tridentina synodus ab omnibus tradendum, pena anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inherens: Videtur igitur, quod con-*

clusio saltem mediata de fide tenenda sit.

144. Ex hinc sequitur quod cum accidens sit, & ad genus qualitatis declaratur pertinere, alia minoris efficaciam probatione convinci potest, quod, scilicet, reduci debeat ad primam hujus prædicamenti speciem, & in hunc modum se habet: Qualitas permanentè anima inherens per modum formæ purè spiritualis est in specie habitus; sed sic se habet gratia sanctificans: Ergo qualitas est de specie habitus. Major debet esse Philosophorum, qui aliam non cognoscunt qualitatem spirituales permanentem præter habitum; proptereaque ab eis cum Arist. de prædicament. definitur habitus per esse accidens difficile mobile à subjecto. Minor verò constat pluribus textibus denotantibus tum spiritualitatem suam; tum permanentiam in existere, & unus pro omnibus sufficiat illud Joan. 3. *Qui natus est ex Deo, non peccat; quia semen Dei manet in illo;* in quo utrumque concluditur; siquidem per esse semen Dei, satis clarè exprimitur gratiæ sanctificantis spiritualitas; & per hoc, quod in hominè dicatur manere, declaratur permanentia: Ergo & ita certò, & infallibiliter convincitur, quod gratia hæc sit accidens, qualitas, & habitus animæ sanctificata per illam.

147. Nunc etiam deducitur illa difficultas secunda, quam superius annotavimus: Sit ne hæc veritas ita infallibilis certitudinis, sit contrarium asserere, esset error in fide? Vel quod idem est, an hæc veritas, videlicet, gratia interior sanctificans, est verè gratia habitualis, sit fide divina tenenda, & credenda. De hac difficultate nil videram apud antiquos Theologos, qui ante tempora Trident. scripserunt, attamen non parvi momenti altimata fuit inter recentiores, eo ducti fundamento, quod scilicet videbatur pertinere ad assumptum præfati Concilii; cæterum cum de illa, ut jacet, nulla expressa fuerit facta mentio; & aliunde non de essent rationes pro utraque parte contradictionis, divisi sunt in oppositos modos dicendi, & sentiendi: inter illos verò Theologos, qui ex instituto præsentem agitarunt quæstionem priores partes habent Sapientissimi PP. Vazquez, & Suarez, qui, ni fallor, radicatus, ex adver-

so

so tamen eam exenterarunt, ac extensiori calamo, ad agonem usque, præactam difficultatem pertractarunt, adhibitis pro utriusque contendentibus textibus sacre pagine, Conciliorum sanctionibus, PP. sententiis, & fundamentalibus rationibus. Videantur hic, lib. 6. cap. 3. Ille verò disp. 203. pertotam.

146. Quid nos de hoc teneamus brevibus dabimus. & in primis nil determinatum circa illud stabilire cum R. D. possumus; siquidem ante tempora Trident. in quibus Baconius floruit, solum ut probabilis reputabatur illa veritas, etiam non desint gravissimi Theologi moderni, & antiqui contrarium asserentes, & docentes, quod à tempore controversiæ orthodoxorum cum Pelagio definitum, & declaratum extat, quod detur vera gratia sanctitatis, & quod ea animæ nostræ insit permanentè, & habitualiter; cæterum sine assertionè, nobis tenendum est, quod iis temporibus veritas ea solum ut certò probabilis reputabatur, vel ut communis, & probabilior in Ecclesia tenebatur; sic colligitur ex cap. *Majores de Baptismo*, & præterea ex ratione determinationis Concilii Vienn. circa hoc convinci potest: tenet enim Conc. & docet; ut constat ex Clement. unica de summa Trinit. & fide Cathol. quod præfata veritas de infusione habituum supernorum tenenda est propter Sanctos, qui eam docuerunt; igitur non quia revelata est: unde relinquatur, quod solum esset dissidium à tempore Trident. non quia tunc inciperet certitudo ea infallibilis, sed quia ibi fortè haberet inirium promulgatio, & obligatio circa illam.

147. Duo enim de ista difficultate resolvenda censeo: Primum est, quod veritas assera est moraliter certa, ita quod sit taliter communis inter Theologos, ut contrarium nec doceri, nec sustineri potest absque temeritatis nota, propter decreta, & Trident. Canones, qui maxime accedunt ad eam declarandam. Secundum est, quod præfata veritas non est adeò infallibilis certitudinis, ut certò de fide tenenda sit, sicut de aliis fidei nostræ mysteriis sentimus, ut potè exposita pluribus, & fundatis DD. contrarium asserentibus, & docentibus. Quibus suppositis nostræ sententia sit propositio hæc. Tom. IV.

Gratia sanctitatis, qua interior renovatur homo, est verè gratia habitualis; est Theologicè certa, & mediata de fide. Probat: Propositio hæc ex alia Theologicè demonstrata deducitur per medium fide divina revelatum: Ergo Theologica est, & mediata de fide: patet consequentia; siquidem ea propositio, quæ directè sequitur ex alia declarata, & revelata, est Theologica, & mediata saltem fide divina credenda. Antecedens verò probatur per similem demonstrationem: forma accidentaliter inherens permanentè est habitus; sed fide divina creditur, gratiam præfata sic esse: Ergo eadem fide, saltem mediata credendum est, talem gratiam habituales dici debere. Major est per se nota. Minor est Trident. sess. 6. cap. 7. & consequentia inferitur. De existentiæ gratiæ sufficit, sicut de assumpta probatione.

148. Et quantum ad essentiam, & quidditatem hujus gratiæ sanctificationis, duplici via investigari solet apud DD. & utramque intendimus disquirere, ut plenior, pro nostro captu, de ea noticia haberi possit. Primò ergo quæritur de quidditate gratiæ, secundum quod prima forma est inter supernaturales, radixque aliarum, idè quæ obtinet nomen naturæ in statu deificationis; secundò vero agitur de effectibus formalibus illius, & inter eos, qui primus æstimetur, & à quo cæteri sequantur, jure optimo dicitur esse de ejus essentia, & quidditate. Hæc ergo duplex via non est duplex gratiæ hujus definitio, aut descriptio; nec per hoc in gratia sanctitatis duplex essentia, aut quidditas cum fundamento concipitur, cum hoc impossibile sit, sed ideo taliter gratia Dei à nobis tractatur, quatenus ita altior est in sua quidditate, ut multiplicatis de ea conceptibus, aliquis notitia emandicari possit, & quantum fas sit, definiti, & explicari: unde in idem formaliter conspirari est necessum, conceptum gratiæ ut forma prima est in ordine supernaturali, hujusque effectus primarios: à primo hic expediemur, ut in aliis quæstionibus transeamus ad secundum.

149. Conclusio prima: Gratia habitualis est participatio vera, & propria divinæ naturæ. Conclusio hæc concordatur cum iis, quæ dedimus tom. 1. tract. 4. F 2 quæst.

quæst. 2. estque R. ea ipsa ratione qua ibi de ente superno, ejulque constitutivo dicebamus. Nuncque probatur illa eadem, eodem fundamento, & specialiter desumpto ex illo 2. Petri 1. *Maxima, & prætiofa nobis donavit, ut per hæc efficiamur divinis consortes naturæ*; sed maximum, & prætiofum inter dona Dei superna est gratia sanctitatis: Ergo hoc consistit in illa consortio, & participatione divinæ naturæ. Major, & minor sunt certæ, & consequentia sic convincitur. Consortium non aliter explicari potest, quam per duo, aut plura esse ejusdem sortis: Ergo consortium cum divina natura erit esse ejusdem sortis cum illa; sed non secundum essentiam: Ergo per participationem: Ergo tota dignitas, & fors gratiæ habitualis habetur per esse divinæ naturæ participationem veram, & propriam.

150. Hucusque conveniunt Theologi communiter, & ad minus non vident aliquem, qui contrarium sentiret; ceterum cum ex nominis ethymologia, *participatio* multipliciter usurpari possit, ex iis oritur difficultas inter recentiores, quoniam modo aptiori, & gratiæ Dei congruentiori usurpetur participatio divinæ naturæ, ut per illum factus explicetur ejus quidditas, & essentia? Pro quo resolvendo, primò dividimus participationem in realem, & moralem: realis participatio aliàs physica, tunc concipitur, quando unum ab alio aliquid accipit de suo, vel accidentale, vel substantiale, dummodo sit verum, & reale, & per veram causalitatem acceptum; moralis participatio non sic est; siquidem solum per communem æstimationem talis denominatur, ut cum dicimus, metallum participare valorem suum à valore Regiæ dignitatis: hoc namque nil reale importat acceptum à Rege, præter populi æstimationem. Realis participatio etiam bifariam considerari potest, vel virtualiter, sive formaliter; illa concipitur in eis rebus, quæ non formæ alterius, sed virtutem illius aliquam, vel in totum capiunt, ut semen virtutem accipi ab animali. Participatio verò formaliter, ea est, quæ habetur in rebus formam propriam alterius tanquam suam habentibus acceptam ab eo. Rursus, participatio alia potest esse famosa, stricta alia; famosa transcendit omnia genera causarum, &

ideo quod quomodolibet ab alio accipiat esse, participare dicitur; stricta participatio realis reduci debet ad genus causæ æquivocæ, ut verificetur proprietas nominis, & ejus significatio, quæ est partem capere, & partem relinquere. Pro quibus sit

151. Conclusio secunda: Gratia habitualis est vera, & realis naturæ divinæ participatio. Non habet conclusio notum fundamentum in littera R. cum de ea non instituat quæstionem, ceterum colligi potest ex superius annotatis, & ex iis, quæ habet contra Mag. in 1. dist. 19. ubi tatis innuit clarè manera & officia gratiæ, & in 4. dist. 1. q. 3. & 4. Uterius explicans hujus gratiæ efficacem virtutem, convincit assumptum nostrum. Est præterea communis inter Theologos etiam in principiis D. subtilis aliter videtur sentiendum, de quo postea suo loco. Probaturque potest primò: Verba scripturæ accipi debent in sensu verò, & reali, quando ex eo nullam sequitur inconveniens; sed ex textu supra allegato ex 2. Petri. in sensu verò, & stricto accepto nullam sequitur inconveniens: Ergo cum ibi dicatur, quod donum prætiofum, & maximum gratiæ sanctificationis sit consortiū, & participatio divinæ naturæ, in sensu verò, & reali intelligi debet: Ergo gratia hæc est vera, & realis divinæ naturæ participatio. Reliquæ probationes sumi possunt ex iis, quæ tom. 1. tract. 4. dedimus, & ex aliis, quæ inferius dabuntur.

152. Conclusio tertia: Gratia habitualis est realis, & vera participatio formalis divinæ naturæ, ceterum in sensu strictæ, & analogicæ participationis. Est communis, & juxta ideam R. conformis; probaturque ratione eadem quo ad verba scripturæ sacra, quia scilicet, in sensu formali, & stricto accipi debent & intelligi, quando ex eo nullum sequitur absurdum. Insuperque alia ratione probari potest: Gratia sanctificans habet ex vi propriæ essentia sanctos facere, & tales subjectivè constituere eos, quibus inhæret, sicut natura divina sic infinita sanctissimum Deum formaliter constituit: Ergo non modò virtualiter, verum & propriè, & formaliter naturam divinam in sua quidditate participat, & illius muneris ita par-

particeps est, ut cum ea quoad hoc analogicè conveniat propria, & intrinseca analogia proportionalitatis, ita quod sanctitas intrinsecè, & formaliter prædicetur de ea suo modo, sicut de natura divina à se, & per essentiam; sed histerminis concluditur conceptus formalis, & strictæ participationis: Ergo gratia habitualis est vera, & formalis participatio divinæ naturæ in sensu strictæ, & analogicæ participationis, quæ non per totum, sed per partem accipere, describitur, ut frequenter ex D. Thom. 1. meth. usurpatur.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

153. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Gratia sanctificans est solum methaphoricè participatio divinæ naturæ: Ergo non verè, & propriè. Antecedens probatur: Gratia sanctificans solum dicit similitudinem quandam, impropriam tamen cum divina natura, admodum quo ens fixum cum vero ente, & homo pictus cum reali homine; sed neque ens chimericum, ne homo pictus dicunt veram participationem entis, & hominis, sed solum cum eis quandam proportionem, & similitudinem: Ergo sic se habet gratia sanctificans nobis inhærens ad naturam divinam. Major probatur primò: Gratia sanctificans solum imitatur divinam naturam secundum aliqualem, & minutissimam rationem sui, sicut ens rationis, & homo pictus verum esse entis, & hominis: Ergo non veram participationem naturæ divinæ diceret, sed unicè cum ea aliqualem similitudinem: Major patet: siquidem gratia hæc, nil quod sit proprium, & essentialè divinæ naturæ imitatur, ut puta à se esse vivens, & actualissimè deificans.

154. Secundò probatur illa major. Gratia sanctificans in omnibus deficit à vera imitatione, & similitudine divinæ naturæ, & solum cum ea habet commune nomen primæ mundicie, radicis operum supernorum, cum in re valde, & in-

finite differant, sicut differens ens rationis ab ente vero, & homo pictus à reali homine; sed solum hoc est aliquammodo convenire, & methaphoricè: Ergo ita participat gratia sanctificans divinam naturam. Tertio probatur illa major: si gratia sanctificans solum secundum quid imitetur divinam naturam, erit unicè illius aliquammodo similitudo; sed nil amplius habet, cum ex ea capiat, aut accipiat, quod illius divinitatis proprium sit: Ergo deveniendum erit ad hanc methaphoricam, & impropriam similitudinem.

155. Responderetur ad argumentum, negando antecedens, ad cujus probationem negatur etiam major, & ad hujus primam probationem asserimus, & concedimus, gratiam istam solum cum natura divina dicere aliqualem, & minutissimam similitudinem, ipsamque quodam modo imitari, sed non ita sicut ens fixum verum ens, & homo pictus verum hominem, sed alia longè perfectioni, & sibi intrinseca ratione: his namque solum veritas nominis ipsis convenit, extrinsecus tamen participantes veritatem entis, & hominis; non sic gratia Dei, cui secundum quid rei ipsi adaptatur sua sanctitas, & intrinsecè eam habet ut vera illius essentia. Hæc ergo participat non totum quod est in natura divina, sed partem illius, quæque ipsi propriissima est, & essentialis; nimirum secundum sua propria hominem v. g. in ordine divino constituere, & alia, quæ suo loco dabuntur. Per quod patet ad secundam ejusdem majoris probationem: Libenter enim concedimus, quod gratia sit secundum quid tantum divinæ naturæ imitatio, ceterum propriè, verè, & intrinsecè, sicut accidens reale, quod ita secundum quid participat rationem entis, & quia hæc ratio ipsi intrinseca est, non methaphoricè, sed verè, & propriè dicitur participare conceptum entis. Quoad realem participationem infra suo loco.

156. Secundò arguitur contra tertiam conclusionem: Gratia sanctificans non habet per modum actus proprii, id quod est forma, aut veluti forma naturæ divinæ: Ergo non est illius formalis participatio. Antecedens probatur: Esse primam intelligentiam est forma divinæ naturæ; vel aliter: Intellectivum actualissimè

mum est præfatæ naturæ propria forma; sed illa quidditas non habetur formaliter in gratia, quæ quidem non constituitur per hunc respectum, alias non habitus, sed natura esset: Ergo nullo modo participat formaliter formam propriam divinæ naturæ. Respondetur breviter, quod immò quia natura divina est taliter intellectivum principium, hujus est gratia formalis participatio, cum de hujus ratione sit primò, & per se radicare actus intelligendi visionis scilicet claræ Dei, &c. Nec ex eo sequitur, eam esse naturam simpliciter, sed solum secundum quid, & eo jure, quo divinitatem participat, quæ quidem naturæ acceptio optinè quadrat cum conceptu habitus, siquidem non radicat præfatas operationes ut principium vitale, & efficiens, sed tantum ut elevans, habilitans, & proportionans.

157. Tertio arguitur: Gratia habitualis idèò sanctificans est, & ita dicitur, quia est sanctitas naturæ creatæ; atqui hæc sanctitas nequit esse formalis participatio divinæ naturæ: Ergo talis non est gratia. Minor probatur: sanctitas creata deberet esse participatio formalis divinæ: Ergo non erit participatio hujusmodi naturæ. Probatur hæc consequentia: sanctitas in Deo est formalitas distincta à sua natura: Ergo forma ea, quæ esset formalis participatio illius sanctitatis, non erit hujus naturæ formalis participatio. Probatur antecedens: Nam sanctitas in Deo est attributum suam naturam consequens: Ergo est formalitas à tali natura distincta. Respondetur: sanctitatem non esse aliquid Dei speciale attributum, aut ipsius proprietatem, sed transcendentem denominationem sumptam ab ipsa summa puritate, & munditia, quæ pollet, & hæc cum potior, & formaliter prior sit in divina natura, & à qua ad alia Dei prædicata descenditur; ideo per prius, & saltem logicè, principaliter dicitur de divinitate, sive de natura ea, qua Deus est, & constituitur; unde illa forma creata, quæ hujus divinæ naturæ particeps sit, erit saltem subjectivè formaliter sanctitas. Vel alias: Ea forma creata per quam natura hominis v. g. formaliter sanctificetur hac subjectiva sanctitate, erit formalis, & vera naturæ divinæ participatio.

QUÆSTIO VIII.

An Deus sit ita efficiens causa gratiæ habitualis, ut repugnet cuilibet creaturæ ejusmodi causalitas?

158. **P**ER prius ad effectus gratiæ sanctificantis inquirendos, scire, & speculari convenit ejus causas, de quibus aliqua dedimus tom. 1. q. 5. per totam, & quæ propriè sunt hujus loci ad ibi dicta adjicimus: & antea ut fide certum tenendum est, D. O. M. esse causam efficientem gratiæ habitualis; constat expresse utriusque testamenti textibus; ut Job 14. *Quis potest facere mundum de immundo: nisi tu qui solus es?* Et ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: qui datus est nobis.* Estque dogma Chatholicè receptum: Dissidium inter DD. circa hoc situm est in modo hujus efficientiæ, quibusdam tenentibus, eam gratiam educam esse, aliis concreatam; & non paucis, cum quibus & nos cum R. in 2. dist. 18. q. 1. asserentibus creatam esse, quod sufficienter loco supra citato probatum relinquitur: in hoc ergo genere causæ solum verti potest in dubium, an Deus solus ita sit causa principalis hujus gratiæ, ut per nullam suam potentiam adhuc absolutam, possit alicui creaturæ istam virtutem creativam participare, seu communicare?

159. Et quamvis generaliter loquendo bene de hoc N. Garcia in Physic. dist. 3. q. 1. art. 3. ubi cum R. expresse tenet, & docet, Deum ita esse principale creativum, ut repugnet sibi alteri hoc concedere, ut belle R. in 2. dist. 1. q. 5. attamen ad nostrum assumptum singulariter attinet signanter contrahere istam creativam facultatem ad gratiæ sanctificantis productionem, in qua solum de principali

pali causalitate procedendum erit; siquidem circa physicam, & realem instrumentalem productivitatem non habemus pro nunc specialem difficultatem; cum sentire sit necessum in via R. Sacramenta novæ legis, ad distinctionem antiquorum, esse physica instrumenta nostræ justificationis: Ergo supposita divina ordinatione, & institutione eorumdem, de facto; & juxta potentiam ordinatam, Dei virtus creativa signata, & sigillata ad gratiam est creaturis communicabilis non principaliter; sed instrumentaliter; vel quod idem est: de facto datur instrumentum assumptum à Deo ad gratiæ suæ creativam productionem.

160. Unde superest, ut tota quæstio deolvatur aliter ad Dei absolutam potentiam, an scilicet Deus attenda sua infinita auctoritate, & non attento circa hoc suæ voluntatis decreto; vel præcisa ab eo; possit talem virtutem alicui creaturæ communicare, quæ esset causa efficiens principalis gratiæ sanctificationis? Ad hoc enim requireretur, quod ista creatura taliter esset creata ac ordinata ad ordinem divinum; & supernum, ut in se tanquam in principio contineret ea omnia; quæ sunt propria, & essentialia hujus gratiæ; ut ab ea licet à causa, gratia haberet totum suum esse; idèòque & in illa hypothese gratia non denominaretur Dei, sed illius creaturæ, quæ talem virtutem haberet; ad modum quo, et si primus homo genitus haberet suum esse à virtute productiva sui Patris; à Deo ipsi indita, & creata; non idèò dicitur homo ille de Deo genitus, sed de homine: Ergo similiter, et si in hypothese quæstionis gratia esset principaliter producta à creatura ea cum tali virtute à Deo creata, gratia non diceretur Dei, sed talis creaturæ in illa hypothese productæ; consequenterque videretur dicendum, quod idem esset inquirere; utrum Deus hoc possit respectu gratiæ, ac quærere, utrum gratia, quæ de facto est Dei, possit dici; & esse gratia creaturæ?

161. De hoc puncto nullum vidi Theologum, qui talem creaturam puram à Deo creabilem concederet, quæ esset divinæ gratiæ efficienter principaliter productiva, quidquid dicant aliqui de

Christo Domino; à quo pro nunc super sedemus; cum sermo instituitur de pura creatura: Omnes enim Theologi communiter tenent; hoc esse implicatorium, & repugnans; & idèò per nullam potentiam pollet à Deo creatura produci, cui communicaret gratiæ sanctificationis virtutem principaliter effectivam: huic modo dicendi nos conformari tenemur; cum multum accedat ad doctrinas R. pro quibus sit;

162. Conclusio: repugnat creatura, cui Deus tribuat virtutem creativam principalem gratiæ sanctificantis. Primòque probari posset conclusio aliquibus auctoritatibus, sed quia explicari; sive applicari possunt ad modum productionis gratiæ attenda Dei potentia ordinata; idèò una vel altera ratione fundabitur; primaque sit: Gratia ex sua essentia; & quidditate est naturæ divinæ participatio: Ergo repugnat illi aliam causam principalem habere præter Deum: Antecedens est communiter certum, & consequentia probatur: Repugnat gratiæ sanctificationis non esse participationem divinæ naturæ; siquidem cuilibet rei repugnat contradictorium suæ quidditatis; sed contradictorium quidditatis hujus gratiæ est non esse participationem divinæ naturæ: Ergo; atqui si ab alio præter Deum haberet principaliter esse; hujus, & non divinitatis esset particeps: Ergo repugnat gratiæ sanctificantis aliam causam principalem habere præter Deum: Minor probatur: Effectus causa principalis est hujus participatio formalis, saltem analogæ: Ergo si gratia ab alio præter Deum haberet principaliter esse, illius, & non Dei esset formalis participatio.

163. Duo ad hoc possunt respondere: primum est; quod in illa hypothese gratia esset utriusque naturæ participatio; & divinæ, & creatæ; hujus proxima; illius radicalis; semperque deveniendum esset ad hoc, quod tota dignitas sanctitatis gratiæ ultimò refunderetur in Deum tanquam in fontem; & radicem totius esse, & à quo ortum haberet ea virtus creatrix gratiæ sanctificationis. Secundum est: quod si gratia non esset participatio divinæ naturæ formalis quidditativè, sed solum connaturaliter, sufficeret sibi esse virtutalem divinitatis participationem, & istud

istad verificaretur si Deus tribueret alicui creaturæ eam virtutem, quæ valeret, & posset per univocam creationem, aut productionem gratiam communicare, & producere; & sicut in eo eventu causa illa esset virtualis divinitatis participans, sic esset ejus effectus, ac tunc diceretur gratia sanctificans, ut nunc.

164. Instantiæ parvi momenti reputantur; nam ex prima evidens sub inferitur contradictio; siquidem si gratia esset illius creaturæ formalis participatio, & esset creatura ut supponitur, & divina, cum gratia esset gratia talis superna, sanctificans, &c. per illius participationem: Igitur Deitate constitueretur. Præterea: si illa creatura possibilis esset naturæ divinæ immediata, & proxima participatio, haberet formam constitutivam gratiæ: Ergo esset propriè, & formaliter gratia; siquidem sibi conveniret id, per quod gratia formaliter constituitur; sed gratia non potest gratiam creare, hoc enim repugnat accidenti: Ergo. Secundum verò urgetur. Dato quod gratia constitueretur per esse virtuale participationem divinæ naturæ, adhuc impossibile est, quod Deus tribuat alicui creaturæ talem virtutem, quæ valeret ad hujus gratiæ creationem, aut productionem: Ergo nulla est solutio: Antecedens probatur: primò per antecedentem probationem; secundo: Nam adhuc quod gratia esset essentialiter participatio virtualis divinæ naturæ, ab ea causa deberet produci, in cujus virtute divinitas contineatur, ut posset participari; sed nulli creaturæ potest sic divinitas à Deo communicari, quia esset Deus, & non esset, &c. Ergo nulli creaturæ posset Deus eam virtutem communicare quæ valeret producere formam, quæ esset essentialiter divinæ naturæ virtualis participatio.

165. Secundo probatur conclusio per rationem, quæ ex R. loco citato deducimus. Gratia sanctificans est forma accidentalis, quæ à Deo fieret in natura creata Theologica, non ratione suæ potentie naturalis, sed essentialiter propter potentiam obedientialem, & hujus ratione in est hujusmodi naturæ; atqui implicatio est, in terminis Philosophorum loquendo, quod dabilis esset potentia activa creata, cui hæc potentia obedientialis

correspondeat: Ergo impossibile item est, quod ab ea ista gratia producat. Major constat, nam nulla est potentia activa, cui passiva ejusdem ordinis non respondeat, ut docemur ex Philosophis; & minor probatur: Nulla est potentia activa creata, cui teneatur obedire creatura, alias non creatura; sed creator esset: Ergo nulla est potentia activa creata cui obedientialis passiva corresponderet: Ergo si gratia Dei in qualibet providentia, jam fiat per creationem, jam per educationem, supponit passivam obedientialem potentiam naturæ Theologicæ intellectuales, huic solum divina activa respondet, ne dicatur, quod creatura creaturæ obedire teneretur.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

166. **P**rimò arguitur: Si daretur per possibile substantia aliqua supernaturalis creata, hæc valeret gratiam principaliter producere; sed substantia ea non improbabiler possibiliter possibilis est: Ergo & quod à creatura aliqua gratia sanctificans principaliter producat. Major probatur: Substantia illa est æquè proportionata gratiæ, nilque ipsi deficeret, ut sit ejus principale principium productivum: Ergo. Sed contra instatur: unus Angelus non est improporionatus respectu alterius, immo nec in ordine ad animam rationalem, siquidem sunt intra eundem ordinem, &c. & tamen implicat, quod unus Angelus adhuc superior habeat virtutem principaliter productivam alterius Angeli, aut animæ rationalis: Ergo ex proportionem, & superexcedentia illius substantiæ supernæ possibilis ad gratiam sanctificantem non sequitur, quod haberet virtutem, ut illam principaliter produceret.

167. Præterea (casu negato, quod dabilis sit) ea substantia vel valeret producere gratiam in se vel in aliis, si primum dicatur, ea non diceretur vera productio, sed solum emanatio quædam, sicut proprietates cum ea substantia superna concreata, in quo nullum reperimus in.

inconveniens, illo impossibili supposito, nec facit ad rem nostram: Si verò secundum intendere velint, quod scilicet, substantia ea posset in aliis subjectis gratiam sanctificantem producere; falsum omnino est, & impossibile; siquidem in illo eventu gratia non esset gratia de qua loquimur, quæ debet esse divinæ consors, & participatio naturæ; sed tunc non esset talis participatio, sed illius supernæ substantiæ: Ergo impossibile est gratia sanctificans, quæ ejusmodi substantiæ possibilis esset participatio. Insuper productio gratiæ sanctificantis in aliquo subjecto, est idem, ac illud sanctum facere; sed substantia ea non posset alios sanctos facere, etiam ea esset per se sancta: Ergo. Major est certa, & minor probatur: Sanctos facere est solius Dei proprium, cujus solius est facere sibi amicos, & filios, ac alias ad hunc modum præstare denominationes, quæ gratiam sanctificantem essentialiter comitantur: Ergo nullius alterius substantiæ adhuc supernæ effectus esse potest. Nunc ad formam argumenti: ad probationem majoris distinguitur antecedens: substantia ea est proportionata ad recipere eam formam, concedo; ad producere, nego majorem: ad hoc enim desideratur virtus præcontentiva illius effectus, quæ nullibi præter Deum reperitur.

168. Secundò arguitur: Homo disponitur per se ad gratiam: Ergo hæc erit ejus effectus: Ergo si ita est de facto, media ea dispositione, de possibili posset homo, illa seclusa dispositione: hæc ultima consequentia probatur: Quod facit Deus aliquibus causis mediantibus, posset de sua potentia absoluta, ipsis non mediantibus facere; sed Deus facit de facto, quod homo producat, vel causet suam gratiam media dispositione: Ergo posset res ita disponere, ut id homo se solo faceret. Respondetur; quod numquam homo agit in Dei gratiam efficienter, de quo est quæstio, sed solum dispositivè & ideo solum argumentum convinceret, quod eo modo quo homo de facto est causa suæ gratiæ media propria dispositione, sic esset de possibili sine illa: Ergo ad summum deveniendum erit ad hoc quod Deus, sua utendo omnipotente, & absoluta virtute, posset facere, quod

Tam. IV.

homo esset causa per se materialis, vel meritoria gratiæ sine aliqua media sui dispositione, quod non adeo inconveniens reputatur.

169. Tertio arguitur: Ideò non posset Dei gratia ab aliqua creatura produci, quia suum fieri petit per creationem esse; sed hoc est connaturaliter, & secundum Dei ordinatam potentiam ita accidat, posset aliter esse de potentia Dei absoluta: Ergo per eandem potentiam posset à creatura produci. Minor probatur: forma, quæ connaturaliter creaturæ, potest divinitus educi: Ergo etiam gratia petat connaturaliter creari, potest tamen de posse Dei absoluto educi: Ergo isto superato inconvenienti, per eandem potentiam posset à creatura produci. Libenter admittimus, etiam non concedamus, fornas omnes creabiles posse divinitus educi, ceterum ex eo non sequitur, quod hoc fieret à creatura potentia, sed unice à divina, & specialiter in iis formis, quæ totum suum esse habent per immediatam dependentiam à Deo, à quo etiam suam sumunt speciem, ut videtur est in omni habitu superno, qui totam suam specificationem habet per ordinem ad Deum gratiæ authorem, quorum gratia sanctificans primam obtinet.



G

QUA

QUÆSTIO IX.

Quinam sit effectus primarius, & essentialis gratiæ sanctificantis?

170. **D**E aliis formalitatibus concurrentibus ad causalitatem efficientem, gratiæ sanctificantis factis superque dedimus tom. 1. tract. 4. ubi de ente superno cujus prima, & nobilior differentia est gratia sanctificans ut pote prima, & radix aliarum; ubi etiam de hujus gratiæ causa materiali, postea suo loco acturi de aliis, quæ ad genus hujus causæ reduci debent. Circa causalitatem finalem, & exemplarem ejusdem similiter gratiæ non est cur immoremur, cum longe sit ab omni dubitandi ratione, Deum, & Christum Dominum, suamque gloriam unice esse, quibus respectivè tribuendum est harum causarum causalitas in ordine ad gratiam sanctificantem; Deus namque, & sua divina natura ut principalis finis *cujus gratia*, & actualissimum exemplar; Christus verò, & ejus summa laus, & dignitas ut minus principalis, & alteri subordinatus finis; sicut & condignum exemplar. Unde superest, ut ad prædictæ gratiæ effectus formales speculandos transeamus, quatenus ex his cognitis, & intellectis, quantum fas est, ejus quidditas dignoscatur; est enim effectus formalis primarius formæ ipsamet essentia formæ connotans informationem, & actuationem subiecti proprii: ut humanitatis humanæ, & albedinis albæ.

171. Difficultas in assignando effectum formalem cujuscvis formæ, semel cognita ejus quidditate, & essentia, non est magni momenti propter immediatè dicta, & sic quia per communem definitionem scimus animam rationalem esse actum primum corporis, &c. ejus effectus formalis notus nobis est, per hoc quod eam formam veluti informantem consideremus;

at verò ista ad gratiam sanctificantem translata non ingerunt parvam difficultatem, ut valeamus discernere ejus effectum formalem primarium, adhuc quod sufficienter instruximus de illius essentia, & quidditate, cum de pluribus formalitatibus in prædicta quidditate conceptibilibus sua possit oriri dubitandi ratio. Sicque supposito, ut par est, quod ista gratia sit formalis, & realis participatio divinæ naturæ, cum in hac natura consideremus pro formali justitiam, sanctitatem, condignitatem divini amoris, rationem formalem filium Dei constituendi per generationem communicatam, &c. Si hæc omnia quasi munera participat gratia Dei habitualis, de his consequenter dubitare licebit, quinam sit ejus primarius effectus homini communicabilis?

172. Aqua ut clarius expediatur, rationes impræsentiarum dubitandi dabo: Et in primis effectus formalis gratiæ sanctificantis est ab eadem per nullam potentiam præscindibilis, aut separabilis, quia ejus quidditas, & essentia est; atqui esse filium Dei non constituit hæc gratia Christum Dominum, ut est commune, & de quo postea: Igitur nec erit illius effectus primarius ista Dei filiatio. Præterea: Esse Deo dilectum, & objectum congruum suæ voluntatis non potest haberi per gratiam, nec per aliam quamcumque formam creatam, cum nulla hujusmodi res creata possit esse objectum terminans divinam dilectionem, sicut nec intellectio-nem; omnia enim entia creata cujuscumque sint ordinis, aut dignitatis per accidens à Deo cognoscuntur, & amantur, hoc est, ad cognitionem divinæ essentiæ, & hujus amorem, denominantur cognitæ, & amata; ut est concursus doctrina D. R. pluribus locis, de quo infra in hac quæst. igitur nec ista denominatio præstat à gratia per modum effectus formalis primarii. Quod verò nec sanctitas, justitia, aut rectitudo supernaturalis sint eæ denominationes peculiare, & explicitè habita tanquam gratiæ effectus formales primarii, patet etiam; quia de his est eadem difficultas, supponitur enim quod de facto gratia Dei hæc sit justitia sanctitas, rectitudo, &c. et præscindimus pronunc ab ipsa rei natura, & quæritur, sit

ne

ne effectus formalis, & expressior hujus gratiæ primarius?

173. Ante cujus resolutionem supponendum est, quod in presenti abstinemur à varietate opinionem hinc inde grassantium, tum circa id quod Deus posset, utendo sua absoluta omnipotentia in ordine ad effectum formalem gratiæ tum etiam ab alio modo sentiendi circa intrinseca prædicata gratiæ; num scilicet eidem competant ex ipsa rei natura ejusmodi effectus formalis assignati, an præterea ad hoc desideretur ulterius acceptatio divinæ voluntatis, cum hi modi discurrendi pertineant ad aliud? Solum ergo quærimus pro effectu formali hujus gratiæ sanctificantis, quæ homines per modum formæ realiter inhærentis justificat, & secundum ea, quæ ipsi de facto, & juxta leges ordinarias competit, de aliis latius suo loco. Namque omnes Theologi, & specialiter post Tridentinum asserere tenentur Deum homines justificare per formam intrinsecam, quæ cum inhærens sit animæ, realis, & physica debet esse, & veram sanctitatem præstare; ac propriè loquendo non in alio genere causæ, quam formalis; & ideò pro hujus supernæ formæ effectum formalem primario apud omnes erit eadem dissertatio, & quoad conceptum formæ æquali jure procedens.

174. Quibus præintellectis, & præsuppositis, & illis præ habitis rationibus dubitandi, non deest sua varietas opinandi, & discurrendi in præfata difficultate: communis tamen sensus & sententia DD. recentiorum cum antiquis docet, & tenet, effectum formalem primarium gratiæ sanctificantis esse constituere hominem Deo acceptum, gratum, amicum, objectum congruum divinæ dilectionis, ac filium ipsius Dei adoptivum; hæc in quam est fæte omnium, quos videram, dissentiunt tamen in duobus; nam ex eis plures cum D. Angelico, ut Thomistæ communiter, asserunt ejusmodi effectus ita essentialiter gratiæ adaptari, ut non modo ipsius proprii sint, verum & per nullam potentiam suplebles à Deo; sunt enim intrinseci, & ex natura rei de gratia ipsa prædicabiles. Alii verò sequentes Doctrinam D. Subtilis, etiam effectus hujusmodi gratiæ prædicatæ convenire teneant, id attamen de illa non dicitur, & prædicatur ex na-

Tom. IV.

tura rei, & secundum sua propria, & intrinseca prædicata, sed hæc supposita, connaturaliter Deum eam acceptare, & ordinare, ut hujusmodi effectus sortiri possit, docent. D. R. in hoc enodando particularem inveniens, & quia ad ejus sententias teneor, ejus mentem explanabo, & ex illa meas elucidabo conclusiones: at quia punctum præ manibus habitum, plura continet discutienda, aliis pro suis locis omisis,

175. Pro hoc ultimo, stabilendum est, quod gratia, de qua agimus habet de facto, & juxta legem Dei, constituere hominem Deo gratum, & amicum, justum, sanctum, & suæ voluntati acceptum, & hoc eidem convenit tanquam forma accidentalitatis animæ nostræ intrinsecè inhærens, de quo nullus dubitat; immò nec dubitare potest, nam in his terminis sustendo, veritas præfata fide divina credenda videtur. Quamam sit hæc amicitia Dei, ejusque acceptatio, vi cujus homo constituitur sanctus, gratus, & justus, est apex præsentis instituti, illiusque resolutio erit quæstionis hujus conclusio, & difficultatis enodatio. Dupliciter enim docet R. in 1. dist. 17. §. 1. potest intelligi, quod homo dicatur Deo acceptus, gratus, ejusque amicus; primò objectivè, secundò subjectivè; diceretur homo objectivè Deo charus, & amicus, cum concipiatur, ut passivè à Deo ipso acceptus, & amatus; tuncque denominaretur subjectivè talis, quando Deum ipsum redamaret, diligeret, eidemque gratularetur; conformiter ad quod duplici via, Dei gratia posset concipi, quod homini præstet esse Deo acceptum, & gratum, ejusque amicum; vel scilicet, objectivè, & passivè, & quatenus ipsum constituat objectum congruum divini amoris, & acceptationis; vel subjectivè, & in quantum eidem homini communicaret effectum talem, vi cujus Deum redamaret, diligeret, & gratularetur; ac denique utroque modo simul posset ulterius effectus iste gratiæ Dei adaptari. D. D. omnes, quas videram, teneret utroque modo Dei gratiam hominem acceptum Deo, & gratum constituere aliter enim sentit R. meo videri unicus pro quo sit

176. Conclusio prima: Gratia Dei sanctificans non constituit hominem Dei ami-

G 2

ami.

amicum, & per se acceptum objective. Est R. loco citato, ejusque rationibus probatur, quæ licet de charitate loquantur, idem de gratia sentire debet, cum idem apud eundem sint, de quo postea principalisque sit; ut divina voluntas hominem specialiter diligat, ipsumque objective, & per se acceptet in ordine ad vitam æternam, nil ex parte ipsius hominis expectat, aut expectare decet. Ergo gratia Dei non desideratur, ut homo constituatur objective Deo acceptus, sicutque ipsius amicus. Antecedens probatur: Voluntas omnia alia à se volens, & acceptans volitione, & acceptatione suæ propriæ essentia, nil expectat, aut desiderat ex parte volitorum, & acceptatorum, cujus ratione diligantur, amantur, & acceptentur, atqui sic se habet voluntas divina in ordine ad homines acceptandos, diligendos, &c. Ergo voluntas divina diligens, & acceptans specialiter homines, nil expectat, aut expectare decet in eis, cujus ratione objective amentur, aut ab ipso Deo acceptentur. Minor est certa, & colligitur ex his, quæ latè dedimus tom. 2. tract. 3. ubi de divina intellectione cum R. per Philosoph. relinquitur probatum, quod vilesceret intellectus divinus, si alia à se intelligeret per eorum objectivam rationem, in illisque sistendo: Igitur idem sentire debemus de Dei amore, & dilectione circa eadem voluta creata.

177. Major verò probatur: Si voluntas ea, quæ alia à se velit ratione suæ propriæ naturæ, & essentia, aliquid expectat in ipsis volitis, cujus ratione ea diligere vellet, & acceptare posset, non haberet in se sufficientem rationem objectivam, vi cujus ea volita, & acceptata resultativè acceptarentur; sed non decet, immo & repugnat, quod in divina essentia, quæ est stimulus totius bonitatis non sit sufficiens ratio objectiva, vi cujus omnia alia volita creata à se Deus diligat, & acceptet: Ergo ut voluntas divina omnia alia à se specialiter diligat, & acceptet, nil desiderat objective ex parte volitorum. Major probatur: Voluntas, seu potentia qualibet, quæ tendat resultativè circa alia objecta volita, etsi in eis desideret aliquam rationem objectivam, vi cujus terminent suam voli-

tionem; ex eo sequeretur, quod in objecto primario, & per se terminativo, & ad cuius dilectionem diliguntur, non esset sufficiens ratio objectiva, cujus ratione alia à se diligerentur; sed hoc nec decet essentia divinæ, immo & implicat: Ergo sic videtur implicare, quod ad hoc ut Deus specialiter diligat, & acceptet hominem, in eo prærequirat aliquam rationem objectivam, cujus ratione à Deo ipso diligeretur.

178. Conclusio secunda: Dei gratia sanctificans constituit subjectivè connaturalitè, & intrinsecè hominem Deo gratum, ipsique eodem modo acceptum. Est R. ibi, probaturque primò ratione ipsius: Id quod ponitur in alio solum præbendo ei formam, per quam tanquam per dispositionem operetur, subjectivè tantum desideratur; atqui Dei gratia solum inhaeret in anima nostra veluti dispositio, & forma ad operandum supernaturaliter desiderata, & adhuc modum constituendum hominem Deo acceptum, gratum, ejusque amicum: Ergo gratia sanctificans constituit hominem Deo acceptum, & gratum subjectivè tantum. Minor constat per conclusionem immediatam, & major etiam convincitur per Philos. & Commentat. 2. de anim. Comm. 67. & sequentibus, ubi docet, quod lux non desideratur in medio objective, sed solum subjectivè, quia objectum de se est visibile sine luce, & hæc communicat potentia visiva dispositionem quandam, vi cujus exeat in suam operationem: Igitur forma ea, quæ hunc præcisè effectum præstaret, non objective, sed subjectivè desideraretur.

179. Secundò probatur conclusio alia ratione R. Eo modo se habet gratia, & charitas ad animam, & voluntatem, sicut lumen gloriæ ad intellectum; sed lumen gloriæ solum subjectivè exigitur ab intellectu creato: ut dispositio prærequisita ad visionem Dei: Ergo gratia eo fare modo petitur in animam rationalem, ut sit dispositio ad operandum supernaturaliter, & isto modo hominem constitueret Deo acceptum, & gratum. Major videtur clara; quia non minus gratia sanctificans qualitas est, & habitus supernus, quam lumen gloriæ, & idem dicimus de charitate; sed lumen gloriæ quia tale est, so-

solum subjectivè exigitur ab intellectu, & ut dispositio illius ad operandum, & hujus ratione suo modo hominem constituit Deo gratum: Ergo idem dicendum venit de gratia. Minor principalis etiam constat: siquidem nullum aliud munus concipimus in lumine gloriæ præter elevare, habilitare, & disponere intellectum ad claram Dei visionem: Ergo solum subjectivè desideratur, ut faciat Deo acceptabilem suo modo intellectum.

180. Conclusio tertia: Effectus formalis primarius gratiæ sanctificantis, est hominem connaturaliter, & intrinsecè constituere Dei amicum, gratum, & acceptum subjectivè per modum nobilissimi habitus, ac hominem sic regenerare. Hæc conclusio, ut jacet, colligitur, esse de mente R. ex variis locis, quæ dispersa habentur in citata dist. 17. lib. 1. probarique potest rationibus ipsius. ibidem de promptis: Et sit prima; effectus formalis primarius alicujus formæ est illa primæ denominatio, quæ ab eadem subjecto suo præstat; est primus illè actualis conceptus, seu actualitas primæ à tali formæ communicabilis, &c. sed suprapositæ denominationes, actualitates, & conceptus sic præstantur animæ rationali, ut sint illius primæ actualitas intrinsecè connaturaliter, & permanentè eam constituentes in ordine divino, & supernaturali: Ergo prædictæ formalitates sunt eo modo effectus primarius gratiæ sanctificantis. Major est communis, & minor constat; nam præter, nec ante tales formalitates nihil aliud concipiunt Theologi connaturaliter præstabile à gratia: & præterea R. ibi illa ea omnia munia unice tribuit gratiæ, tanquam ab ipsa per modum habitus nobilissimi animæ communicabilia: Ergo naturaliter, & permanentè.

181. Secunda ratio sit: Id est effectus primarius formalis formæ, quod ponitur necessario, & per se primò ad talis formæ informationem, & ea ablata, aufertur, vel non posita, non ponitur; sed posita gratia habituali in homine, constituitur per se, & primario Deo gratus & acceptus subjectivè, & sic similiter ejus amicus, ac sine ea non habentur prædicti conceptus connaturaliter, permanentè, & in esse habitus nobilissimi: Ergo signum evidens est, quod ea formalitates sunt primariè

effectus gratiæ sanctificantis. Minor probatur: Gratia sanctificans habet ex sua essentia esse formalem participationem divinæ naturæ; sed forma, quæ talis sit, ex sua quidditate, & tanquam nobilissimus habitus; ea posita ponuntur in subjecto, cui afficitur; Dei amicitia, acceptabilitas, & adoptio in filiationem Dei, & sine ipsa illud haberi nequit connaturaliter, & tanquam ab habitu permanenti: Ergo. Minor probatur: forma, quæ talis sit participatio divinæ naturæ, habet ex vi propriæ formæ, etsi accidentaliter, & per modum habitus, quæ sunt divinæ hujus naturæ propriæ; sed divina natura præfata omnia habet substantialiter, à se, &c. Ergo in præfata gratia sanctificante accidentaliter, &c. Plura alia dabuntur in solutionibus argumentorum.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

182. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Gratia Dei sanctificans sic constituit hominem Deo gratum, ut per eam fiat ejus amicus, acceptabilis, &c. sed hæc indicant, & denotant objectivam rationem, & non modo subjectivam grati, & acceptati: Ergo utramque præstare debet, gratia sanctificans. Major est communis Theologorum; & minor constat; siquidem hoc est, hominem fieri Deo gratum, & acceptum, sicut per colorem constitui corpus visibile; sed color est forma objective denominans, & constituens corpus visibile; vel ea est ratio formalis objectiva: Ergo & illa, qua homo dicatur gratus, & acceptabilis Deo. Assumptum, suppositis vocibus, quæ taliter esse indicant, probatur: homo est Deo gratus, & acceptus; ejusque amicus proprius objective, sicut subjectivè; sed hanc objectivam rationem acceptabilitatis à nulla alia forma haberi potest præter gratiam, cum hæc natura sua sit forma gratum faciens, & acceptum: Ergo ista objectiva acceptabilitas à Dei gratia habetur. Major probatur: Homo proprius est Deo dilectus, quam dilector; quoniam prior dilexit nos, sed esse dilectum est esse gratum, & acceptum.

ceptum objective, esse verò dilector est subjectiva denominatio: Ergo per prius & proprius illa convenit homini, quam illa.

183. Respondetur ad argumentum per distinctionem grati, & acceptati objective, & subjective: Utrumque habet homo justus, & sanctus, sed non ab eadem forma, & secundum eandem rationem; siquidem objectivam rationem grati, & acceptati in eo habetur per divinam bonitatem, aut legem, cujus ratione, non per se, sed resultative à Deo acceptatur, & speciali dilectione amatur, ita quod hujusmodi amor Dei nil supponat in homine sic dilecto, sed effectively ponat gratiam, de qua hic, & in vi cujus subjective disponatur, & habilis constituatur ad opera superna elicienda, &c. Nec exemplar de colore facit ad rem nostram: nam color est forma objectiva per se sistens, & terminans visionem, ideo ratione coloris corpus constituitur objective visibile; non sic gratia ad divinam acceptionem, cum hæc sit creata forma, & nullà ex creaturis esse potest objectum per se sistens, & terminans divinum quemcumque actum; ideo nec ullomodo esse illius per se objectum. Ad assumpti probationem per idem respondetur: quod verum est, quod per prius dicatur homo dilectus, quam dilector, ceterum ex eo non sequitur, quod forma per se objectiva dilectionis Dei erga homines sit aliquid habitum ex parte ipsorum; hoc enim dedecet Deo, & repugnat, cum extra se nil per se intueatur, aut diligat, sed omnia creata sunt resultative cognita, & volita ad divinam naturam cognitionem, & amorem, & propter hanc rationem hæc eadem essentia divina est objectiva ratio omnium cognitionum, & volitionum divinarum; unde vi hujus divinæ formæ homo justus dicitur per se objective amicus Dei, ipsi gratus, & acceptus; aliter res se habent subjective.

184. Secundò arguitur & instatur solutio: Homo justus eo modo dicitur Deo acceptus & gratus objective, sicut & subjective; sed hoc habetur per gratiam sanctificantem tanquam per formam: Ergo & illud: Ergo non modo subjective, sed & objective gratia consti-

tuit hominem justum Deo gratum, & acceptum. Major probatur: Utrumque constituit in homine veram justitiam, & sanctitatem, nimirum esse à Deo amatum, & dilectum, ipsumque Deum redamare potentem; namque Dei mutuam amicitiam, quæ formaliter sanctitas est, dicit, & amorem hominis ad Deum, & redamationem Dei ad hominem sibi charum: Igitur eo modo homo justus dicitur Deo acceptus, & gratus objective, ac subjective. Hæc ultima consequentia probatur: Nam ratio utriusque acceptionis eadem est; & ab eadem forma oriri debet, dicunturque ad conversionem formaliter; ideo enim homo justus Deo acceptus est, & gratus subjective, quo ipsius amicus est, & sibi dilectus, objectumque congruum sui amoris; & è contra, hæc est ratio illata ex superiori illa, videlicet, quod veri amatores Dei sunt specialiter à Deo dilecti, & amati.

185. Respondetur ad argumentum, negando majorem, & ad hujus probationem dicimus; quod justitia & sanctitas utrumque importat, & esse hominem Deo charum, & dilectum, hoc est, esse objective gratum, & acceptum, & præterea hominem ipsum habitare, & disponere, ut Deum redamet, & ut oportet, diligat; ceterum non eodem modo; nam primum habetur per se ratione divinæ essentiae, & naturæ, quæ est unica ratio objectiva omnium diligibilium à Deo, & præter eam, alia est impossibilis; secundum vero ratione gratiæ sanctificantis, quæ vi hujus specialis dilectionis Dei infunditur in cordibus justorum, & ejus ratione grati, & accepti Deo subjective constituuntur, & hæc etiam est vera forma sanctitatis. Licet enim stricta amicitia dicat mutuum amorem amicorum, & Dei ad homines justos detur talis amicitia; hæc verificatur per hoc, quod Deus homines habeat sibi dilectos, gratos, & amicos objective ratione suæ bonitatis, ad quam consecutive, & resultative amantur; ipsique homines Deum amore superno prosequantur in vi indicæ gratiæ sanctificantis, quæ veluti forma eos gratos facit, & Deo acceptos subjective, & ad hunc amorem eliciendum dispositos per eandem; & isto modo dicuntur ad conversionem

tionem mutuoque inferuntur; esse homines Dei amicos, & dilectores, & esse objectum congruum resultativum scilicet suæ dilectionis.

186. Tertio arguitur: Homo constituitur justus, & sanctus per hoc quod sit Dei amicus, & objectum congruum suæ dilectionis; sed hoc debet esse per formam inhaerentem: Ergo & esse objective Deo gratus, & acceptus. Major videtur certa, siquidem amicitia mutuam amorem amicorum importat, & ideo amici sunt objectum congruum amicitiae amoris. Minor verò probatur, primò; Homo justus est Dei amicus formaliter, & propriè: Ergo habet esse objectum congruum divinæ dilectionis in vi alicujus formæ inhaerentis. Hæc consequentia probatur: vera amicitia importat pro formali, & amorem amici, & esse objectum congruum redamationis illius; sed ita denominationes sunt formaliter tales in homine justo: Ergo in eodem haberi debent ab aliqua forma intrinseca ad minus ipsi inhaerente: Ergo non modo hæc forma desideratur in homine justo, ut sit Dei dilector, & subjective, sed etiam ut sit dilectus, Deo, & objective. Secundò probatur illa minor: Hominem justum objective esse Dei amicum, seu objectum congruum divinæ dilectionis, seu amoris non est pura extrinseca denominatio, alias incideremus in errorem novatorum supra impugnatum: Ergo intrinsecè, & à forma intrinseca, & informante, seu inhaerente: Ergo hoc præstat gratia objective.

187. Respondetur ad argumentum, & in primis negare possemus secundam partem majoris, immò & illius suppositum, nimirum, quod creatura possit esse objectum congruum divinarum operationum, nec adhuc secundarium, ut latè dedimus tom. 2. frast. 5. loquendo de divina scientia: Ibi enim diximus cum R. creaturas omnes à Deo cognosci consecutive, & resultative ad divinam essentiam cognitam; ideo nullo jure dici posse objectum hujusmodi actuum per se primum, aut secundarium, sed solum per accidens, & resultativum; & hæc doctrina applicata ad presens institutum satis convincit, falsum, & intolerabile esse, quod ullo modo per se denominetur ho-

mo justus objectum congruum divinæ dilectionis, sed tantum resultativè; & tamosè, & ad divinæ bonitatis volitionem volitus, & amatus, & consequenter isto modo Deo gratus & acceptus objective. Et ad hujus majoris probationem primam distinguitur major: homo justus est Dei, amicus formaliter, & propriè, si amicitia hæc sumatur subjective, concedo; si objective ex parte ipsius hominis expectetur, subdistinguo majorem: Est formaliter objective amicus resultativè, & consecutivè, concedo; per se, & propriè terminativè nego majorem. Eosè modo quo homo justus sit, & dicatur objectum congruum divinæ amoris, deberet dici, & denominari Deo gratus, & amicus objective; cum primum habeatur in illo solum resultativè, secundum sic haberi in eo est necessarium.

188. Ad secundam illius minoris probationem dicimus; hominem dici, & de facto, ac juxta leges divinæ providentiæ denominari amicum Dei subjective, & objective, non esse puram extrinsecam denominationem, cum utraque denominatio in hac providentiâ habeatur ab eadem forma gratiæ, & justitiæ habitualis homini justificato inhaerenti; aliter tamen, & aliter; nam denominatio amici subjective propriè, & per se homini justo convenit; objective verò resultativè, & consecutivè, seu veluti per accidens, ceterum etiam hoc modo intrinseca. Solutio conformatur dictis, & doctrinis R. quod lib. 1. q. 9. §. 3. & etiam his, quæ circa modum objecti cogniti resultativè dedimus loco sup. citat.

189. Quarto arguitur: Homo justus, Dei amicus non solum subjective, sed objective dicitur Deo charus, & dilectus: Ergo ista objectiva acceptabilitas est per aliquid sibi intrinsecum; atqui hoc erit gratia: Ergo utrumque præstaret. Prima consequentia probatur: homo justus aliquid sibi proprium habet, vi cujus à Deo acceptetur præ non justo; sed hoc esse debet objective, & intrinsecum illi: Ergo sic est justus Deo acceptabilis, ut sua acceptabilitas objectiva inhiat eidem homini intrinsecè. Major probatur: Si justus non haberet aliquid sibi proprium, & intrinsecum ratione cujus à Deo acceptaretur, non daretur differentia inter ju-

stum,

stum, & nulla esset ratio, cur Petrus præ Juda esset objectum congruum divini amoris, Deo acceptus, & gratus: Ergo ut detur inter eos differentia asserta, debemus concipere in justo suam objectivam acceptabilitatem intrinsicam, quæque per Dei gratiam haberetur: Ergo hæc istum effectum præstaret.

190. Responderetur ad argumentum per doctrinam R. hic allatam, & quæ est fundamentum suæ conclusionis, & nostræ: ait enim §. 2. circa medium: *Deus volendo se acceptat omnia, quæ vult, & quando vult, & sicut vult.* Per quæ verba satis clarè datur intelligi, quod differentia ea, quæ est inter Petrum & Judam in ordine ad divinam acceptationem, etiam illi sit veluti intrinseca, non est intrinsecè per se conducentis ad ejus acceptationem, & amicabilitatem, sed solum resultativè, & consecutivè desiderata, loquendo de facto; aliter enim diceretur de per se requisito, & præscindendo à præsentis providentia in ordine ad divinam acceptationem. Conformiter ad quæ resolutoriè tenemus, & asserimus, quod quando R. docet specialiter in 1. dist. 17. quæst. unica §. 2. *quod quando voluntas omnia aia à se acceptans, & volens volitione sui non necessario requirit in aliis à se objectivam rationem, per quam acceptentur, aut fiant volita ab ipso, &c.* Loquitur attendente ratione quidditativa, & essentiali divinæ acceptationis, & unicè, ad quid necessario teneatur; vel quid exigat essentialiter; quidquid sit de eo, quod connaturaliter, & de facto habeamus in sacris litteris, & in assensu communi DD. de hoc postea tract. 13.

191. Sed instant contrarii: Et si Dei specialis dilectio erga justos non supponat in eis acceptabilitatem, seu bonitatem præviã ad prædictum amorem, ponit tamen illam, & veluti effectivè producit, ideòque hujusmodi amor, & divina acceptatio in vitam æternam, non modo affectiva, verum & effectiva est; & dicitur; sed forma præstans talem bonitatem acceptabilem Deo in justis est gratia: Ergo hæc objective facit hominem justum Deo acceptabilem. Ad instantiam concedimus, quod amor, & specialis hæc dilectio Dei erga justos effectiva, suo modo est, gratiamque illis

communicat, qua justii fiant, & constituantur, & per quam tanquam per formam inherenter denominentur Deo grati, accepti, ejusque amici, & filii, non objective, & per se quia hujusmodi actus divini petunt nobilius per se objectum, sed subjective, & ulterius per modum objecti resultativi, ac juxta modum superius præscriptum.

192. Sed urgent: Homo justus aliter objective se habet ad hanc divinam dilectionem exercitam, quam præviã ad illam, immò & per eam verè mutatur de non esse ad esse objective gratum, acceptum, amicum, & charum Deo; sed mutatio hæc deberet esse in vi alicujus formæ, quæ nulla est de facto, nisi Dei gratia sanctificans: Ergo per hanc non solum subjective habet homo justus, quod transeat de non esse ad esse Deo gratum, & acceptum: Ergo utramque præstat denominationem. Responderetur secundum supradicta; quod homo verè tranlit de non esse ad esse Deo acceptum, & gratum objective, & in quantum scilicet, resultative, & consecutivè à Deo acceptatur, amatur, & speciali dilectione diligitur; ex quo veluti consequitur subjectiva mutatio in eodem homine, & quatenus ex tali acceptatione in eo producitur Dei gratia, qua habilis constituitur ad Dei mutuam dilectionem, & redamationem.

193. Quintò arguitur: Sic se habet dilectio, & acceptatio Dei ad justos, sicut odium, & indignatio ad peccatores; sed peccator dicit aliquid objective habitum in ipso, vi cujus odio sit Deo, & illi exosus: Ergo ut justus à Deo acceptetur, habere debet aliquid, vi cujus Deo esset objective gratus, & charus. Major patet per doctrinam contrariorum, quorum eadem est ratio; & minor præterquam quod ex sacris litteris constat, quod Deus odio habeat in impio suam impietatem; satis convincitur ex eo quod non esset prudens tale odium, quia in peccatore ad esset objectiva aliqua ratio, quæ ad id induceret Dei voluntatem: Ergo. Respondeo per doctrinam R. ibi §. 2. quod verum est, quod in majori assertur, & ad probationem minoris dicimus: quod odium Dei non tendit per se, & immediatè ad peccatum, sed suo modo etiam

re;

resultative, in quantum scilicet cognoscendo se, & suam bonitatem, videt peccatorem odiendum, ut huic bonitati saltem mediatè oppositum, & contrarium, vel quia in illo est deformitas quædam divinæ bonitati contraria, & dissona; & unico Verbo: Deus se habet in odio peccati, sicut in, & per ejus cognitionem, præscitur; sed Deus peccatum non cognoscit in se illo modo, sed in bono privato per illud: Ergo ad hanc cognitionem sequi est necessum odium Dei erga peccatorem.

194. Sed contra: Ex doctrinis hucusque stabilitis satis convincitur, quod etsi homo peccator non sit per se objectum odibile à Deo, est tamen consequitive tale, & hoc non ob aliam rationem nisi propter peccatum in illo existens suo modo à Deo cognitum: igitur eo jure philosophare licet de amore Dei, & fortè magis directè, & propriè, erga hominem justum: Ergo sicut homo peccator Deo exosus est ratione sui peccati, sic homo justus erit Deo charus, gratus, & acceptus objective, suo modo, ratione gratiæ in illo apprehensæ, & cognitæ. Hæc ultima consequentia probatur: Homo justus Deo acceptus, & gratus est resultative ratione divinæ gratiæ, sicut sic dicitur exosus ratione peccati cogniti: Ergo ad minus gratia Dei desideratur ex parte hominis justii, ut esset objectum resultativum divini amoris. Vel aliter inferunt: Ergo eodem quo homo justus potest esse objectum divinæ dilectionis, talis constituitur per Dei gratiam: Ergo hæc non modo subjective, sed & objective desideratur ad hominem gratum constituentem.

195. Instantia parum nos præmit, nec specialiter urget doctrinas R. hic in dist. 35. traditas; sentit namque D. R. quod creatura quælibet quantumvis perfecta sit, nequeat esse objectum per se primarium, sive secundarium intellectus, & voluntatis divinæ; ex quo subsumimus; sed quod nec objectum primarium est, nec secundarium aliquarum potentiarum, nullo modo illarum est objectum verè, & propriè; siquidem objectum per se adæquatè dividitur per primarium, & secundarium: Ergo nulla creatura adhuc justior, & sanctior verè

Tom. IV.

& propriè dici potest esse objectum congruum divini amoris: Ergo gratia Dei in illa ad hoc deservire non potest. Superest ergo, ut cum creatura omnes vere cognoscantur, & verè amentur à Deo, aliquatè dici debeant objectum hujusmodi actuum, & hoc vocat R. ibi, & in quolib. objectum resultativum, famosè, & impropriè tale; ad eum modum, quo mors dicitur ultimus terminus, & finis vitæ in phrasi Arist. ibi citat. à R. in qua consideratione non renuimus concedere, quod gratia sit forma ea, quæ hujusmodi objectum resultativum constitueret, & sic hominem gratum faceret, & acceptum consequitive; ceterum non per modum formæ objectivæ, quia hoc solius divinæ naturæ proprium esse potest; sed tanquam terminus famosus, improprius, & resultativus divinæ amicitie; relinquuntur ergo quod Dei gratia solum propriè, & formaliter constituat subjective hominem Deo gratum, acceptum, amicum, &c. non verò objective.

196. Sed ex hinc opponunt contrarii, & redit vis secundæ probationis tertii argumenti: Et si resultative, & minus propriè, homo justus est Deo gratus objective; sed hoc modo esset Deo acceptus ratione divinæ gratiæ: Ergo per illam intrinsecè, & objective denominaretur Deo gratus: Ergo non solum subjective. Ad replicam responderetur, quod alio, & alio modo procedit instantia hæc cum solutione ibi data: dicebamus enim, quod homo justus sit Deo gratus, & acceptus objective veluti impropriè, quatenus esse objectivum hujusmodi propriè, & verè non inest illi ratione propriæ formæ, vel sibi intrinsecè, cum nulla sit, quæ verè esset objectum divinæ acceptationis præter suam naturam: In præsentis verò asserimus idem, quod scilicet præfatus homo justus, impropriè, & famosè, & hoc est resultative, sit Deo gratus, & objective acceptus ratione gratiæ sibi inherenter: Ergo non est diversa utrobique ratio: Ergo componi potest, quod homo talis sit Deo gratus, & objective acceptus, propriè ratione divinæ essentia, & in vi hujus objectum divini amoris, impropriè verò, & resultative per formam sibi inherenter, gratiam scilicet habitualement.

H

197. Sed non acquiescunt, & dicunt: Ergo gratia Dei subjective, & objective constituit hominem justum Deo gratum: Ergo non solum subjective. Probatum prima consequentia: Gratia Dei facit hominem Deo acceptum, & gratum resultative saltem; sed hoc est suo modo objectiva, & intrinseca denominatio grati, & accepti: Ergo ista duo munera præstat gratia: Ergo non usum solum, nimirum subjectivam amicitiam hominis ad Deum. Respondetur ad objectionem per negationem utriusque consequentia, & ad primæ probationem, concessa majori, distinguitur minor: sed hoc est objectiva impropria, & famosa denominatio grati, concedo; objectiva propria, nego minorem. De dicto secundum quid, & improprie, ad dictum simpliciter nulla est consequentia; ideoque dicere, quæ gratia Dei faciat, & constituat hominem justum; objectum resultativum improprium, & famosum divinæ amicitia, non est asserere, quod sit absolute tale propter dictam rationem, & quia hujusmodi objectiva ratio non est talis formaliter; & verè, sed improprie, sicut mors dicitur terminus, & finis vitæ; ideo de hoc nec loqui debemus, nec de eo procedit nostra resolutio; cum ibi fieri non esse de objecto vero, proprio, & congruo divinæ amicitia, & acceptationis, de quo negative assertum nostrum procedit. Nec ex eo, quod gratia constituat objective, improprie, & resultative hominem Deo charum, sequitur, quod duo præfata munia expleat; siquidem unum non ponit in numero cum alio; nam non esset prudens numeratio duorum hominum, quorum unus sit vivus, & verus, & alius sit mortuus, aut pictus: Ergo non sunt duo gratia officia hominem subjective constituere gratum, & proprie; & ipsum hominem dilectum facere objective, cæterum improprie, resultative, & famosè, nam istud non ponit in numero cum illo.

198. Quintò arguitur per textus sacros utriusque testamenti, & Canones Trident. PP. quæ sententias, & in primis de Salomone dicitur & legitur in 2. Reg. 12. *Et Dominus dilexit eum*; clariusque postea: *Et vocavit nomen ejus amabilis Domino,*

eo quod diligeret eum Dominus. Similiter sap. 4. habemus ista: *Placens Deo, factus est dilectus: quonia a gratia Dei, & misericordii est in sanctos ejus.* Præterea in Joan. 14. & 15. *Si quis diligit me: et pater meus diligit eum. Et: Qui diligit me, diligitur a Patre meo.* Insuperque ex Trident. sess. 6. cap. 4. 7. & 10 de gratia dicitur: *quod sit translatio ab statu filiorum Adæ in statum gratia, & adoptionis filiorum Dei, per quam gratiam; si homo ex inimico amicus Dei; & per eam: nos fieri amicos Dei, & domesticos ejus, declarat ideam Consilium.* Ex quibus PP. docent, gratiam Dei homines constituere à Deo dilectos, amatos, & amicos: Sic enim Hieronim. in Daniel. 10. dixit: *Omnis sanctus habens in se anima pulchritudinem, amatur à Deo.* Et Greg. in Cantic. 1. *Sponsa sua spiritum refrigerium tribuit, & in ea jovi delectabilem locum quivis efficit.* Atqui de his omnibus in sensu proprio loquendum, & sentiendum est, cum sic debeant accipi verba sacra: Ergo gratia sic facit objective Deo hominem charum, & gratum.

199. Respondetur ad argumentum ex præallegatis textibus, & autoritatibus; quod nec R. nec nos negamus, aut negare usquam audeamus, hominem justum, & sanctum esse Deo amabilem, dilectum, placitum, & verè, ac proprie amicum, quæ denominationes expræstantur in supra tactis locis; solumque asserimus, nec esse, nec denominari posse objectum congruum divinæ dilectionis, & amicitia propter rationes allatas in conclusiones: Aliud enim est, quod homo justus sit Deo amabilis, & dilectus, & verè & proprie, & aliud, quod sit objectum hujusmodi dilectionis; ad hoc ultimum desideratur, quod esset proprius terminus divini actus, & in quo Dei voluntas sisteret; quod quidem ei dedecet, quia vilesceret; & ad aliud sufficit, quod essent objecta resultativa divini amoris, & quatenus à Deo diligenterentur ratione suæ propriæ amata nature, quæ objectum est unice congruum prædictæ divinæ dilectionis: Et hoc quidem est proprie diligi, amari, esse Dei amicum hominem justum, non terminative, & per modum objecti per se, & congrui, sed consequitive, & tanquam resultativum objectum sui amoris, & dilectionis. Unde in his terminis stando,

do, est vera, & Catholica propositio hac: *Homo justus est Deo amabilis, placitus, dilectus, acceptus, & charus, ipsiusque amicus:* & hæc est probabilis: *homo justus est per se objectum quomodolibet congruum divini amoris, complacentia, & amicabile dilectionis;* cui non assentimur, quia apud nostrum sensum deficit à vera, & intrinseca probabilitate.

200. Sextò arguitur: Non datur, nec dabilis est vera, & stricta amicitia hominis ad Deum, nec Dei ad hominem: Ergo non est effectus gratia ejusmodi amicitia, sed ad summum improprie. Antecedens probatur, primò: amicitia est inter æquales secundum Phylosoph. 8. Eth. cap. 7. Corroboraturque per D. Hieronim. sup. 7. Mich. dicentem: *Amicitia pariter, aut accipit, aut facit;* sed non est excogitabilis æqualitas inter Deum, hominemque: Ergo nec inter eos dabilis est stricta amicitia. Secundò probatur idem antecedens, & redit argumentatio contra alias conclusiones q. præsentis. Amicitia stricta consistit in mutuo amore amicorum, non qualicumque, sed per bonorum, & secretorum communicationem, & commercium; alias inter Dominum, & servum, si mutuo amarentur, daretur vera amicitia; sed hujusmodi communicatio, & commercium non datur inter Deum, & hominem justum: Ergo nec vera amicitia. Minor probatur: Deus per hujusmodi amorem constituitur objectum congruum supernaturalis dilectionis hominis justii, quatenus per gratiam suam eum amicum facit, & subjective disponit ad opera superna exercenda, ipse verò homo justus nullo modo est, aut esse potest in vi prædicti amoris objectum congruum illius: Ergo ratione hujusmodi mutui amoris inter Deum, & hominem justum non potest in eis dari vera, & stricta amicitia. Patet assumptum ex defectu bonorum communicationis; siquidem Deus creature illi non communicaret esset congruum objectum suæ dilectionis.

201. Respondetur ad argumentum, negando antecedens, & ad ejus primam probationem dicendum, quod duplex datur genus amicitia; alia dicitur æquiparantia, & hæc quidem petit omnimodam æqualitatem inter amicos, & de ista intelligendæ sunt autoritates ex Arist. & Tom. IV.

Hieronim: alia est amicitia excellentia, quæ unice petit inter amicos proportionem in eodem gradu, & ordine, non entis, & substantia; sed solum habitudinis; & juxta hanc rationem Dei ad homines est vera amicitia æqualitas, quatenus homo per gratiam elevatur ad ordinem quædam supernum, & vi hujus constituitur intra sphaeram mutua habitudinis, Dei, scilicet ad ipsum, & ipsius ad Deum; & hoc sufficit ad strictam excellentia amicitiam. Nec contra hoc obest secunda illius antecedentis probatio: Nam eadem proportionis habitudine est mutuum commercium, & bonorum communicatio per gratiam habita inter Deum, hominemque; Deus namque sic hominem diligit, ut suam eidem gratiam conferat, quæ particeps fiat omnium bonorum suorum, quorum capax est, similiter & secretorum mysteriorum gratia, & vi hujus homo ita Deum amat, ut affectu quodam, & superna veluti complacentia Deo tribuat de bonis extrinsecis, saltem quantum fas sit creature. Ecce possibilis bonorum communicatio ad quam non requiritur, quod Deus hominem constitueret objectum per se suæ dilectionis, quia hoc nec Deo decet nec homini est possibile; sufficit pro modo suæ essentia dilectio erga illum resultative, & consequitive terminata, per quam salvaretur, quod sicut homo verè amat Deum ut amicum, à quo accipit bona suæ nature, sic Deus hominem diligit, cui ea præfata bona participat, etiam non eo æquali modo.

202. Septimò arguitur: Effectus formalis cujusvis formæ talis nature est, ut nec ab alia præstari possit, nec ab ea stante in subjecto non communicari eidem; sed esse Deo gratum hominem, & acceptum, potest in esse homini absque gratia sanctificante; & præterea stare potest gratia informativè existens in subjecto, quod non constituat Deo gratum, & acceptum (subjectivè adhuc) Ergo quia hujusmodi denominationes non sunt formales effectus primarii gratia habitualis. Prima pars minoris relinquitur probanda inferius, & separatim discutienda, quia includit non levem difficultatem, & est objectum singularis controversia inter antiquos, & recentiores Theologos gra-

fantis. Secunda verò pars probatur: communis sententia Theologorum tenet, animam Christi Domini fuisse præditam cum aliis, dono hujus gratiæ habitualis; sed effectus formalis à nobis pro ea assignatus, non fuit communicatus animæ Christi Domini per eam informatæ: Ergo. Minor probatur: Anima Sanctissima Christi Domini sanctificatur, & subjective grata, & accepta Deo constituitur, ratione divinæ naturæ, cum qua intimè conjungitur in unitatem unius suppositi divini: Ergo hujusmodi effectus gratiæ informantis animæ in Christi Domini non tribuitur huic. Antecedens est doctrina R. quam & nos suo loco dabimus: & de consequentia dubitari nequit.

203. Respondetur ad argumentum libenter concedendo, quod eo, quod forma sit, & exultat completè, & terminative in subiecto, ipsumque connaturaliter informet, non potest non eidem suum primarium effectum præstare, cum hujusmodi effectus sit natura, & quidditas formæ prout actuans, & informans materiam propriam, quidquid sit de vitali, entitativa, aut obedientiali inexistentia, de quo non curamus; ex quibus conceditur major primæ probationis, & ad probationem minoris distinguitur antecedens. Anima Christi est Deo grata substantialiter ratione divinæ naturæ, concedo, accidentaliter, & per modum habitus inexistentis, & informantis, nego antecedens. Duplex enim sanctitas veneratur in Anima Christi Domini correspondenter ad illud duplex esse divinum scilicet, & humanum, quo exultavit Gigas ad currendam viam; una substantialis habita per gratiam unionis Hipostaticæ, & hæc quidem nobilior est, potior, & primæ alia accidentaliter præstita à gratia sanctificationis, & hæc inferior est, & habita in animâ Christi per modum cujusdam habitus informativi, unde dupliciter etiam hæc Sanctissima Anima Deo grata extitit, & accepta, ideoque innegabile erit, quod hujusmodi effectus ortum habeant, & à natura Dei, & ab ejus gratia respectively, & pro munere utriusque. Quomodo sint hujusmodi effectus? tract. 16.

204. Sed contra: Effectus formalis primarius gratiæ habitualis à nobis assignatus,

nullo modo fuit communicatus animæ Christi Domini: Ergo alius assignabilis est. Antecedens probatur: talis effectus est subjectiva dispositio animæ ad functiones supernas; sed istud superflueret in anima Christi Domini, cum haberet sibi unitam hipostaticè naturam divinam: Ergo. Respondetur ad instantiam, quod in anima Christi Domini duplicem cognoscimus subjectivam dispositionem ad opera superna exercenda, vel duplex veluti principiam elevans, substantialiter scilicet, & accidentale; per divinam enim naturam constituitur substantialiter inesse supernaturali prædicta anima, & per gratiam sanctificantem accidentaliter, & per modum habitus, de quibus latius suo loco, tract. 16. q. 23. ubi solutio hæc clarior apparebit; cumque effectus formalis gratiæ, de quo hic, sit connaturaliter, & tanquam habitus nobilissimus animam constituere Deo gratam, & acceptam subjective, ideo in Christi Anima ejusmodi effectus præstatur, & alius in ea assignabilis non desideratur.

205. Sed adhuc instabunt, & ultimò obijciunt. Pro eodem habet Conc. Trident. in gratia hominem Deo gratum facere, ejusque amicum, ac illum assumere in adoptionem Filii Dei; sed esse hujusmodi filium adoptivum Christo Domino veluti repugnat: Ergo & alii effectus gratiæ: Ergo deveniendum erit ad hoc, ut aliter gratiam Dei constituamus, vel in Christo Domino non est concedenda. Minor probatur: Christus Dominus est filius Dei naturalis: Ergo nec est, nec esse potest adoptivus; repugnant enim: siquidem adoptio est personæ extraneæ promotio, & assumptio loco filiorum propriorum ad hereditatem alterius. Varia est de hoc DD. sententia in puncto gratiæ: conveniunt omnes, vel ferè omnes in eo quod Christus Dominus sit unice filius Dei naturalis, & nullo modo adoptivus, gratiæque solum concedunt hunc effectum adoptionis, secundario, & de lege, & ideo in tali subiecto est à gratia separabilis. Alii verò docent, quod etsi primarius effectus esset gratiæ, non adæquat tamen totam quidditatem illius, estque solum hujus inadaquatatus formalis effectus, & stat quam optime, quod for-

forma, quæ plures effectus inadaquatos præstare valeat, quosdam subiecto communicet, aliis non communicatis ratione incapacitatis subiecti; cumque Christus Dominus, quia Filius Dei naturalis est, sit incapax adoptionis divinæ, propterea hujusmodi effectus ipsi à gratia imparticipabilis est. De hoc fusius infra.

QUÆSTIO X.

Quantam vim habeat divina Gratia sanctificans? Ubi & de modo quo cum auxiliis supernis se habeat, & ea inter se.

206. **P**Lura sub hoc titulo discutienda veniunt, omnia tamen comprehendere est necessum, quæ elucidant gratiæ sanctitatis virtutem, & potentiam: Et ut ea, quæ tractanda veniunt, facilius explicentur, sensum questionis per prius aperietur. R. enim 4. dist. 1. q. 1. & 2. plura de gratia, quæ ad rem nostram non faciunt, differens, quarit in 2. q. *Quantam vim habeat divina gratia?* Et circa finem art. 2. iterum inquiritur: utrum tota vita non habentium gratiam, sit peccatum mortale? At cum de hoc ultimo aliqua pro opportunitate supra dedissemus, hic superest, ut ad primum unice animum intendamus.

207. Et in primis certa fide tenendum est, & credendum, per Dei gratiam sanctificantem non solum remitti peccata commissa, sed & esse divinum adjutorium, ut in futurum non committantur. Sic enim definitum extat cum Aug. de Conf. dist. 5. Placuit. 3. q. *Quicumque dixerit, gratiam Dei, qua justificamur, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Unde solum superest inquirere, si hæc habitualis gratia præterea valeat ut adjutorium Dei ad venialia omnia simul

non committenda? An ad in eadem gratia perseverandum finaliter? Si in virtute propriæ entitatis, vel aliis auxiliis adjunctis ab ea realiter distinctis, aut non? Ac denique quomodo auxilia ea actualia sufficientia sint, aut efficacia, se habeant, quoad esse cum eadem gratia habituali in ordine ad opera, ad quæ exitant, movent, & elevant hominem saltum, ut possit, & ut actu in vitam æternam operetur? Ista namque etsi plura sint, & veluti inconnexa appareant, tamen quia earum resolutio, & assertio unica ratione firmanda est, ideo sub uno quæsto ingeruntur à R. ibi.

208. Et per prius quam ad resolutiones Theologicas probabiles veniamus, aliqua dogmata ab Ecclesia sancita, & determinata, tum circa venialia omnia vitanda, tum in ordine ad finaliter in gratia perseverandum, tum denique de auxiliis actualibus sufficienti, & efficaci, stabilienda sunt. De primo habemus hæc in Trident. sess. 6. cap. 23. & 25. *Si quis dixerit, hominem semel justificatum: amplius peccare non posse Anathema sit.* Et in eodem 23. cap. *si quis dixerit, hominem semel justificatum posse in tota vita peccare omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quæmodum de B. Virgine tenet Ecclesia. Anathema sit.* Prætereaque in cap. 25. dicitur: *si quis in quolibet bono opere justum saltim venialiter peccare, dixerit, &c, Anathema sit.* Ex quibus credere cogimur, quod adhuc in hominibus justis in justitia sua perseverantibus, cadere potest veniale peccatum, & ad omnia simul vitanda, aliud auxilium, seu adjutorium præter gratiam sanctitatis in iis desiderari.

209. De secundò constat expressius in variis Conciliis declaratum, & definitum, Donum finalis perseverantiæ in gratia semel accepta esse specialissimum beneficium Dei, pro omnibus sufficiat textus ex Trident. eadem sess. 6. cap. 22. docens sic: *si quis dixerit, justificatum sine speciali Dei auxilio perseverare posse. Anathema sit.* Ad tertium, quod proponendum erat, ut fidei Catholicæ tenendum est; quod juxta varios textus Sacros, & Ecclesiæ determinationem, credimus dari hominibus ad rectè, & supernaliter operandum auxilia quædam actualia, jam sufficientia, quibus possint sic operari, jam efficacia, quibus actu

actu taliter operantur, quæ quidem vocat Aug. non semel auxilium quo, & sine quo. De primis extat declaratio Innocent. 10. contra Michaelem Bayum, & Janf. & novissimè Clem. 11. contra DD. Lobanienf. De secundis habemus Paulum variis in locis: ut 1. ad Corinth. 15. *abundantius omnibus laboravi, non ego solus, sed gratia Dei mecum; et: qui spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei, &c.*

210. His ita suppositis, præterea stabilendum est, quod auxilia, de quibus nunc, & quæ Dei adjutorium vocantur, sunt entia quædam realia non permanentiter infusa, sed cito, & transeunter habitata, ideòq; semper ac R. de his, & similibus entitatibus loquitur, eas, asserit, esse de genere passionis, non prout *ly passio* est quarta species qualitatis, nam hæc est proprium accidens ad corporea pertinet, sicut & patibilis qualitas; dicuntur tamen à R. præfatæ qualitates de genere passionis, in quantum scilicet per eas veluti patitur subiectum, quod afficiunt, vel in quo imprimantur: ipsæque non verè agunt, sed unicè disponunt, præparant, excitant, alliciunt, demulcent, movent, &c. transeunter tamen, in quo à habitu differunt; ideòque sunt de prima specie qualitatis, quæ dispositio denominatur.

211. Insuper supponendum est, præfatæ auxilia, & divina adjutoria aliquando infundi, & conferri hominibus in peccato mortali existentibus, ut puta, illa quæ pertinent ad initium justificationis, & ea alia, quibus eliciuntur actus fidei, & spei supernaturalis, &c. quæque in peccatoribus reperiri possunt, & de his non est præsens difficultas: si quæ verò aliqua difficultas suboriatur, infertur cum aliis enodabitur. Dantur etiam, & fortè necessario desiderantur supradicta auxilia in hominibus justis, ut progrediantur in vitam æternam, & ut eliciant opera illa superna, ad quæ tenentur, & hæc frequentius usurpantur pro communibus auxiliis de isto ordine. Ac denique ut homo justus opus per arduum agrediat, ut exponi se in occasione martyrii, vel proponere nunquam venialiter peccare, & finaliter in sanctitate perseverare; requiruntur similiter auxilia alia peculiariter superna, quæ specialiora dicuntur, quia

tanquam singulare beneficium à Deo conferuntur. De quibus, & de omnibus aliis, quæ homini iusto à Deo infundantur ad suas respectivè functiones supernas, quærimus nunc, si sint realitates, & entia à gratia habituali realiter distincta, vel fortè hujusmodi gratia vim habeat ad effectus talium auxiliorum præstandos, supposita divina ordinatione, & determinatione? De hoc aliquas dabimus conclusiones, ut ex iis clarior appareat mens R.

212. Conclusio prima: Gratia habitualis sanctificans vim habet ad præstandum effectus auxiliorum communium de ordine superiori, & divino. Hanc conclusionem sine omni assertionem teneo, & ut non improbabilem reputo, quatenus meo videri deducitur ex doctrinis R. ibi q. 2. art. 1. traditis: probarique potest: *Quamdiu quis est in gratia* (verba sunt R. ibi) *est Deo acceptus per gratiam, & quamdiu est Deo acceptus per gratiam juvat eum Deus, & salvat: Ergo pro toto tempore, quo est in gratia, si toto conatu ei innitatur, Dei adjutorio, potest salvare se à peccato* (hoc est implere omnia præcepta supernaturalia.) Major, & minor ponuntur 2. ad Corinth. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim Dominus, tempore accepto, exaudi te.* Ex quibus sic argumentamur. Auxilia ea communia ordinis supernaturalis, quibus homo movetur & habilitatur, ut possit, & ut actu adimpleat præcepta Dei superna, & sic in vitam æternam operetur, sunt Dei adjutoria, & per quæ homo justus fulcitur sic rectè supernaturaliter operatur; sed hujusmodi adjutoria habet præfatus homo justus per gratiam sanctificantem, cujus ratione fit Deo acceptus: Ergo prædicta Dei sanctificans gratia non solum est forma, qua homo justus constituitur, sed & adjutorium, quo operatur, & sine quo non posset sic operari in vitam æternam: Ergo ea sola in isto homine iusto facit, quod auxilia communia facerent, si gratia non adesset.

213. Dicerent DD. contrarii communiter, & responderent ad hoc: Quod textus Pauli, in quo videtur sistere rationem R. solum convincit, & probat, quod gratia sic facit hominem Deo acceptum, ut si illi debite innitatur, Deus eum juvet

per

per auxilia sufficientia, quibus actu adimpleat divina mandata, & in viam salutis progrediat; cæterum ad hoc ut homo debite suæ gratiæ innitatur, & eam non in vacuum recipiat, desideratur auxilium Dei excitans, & movens, qua excitatione, & motione adjutus, & elevatus, utitur liberè gratia, qua præditus est, tanquam forma, & habitu, sive natura in ordine supernaturali, elicitque opera illa, quæ cum effectu conducere valeant in vitam æternam. Unde verificatur, quod non solum gratia, quia justus est, ad hoc sufficiat, sed ulterius expectantur auxilia alia actualia, quibus cor sanctum tangatur, moveatur, excitetur, & præterea adjuvetur, ut actu applicetur ad taliter supernaturaliter operandum.

213. Sed contra; & est secunda ratio nostræ conclusionis probativa: Si gratia sanctificans, de qua Apost. loquitur, ex se non sufficeret, ut adjutorium ad sanctè operandum, non diceret, & hortaretur, quod eam in vacuum non reciperemus; sed hoc non potest dici: Ergo nec id, ex quo sequitur. Major probatur. Non diceret Paulus, quod gratiam Dei in vacuum non recipiamus, si ipsa se sola non valeret ad non esse vacuum, & inanem hominis justis sanctitatem: Ergo ea sola ad hoc sufficit, vel ea sola est taliter Dei adjutorium. Antecedens probatur: Hortatur Apost. quod per gratiam Dei faciamus, quod per Dei gratiam fieri potest, alias non factibile per gratiam hortaretur fieri per eam; sed hortatur, quod non habeamus Dei gratiam veluti otiosam: Ergo ipsa valet, ut per eam homo justus non sit vacuum, & inanis, aut otiosus in progressu operum supernorum: Ergo hæc Dei gratia stante, & omni alio secluso, habemus in sua entitate auxilia, quibus & possumus, & actu operemur in vitam æternam, si ei debite innitatur, & ad hoc ipsamet Dei gratia sufficit, cum non solum sit forma, habitus, & natura, sed, & auxilium, & adjutorium, quo eidem inniti valeamus, si velimus.

215. Terriò posset probari conclusio quadam doctrina, quam affert R. in 3. dist. 33. art. 5. §. 5. tenet enim ibi cum Arist. de prædicam. qual. quod habitus, & dispositio solum differunt per hoc, quod habitus est diuturnior, & permanentior,

dispositio verò citò mobilis, &c. Ex quibus sic formatur ratio pro nobis: Gratia sanctificans, & auxilia, de quibus nunc solum differunt præter hoc, quod illa sunt citò mobilia, illa verò permanentior, siquidem hæc est habitus, illa verò dispositiones sunt: Ergo gratia, quæ habitus est, habet vim ad præstandum effectus proprios eorum auxiliorum supernaturalium, cum non in quidditatibus, essentiis, seu insubstantiis differant, sed in citò, vel diuturne permanere. Subsumimus; sed hoc sic stante, semel quod homo sit gratia Dei per modum habitus præditus, haberet sufficientem vim ad id operandum, quod mediis talibus auxiliis transeuntibus, faceret: Ergo ista superfluerent. Sistit tota vis hujus rationis in eo quod, si Dei gratia habitualis sufficit ad adjutorium, ut cumque in supernaturalibus operibus, alia auxilia actualia ab ea entitative distincta, nullum effectum præstarent, cum munus horum contineatur in vi, & virtute gratiæ habitualis.

216. Conclusio secunda: Gratia sanctificans, supposita divina ordinatione, & omni alio secluso, habet vim sufficientem dispositivam ad omnia venialia vitanda, ad finaliter perseverandum, & ad quodlibet opus supernaturale arduum agrediendum. Videtur expressa in R. ibi quoad primum, ex quo deducitur probabilitas, quoad alia. Primòque probatur ratione ipsius R. Gratia Dei, quæ confertur homini per Baptismum, & penitentiam valet contra commitenda, sicut contra jam commissa, ut constat in *de hæreticis: ad Abolendam*; sed valet contra commissa omnia venialia adhuc, & collectivè accepta: Ergo ita valet contra venialia omnia commitenda. Major est de fide, & minor, præter quam quod constat dist. 4. cap. *Non ex quo*, patet, nam indefinitè, & universaliter dicitur, quod valet ista gratia contra omnia peccata commissa: Ergo adhuc venialia. Consequentia prima probatur: Ea ratione, qua gratia Dei valet universaliter contra peccata commissa, valet etiam contra committenda: Ergo si valet ad commissa omnia adhuc venialia, valet ut adjutorium ad committenda vitanda similiter venialia omnia. Constat antecedens ex verbis expressis in cap. *Ad Abolendam: valet, inquit,*

ad

ad commitenda sicut ad commissã: per pendite ly sicut.

217. Probatur idem antecedens, & simul firmatur conclusio: Beneficia Principis latissime sunt interpretanda, ut de Privilegiis. Cap. Quia circa, cujus ratio hæc est in Glossa 1. cum allegationibus: Nam cum Legislato nihil expetit, nec alteri præjudicet, non solum pro tempore præterito, sed etiam pro futuro intellexisse censetur; sed posse cavere per gratia omnia commitenda, sicut & commissã, Beneficiũ, est Principis alteri non præjudicans: Ergo sic universaliter est accipiendum pro commitendis, sicut pro commissis; sed ad hæc valet latissime adhuc respectu venialium: Ergo eo modo ad commitenda omnia adhuc venialia: Patet hæc consequentia: nam beneficium Principis secundum Ecclesiã definitionem extenditur ad vitanda commitenda, sicut ad delenda commissã; sed in ordine ad commissã sic latissime interpretatur, ut valeat ad omnia venialia ista Dei gratia: Ergo ea ipsa valet erga commitenda omnia venialia.

218. Tertio probatur conclusio alia ratione, quæ etiam est R. ibi: gratia Dei sanctificans est instrumentum infinitæ virtutis in vigore: Ergo ex se, & ex sua natura valet ut adiutorium ad vitanda omnia venialia simul, si ei debite innitatur. Patet antecedens. Nam est instrumentum Spiritus Sancti, cum per istum diffundatur in anima nostra: Et consequentia probatur, primo: quia instrumentum hoc, ut est infinitæ virtutis in vigore, valet universaliter, & latissime ad omnia commissã delenda; sed non est minus taliter instrumentum in ordine ad venialia vitanda: Ergo ad hæc valet ita latissime, & universaliter. Secundo probatur: Gratia Dei, quia sic instrumentum est divinæ virtutis, si pro hac hora una pars illius applicetur huic peccato vitando, valet ad illud non commitendum, & sic de alio, & alio: Ergo si tota, & totaliter applicetur, valet ad omnia omnino peccata vitanda: Patet consequentia per celebre argumentum proportionalitatis, quod ex text. Comm. 9. de anima, desumpsit R. ex Phyl. sic: Ideo tota anima est forma totius corporis, quia hæc pars oculi v. g. est pars ani-

mæ, &c. Ergo tota totius: Ergo si una pars gratiæ sufficit ad vitandum unum peccatum, tota valet ad omnia.

219. Quarto probatur conclusio quoad alia duo, quæ continet: Non minus est singulare beneficium Dei, & ejus speciale Donum finalis perseverantia in gratia, & agressio operis ardui intra eundem ordinem, quam vitare omnia venialia committenda collective; sed ad hæc valet Dei gratia sanctificans, si à Deo assumatur ut adiutorium creaturæ ad istum finem, sicut de facto fecisse tenemus cum B. V. Maria: Ergo ad illud ipsissima Dei gratia sufficit, ut Deus decrevisset taliter benefacere alicui ex hominibus: Patet hæc consequentia: Gratia Dei habitualis, & sanctificans valet ad omnia simul venialia vitanda, quia instrumentum est Spiritus Sancti, qui est fons, & origo totius benevolentia erga homines: Ergo quia taliter instrumentum est, valet, & sufficeret, ut Donum perseverantia finalis, & ut adiutorium ad opera omnia ardua, quæ assequi possent homines, si eidem debite, & toto connatu innitatur.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

220. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Contra Theologorum sensus est, & sententia textibus sacris, Conciliis, & PP. auctoritatibus fulcita, hominem justum, & idem de Angelis viatoribus in gratia conditis dici debet, ad hoc ut supernaturaliter operetur, & in viam salutis progrediatur, & gratiam suæ justificationis non amittat, præter eam, qua justus constituitur, & sanctus, ultra auxilia ea prævenientia, quibus proximè movetur, & cor ejus tangitur, ut sic operetur, alia præquirere auxilia actualiora, quibus actu exercito taliter agat, & progrediatur salutariter: Ergo gratia sanctificans vim non habet ad horum auxiliorum effectum præstandum; si quidem ideò desiderantur, quia gratia hujusmodi cum habitus sit, ea uti non possumus, quando vellimus; sed ad hoc ut sic vellimus uti præfata habituali gra-

gratia, requiritur præveniens Spiritus Sancti excitatio, & impulsus, ac elevatio exercita ipsius, ut proximè possit, & ut actu operetur: Ergo ea auxilia, quæ tales effectus præstarent, requiruntur, ut formæ quædam supernæ actuales à gratia habituali distinctæ.

221. Respondetur ad argumentum, assumptum ejus libenter concedendo, ex quo non sequitur, quod ultimò intendit convincere; ex eo enim quod talia auxilia tum prævenientia, tum concomitantia, & subsequencia desiderantur, ut homo justus possit, & actu operetur in vitam æternam, non sequitur, quod gratia, qua sanctus constituitur, non valeat præstare effectus illos, qui talibus auxiliis correspondent, ita quod præter illud munus sanctificandi, & remittendi peccata, habeat in sua virtute, vim movendi, excitandi, & cooperandi supernaturaliter, juxta præscriptum divinæ voluntatis sic præfatum hominem excitari determinantis, sicut de ea dicitur, quod ultra præfata munia assignata habeat esse principium merendi de condigno gloriam, & vitam æternam, dependenter etiam à pacto saltem implicito divini decretis & magis ad rem, in communi Theologorum sensu, clarescit doctrina ex Div. Thom. desumpta hic art. 6. ubi docet: quod hujusmodi gratia habeat munus operandi, & cooperandi habitualiter: Ergo non est, cur ei denegemus prædicta munera per modum auxiliantis actualiter: Patet hæc consequentia per aliam doctrinam satis receptam de ultima dispositione ad gratiam, de quo infra immediate.

222. Respondet contrarii; quod gratia sanctificanti solum tribui possunt connaturaliter effectus ii, qui proprii sunt gratiæ per modum habitus consideratæ; sed effectus auxiliorum actualium non sunt correspondentes divinæ gratiæ per modum habitus acceptæ: Ergo ad hoc non habet vim divina gratia. Patet major: nam Div. Thom. concedit eidem gratiæ munia operantis, & cooperantis in sensu, quo possent habitualiter accipi; nimirum, operans in quantum afficit animam eam emanans à sordibus peccatorum, & sanam constituens, & cooperans, prout est radicale principium sua ratione elevativum, & totam rationem

Tom. IV.

operandi supernaturaliter, quæ omnia sunt propria habituum: Ergo munera alia operandi, & cooperandi per modum actus, & transeunter, non est cur gratia habituali tribuantur, ut effectus illius connaturales.

223. Sed contra: Gratia habituali non modo effectus ii, qui habituales sunt, tribui possunt connaturaliter, sed alii, qui actuales sunt, & transeunter habiti, cujus ratio hæc est; prima, quia sunt de linea gratiæ gratum facientis, cujus primas partes habet habitualis sanctitas, & in qua perfectiori modo continetur effectus omnes hujusmodi gratia gratum facientis, & in istius præsentia reliquæ superfluerent. Secunda sumi potest per doctrinam satis tritam plurium Theologorum, quæ licet non sit ad nostrum sensum, non parum urgere posset contritionis, in hac ergo sententia actus contritionis, seu charitatis, qui sunt ultima dispositio ad gratiam, effectivè ab eadem gratia procedunt, non quidem, qua habitus est, sed per modum auxiliantis transeunter considerata: Ergo gratia habitualis, & sanctificans non solum præstat connaturaliter effectus habituales, & permanentes intra lineam gratiæ, sed ulterius præstare potest effectus alios ejusdem ordinis actuales, & transeuntes.

224. Secundò arguitur: Auxilia omnia actualia prævenientia sunt, aut concomitantia, sunt in linea actus secundi; sed actus hujusmodi non possunt connaturaliter provenire à gratia habituali in genere causæ formalis: Ergo si in sunt, & communicentur peccatori, sive justo, sunt quid realiter, & entitative distinctum à præfata gratia habituali. Minor constat: Nam actus illi, si vitales sunt, aut sunt à Deo animæ immediatè immisi, aut vitaliter ab eadem elicit: Ergo non sunt identice Dei gratia habitualis, nec ab eadem possunt formaliter provenire. Major verò probatur; primo: quia in sacris litteris sic expressantur nominibus, quæ actum secundum denotare videntur; ut puta motio, excitatio, impulsus, tractio, &c. Ergo sunt quid pertinens ad actum secundum. Antecedens constabit legenti tum præfata loca, tum sacrum Trident. & specialiter non semel Aug. vocantem gratiam istam delectationem

I

nem

nem victricem, vocationem, medicinalem operationem, &c. Vide R. in 1. dist. 18. & in 3. dist. 13.

225. In his enim locis expressè sentit excitationem motionem, qua Deus elevat, & movet intellectum ad sui visionem, & voluntatem ad meritum in casu possibili, quo id non faceret connaturaliter, & mediis habitibus luminis gloriae, & charitatis, non esse entitates per modum actus primi aut qualitatis, sed unicè realitatis citò transeuntes, & de linea actus secundi, prævi tamen ad actus ipsos intelligendi, & volendi; atqui hujusmodi excitationes motiones, quibus ea potentia elevarentur, & moverentur ad supernè operandum, in illa hypothesi, æquivalent his auxiliis, de quibus nunc, vel essent auxilia ipsissima, quæ præmanibus, etiam à R. non ita vocentur: Ergo ista non sunt qualitates identicæ cum Dei gratia habituali, sed actus secundi de genere actionis, aut passionis. Major magis declaratur ibi per R. dicentem: Excitationes motiones hujusmodi esse actiones Dei transeuntes ad extra de genere causa efficientis, quæque nil ab eis distinctum agant in intellectum, & voluntatem, sed per præcisam sui transeuntem informationem citò elevent, & moveant, applicentque præfatas potentias ad suas respectivè functiones, sicut dicitur de citarizante, &c. de quo latius suo loco: Ergo clare docet, & tenet motiones hujusmodi, & auxilia esse passiones quasdam de linea actus secundi, non vero de prima specie qualitatis.

226. Secundò probatur illa major: Auxilia actualia, de quibus nunc, non sunt de aliqua specie qualitatis: Ergo pertinere debent ad rationem actus secundi. Antecedens probatur: Auxilia ista, si essent de linea qualitatis, solum habitus esse possent, tuncquæ essent aliqui ex Theologabilibus, vel pertinerent ad aliquas, vel ad omnes ex virtutibus infusis; sed neutrum est: Ergo non sunt de specie aliqua qualitatis. Major patet: Nam solum relinquitur, quod possint esse dispositiones citò transeuntes; sed hæc ab habitibus solum distinguuntur per parum, aut multum durare, quod speciem variare nequit: Ergo ad speciem habitus reduci debent: Et minor probatur:

Habitus virtutum supernaturalium non infunduntur adultis, Theologicales sicut, aut infusa, nisi præviis actibus, quibus ad eos disponantur; sed hi sunt actualia auxilia: Ergo auxilia hujusmodi aliquid distinctum est, & alterius speciei ab habitibus supernis, & infusis, ad quos disponunt: Ergo non possunt esse de specie, & linea qualitatis: Ergo præcisè ad actum secundum attinere debent; siquidem, cum accidentia spiritualia sint, aliter de illis discurre non valemus.

227. Ante solutionem nobis recolendum convenit, quod quæstio, & ejus resolutio solum procedit de iis auxiliis communibus prævenientibus, quæ supponunt hominem justum, & sanctum, & ejus gratiam sanctificantem comitantur, nam de aliis, quæ frequentissime immituntur adultis peccatoribus, sufficientia sint, aut efficacia, certissimum est, à gratia illa differre realiter, & entitative, sine illaque infundi, & communicari, & de hoc statu non loquimur. De alio verò in quo homo gratia Dei præditus concipitur, dicimus, quod valet eadem gratia habitualis ad præstanda omnia ea munia, quæ præstarentur à supra dictis auxiliis: ideoque unus, & idem habitus sanctificans, & emundans animam à peccato, eam prævenit, ut non cadat iterum, eam excitat ut ulterius operetur in vitam æternam, eam movet, & adjuvat actu sic operantem pro nutu, & voluntate Dei, si homo ille eidem debite innitatur; tuncque plures subiret denominationes juxta plura hujusmodi munera, quæ respectu ejusdem, & unius realis habitus haberi possunt; admodum quo cum valde diversa sint, & multoties separabilia auxilia sufficientia, & efficacia, adhuc in eadem conspirant reali entitate, & realitate, quæ secundum diversa ipsius officia, diversas sortiatur conceptibiliares prævenientis scilicet, & consequentis, &c. Hic obiter nota, quod quandoque R. asserat ejusmodi excitationes motiones esse de linea actus secundi, non debet intelligi pro actibus illis ad quos movent, sed quatenus sunt illis concomitantæ.

228. Nunc breviter dicimus ad argumentum ex locis citatis R. Quod auxilia actualia considerari possunt, subjective, & ex parte Dei vocantis, moventis, exitan-

tis.

tis; & objective, seu terminative, ac ex parte hominis vocati, & excitati; insuper homo ille posset adhuc concipi gratia sanctificationis præditus, vel in mortali peccato constitutus; si namque auxilia hujusmodi subjective accipiantur, sunt actus secundi Spiritus Sancti virtute, quæ si ad peccatorem ordinentur, eadem actio Dei eidem immissa, &c. formaliter movet, & excitat nil præter ipsum in eodem illo producendo, cum ea sit forma informans, supernaturalis, & sufficiens ad adjuvandum, &c. de quo postea; si vero ad justum, & gratum immitatur, eum, ut pote gratia præventum, vi hujus super eminentissimæ formæ præhabitæ, prævenit, excitat, movet, applicat, & elevat operantem in vitam æternam, & in hoc eventu Dei gratia habitualis faceret quidquid in alio faceret ipsa Dei actio motio transiens ex defectu alterius formæ permanentis, & superioris.

229. Sed contra: Actio Dei movens, & excitans hominem justum, ut ulterius progrediatur in viam salutis, sic transit ad extra, ut per illam, in quantum passio est, homo justus moveatur, & excitetur: Ergo nunquam superfluerent auxilia actualia, cum semper desideretur motio illa ex parte Dei habitæ, & homini adhuc justo immissa, ipsumque informans; sed in hac formaliter consistunt quidditates omnium auxiliorum actualium: Ergo, &c. Responderetur ad replicam: quod verum est semper desiderari illam Dei motionem, & excitationem, ut notat instantia, cæterum in præsentia superioris gratiæ, qualis est habitualis, media ea talia officia præstat, & in hujus defectu per se ipsam facit idem, attamen non ita connaturaliter; tuncque illa Dei motio per modum actus secundi considerata, non ut auxilium concipi deberet, sed per modum conditionis, & applicationis, qua supposita, gratia habitualis adjuvaret, elevaret, & omnium aliorum auxiliorum munera præfaret. Hæc pauca & levia juxta nostram imbecillitatem ex mente R. conjicimus, cum de auxiliis divinæ gratiæ nil, aut parum disseruisset; et si data doctrina non placet, aliter possumus dicere ad principale argumentum; quod scilicet, in 1. dist. 18. & in 3. dist. 13. ubi de his motionibus, & excitationibus lo-

Tom. IV.

quitur, procedit; non secundum providentiam connaturalem; sed juxta Dei potentiam absolutam, in qua hypothesi omnia aliter eveniunt, &c. Tuncque non improbabiler tenendum erit, quod dedimus in hac q. conclus. 1. in 3. probatione, & in prima solutione ad secundum ad mentem R. quidquid sit de prima, aut tertia specie qualitatis: Semper enim verificaretur, quod auxilia actualia essent ejusdem speciei subalternæ cum gratia habituali; immò etiam genere supremo differant, adhuc probabiliter sustineri posset, quod in eandem conspirarent entitatem, sicut dicitur de actione, & passione.

230. Tertio arguitur contra secundam conclusionem: Certa fide tenendum est, hominem sanctum nec finaliter perseverare, nec vitare omnia venialia collectivè posse sine speciali Dei beneficio & privilegio: Ergo ad hoc non valet, nec habet vim gratia sanctificans. Antecedens constat per supra notata, & consequentia probatur: Si ad ista valeret Dei gratia sanctificans, & ad tales effectus vim haberet, semel ea posita, constitueretur homo justus potens cum finaliter perseverare, cum omnia venialia simul vitare; sed non potest, ut supra: Ergo per eam gratiam eam vim non habet.

231. Ad hoc reducuntur omnia argumenta, quæ contra istam conclusionem facere possunt; & responderi potest per distinctionem inter potentiam physicam, & moralem: Potest enim homo sanctus physica potentia ea omnia cum Dei gratia, cæterum moraliter non potest, quin ulterius aliis ulterioribus adiutoriiis promoveatur: cæterum cum hæc moralis potentia fundari debeat supra physicam, dicimus, quod in entitate gratiæ habitualis adest sufficiens, & proportionalis aptitudo, ut si Deus velet quemquam privilegiare, aut illi specialiter benefacere; & ea, & non alia forma connaturalius uteretur ad istum effectum præstandum; tuncque homo ille justus posset ratione gratiæ habitualis, & supposita divina ordinatione non solum physicè, verum & moraliter finaliter perseverare, & omnia venialia vitare, & idem dici potest de quolibet opere quantumvis arduo agrediendo. Admodum quo de merito superius di-

12

di-

dicebamus, ac de originali iustitia dedimus, & de satisfactione de condigno dicunt plures ex Theologis, quæ omnia & sic de facto non præter gratia habitualis, est tamen talis quidditatis, & naturæ, ut ea potius, quam alia Deus connaturalius utatur veluti forma ad tales effectus præstandos. Juxta hunc sensum possent solvi omnia argumenta, quæ contra conclusionem fieri possent, si quis eam sustinere vellet; sin aliter vide me tract. 16. q. 26.

QUÆSTIO XI.

Utrum gratia sanctificans realiter distinguatur à charitate? Et quodnam sit utriusque formæ subiectum?

232. **S**upponimus ut certum, Gratiā sanctificantem, & charitatem distinguere debere aliqua saltem distinctione formaliali, quatenus utraque forma dicit suam peculiarem quidditatem conceptibilem, ideoque sua quæque gaudet definitione, jure optimo à Theologis communiter recepta, & istam esse rationem dubitandi inter antiquos, & recentiores quoad earum diversas realitates; cum etenim officia, & munera utriusque realia sint, ac physica, & alias distincta conceptibilia, non quietatur humanus intellectus, donec certificetur, sint ne realitates plusquam formalitates distinctæ, aut diversæ? Ut autem hoc assequi valeat, ad fontem infallibilitatis recurrens invenit hinc inde fundamenta utrimque probantia, cæterum nullibi convenientia, cum textus facti, & Concilia, quæ de hac materia loquuntur, solum facere videntur conjecturalem probabilitatem, rationesque Theologicas in iis fundatas non esse graviter probativas. Propter quod D. quidam non ignotæ famæ ita problematicus se habuit,

in hujus difficultatis elucidatione, ut nulli sententiæ adhærendo utriusque argumenta solveret, & per hoc illarum suum ferret iudicium.

233. Non displicet modus præfatus discurrendi, cæterum quia adstricti sumus doctrinis R. juxta eas & nos sentire debemus: pertractat enim qualitatum in 2. dist. 17. ex professo, & licet quoad subiectum gratiæ, & charitatis quandam veluti amplitudinem permittat, quoad earum tamen distinctionem suam mentem expresset, & declarat, quod, & nos suo loco infra dabimus. Pro quo ulterius supponendum est, in præfati loqui de gratia & charitate, quæ de facto, & juxta ordinatam Dei potentiam hominibus iustis infunduntur, quidquid sit de alia providentia possibili, de qua non curamus. Denique supponimus hic non habere locum duas alias virtutes Theologales, nempe fides, & spes, quæ etsi simul cum gratia iustis infunduntur cum remissione peccatorum, attamen gratia iterum per peccatum amissa eæ non amittuntur, sed remanent, etsi mortificata, nisi peccatum esset ex illis, quæ immediate iisdem virtutibus opponeretur, ut infidelitas, & desperatio.

234. Circa hoc duplex versatur sententia opposita; prima tenet, gratiam sanctificantem distinguere realiter à charitate, sic quod reputari, & concipi debeant sicut duæ realitates, quarum una non sit realiter alia. Est expressa D. Thom. 1. 2. q. 111. art. 3. sequuntur Thomista. B. Egid. Albert. Argentin. Bonav. & post ipsos Suarez, & plures AA. gravissimi antiqui, & recentiores: etsi in aliquo particulari differant, quoad rem assumptam non faciunt. Secunda sententia asserit, gratiam præfaram non distinguere realiter à charitate, sed esse eandem rem, & entitatem indivisibilem; eam docuerunt subr. Doct. Durand. Alens. Richard. Gabriel. & D. R. loco supra citat. quos sequuntur non minoris notæ DD. antiqui, & recentiores, quorum fundamenta suo ordine dabuntur, nostraque mens duabus conclusionibus declarabitur.

235. Conclusio prima: Gratia, & charitas sunt unus, & idem habitus realiter, & entitativè. Est R. & eorum, qui immediate mentionati sunt: primòque pro-

probari potest, aut conjectari iis locis, qui de hoc faciunt aliquam probabilitatem, & sit primus ex illa Joan. 1. cap. 3. *videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, & simus; atqui per Dei gratiam iusti constituuntur, & denominantur filii Dei: Ergo hæc idem est ac charitas.* Insuper probatur ex illo ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, quidatus est nobis; sed hæc superna diffusio in cordibus nostris per Spiritum Sanctum facta, est gratiæ divinæ infusio, ejusdemque divini Spiritus unctio: Ergo in idem conveniunt, & in eandem realitatem coincidere videntur gratia sanctificans cum charitate.* Hoc confirmat, & declarat Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. ubi post aliqua tractando de hac supernaturali unctione, & adoptione filiorum Dei, ista habet: *Id tamen in hac impii justificatione, dum ejusdem passionis merito per Spiritum Sanctum charitas diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, &c.* De hoc expressè PP. & specialiter August. in de Natura, & Gratia cap. 42. dicens: *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia; atqui justitia, de qua hic August. est sanctitas: Ergo charitas est perfectissime animæ sanctitas, hoc est, gratia: Ergo non est alia, & alia entitas gratia, & charitas: propter quod idem August. Serm. 49. de verbis Domini prædicat. Adde charitatem, profunt omnia, detrahe, nihil profunt, &c.* Alludit ad idem D. prosp. lib. 3. de vita contemplat. cap. 13. *Charitas est mors criminum, vita virtutum, anima sanctarum mentium, in peccatis suis mortuos suscitatis; sed hæc sunt gratiæ munia: Ergo quod est proprium gratiæ, de charitate prædicatur.*

236. Secundò probatur conclusio ratione, quæ est R. loco citato: *Gratia est habitus: Ergo principium operandi: Igitur si est habitus supernaturalis, & gratum faciens, est principium operandi opera grata & accepta; sed nullus habitus secundum DD. potest hoc, nisi charitas: igitur sunt idem.* Hæc est summa totius rationis R. quæ ad formam hanc reduci potest: Ex Phyl. 1. de anima constat, habitum esse qualitatem operativam; sed si gratia habitualis, & sanctificans qualitas activa sit, & operativa, est idem realiter cum charitate: Ergo ita est. Major est certa apud omnes, & minor

probat: Si gratia habitualis, & sanctificans est habitus, & de linea operativa, confertur homini iusto ad operandum opera grata, & Deo accepta; sed habitus homini iusto collatus ad elicienda opera grata, & Deo accepta est charitas, siquidem nullum aliud genus operationis tribuendum est charitati; vel assignetur à contrariis: Ergo semel concessio, ut debet, quod gratia habitus sit, & operativus, est idem cum habitu charitatis; cum utriusque effectus, & operationes idem sint: Ergo non est caput, à quo sumi possit eorum habituum realis distinctio.

237. Huic rationi varie respondent DD. contrarii, etsi omnes in hanc unam conspirent, concedendo, videlicet, quod gratia, etsi habitus sit, & consequenter operativus, & opera ea grata, & Deo accepta, etiam sint operationes propriissimæ charitatis; cum hoc adhuc componunt, immò, & ex natura rerum exigitur, quod essent habitus ex natura rei, & realiter distincti; nam gratia est habitus operativus per modum principii radicalis, & veluti eminentis, & universalis; charitas verò est proximum, & determinatum, sive peculiare gratiæ operationis; atqui hujusmodi principia operativa in ordine supernaturali exigunt ex rei natura distinguere: Ergo realiter. Major, & minor convinci possunt, primò: per analogiam ad animam intellectivam, ejusque potentias, & sensitivas, ac intellectivas functiones. Præter quam quod probatur assumptum solutionis: Gratia sic est principium operis superni, ut sit eminentis, & universale ad omnia opera quoquomodo superna; charitas verò determinatur ad opera grata, & accepta; sed hujusmodi principia petunt non solum illum ordinem radicalis scilicet, & remoti, verum, & distinctionem inter se, & ex natura rei: Ergo sic se habent gratia, & charitas. Major patet consideranti, quod opera aliarum virtutum radicanter etiam in gratia, si eliciantur ab homine iusto. Minor etiam satis constat per distinctionem inter ea principia requisitam, siquidem principium reale, universale, & eminentis ex rei natura distinguere debet ab alio reali principio, quod non sit realiter ita eminentis, & universale.

238. Sed contra; primo sit: Principium

pium radicale, & proximum in linea operandi, non petunt distingui ex natura rei, & maximè si sint talia sub eodem ordine; sed gratia & charitas, etiam si sint tali modo principia operandi opera grata, cadunt sub eodem ordine: Ergo non modo non exigunt distingui, verum, & nec possunt. Major præter quam quod est nostra doctrina expressa signanter loquendo de anima & suis potentiis, probatur per doctrinam R. hic, & alibi traditam: Ab eadem forma habet res esse, qui est actus primus, & operari, qui est actus secundus: Ergo principium radicale operandi, & proximum non petunt distingui. Probatur hæc consequentia: unum est principium essendi, & operandi, & actus primus, & principium proximum est forma operandi, & actus secundus: Ergo in idem realiter coincidunt principium radicale, & proximum operationis, sicut forma essendi, & forma operandi.

239. Secundò instatur solutio: Ideo gratia est principium radicale, & remotum respectu operationis gratæ, quia se habet ut prima forma dans esse in ordine supernaturali, & veluti natura in eodem ordine; sed non est tali modo prima forma, & natura, ut non sit immediatè propter ipsam operationem gratam: Ergo etsi aliter forma denominetur, & natura inesse supernaturali, non ideo dicenda erit radicale principium sic operandi. Probatur minor: Gratia sic est forma, & natura, ut sit verè, & realiter habitus de prima specie qualitatis; sed huiusmodi qualitas nullius operationis potest esse radicale principium operandi, & forma essendi: Ergo. Minor probatur per naturam, & quidditatem habitus, qui unice constituitur propter operationem. Alio modo, instatur solutio, & probatur hoc assumptum: Calor sic est forma essendi calidum in igne, & prima forma in isto ordine, ut sit etiam forma operandi calida vel calefaciendi: Ergo sic est gratia forma essendi in ordine supernaturali, ut sit etiam forma taliter operandi. Probatur hæc consequentia: Calor quamvis sit prima forma essendi in ratione calidi, ideo est etiam prima forma operandi in hoc ordine, quia ex sua natura est acti-

va, & calefactiva, seu operativa caloris; atqui habitus gratiæ sic operativus est: Ergo non obstat, quod esset prima forma in linea essendi supernaturali, ut simul sit prima forma operandi in hoc ordine.

240. Nec per hoc quod gratia sit principium radicale universale, & eminens operationis supernæ, & gratæ, salvatur in ea, quod sit qualitas de specie habitus, & quod valeat simul in opera huiusmodi, & ad constituendum esse in linea supernaturali; & est ratio cogens prima: Nam habitus supernus, & infusus distinguitur ab aliis, per hoc quod isti faciunt, ille verò dat simpliciter posse in linea supernaturali, qua propter stabilitur in gradu potentæ supernæ; sed non est potentia id, quod sit tantum principium radicale operandi, alias, quælibet natura substantialis esset potentia: Ergo. Secunda: Si gratia, quia est principium radicale, & universale operationis supernæ, haberet sufficiens constitutum ad esse habitum primam speciem qualitatis, anima cum sit per vos isto modo principium radicale suorum operum, esset in hac eadem specie habitus; siquidem stante constitutivo, stat res constituta; sed hoc dici nequit: Ergo nec quod verificetur in gratia ratio habitus per hoc, quod sit principium radicale operis superni. De reliquo in solutione infra inter argumenta.

241. Conclusio secunda: Gratia, & charitas secundum id, quod dicunt de sua realitate, recipiuntur in anima iusti in suo modo essendi. Est R. ibidem, & breviter probatur: Gratia, & charitas sunt unus, & idem habitus de prima specie qualitatis, sicut unum, & idem ens sunt anima rationalis, ejusque potentæ vitales; sed unum numero accidens in unico reali subjecto recipitur: Ergo gratia & charitas, sua realitate attenda, recipiuntur in anima secundum esse physicum, & grossum, quod cum suis potentiis dicit identificatum. Major est R. hic, & dist. 37. per totam; minor verò est taliter communis, ut fere sit dogma Philosophicum, quod unum, & idem accidens reale petat pro se unum, & eidem reale subjectum.

242. Conclusio tertia: Gratia in quan-

quantum formaliter, & conceptibiliter distinguitur a charitate, recipitur in anima, ut eo modo distincta à voluntate, & in hac similiter substat gratia: Est R. expressior in loco citato: Probaturque ratione ipsius: Condicio actus est secundum conditionem potentæ; sed in anima, & voluntate, quamvis una realis entitas sit, daturalia, & alia ratio perfectibilis secundum diversas rationes formales perfectivas, quæ in gratia, & charitate concipiuntur: Ergo secundum has distinctas formalitates gratia, & charitas recipiuntur in anima, & voluntate. Minor probatur quoad secundum, nam de primò satis constat in lib. de Anima: In gratia, & charitate conceptibiles sunt & formalitates essendi, & operandi, actus primi, & secundi, & potentæ in ordine supernaturali; sed hæc sunt conceptibilitates perfectivæ aliarum formalitatum perfectibilium in anima, & voluntate: Ergo secundum istas rationes perfectivas recipiuntur gratia, & charitas in anima, & voluntate, in quibus dantur distincta respective conceptibilitates.

243. Conclusio quarta: Si anima distingueretur realiter entitative à suis potentiis, gratia & charitas, ut modo sunt una, & eadem realitas, recipiuntur in essentia anima. Deducitur resolutio ex iis, quæ habet D. R. hic circa finem distinctionis, probarique potest primò: Si anima distinguatur realiter entitative à voluntate, stante identitate inter gratiam, & charitatem, anima esset subjectum congruentius huius habitus superni, quam voluntas: Ergo in illa, non in ista recipiuntur. Antecedens probatur: Anima esset reale principium essendi, & actus primus, voluntas verò principium operandi: Ergo anima esset subjectum congruentius respectu gratiæ & charitatis. Consequentia probatur: Condicio potentæ est juxta conditionem actus; sed perfectivus actus potentæ receptivæ, in illa hypothesi, congruentius respiceret potentiam essendi, quam operandi: Ergo congruentius subjectum est anima, quam voluntas respectu gratiæ, & charitatis. Minor probatur: Perfectivus actus proprius esset conceptibilis in linea essendi, quam in linea operandi; siquidem prius est esse, quam operari, Ergo huiusmodi

actus per prius conceptibilis in gratia, & charitate congruentius respiceret tanquam proprium perfectibile animam; quæ voluntatem, casu, quo hæc distinguerentur entitative.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

244. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem ex locis sacris, quæ pro contraria opinione facere videntur, & sit primus ex illo Paul. 2. ad Cor. 13. ubi dicitur: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei*; et 1. ad Thimot. 2. *superabundavit gratia Domini nostri Jesu Christi cum fide, & dilectione, &c.* et alia adhuc modum. Insuper in Clement. 1. de summ. Trinit. distinctè numerat Concil. Vienn. Gratiam cum reliquis virtutibus infusis, & charitate, quæ omnium virtutum forma est, in cujus serie, & ordine satis clare indicatur distinctio inter gratiam, & charitatem. Consonat Trident. sess. 6. cap. 7. dicens: *Renovari hominem in justificatione per infusionem Gratia, & donorum, cumque sub his donis charitas comprehendatur, videtur, quod gratia aliter collocetur à PP. Concil. & aliter charitas; sed istud fieri nequit per solam intentionalem distinctionem: Ergo per realem, & non fictam.*

245. Ad argumentum respondetur: Quod sicut ex eo quod in sacris litteris non inferatur identitas inter gratiam, & charitatem, quatenus unius munia, & officia alteri tribuantur, sic nec licet inferre distinctionem inter eas, per hoc quod ordine quodam nominantur; ad summum enim sequitur distinctio ea intentionalis, de qua supra. Ad modum quo, quando in sacris textibus quodam ordine prioris, & posterioris mensio fit de divinis attributis, non licet eam inferre distinctionem, quæ realis sit, sed solum alia, quæ conceptibiliter ipsis adaptari potest. In locis enim Paul. adductis solum convincitur, dari gratiam, & charitatem, & hoc idem enunciant Concil. sed non quod distinctæ formæ sint ex natura rei, sicut alibi declarat, dati in Deo sapientiam, & scientiam, adhuc suo ordine servato, sed nec probatur,

tur, nec ex eo probari potest, quod sint distinctæ realiter formæ; prioritas namque assumpta erit conceptibilis, & intentionalis, non verò ea realis, quæ faceret maximam distinctionem realem. Ito fare modo intelligimus PP. & quotquot magnam faciant auctoritatem in Theologicis probationibus.

246. Secundò arguitur: Caritas se habet per modum inclinationis ad supernaturalia; sed inclinatio distingui debet à principio suo: Ergo & caritas à gratia. Major patet: Siquidem ad hoc, ut aliquis possit consequi finem, tria desiderantur: nimirum, principium proportionatum, inclinatio in talem finem, & motus ad ipsam; sed in supernaturalibus, & gratuitis sic discurrere debemus, quod per gratiam habeamus principium proportionatum ad finem supernaturalem consequendum, per charitatem inclinationem ad illum, & motum per ejus actus gratuitos, & supernos: Ergo, &c. Nunc minor principalis probatur: Alia res est natura, & alia ejus in aliquam finem inclinatio: Ergo distinguuntur. Antecedens probatur: Inclinatio alicujus naturæ se habet ut quid consequens ad illam, & tanquam ipsius passio, & proprietas, & vere & realiter; sed proprietas realis, & natura ejus est, sunt alia & alia res: Ergo sic se habent inclinatio naturæ cum natura ipsa.

247. Respondetur ad argumentum, concessa majori, negando minorem, loquendo de reali distinctione absoluta, ad cujus probationem negatur antecedens, & ad ejus probationem concessa majori, negatur minor, cujus hæc est ratio generalis: Passio, & proprietas non petunt ex rei conditione distingui absolute à natura sua, ut patet in passionibus entis, quæ verè sunt proprietates, & ab ente non sic distinguuntur: Igitur etsi inclinatio naturæ, sit ejus passio, & proprietas, non eo distingui debet realiter ab ipsa natura. Ideò namque res ita se habent, quia ejusmodi passiones, & proprietates sunt respectus quidam solum transcendentis superadditi ad eam naturam, sicut respectus ad sursum levitatis, & ad deorsum gravitatis; atqui respectus isti non faciunt aut constituunt rem aliam præter naturam, cujus sunt, cum solum ibidem ve-

rificentur in esse transcendentaliter purè: Ergo per formalem distinctionem, sive intentionalem salvatur ea distincta ratio proprietatis, inclinationis, & passionis naturam consequentis, sicut per eam consideramus in unica realitate potentiam activam, & passivam in intellectu, & voluntate, & ibidem movens, & motum, actionem, & passionem, & fare infinita exemplaria in istum modum: Ergo demus, quod caritas sit inclinatio naturæ supernæ, &c. unde ex eo sequi potest, quod sit alia res à gratia divina distincta, quæ hujus naturæ officiam gerit?

248. Tertiò arguitur: Gratia habitualis constituit hominem in esse præcisè divino, caritas verò eum elevat in ordine ad operationes Deo gratas, gratia est principium essendi, & caritas principium operandi in illo ordine; sed principium essendi, & operandi in uno ordine distingui debent re absoluta: Ergo sic distinguuntur gratia, & caritas. Minor probatur: Status essendi, & actus operandi distinguuntur re absoluta: Ergo sic distingui debent principium essendi, & operandi. Antecedens apud omnes est certissimum in creatis loquendo, & consequentia probatur: Ita se debent habere inter se principia quoad esse, sicut, & ejus actus; sed actus essendi, & operandi se habent inter se sicut duæ res absolute: Ergo, & ejus principia ita se habent. Major probatur: Principia in sua generalitate sunt propter principiata, & hæc sunt eorum actus, immò & specificantia saltem extrinseca: Ergo sic se debent inter se habere, sicut & eorum actus, & principiata. Patet totum assumptum per argumentum fortè desumptum à commutata proportionem.

249. Respondetur ad argumentum: Concedendo, gratiam esse actum primum essendi in linea supernaturali, sicut & charitatem principium operandi; nostro modo, & ex hoc inferimus, gratiam esse eandem, & unicam rem absolutam cum charitate; tum generaliter, quia principium essendi est, & principium operandi, actusque, qui sit proprius essendi est propter operati, ideòque dicimus, quod substantia qualibet creata est principium immediatum suarum operationum. Tum specialiter, & signanter

loquendo de principio essendi in linea supernaturali: hoc enim sic est principium essendi, ut sit etiam propter operationem, eo, & maxime, quia est de specie habitus, qui ex natura sua est immediate propter operationem. Nec probationes in contrarium nos urgent, sicut nec hic habet locum argumentum à commutata proportionem: Nam actus essendi, & operandi sunt diversi ordinis; hic enim effectus est efficientis, ille verò formalis: Igitur ex eo quod distinguuntur realiter inter se, non sequitur eorum principia distingui; cum valde diversa ratio sit effectus formalis, & efficientis; nam formalis petit identitatem cum suo principio; effectus verò efficientis distinctionem; per quod etiam sit satis probatione specificativis: aliter etenim, & aliter specificant sua principia; nam actus operandi extrinsece, actus verò essendi intrinsece: Ergo cum identitate in principiis stare potest, & debet realis distinctio in principiatis.

250. Quarto arguitur: Alia res est Dei gratia sanctificans, & alia caritas: Ergo realiter distinguuntur: Antecedens probatur: Gratia sanctificans non est virtus, sicut est caritas: Ergo sunt alia, & alia res. Antecedens probatur; primò: Quia si gratia esset virtus, esset una ex Theologicis; sed aliter de hoc tenet communis Theologorum sensus: Ergo: Secundò: quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, ut docet Arist. 7. Ethic; sed gratia non est talis dispositio, sicut est caritas: Ergo nec virtus. Minor probatur: Gratia constituit subjectum in esse bono, & perfecto: Ergo non est dispositio perfecti. Antecedens est certum; cum gratia hujusmodi sit prima forma se habens velut natura in ordine supernaturali; & consequentia probatur: Dispositio perfecti debet supponere perfectionem; sed gratia non supponit, sed ponit, & constituit talem perfectionem in subjecto: Ergo non potest dici, quod sit talis dispositio: Ergo nec quod sit verè, & realiter virtus.

251. Ad argumentum, quod est D. Ang. & fundamentum contrariæ sententiæ, respondetur, negando antecedens, & ad ejus primam probationem; major potest negari, immò, & sic instari: *luc. tom. IV.*

men gloria est virtus; sed non est una ex illis, quas viatores habent, pro Theologicis: Ergo. Ad quod si respondeant, quod de virtutibus viatorum loquitur, & lumen gloria non est virtus viæ, sed Patriæ; contra erit solutio nostra, quæ in ista filteret consequentia: Igitur potest dari aliqua virtus supernaturalis, ut sic loquendo, quæ non sit aliqua ex tribus Theologicis. Aliter, & fortè melius distinguitur illa major: Si gratia esset virtus, esset una ex Theologicis identice, & realiter, & quidditative; nego majorem. In entitate, & realitate gratiæ plures concipimus formalitates, quodam ordine naturæ inter se habito, sub quarum prima consideratur ut radix, & actus primus in linea, & ordine supernaturali, estque hujus lineæ essendi veluti natura, ideòque in ista acceptione non obtinet munus, aut denominationem virtutis; at quia realiter habitus est, & verè operativus, sortitur etiam aliam denominationem, quæ sit alteri posterior, & sub illa potiri potest rationem virtutis; omnes enim in eadem reali conspirant entitate propter superius dicta.

252. Sed contra: Eadem ratione posset dici, non solum quod gratia, & caritas sint eadem realitas, verum & potius lumen gloria in Patria: sed hoc est falsum: Ergo & solutio. Major patet: Nam gratia ideo est eadem realitas cum charitate, quia qualitas est natura sua operativa in ordine grato, & superno; sed non minus est operativum lumen gloria in isto ordine, & fortè perfectius, quam caritas: Ergo saltem cum hoc lumine erit idem realiter gratia sanctificans, Minor illa probatur: Si gratia esset idem cum lumine gloria in Patria, sic esset in via; siquidem eadem entitative est gratia viæ, & Patriæ; sed in via homo justus, & in gratia constitutus non est præditus eo gloria lumine: Ergo illud lumen non est idem cum gratia Patriæ, & viæ: Major, & minor sunt certæ, & satis claræ, & consequentia liquet: Nam ideo caritas viæ, & Patriæ sunt idem cum gratia, quia homo præditus gratia in quocumque statu est Deo charus, &c. Ergo si homo justus non est luminæ gloria præditus per hoc, quod

fit in Dei gratia constitutus, illud lumen non erit idem cum Dei gratia: Ergo idem dicendum erit de charitate.

252. Duo ad replicam respondere possum: Primum est, quod non habeo pro inconvenienti, quod sicut gratia, & charitas sunt eadem realitas, sic hoc amabile vinculo identitatis his ligetur & lumine gloriæ, propter motiva in argumento expressa; ad cuius rationem in contrarium, dico: quod ratione divinitati homo iustus viator non videt actualiter Deum facialiter, non quia ipsi deficiat vis elevativa sufficiens ad claram Dei visionem in gratia imbibitam, & veluti implicitam, quæ statim ac in termino constituitur, & aufertur impedimentum viatoris ortum ex hac divina lege: *non videbit me homo, & vivet*, suum effectum sortitur; non sic à Deo determinatum est circa charitatem: *Nam charitas numquam excidit, &c.* Secundum, quod respondetur, est; quod non ita discurrendum est de lumine gloriæ, sicut de charitate, quidquid sit de gradu perfectionis utriusque; nam charitas est ex sua natura operativa, suo modo, operis grati, non sic lumen gloriæ, cum solum elevet ad claram Dei visionem, & contemplationem illius summæ veritatis, & cuiusmodi operatio, etsi Deo grata sit objective resultative, non tamen est talis subjective, ideoque nec idem erit cum gratia; sicut charitas cum non sit de de linea sanctificationis, quia hanc supponit, sed de sphaera lucis spiritualis supernaturalis. Utrumque videtur mihi satis probabile. De aliis virtutibus non habemus specialem difficultatem, cum satis perspicuum sit earum operationes non esse ex natura sua gratas, sed cum peccato compatibles, & propterea non est fundamentum ad hoc, ut cum gratia identificentur, &c.

254. Quinto arguitur contra tertiam conclusionem: Gratia sanctificans debet recipi, & subjectari in voluntate; sive hæc distinguatur, sive non à natura substantiæ: Ergo non in essentia animæ. Antecedens probatur: Gratia sanctificans sub quacumque consideratione est habitus ad aliquam potentiam pertinens; sed non ad intellectum: igitur ad voluntatem. Major probatur: Habitus sub quacumque consideratione operativus est:

Ergo gratia habitus est ad aliquam potentiam pertinens, cum hæc per ordinem ad operationem constituatur. Antecedens probatur per doctrinas R. superius citati ex Arist. ubi probat ex habitu operationem: igitur ordo ad operandum, convenit habitui ex propria quidditate: Ergo sub quacumque consideratione operativus est.

255. Sexto: Charitas & gratia est idem habitus, qui ex se ordinatur ad opera grata, accepta, chara, & Deo placita; sed hæc omnia sunt propriissima voluntatis: Ergo in ista potentia recipi debet talis habitus. Major est certa, & minor probatur. Animæ operationes adhuc in statu supernaturali constitutz sunt universales, sub ea enim cadunt fidei, & spei, ac aliarum virtutum infusarum operationes: Ergo ipsa non est proprium, & peculiare subjectum gratiæ, & charitatis, sed solum voluntas, in qua reuderet habitus inclinans determinatè ad opera grata, & Deo accepta. Confirmari potest hoc assumptum per exemplum de peccato, quod equidem immediatè afficit voluntatem, eaque est potior denominabilis à peccatis: Ergo ab opposito, eamque voluntas erit subjectum peculiare gratiæ, & charitatis.

256. Ad quintum respondetur, negando antecedens, ad cuius probationem distinguitur major: Gratia sub quacumque consideratione, adæquate, & entitative accepta, est habitus, concedo; inadæquate, & formaliter concepta, nego majorè. Distinguit enim R. in hac dist. circa finem, in gratia duplicem formalitatem, vel plures inadæquatas conceptibilitates, quas ad has reducit; nimirum formæ, & habitus; asseritque, pertinere (saltem logicè) ad diversas species qualitaris, sub quarum prima perficit naturam, sub secunda vero potentiam; prima, quia est de linea essendi, & actus primi, est proprium perfectivum substantiæ animæ; secunda, quia est de linea operandi, est perfectivum potentia, prima est quasi species sive forma animæ, & dicitur gratia, secunda voluntatis, & denominetur charitas; utraque autem conspirat in eadem realitate, cum sit qualitas quædam realis entitative pertinens ad speciem habitus. Hæc sunt verba expressa R. *Pondatur, quod:*

quod essentia animæ, & voluntas sit una essentia, tamen diversa quædam secundum diversas rationes perfectibiles, vel subjectivas, & ut probatur; gratia & charitas sunt una res, & habent diversas rationes perfectivas, scilicet, per modum formæ, & habitus, qui sunt diverse species qualitaris, sequitur principalis conclusio; quod secundum diversas rationes perfectivas, est diverso modo in subjecto proportionabili, &c.

257. Per hoc habemus solutionem ad sextum: Et ideo quia gratia est conceptibilis primò, & principaliter per modum formæ, & actus primi in linea essendi supernaturali, conceptus iste universalior est, non quia per se inferat, & sit veluti principium aliarum operationum, sed in quantum est earum veluti forma, illæ etenim possunt, & de facto habentur sine gratia, & quia dicitur hanc duplicem formalitatem conceptibilem, sub una est perfectiva animæ, in eaque recipitur, & sub alia sic se habet respectu voluntatis. Ad confirmationem tenemus cum communi, quod in peccato datur a quale, & habituale quid, primum est, realitas positiva, & moralis transiens, & hæc voluntatem afficit; secundum est, macula ex eo relicta, ac permanens, & istud, quod quædam privatio est nitoris, & munditiæ, animam deformat, sicut eam informat nitor hic gratiæ, & ejus munditiæ; ac inter ista versatur ea opposito, de qua in confirmatione.

258. Ultimò arguitur contra ultimam conclusionem: Stante reali distinctione inter animam, & voluntatem; in hac potius subjectaretur gratia: Ergo non in anima. Antecedens probatur: Potentia est proprium subjectum illius accidentis, quod realiter, & entitative habitus est; sed gratia est de linea habitus in sua realitate: Ergo proprius pertineret ad voluntatem, in hypothesis præfate distinctionis. Respondetur, quod accidens illud reale, quod duplicem diceret formalitatem, secundum illam, quæ prima, & potior esset, exigeret subjectum ab eo perfectibile, siquidem hoc respondere deberet suæ perfectivitati; cumque in realitate gratiæ formalitas actus essendi, & naturæ prima, & actualior sit, secundum hanc peteret subjectum, quod actuaret, consequenterque animæ in essentia. *10m. IV.*

set, quæ primus actus est, & natura perfectibilis; ex qua intransitive perficeret voluntatem, & eam elevaret ad supernum operandum: Ut patet in eadem charitate, quæ taliter actuat, & perficit voluntatem in casu possibili, ut ex hoc veluti, intransitive ad aliud eleveretur intellectus, ut simul cum eadem voluntate unum constituerent principium meriti. Sic R. ibidem.

QUÆSTIO XII.

An, & quomodo possit quis certificari de Dei gratia, cum informante, & sanctificante?

259. **S**ub aliis terminis proponit R. istam quæstionem, etsi in idem conspirat, quærit enim in 3. dist. 30. utrum habens gratiam, possit scire, se illam habere? In cujus resolutione convenire videtur cum quibusdam antiquis Theologis, quorum doctrina semisopita jacet in præsentem tempestate, quod ut penitus vitaret N. Marasca ejus scholasticus aliud declaravit in synopsi suorum articulorum, quam in ipsis ad litteram continebatur; etsi in isto fallimur, parcite ignaviæ nostræ, ut parum in his materiis versatis. Proponit ergo R. duos articulos, in quorum primò tractat istam quæstionem cum communibus dictis, in secundo verò per speciales difficultates: Igitur resolutio primi articuli erat ad mentem R. etsi communibus dictis comprobata, relicta specialioribus probationibus pro secundo articulo, ut ibi constat: Ergo bene perpensis, quæ ibi leguntur; non est alia, & alia utriusque articuli sententia, sed una, & eadem communibus, & specialibus dictis probata, & confirmata. De hoc futius, & clarius postea.

260. Et antea supponendum est, *K 2* quod

quod certitudo, de qua hic agimus, est ea, quæ se habet ex parte intellectus, nam supponitur alia, quæ ex parte objecti se habet, & est illius immutabilitas, & conformitas inesse, sicut enuntiatur, judicatur, & eidem assentitur: illa verò, & quæ prior certitudo dicitur, in præsentiarum disquiritur, siquidem supponimus hominem certo Deo gratum, & de eo quarimus, an certificari valeat de ejus sanctitate? Est enim hæc subjectiva certitudo firma adhesio, & determinatio intellectus, fixusque assensus illius circa unum ex extremis contradictionis, cui nec possit subesse falsum, nec locum formidini relinquatur. Certitudo præfata haberi potest, & à principiis intrinsicis objectorum, & ab extrinsecis motivis veritatis illorum: unde quando principia hujusmodi dicunt inter se essentiali connexionem, generant intrinsicè certitudinem in intellectu, ea considerante, ut hæc: *Homo est animal rationale*; cum verò veritas de eorum existentia nititur in aliquo infallibili testimonio, quia hoc ipsis extrinsecè se habet, consequenter & talium certitudo ab extrinsecis principiis habetur.

261. Prima certitudo potest esse immediata, & mediata; una ea est, quæ generat habitum principiorum, alia scientiæ; illa est de per notis, ista de noscibilibus per veram illationem: Extrinsecè certitudo etiam potest niti testimonio intrinsicè, & à se infallibili, & hæc est divinæ fidei, quia in divino testimonio fundatur; insuperque fundari potest in testimonio humano, quod licet non à se, per accidens tamen subindueret rationem infallibilitatis, & ista certitudo solet fides humana denominari; tuncque verè, & proprie obtinet rationem certitudinis, quando omnibus pensatis circumstantiis circa veritatem objecti, & autoritatis æstantum, non appareat principium, seu ratio per quod falli, aut fallere possit humanum testimonium; ut hæc: *Hispanis existit*. Denique prima certitudo dicitur evidentis, & claritatis; secunda enigmati, & obscuritatis; & ista quidem si divino testimonio innitatur, diceretur methaphysica, sicut est ea, quæ sit ex principiis per se notis; si autem humano, moralis erit.

262. Hæc ergo moralis certitudo, quæ vel in probabili conjectura, vel in humano testimonio fundatur, potest dupliciter accipi, nimirum, pro ea, quæ ita firmum assensum dicat, ut omnem omnino formidinem excludat, ita quod circa veritatem proprii objecti non solum non formidet intellectus, verum nec formidare prudenter possit: ut de hac: *Roma est*. Potest etiam dari alia certitudo moralis, & talibus comitata circumstantiis, ut quamvis intellectus ita certus actu non formidet de objecto apprehenso, aut judicato propter cumulum circumstantiarum ejus existentiam comprobantium adhuc adest locus suspitioni, formidini, aut hesitationi prudenter possibili; ut de hac: *Phoenix existit*.

263. De certitudine fidei universalis, & Catholicæ, nulla est ratio dubitandi inter Theologos orthodoxos, cum omnes unanimiter teneant, nullum dari principium, testimonium, aut generalis revelatio, cujus ratione quis assentiri possit, aut debeat gratiæ sibi in existenti, tanquam per motivum proximum, immediatum, & infallibile hujusmodi assensus, quidquid sit de speciali, aut singulari revelatione alicui facta de sua sanctitate, & justitia, ut credimus de Sanctissima V. Maria, Præcursores, Apostolis, & forte aliis eximiæ puritatis viris: hi enim sine dubio tenentur credere, & certò scire possunt, se esse in gratia Dei constitutos, ea certitudine, quæ omnem formidinem excludat; & cui non possit subesse falsum, innixa tamen in illo divino, & singulari testimonio Dei dicentis, & revelantis præfatum statum suæ sanctitatis, & justitiæ. Omittimus pro nunc deliramenta Hæreticorum circa hoc, quorum mentionem relinquimus faciendam inferius suo loco.

264. Primus dicendi modus est, aliquorum, quos supresso nomine citat R. ibi, immò & non improbat, eorum sententiam, & fundamentum; tenent enim, quod existens in gratia, & charitate potest certitudinaliter scire, & cognoscere immediate, & infallibiliter actus charitatis à se elicitos, ex quo veluti per effectum certitudinaliter sciret, se esse in Dei gratia constitutum; & idem dicendum asserunt de actibus fidei infusa ab hominibus.

fideli elicitis; unde in hoc modo dicendi ea certitudo esset videntis, non verò obscuritatis; cum etsi supponatur fides ad ejusmodi notitiam claram, & infallibilem, non desideratur per se, & tanquam illius principium, sed solum præsuppositivè, & concomitanter. Secundus dicendi modus, qui tribuitur Ambrosio Catherino in opuscul. 6. de gratia; docuit neminem scire posse divina, & Catholica fide se esse justificatum, hoc est per generalem revelationem, tanquam per immediatum principium hujus infallibilitatis, bene tamen privata fide, & istam asserit, esse demonstrationem illam, quam sæpè conficimus, assumpta una præmissa de fide, adjuncta alia certa & evidenti, ad minus experimento tali, cui falsum subesse non possit. Hæc videtur fuisse mens R. ibi art. 2. terminis certè terminantibus, sed meo judicio apparentibus, quæ quomodo intelligenda sit, infra dabitur.

265. Tertius modus dicendi asserit, hominem justum, seclusa revelatione non posse methaphysicè certificari de sua justitia, bene verò moraliter, ita quod ejus assensus sit ita firmus, ut excludat omnem formidinem, ut nunc assentimur huic veritati: *Constantinopolis existit*; cæterum cum de hac formidine, specialiter apud recentiores, sit diveritas, cum quadam nimirum sit habitualis & actualis alia; sunt, qui teneant hujusmodi assensum ita firmum posse esse, ut solum actualem formidinem excludat, non verò habituales, ut de mente R. docet noster Marasca in hoc art. 2. aliis asserentibus, quod talibus signis, & circumstantiis vestiri potest veritas de existentia gratiæ in aliquibus eximiæ sanctitatis viris, ut nec formident, nec de ejus existentia formidare moraliter possint. Sic sentire videtur Vega, Sor. Ruard. cum exemplificent de existentia Romæ & Constantinopolis. Communis sententia tenet, neminem sine speciali revelatione posse methaphysicè certificari de sua sanctitate, sed unice conjectari per sui probationem se esse Dei amicum; quæ quidem conjectura eo crescere potest, ut pertingat ad quemdam gradum moralis certitudinis, infimum tamen, & cui falsum subesse possit. De hoc DD. Thom. & Bonav. D. Subr. & ferè omnes, etiam de isto gradu debilis certitudinis aliter, & aliter loquantur.

266. Ut ergo, quid nos circa hoc tenere possimus, & quod magis accedat ad communes sententias, & minus à R. mente recedat, ulterius recolenda est doctrina de potentia physica, & morali, quam supra in hoc, & in aliis tractatibus dedimus. Datur enim duplex potentia subjectiva in rebus, physica nimirum, & moralis; Physica est, quæ attenditur in re secundum suam naturam, nulla pensata circumstantia, aut conditione, quibus associari debet; ut potentia, quam damnati habent, ut salventur; homo quilibet ad nunquam adhuc venialiter peccandum, quæ rerum natura considerata, & omnibus aliis circumscriptis, dicit non repugnantiam talem ad suos respectivè actus, ut ex illorum positione nullum sequeretur contradictorium. Hæc adhuc vocatur absoluta, antecedens, & methaphysica potentia. Moralis potentia super hoc addit expeditionem, habilitationem, & concomitantiam omnium earum circumstantiarum, quibus hic, & nunc in re ponitur, & exercetur. Ab opposito etiam datur sua impotentia physica, & moralis, cujus ratione, quidquid implicat ex natura rei, methaphysicè impossibile est; non tamen id quod ex defectu alicujus circumstantiæ, aut conditionis fieri non potest, hoc enim solum moraliter impossibile erit.

267. Conclusio prima: Homo existens in gratia potest physica potentia, certitudinaliter methaphysicè scire se illam habere. Credo, quod hæc sit mens R. ibi, & ad hanc faciunt communes rationes art. 1. quas non improbat, & speciales art. 2. quas approbat, & juxta illas probatur resolutio: Potentia physica, in ordine ad aliquod objectum, live terminum pensatur panes proportionem, & commensurationem saltim Geometricam, quam inter se dicant; sed homo fidelis, & in gratia existens sic proportionatur cum existentia gratiæ; hæcque non est objectum æquivocum, & extraneum respectu ipsius intellectus: Ergo potest sic attingere suæ gratiæ existentiam, & de illa penitus certificari. Major patet: Nam hujusmodi est potentia intellectus, & voluntatis ad omne verum, & bonum proportionatum, & idèd potest physica potentia intellectus, sicut & voluntas in verum & bo.

bonum connaturalia talimodo. Minor probatur: Gratia existentia ejusque effectus sunt objectum connaturale, finitum, & non superexcedens vires intellectus hominis fidelis: Ergo non est hujus objectum æquivocum, & extraneum, sed utique proportionatum.

268. Dicerent ad hoc: Quod gratia existentia nec potentia physica naturali intellectus hominis ea predictis, nec obedientiali esse potest objectum proportionatum: Ergo nullomodo: Non naturali; quia hujus vires pertingere non possunt ad supernaturale objectum quidditative, & certò cognoscendum, ut pote eidem potentia improporionatum; non item potentia hujusmodi obedientiali; siquidem hæc, solo lumine fidei illuminata valeret pertingere ad gratia existentiam infallibiliter attingendam; atqui hoc esse non potest lectula Dei speciali revelatione, & particulari testimonio, de quo non dubitatur: Ergo non est medium, quo quis possit, adhuc physica potentia suam sanctitatem certò cognoscere. De fide, quæ divino universalis, siue generali testimonio innitatur, valde certum est, ut superius annotavimus, & nullibi legi, immo contrarium habemus per Ecclesiam declaratum, non deservire, nec posse homini fideli, fides ut de sua iustitia certificetur: Ergo de primò ad ultimum nec potentia physica naturali, nec obedientiali potest cuique proportionari objectiva notitia suæ iustitiæ, & sanctitatis.

269. Sed contra sit: Veritates omnes Theologica; & quæ ex præmissis, quarum una sit fide divina certa, & alia evidenter nota deducuntur, ita sunt proportionatum objectum hominis fidelis, ut de illis omnibus certificari possit ad minus physica potentia; sed nec per lumen naturale intellectus, nec immediatè per lumen fidei: Ergo per aliud lumen, quod nec fidei sit; & sit altius lumine naturæ: Ergo gratia existentia potest esse objectum proportionatum intellectui hominis fidelis secundum ejus physicam potentiam, ad quam valet pertingere nec ratione luminis naturalis, nec immediatè fidei divina lumine, sed per aliud lumen, forte altius non solum lumine naturali, verum, & fidei. Assumptum con-

stat expresse per R. ad litteram in 1. q. 2. prolog. ubi quaerit: *An ad habendam cognitionem supernaturalem, quæ est propria Theologi viatoris necessario requiratur aliud lumen lumine naturali?* Ibi enim art. 3. §. 2. satis clare docet; lumen quoddam supernum medians inter naturale, & fidei, cujus virtute cognoscantur illæ veritates Theologica, quæ ex una præmissa lumine fidei nota, & alia evidenti deducantur. Vide me tom. 1. q. 2. præmi: Ergo hoc eodem lumine scientiali posset certò quis cognoscere suæ sanctitatis existentiam.

270. Nunc antecedens ultimum nostræ probationis probatur: Effectus posterior, & principalis gratia sanctificantis, & per quem demonstrari possit existentia gratia ipsius, sunt actus charitatis eliciti per eandem gratiam; sed actus isti sunt objectum proportionatum respectu potentia obedientialis intellectus hominis fidelis eos elicentis: Ergo sic sunt gratia existentia, & effectus illius: Major est certa apud omnes, & minor probatur primò: Actus charitatis est nobilissimus ex iis, qui potentia nostræ obedientiali correspondent; sed ex Arist. 2. Post. text. Com. 27. *Impossibile est nos habere actus nobilissimos, & latere nos*: Ergo sicut actus eliciti nobilissimi naturales sunt proportionatum objectum physica potentia naturali, sic actus nobilissimus charitatis erit proportionatum objectum potentia physica intellectiva obedientiali. Secundò: Intellectus, & voluntas sunt potentia, quæ possunt reflectere se super suos actus ex mutuo; voluntatem velle actum intellectus, & hunc intelligere voluntatis: Ergo actus, quicumque voluntatis non est objectum improporionatum respectu intellectus, dummodo habeat lumen sufficiens ad illius attingentiam; sed hoc supponitur in homine fideli, nimirum lumen illud scientiale, de quo supra: Ergo, &c.

271. Responderent contrarii: Quod actus charitatis eliciti ab homine fideli, etiam lumini superno proportionati sint, cum tamen hoc non detur intellectui homini fideli viatori, nec de eo constet alicubi, ideo nulla est vis, seu facultas in ejus intellectu ad certò cognoscendum præfatos actus. Probant assumptum.

Non

Non lumen fidei, de quo supra, alias nec lumen illud scientiale supernum: Ergo nullum est lumen intellectui viatoris, quod certificari possit de sua charitate actuali. Probatur antecedens quoad secundum: Nulla est causa nota, aut effectus actuum charitatis, ex quo deduci possit eorum existentia: Ergo nec ipsi possunt illo scientiali lumine cognosci. Antecedens sic convincitur: Nam de effectibus satis liquet, sicut de causa, quod sit gratia, & sanctitas; sed de hoc dubitamus: igitur in eundem incidimus scopulum.

272. Sed contra: Demonstrativa cognitio haberi potest per aliquem ex quatuor generibus causarum; sed est dabilis istis modis demonstratio de existentia charitatis: Ergo ad hoc objectum scibile valeret intellectus per lumen illum supernum scientiale, de quo supra, quin incidere in scopulos solutionis. Major est certa, & minor probatur per hoc experimentum: Siquis sciret, se ritè esse confessum juxta declaratum per sacram Scripturam, sciret demonstrativè, & evidenter se esse in charitate, & actus suas attritionis factos esse jam contritionis, & charitatis; sed potest quis certò scire se esse ritè confessum, omniaque adimplevisse, quæ do hoc precepta sunt; siquidem finita sunt, & limitata, & non impossibilia sciri; alias Deus instituit Sacramentum reconciliativum, in cujus adimplerione, etiam possibile, impossibile tamen esset, scire modum, quo ritè adimplebile esset: Ergo etiam moraliter hoc non sciatur, physice tamen est possibile sciri: sed stante hac certa notitia de adimplerione eorum omnium, quæ ad fructuosam confessionem desiderantur, adjuncta fide divina de valore hujus Sacramenti, sequitur evidens cognitio de existentia charitatis: Ergo & istud haberi ab homine fideli.

273. Conclusio secunda: Homo fidelis non potest scire certò infallibiliter, & metaphysicè, se esse in gratia, & sanctitate potentia morali, unde ejusmodi certificatio, & notitia eidem esset moraliter impossibilis. Est communis inter antiquos, & recentiores, eamque tribuit R. N. Marasca hic, quamvis de hoc modo dicendi nec minimum verbum attulerat eam: & nos sequimur spectantes

propter auctoritates Scripturæ, Concilii, & SS. PP. Primoque probatur conclusio ex illo Ecclesiast. 5. *Sunt justii, atque sapientii: & tamen nescit homo verum amore, vel odio dignus sit, &c.* et quia R. sentire, vel annuere videtur sententiæ eorum, qui asserunt, textum loqui de finali perseverantia, de qua nullus certificari potest, ut constat ex contextu illius ad hæc verba: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur in hamo, & sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo.* Ideò hoc omisso, uno, vel alio loco speciosiorem utemur, & sic primus ex illo Proverb. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Et illud Eccles. 5. De propitiato peccato nullo esse sine metu.* Ac denique eorum declarat Paul. 1. ad Corinth. 9. dicens de sua conscientia: *Nihil enim mihi conscius sum?* Igitur nullus dicere certò potest, quod ita habeat cor mundum, ut purus sit à peccato, & nullomodo formidet de ejus propitiatione, & suæ animæ puritate, cum de hoc nihil sibi sit conscius, cujus secretum soli Deo reservatur, quia iudex supremus est, & Dominus; atqui hæc omnia intelligi debent moraliter loquendo, sicut cum dicitur repetitis in locis, quod nullus sit, qui ab omni omnino peccato adhuc ventali abstineri possit; siquidem de physica potestate, & juxta ea, quæ ex munere naturæ homini conveniunt, istud non posset capi, ut supra dicebamus: Ergo eo modo intelligendi sunt textus sacri, cum de impotentia intellectus humani loquantur in ordine ad suæ gratia certitudinem.

274. Secundò affertur in medium testimonium Concilii Trident. sess. 6. cap. 4. & est in hunc modum: *Quilibet dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consequutum.* Ex quibus formatur ratio: Nullus dum se ipsum, & propriam infirmitatem respicit, potest certitudine fidei, aut alia, quæ huic æquivaleat, & cui non possit subesse falsum, quæ quidem sit metaphysica, & infallibilis, scire se gratiam Dei consequutum, vel in ipsa gratia existere; sed hic loquitur, non de potentia physica intellectus

ho.

hominis fidelis, sed solum de potentia morali: Ergo hac potentia nullus potest metaphysicè certificari de sua gratia. Major videtur expressa sententia Concil. & minor probatur: Impotentia huiusmodi tribuitur à Concilio humano intellectui non absolute, & secundum naturam suam considerato, sed sub expressa circumstantia, & conditione, qua hic, & nunc respiciat, & consideret propriam infirmitatem, & indispositionem; sed potentia his circumstantiis vestita, est moralis, & non solum physica: Ergo hac potentia morali non potest homo fidelis de sua, gratia infallibiliter certificari, etsi alia physica posset, de qua supra. Major est littera Concilii, & minor satis superque constat.

275. Duo ad hæc respondent contrarii, & specialiter Chater. primum est Concil. non definisse, aut declarasse nisi super negotium Hæreticorum, de fide ea prærequisita ad justificationem, tanquam unica ipsius emergens causa, relicta Theologica disputatione de alia certitudine, quæ etsi possibilis, non tamen necessaria sit, & præcisa causa justitiæ. Secundum est: quod Concil. solum asserat, quod nullus certificari possit de sua sanctitate, & gratia, fidei certitudine, & cui non posset subesse falsum; non verò alia certitudine infallibili, qualis esset illa, quæ ex una præmissa de fide, & alia experimentaliter nota deduceretur; cuius hæc erit ratio: quod Concilium intendisset declarare, nullum adesse testimonium divinum, cui innitatur illa fidei certitudo; sed adhuc hoc stante, posset dari medium aliud, illud nimirum allatum de conjunctione unius principii particularis noticiæ cum alio certo fide universalis: Ergo Concil. non convincit intentionem conclusionis.

276. Sed contra primam solutionem instamus: Etsi Concilium ibi solum agat immediate contra illam inanem fidem Hæreticorum, quasi arguitivè, & juxta expressa illius verba legitime sequitur, quod contra aliam quamcumque certam noticiam de propria salute loquatur: Ergo nulla est solutio: Concilium differtis verbis declarat, quod nullus homo fidelis sit; qui formidare, & timere non teneatur de sua salute: Ergo nullus

est, qui quocumque modo possit de sua salute infallibiliter certificari. Hæc consequentia probatur: stante infallibili certitudine de propria salute per quodlibet medium habita, non est dabilis de hujus veritatis existentia formido illa: Ergo nec eidem inesse alia certitudo: Eo ferè modo urgetur secundum solutionis: Si enim Concilium exprimit causalem, cur, scilicet, nullus fidelium viatorum posset habere suæ justitiæ fidem, quia nimirum eidem repugnat saltim moraliter notitia hujus veritatis, cui non possit subesse falsum: Ergo non solum hac obscura notitia ei convenire nequit, verum & qualibet alia clarior, dummodo illi non posset subesse falsum; sed huiusmodi est ea scientia, de qua contrarii, & cum qua incompatibilis est formido, & timor circa salutem propriam: Ergo hæc etiam excluditur per citatum Concilium.

277. Tertiò ex PP. habemus non leve fundamentum pro nostra conclusione; ut Hieronim. supra illud Ecclesiastæ supra positum; sic enim ait: *Porro hic sensus est (loquebatur super locum datum supra) sunt justi, atque sapientes: Etiam in hoc dedi cor meum, & scire volui, quos Deus dirigeret, & quos odisset, & inveni, justorum quidem opera in manu Dei esse, & tantum utrum amentur à Deo, vel non nunc, eos scire non posse, & ambiguo fluctuare, utrum ad probationem sustineant, an ad supplicium: in futuro igitur scient, &c.* Aug. Chrysost. Bernard. & ferè omnes PP. de hac eadem incertitudine idem sentiunt, quorum auctoritates omittimus, quia unum, & certum sentium faciunt. Sufficit nunc Bernard. sententia in Serm. prim. septuag. *Quis potest dicere ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam? Ecce loquitur expressè de incertitudine electionis ad gloriam; & prosequitur: Ego de numero filiorum. Quis hoc (inquam) dicere potest? Hic denique procedit de nostræ justitiæ notitia, & sanctitatis, quasi filii Dei nominamur, & sumus, & etiam in certa notitia: Ergo hoc in PP. nullus est ambigendi locus.*

278. Quartò probatur conclusio ratione: Certitudo metaphysica habetur vel ex principiis revelatis, vel ex per se notis, non solum in se, sed in respectu ad intellectum; atqui moraliter pensata imbecillitate humani intellectus, etsi in se

pos-

possint esse nota principia suæ gratiæ, & propriæ sanctitatis, non se habent taliter noscibilia in ordine ad justum ipsum: Ergo nec potest, moraliter loquendo, eo infallibilitatis modo de sua gratia, & sanctitate certificari. Major est certa, & minor probatur: Principia particularia propriæ sanctitatis, vel sunt extra, vel intra Sacramenta habita; sed circumstantiæ, quæ necessario prærequiruntur ejusmodi principia, quibus quis justificari potest, etsi in se sint noscibilia, comparata tamen ad proprium intellectum sunt valde remota & variis implicata hæsitacionibus, suspicionibus, & anxietatibus: Ergo respectu illius intellectus non sunt per se, moraliter loquendo, noscibilia. Minor probatur specialiter de Sacramentis Baptismi, & Pænitiæ, ubi concurrant est necessarium non solum actus proprii hominis baptizati, & pænitentis, verum ipsius ministerii; sed horum actuum certa notitia, & eorum per se noscibilitas satis remota est à nostro capite; & idem dicendum venit de actibus, quibus extra Sacramentum possumus justificari: Ergo talia principia quoad nos non sunt per se moraliter noscibilia. Minor præter quam quod patet experientia ipsa, satis convincitur per hoc, quod actus illi petunt elici, ut oportet, ut finem gratiæ obtineant, sed nullus moraliter scire potest, num eos elicerit sic? Ergo nec quoad causam sunt taliter noscibilia. Assumptum concluditur per experientiam, quam quis in se habet de his actibus, & multitudine circumstantiarum, quas secum affert *ly sicut oportet Conc.*

279. Conclusio tertia: Potest quis morali potentia, ita conjectari propriæ gratiæ existentiam, ut taliter de illa moraliter certificetur, quod etsi non habitualem, actualem tamen formidinem excludat. Hæc assumitur in reverentiam N. Marasc. & quamvis expressa non sit R. D. utemur tamen ratione ipsius, quæ deducenda erit per locum speciosum ex illo I. Joann. 3. ait enim: *Nos scimus, quoniam translatus sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, &c.* Ecce nunc ratio R. hic art. 2. Qui sciret certitudinaliter se diligere fratres propter Christum, sciret se esse constitutum in gratia, & charitates sed potest moraliter quis scire se diligere

Tom. IV.

fratres propter Christum: Ergo scire potest, se esse in charitate, & gratia. Major est Joann. ibidem, & minor probatur: Qui diligeret inimicum propter Christum, sciret, se diligere fratres sic; sed illud potest quis scire: Ergo: Minorem probat R. Quia inimicos naturaliter diligere non possumus, nisi propter Christum; sed potest quis scire se diligere inimicos: Ergo sciret eos diligere propter Christum. Exemplificat probationis assumptum per Aug. 2. de Trinit. cap. 2. ubi dicit: *Quod habens fidem videt, hoc est (ut ait R.) scit se illam habere: Ergo non minori difficultate habens inimicorum amorem videt, se illum habere propter Christum; cum hic amor aliter haberi nequeat.*

280. Aliter potest probari conclusio in hunc modum: Potentia morali est ea, quæ prudenter judicatur inesse alicui subiecto, pensatis omnibus circumstantiis; quibus consequitur suum actum secundum; sicut & moralis certitudo de aliquo objecto per exclusionem actualis formidinis habita est, quæ talibus humanis testimoniis fulcitur, & iis conjecturis stabilitur, ut non sinat alio intellectus diltrahis ideòque etsi possit, actu tamen non formidet de veritate considerata, & de existentia illius objecti, quod actu respicit; sed hoc stante, potest quis, prudenter loquendo talibus Spiritus Sancti donis imbutus, ita in spei virtute immerfus existere, & divina miseratione vestiri, &c. ut actu non consideret, nisi statum familiaritatis, & amicitie Dei: Ergo tunc ita sciret, se esse in statu filiorum, ut actu de ista veritate non formidet. Huc accedit illud Ambrosii lib. 5. de Sacram. Serm. 5. *Quisquis fermento Christi adhererit, efficiunt, & ipse fermentum, de sua certus salute, & de aliorum acquisitione.*



L

PRO-

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

281. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Per textus sacros, in quibus legitur, quod existentia gratiæ sit arcanum soli Deo reservatum, nec quisquam scire potest Consilium Dei de tua sanctitate, plures enim adduci possent in medium, sed quia omnes eundem ferè sentum faciunt, unum, aut alterum dabimus; & primus sit ex illo Eccle. *Et ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserabitur.* Ubi satis clarè innuit sapiens, quam longè sit à nostro captu notitia de statu nostræ salutis. Secundus sumitur ex 1. Corint. 9. ubi Apost. de se, & sua iustitia loquens, ait: *Nil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem iudicat me Dominus est:* Ergo solus Dominus iudicare potest, dicere, aut enuntiare de cuiusquam iustitia, & sanctitate: Ergo nullus est, qui possit propriam iustitiam discernere: Ergo nulla est in homine fidelis potentia, quæ sufficiat ad hoc: Ergo nec physica suppetit, aut antecedens. Probatur hæc ultima consequentia: Hæc potentia versari debet circa objectum possibile; sed notitia certissima de propria salute est sic objectum impossibile in phrasi scripturarum, ut ex textibus constat: Ergo.

282. Facilem habemus solutionem ad argumentum ex autoritatibus per distinctionem impotentia physica, & moralis: de hac enim secunda impotentia intelligi debent, cum regulariter de hac eadem procedatur in sacris litteris, ut legenti Scripturas constabit, pro nunc sufficiat ista ratio, quæ solutionem convincat: nam textus cum de potentia, aut impotentia loquantur de ea intelligi debent, quæ attentis, & pensatis omnibus circumstantiis possit aut non in suum actum, terminum, vel objectum, sed huiusmodi potentia sive impotentia sic concepta non physice, sed moraliter accipitur: igitur de hac procedunt textus allati. Nec est cur immoremur in assumpti probationes; siquidem modus loquendi scriptoris sacri

non debet attendi panes physicas rerum quidditates, maximè si de potentia, aut impotentia sit sermo: Ergo intelligi debent de iis prout in ordine ad suos actus expeditis, vel, è contra; sed hic sensus est moralis potentia, aut impotentia, ut superius dicebamus: Ergo quilibet sicut moraliter est impotens, ut dicere possit, quod magna Domini miseratio peccatorum suorum miserebitur, sic nec iudicare potest, sit ne à Deo justificatus, acceptus, vel remissus.

283. Secundò arguitur per auctoritatem Trident. sess. 6. cap. 9. supra citatum ubi differtis verbis declarat Concil. quod *nullus scire valeat certitudine fidei, cui non possit subesse fallam, se gratiam Dei esse consequutum;* sed hic impotentia ad talem notitiam & physice, & moraliter accipi debet: Ergo attentis verbis sac. Concil. nulla est potentia adhuc physica in homine fidelis ad suam iustitiam certò cognoscendam. Minor probatur: Ita debet accipi textus Concil. hic, sicut in eadem sess. Canone 23. asserit, *nominem quantumvis iustum posse vitare omnia collectivè venialia sine speciali privilegio, qualiter concessum fuisset B. V. Mariæ tenet Ecclesia;* sed impotentia hæc asserita à Concil. ad vitanda omnia venialia sine speciali privilegio physica est: Ergo & alia ad certam notitiam propriæ sanctitatis sine speciali revelatione: Minor probatur: Impotentia ea est sicut potentia ad oppositum supposito privilegio, aut revelatione; sed istis possitis non modo moraliter, verum & physice posset iustus & omnia venialia vitare, & certus esse de sua iustitia: Ergo istis privilegiis ablati nulla residua esset potentia ad istos effectus adhuc physica, & realis.

284. Argumentum parum nos premit, cum apud nos utrobique eadem sit sententia; dedimus namque superius, quod nullus hominum posset morali potentia omnia venialia vitare sine speciali privilegio, quin hoc officiret suæ physicae potestati ad idem, orta tamen ex munere propriæ libertatis Dei gratia adjunctæ, & eodem ferè jure dicimus nunc, quod per eandem physicam potentiam valeat certificari de propria sanctitate, quatenus hæc non sit objectum æquivocum, & extraneum illis; at quia suæ imbecillitati plurima obsunt impediencia, ad istam certitudinem;

titudinem; idè sine speciali revelatione neutriquam moraliter posset de eadem iustitia certus fieri. Posito enim quod in utroque casu adsit Dei speciale privilegium, illa potentia veluti antecedens, quæ solè physice talis erat, redditur etiam moraliter potens consequenter ad præfatas respectivè functiones: Unde illo ablato privilegio solum deficeret quoad posse morale, remanente physica, & reali potestate ad utrumque, & sic falsum est, quod impotentia ea sit ejusdem rationis cum potentia ad oppositum, supposito privilegio: nam prima est solum moralis, secunda verò esset moralis, simul & physica.

285. Tertiò arguitur: Homo iustus sine speciali revelatione per nullam potentiam potest de sua gratia infallibiliter certus fieri: Ergo nulla potentia valet ad præfatum notitiam: Probatur antecedens: Homini iusto sic est impossibilis hæc certitudo, ut numquam, nec rarissime possit conjungere actum huiusmodi certitudinis cum illa potentia; sed quando actus est inconjungibilis cum potentia, hæc est adeo impossibilis, cum potentia sit propter actum: Ergo impossibilis est potentia physica adhuc ad eam certitudinem; nam certitudo hæc est impossibilis, aut infallibiliter non evenit: Argumentum videtur desumptum ex iis, quæ fieri solent contra gratiæ Thomisticam efficaciam, cum hæc etenim inconjungibilis est actus dissensus, & adhuc in voluntate præmotâ remanet potentia physica; & antecedens ad illum: Igitur cum physica potentia intellectus hominis fidelis ad certam notitiam suæ salutis componi potest certa & perpetua privatio huius actus certitudinalis; nam potentia ea, quæ non reducitur ad actum, si aliàs reducibilis esset, non diceretur frustranea: sed præcisis circumstantiis iis, quibus & objectum, & intellectus hominis fidelis præpediuntur, potentia ea physica ad istam notitiam esset ad suum actum reducibilis: Ergo idem dici posset sua servata proportione de hac potentia, ac de alia voluntatis.

286. Aliter fieri potest hoc argumentum: Potentia ejus actus simpliciter impossibilis est, etiam & ipsa impossibilis erit simpliciter, & in omni linea; sed certitudo propriæ iustitiæ est simpliciter

impossibilis homini fideli seclusa revelatione: Ergo & potentia adhuc physica erit eidem impossibilis in ordine ad talem certitudinem: Minor probatur: Actus ille simpliciter impossibilis est, ex cuius positione sequitur contradictio; sed ex positione huius actus, nimirum: *Certus sum de mea iustitia;* sequitur contradictio: Ergo absolutè, & simpliciter est impossibilis talis actus. Minor probatur: ex positione illius infallibilis certitudinis sequitur, quod quis de sua salutè non formidet, immò nec formidare possit; sed ex hoc sequitur quod verba Concil. essent, & non infallibilis veritatis, quod maxima contradictio esset: Essent namque, ut supponunt omnes, & non essent, quia in isto casu deficerent ab ea asserta veritate: quod scilicet nullus de sua salute ita certus sit: Ergo de primo ad ultimum simpliciter impossibilis est ea certitudo; & ideo nec datur in fideli homine potentia adhuc physica ad eam certam, & infallibilem notitiam.

287. Respondetur ad hoc, concessa majori, & distinguendo minorem: Certitudo propriæ iustitiæ est simpliciter, & in determinata linea, impossibilis, concedo; est simpliciter, & in omni linea impossibilis, nego minorem: Solutio patet ex ipsis verbis argumenti: si enim certitudo propriæ sanctitatis non est impossibilis homini iusto supposita divina speciali revelatione, sequitur, quod absolutè, & simpliciter non sit impossibilis eidem; cum talis revelatio specialis nec potentia tribuat facultatem, aut virtutem, nec objecto præster proportionem, sed solum veluti illuminet, & approximet illud: Ergo præcisa ea revelatione remanet in potentia potentia physica ad talem certam notitiam, & solum moraliter impotens redditur, ea impotentia, quæ in linea morali simpliciter talis sit in sua linea. Pro quo supponi est necessum, quod datur in linea morali impotentia secundum quid, & simpliciter; illa solum quandam difficultatem ad operandum dicit, ut in senè generativitas; alia addit talium circumstantiarum cumulum impediendum operationem, ut nullatenus vinci possit, si ea circumstantia non vincantur, ut est ea eadem generativitas in puero. In nostro casu, si

non superat, tum imbecillitas humani intellectus, tum lex divina de occultanda cuique propria iustitia, ne utique quis de ea certificari valeret.

288. Quarto arguitur: Ideo quis potest physica potentia de sua gratia certificari, quia huius existentia est objectum eidem homini iusto proportionatum; sed hoc non sufficit: Ergo. Probo minorem: Actus liberi, & cordium secreta sunt objectum proportionatum alieno intellectui, Angelico saltem, sed hic non valet physice ad eorum certam notitiam: Ergo ad hanc non sufficit objectum esse proportionatum. Major patet: quia tales actus sunt entia naturalia, finita, & limitata. Minor est nostra doctrina, & consequentia sequitur: Nam si proportio sufficit, ut ex littera R. supra dedimus, cur non valeret in Angelis ad cordium secreta penetranda; et si hic non sufficit, quare convincit in ordine ad propriam iustitiam certo cognoscendam?

289. Primum ad argumentum respondere possumus, quod eadem utrobique est sententia: Sicut enim homo iustus potest certificari de sua sanctitate supposita speciali revelatione divina, sic Angelus attingeret eodem modo aliorum secreta cordium, si eidem manifestantur; atqui propter primum dicimus, quod homini illo iusto in se potentia physica ad propriam sanctitatem certo cognoscendam: Ergo idem dicendum venit de Angelis respectivè; & solum eisdem danegandum esse potentiam simpliciter in linea morali ad horum secretorum cognitionem. Secundò responderetur: quod secreta cordium solum arithmetice, & entitative sunt proportionata alieno intellectui Angelico, geometricè verò distantia, & æquivoca objecta, quia libera entia sunt, & adhuc sub dominio, & quasi carcere propriæ voluntatis; non sic se habet propria gratia respectu iusti, ideoque non est æquale argumentum: Prima solutio est firmior, cum idem dicamus de potentia nostri in ordine ad cognoscenda secreta cordium.

290. Quintò arguitur contra secundam conclusionem per textus expressos sacre pagine, ubi non obscure dicitur, quod quis potest infallibili scientia, & notitia de sua iustitia certificari; & quia

ea loca, quæ pro se adducit Ambrosius, Chastier, Vega & alii, qui sunt huius, & sententiæ, facili negotio solvi possunt; vel iis intellectis de physica, & reali potentia, quæ intellectui fideli in se ad eam notitiam; vel non de metaphysica certitudine, sed solum de morali in bene fundata notitia innitatur, cuius ratione, et si eidem possit subesse falsum, ac habitualement formidinem non excludat, utique pellat actualem formidinem, ut nos 3. Conclus. huius q. dicebamus, ideo hoc genere argumentationis ab autoritate desumpto pro nunc omisso:

291. Alia via proponitur mens contrariorum; primò: Potest quis certificari de alienæ gratiæ existentia: Ergo & de propria: Consequentia patet: Nam gratia propria non est alterius, aut superioris ordinis, quam aliena: Ergo si hæc potest infallibiliter sciri, sic & illa. Primum antecedens probatur, & specialiter in parvuli Baptismo: Potest quis certus fieri tum de sua intentione, tum de validitate materiæ, proximæ & remotæ; sed his stantibus staret Baptismus parvuli ritè susceptum, & gratia illi collata: Ergo de hac posset infallibiliter minister Baptismi præfati certificari. Major est evidenter nota, & minor de fide, unde de consequentia non est ambigendi locus. Secundò: Fidelis, qui fide divina assentitur mysteriis revelatis, quia Deus dicit; non solum ea mysteria credit, sed & certò tenet, ea credere, alias in fide hæsitaret; cum dubitaret, num fidem divinam haberet? Et propter hoc à fide ipsa deficeret: Ergo infallibiliter scit, se habere fidem; atqui non minoris arcani est divina fides, quam charitas: Ergo si aliquis potest ita certò scire, se habere fidem, eadem certitudine posset scire se habere charitatem, & in gratia existeret.

292. Tertio: Præter fidei infallibilem certitudinem est alia dabilis, quæ apud paucos dici solet privata fidei notitia, & apud fere omnes, utraq; Theologica; sed hæc certitudine potest aliquis de sua gratia certiorari: Ergo infallibiliter metaphysicè, qualis est veritas Theologicæ conclusionis. Minor probatur; stantibus universali præmissa de lege Dei circa collationem gratiæ per Sacramenta ritè suscepta, & alia particulari per experimentum cer-

cer-

certissimum de positione eorum, quæ hic & nunc faciunt Sacramentum validum, & fructuosum, ex iis Theologicæ deducètur particularis conclusio de existentia gratiæ in eo, qui sic Sacramentum in se perfecerat; sed hoc est adeò regulare, & commune; nimirum, quod fidelis, qui verè attritus, aut contritus accederet ad tribunal penitentia in se sine ulla hæsitatione animi experiat, & explevisse sentiat ea omnia, quæ ad illud de necessitate requiruntur: Ergo tunc certificaretur de sua infusa gratia, & remissione peccatorum. Patet assumptum: Quia ex opposita veritate viderentur nimis duræ de hoc providentiæ Dei, cum ita nobis claret nostræ salutis remedia. Quarto: poterat fieri argumentum à pari per notitiam eam certam quam habemus de existentia Christi sub his determinatè speciebus, quæ non fidei, sed alterius ordinis certa notitia est, habita tamen ex principiis universalibus fidei, adjuncto speciali, & quasi per se noto experimento: Ergo idem dici potest de gratia. Hæc consequentia constat per R. ibi art. 2. ubi æquè sentiendum asserit de veritate presentia Christi sub speciebus; ac de existentia gratiæ; & de eius notitia attenda lege communi.

293. Respondetur ad argumentum per communes doctrinas, & ad primam probationem illius dicendum, quod hæc asserta difficultas locum habet respectu propriæ cuiusque gratiæ; nam de hac sunt textus pro utraque parte, ideoque gratis admisso, quod quis possit certificari de alterius, ex eo non sequitur, quod idem sentiat de sua, non quia hoc proveniat ex altiori objecto, vel ex rerum natura, sed unice ex ratione cælestis arcani, quod per divinam legem ita nostram salutem constituere decreverat. Ad secundum huius argumenti dicemus infra, cum de fide requisita ad justificationem tractemus, sufficiat pro nunc dicere, quod alia est ratio fidei, & alia charitatis; hæc namque alia comitantia petit difficiliora, quam illa, ideoque, & sicut de illis numquam deesset formido, & ita nec adesset scientia. Unde ad tertium dicendum, quod moraliter loquendo, nullam huiusmodi potest quis de sua sanctitate conficere demonstrationem; siquidem minor illa præmissa particularis de impletionem hic

adhibita pro iis, quæ per se requiruntur ad veritatem Sacramenti penitentia non potest esse adeo certa, nec per se nota, nec alia aliqua infallibili veritate experimentalis; desiderantur ergo ad illius existentiam actus proprius doloris, & alii, ut à Concilio Tridentino exprimentur; sed valde nobis latet motivum doloris, & affectus penitentia veræ, ac summa illa detestatio peccatorum, &c. Ergo. Quis non considerat nostram imbecillitatem, amoris proprii extollentiam, & alia huiusmodi, quæ valde retardant circa hoc captum nostrum? Nec ex tali constitutione sequitur, quod divina providentia aliquam pateretur notam; nam negotium nostræ salutis voluit Deus nostris conatibus subjici, simul & suæ Gratia; & ut hic magis vivaces fierent media, quibus ea assequenda esset, sub caligine perpetua formidinis voluit veluti occulta manere, ut quo magis, ac magis hæc in nobis experiri cōnemur, eo magis ac magis in bona dispositione crescamus. Ad ultimum argumenti duo dici possunt; primum, quod alia est ratio Sacramenti Eucharistia, & alia penitentia, plura enim hoc prærequirit, ex parte nostra, & captu difficiliora, ut de se patet. Secundum: quod æqua est utrobique difficultas; nam sicut ad penitentiam plures actus expectantur, sic & ad Eucharistiam; ut puta, intentiones ministrorum, tum consecrantis hostiam, tum & alterius hunc præbiterum instituentis; & ulterius eorum, qui utriusque Baptismus contulissent, &c. quæ multitudo ita hic formidinem parit, sicut ibi: Ergo nullibi infallibilem certitudinem permittit.

294. Sextò arguitur contra ultimam conclusionem per illud Eccl. 5. *De proprio peccato noli esse sine metu; neque adjicias peccatum supra peccatum, &c.* Cui consonare videtur alius locus ex novo testamento ad Eph. 6. dicens: *Cum timore, & tremore vestram salutem operamini.* Ex quibus sic conficitur argumentum: Certitudo taliter conjecturalis; & quæ formidinem actualem excludat, pellit etiam timorem, & tremorem; sed alienum est à divina veritate agere negotium gratiæ sine timore & tremore: Ergo & sine actuali formidine. Ad hoc faciunt exempla SS. ut S. Hieronim. & specialiter N. Hilarionis, cum enim hic ad extremum vitæ pertingeret, sic

sic exclamasse legitur: *Egredere anima mea, quid times? Egredere, quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Domino, & mortu timens? Ergo nullus quantumvis justus potest sic de sua salute securus incedere, ut contra illam nullam formidinem habeat. Ratio sumitur ex nostræ libertatis inconstantia, Dei supremo dominio in suam gratiam, ac denique propter mala undique animæ humanæ imminencia; sed hæc omnia simul sumpta, & concepta pariunt in eximie sanctis perpetuam de suæ gratiæ formidinem: Ergo hæc manet actualis magis in magis sanctis.*

295. Respondetur ad argumentum, & prius stabile convenit, quid sit dubitatio, hæsitatio, formido, timor, metus, & tremor: Dubitatio enim, & hæsitatio in idem conveniunt, suntque indeterminatio quædam circa aliquod ex extremis inter quæ versatur, & sic qui taliter dubitat, quasi hærens suspendit iudicium. Formido alio tendit; nimirum assensum, & determinationem supponit, sed non fixum, & immobilem; metus verò, timor, & tremor hanc formidinem sequuntur, ut illius sequela, quatenus scilicet, voluntas non ita fortiter movet intellectum, ut malum salutatis sibi imminens non fugiat: sed quidquid de vocibus sit, dicimus: quod in illo Eccl. & in alia novi testamenti sic hortamur, immo & præcipitur in nostræ salutis promotione, & peccatorum venia, ac remissione, ut nunquam sine metu reincidentiæ nobis possibilis, & veluti imminens vivamus, & sic post casum resurgamus, & videamus, ne iterum cadamus. Cum quo metu, & tremore secundi casus adhuc componi potest certitudo quædam moralis, quæ de salute perpetrata, & conservata nullam relinquit formidinem, etsi in posterum lapsus prudenter timeatur. Sic fecerunt sancti, & maxime, qui magis cognoverunt de nostræ libertatis imbecillitate, ac de inimici insidiis, &c. Aliter discurremus de timore Hilarionis, cum hic non de actuali sua justitia, sed finali in ea perseverantia timeret; de hac enim, sicut nec de æternali prædestinatione nulla superat nobis nisi levissima conjectura; cum soli Deo sit hoc reservatum secre-

tum.

QUÆSTIO XIII.

Utrum ad gratiæ sanctificantis infusionem per se infundantur virtutes morales?

296. **I**nsertur hoc loco præfata difficultas, quamvis alias de ea, cum de virtutibus tractaturi simus, quatenus facit non parum ad gratiæ sanctificantis, de qua nunc agimus plenioris notitiæ. Plura enim inquirenda huc veniunt; num dentur tales virtutes per se infusæ? Et quænam illæ sint? Et an cum gratiâ ita connectantur, ut ad hujus infusionem, & ipsæ infundantur? Pro quibus resolvendis, quæ circa hoc fide tenenda sint, & quæ ut certa communiter apud Theologos habeantur, prælibabimus.

297. Et in primis fidem divinam tenendum supponimus dari in hominibus virtutes quasdam, in generali tamen, & lata, vel stricta acceptione virtutis abstracta ab ordine, prædicamento, & statu. Sic legitur in pluribus utriusque testamenti locis, unum vel alium dabitur; ut sap. 8. *Sobrietatem enim, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem;* ibidemque circa finem: *Et ut scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientia, scire, cujus esset hoc donum:* et ad Galat. 3. *Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis. Ac insuper ad Coloss. 1. Non cessamus orare pro vobis, ut ambuletis dignè: in omni virtute confortati, secundum potentiam claritatis ejus:* Et aliaquam plurima ad hunc modum. Ex quibus liquido constat virtutes aliquas inesse hominibus; quænam illæ sint, cujus prædicamenti, aut in quo ordine sit? Nobis non revelatur ibi, præter ea, quæ de hoc in sacris Conciliis declarata habemus.

298. In Trident. ergo, quod præcedentium aliorum dogmata veluti compilavit,

lavit, in sess. 5, & 6, solum declaratum habemus gratiæ sanctificantis, aliorumque donorum infusionem, ac in sess. 6. cap. 7. legitur: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia infusa simul accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur fides, spes, & charitas;* de quibus nil amplius hic, aut alibi expresse constat: Unde solum tenemur credere, nobis gratiam infundi, aliaque simul dona, ac insuper, fidem, spem, & charitatem; Num tria hæc sint aliud quid à donis præfatis diversum, necne? Non declaratur: An verò sint habitus, aut actus, vel ad certum prædicamentum, sive ad speciem strictam virtutis spectantes? Similiter non exprimitur: Istæ denique, quæ cum gratiâ nobis infusa sunt, per peccatum lethale amittuntur, exceptis fide, & spe, nisi peccatum præfatum eisdem donis opponatur. Vide me tract. hoc q. 7. ubi quid apud Theologos communiter sentiat de eo, quantum sufficit, declaratur.

299. Prætereaque ut expeditiâ intentum a teamus, scire est necessum, quid sit virtus in sua propria acceptione? Varias de ea habemus definitiones, & meo videri, omnes in unum coire videntur, de illisque omnibus mentionem faciunt PP. ex Arist. 1. & 7. Ethicorum. De ipsa R. in 3. distinct. 34. art. 1. asserit ex Ambros. à Magist. citato: *Quod habentem perficit, & opus ejus bonum reddit: Insuper dist. 35. ex Arist. ibi docet: Quod sit dispositio perfecti ad optimum.* Alii dicunt, virtutem esse animi habitum naturæ modo, atque rationi consentaneum; ita Aug. lib. 83. qq. q. 31. ipsique Aug. tribuit D. Thom. 12. aliam virtutis definitionem, nimirum: *Quod sit bona qualitas mentis, quæ rectè vivitur, & qua nullus male utitur, &c.* Præfata namque descriptiones, aut definitiones virtutis in hoc unum supra insinuatam absque dubio conveniunt, & in eo conspirare videntur: *Quod scilicet sit perfectio habentis, & dispositio illius ad optimum.*

300. Diximus supra, quod juxta varios textus sacros dantur virtutes quædam, quibus sit addatur Trident. declaratio sess. citatis, inter eas primatum tenere debent fides, spes, & charitas, quæ quidem ab eodem Concil. nomine vir-

tutum decorantur; cæterum adhuc non est adeo certum ea fidei certitudine, quod sint tales virtutes in sensu stricto, & rigoroso, & consequenter nec extat determinatum, ad quodnam ex prædicamentis attineant: nam inter Theologos, & Philosophos adhuc in dubium versatur; num virtus sit de prædicamento ad aliquid? Num de qualitate? An habitus? Sit ne dispositio, sive actus secundus, vel de genere passionis? Ex quibus hanc deducimus conclusionem; Ergo etsi de fide sit, in nobis dari quasdam virtutes, & has supernaturales esse, ut puta fides, spes, & charitas, non est ita certum, esse strictas virtutes, nec ad quod ex prædicamenti determinatè pertineant.

301. Insuper virtutes, de quibus PP. & Theologi, aliæ sunt per se acquisitæ, & aliæ per naturam infusæ; illæ sunt naturales, istæ supernæ; primæ etsi secundum suam quidditatem acquisitæ dicantur, quatenus nostris actibus, & assuetudinationibus acquiruntur, solent quandoque, & possent juxta divinum placitum infundi, ut Christo Domino, B. V. Mariæ, Adamo, & fortè aliis eximie notæ viris. Infusæ verò per se sunt supernaturales, & vires humanas excedentes, & nullomodo nostris actibus comparari valerent; at etsi supra tract. 4. dedissemus ex actibus repetitis harum virtutum generari in nobis habitum quandam, & facilitatem, & hunc esse supernum asseruissemus, quia tamen ea supernaturalitas non est stricta, & immediata, ideo deficit à vera ratione superni, & infusis; ideoque nullo jure virtus per se supernaturalis, & infusa potest esse adhuc per accidens acquisita.

302. Ex his oritur præfata difficultas, an scilicet præter virtutes supernas nempe fidei, spe, & charitatis in Trident. expressas, dentur aliæ similiter supernæ, & infusæ, quæ & simul cum gratiâ infundantur, & ad ejus amissionem deperdantur? Pro quo denique sciendum est, quod virtutes hujusmodi quædam sunt speculativæ, & intellectuales, ut sapientia, scientia, & ars, & de his non est quæstio; aliæ sunt practicæ, & ad voluntatem spectantes, & propterea morales dicuntur, & omnes ad istas quatuor reducuntur, nimirum Prudentia,

Justitia, Fortitudo, & Temperantia, quæ quidem pro tanto Cardinales denominantur, quia in ipsis tanquam in Cardine silit, & movetur edihcium rationale, & humanum, omnesque hujusmodi virtutes præter istas, vel sunt partes subjectivæ, & actuales harum quatuor, vel ad minus objectivæ, & potentiales: Ex illis quatuor Prudentia aliarum vexillifera residet in intellectu, reliquæ verò in appetitu.

302. Quibus suppositis, & præintellectis circa primum dubii, prima sententia est sub D. in 3, distinct. 36. quam sequuntur omnes ejus discipuli, asseritque, præter Theologales, nullas alias supernas virtutes, & per se infusas assignari posse, aut fundamentali ratione probari. Secunda sententia, & communior inter DD. antiquos, & recentiores est huic opposita asserens, dabiles esse, & de facto dari in ordine superno virtutes morales cardinales per se, & ex natura sua infusas; sic Div. Thom. variis in locis, ejusque sectatores tam proprii, quam extranei, qui passim citantur apud DD. De secunda parte dubii non est specialis ratio dubitandi, cum ex prima, & ejus fundamentis satis coligatur, quid de alia tendendum sit, & dicendum; si namque dantur hujusmodi virtutes morales à Theologalibus distinctæ supernæque & infusæ, necessario ad gratiæ collationem, & ipsæ infundi deberent: Caterum cum de mutua connexionem cum gratia possit adhuc inquiri, restat nunc sciendum, si ex gratiæ amissione etiam earum virtutum sequatur corruptio? De quibus omnibus suas stabiliemus resolutiones.

304. De hoc dubio, ut jacet non agit expressè N.R. D. etiam enim in 3. dist. 34. de Donis Spiritus Sancti quaestionem instituat, num à virtutibus distinguantur? In illiusque processu, & probationibus supponere videatur virtutes quasdam supernas, & infusas, adhuc nobis non innotescit; quid de Cardinalibus asseruerit? Siquidem ex virtutes, de quibus ibi, vel possent esse Theologales, vel dona ipsa Spiritus Sancti cum gratia justificationis infusa; quæ quid diversum est à præfatis Cardinalibus virtutibus, & maxime infusu expresso R. caterum cogor ad commu-

niorem sententiam Theologorum affirmativam, etiam illam cogenti ratione convincere non valeam; quia videlicet eam sequi sunt ex nostris Zag. & Garzia, & alii ab eis citati ex nostra familia & doctrina; pro qua sit.

305. Conclusio prima: Præter virtutes morales acquisitas dantur & aliæ supernaturales, & infusæ, distinctæ à Theologalibus. Non est aliena à mente R. Primoque probari potest aliquibus textibus Scripturæ sacræ, & primus sit ex illo sap. 7. *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* (ecce sapientia, quæ pro charitate, & gratia communiter accipitur; quatenus per hanc omnia sapiunt nobis, vel Deitas, quæ nobis tamèn lapida est) & *innumerabilis honestas per manus illius*; advertere ly *innumerabilis honestas*, quæ verba denotant chorum virtutum omnium moralium, quia honestas actuum humanorum est scopus, & finis intrinsecus earum. Secundus est illud Paul. ad Galat. 3. *relatum supra in principio q.* Ex quibus locis specialioribus conjectari possemus in esse hominibus, qui sapientia, & Spiritu Dei præditi sunt, virtutes quasdam non solum, quæ Deum ipsum respiciant, sed & præterea alias, quæ honestatem humanam atendant, & ad eam ordinentur.

306. Responderent ad hoc DD. contrarii duplici via; primò: quod virtutes illæ, de quibus præfati, & alii quam plurimi textus loquuntur, sunt Theologales, & de his nulla est apud Theologos difficultas, & hæc quidem est germana doctrina, & conformior textibus sacris, siquidem hujusmodi virtutes sunt mediæ, quibus assequitur sapientia, & Spiritus Dei; & iidem conservatur, cognoscitur, creditur, desideratur, & in se, & propter se amatur, & diligitur: Ergo de his potius quam de aliis intelligendæ sunt sententiæ, & doctrinæ textuum. Secundò responderent: quod gratis admissio, quod de aliis præter Theologales virtutes accipiendi sint præfati textus, non requiritur, quod ex virtutes, quæ necessario morales essent, quatenus respiciant honestatem operum nostrorum, constitutæ, sint in eodem ordine superno, & divino, quo constituuntur Theologales, sed sufficit, quod naturales essent, & acquisitæ, & per imperium su-

pernaturalium evehantur ad Spiritum, & sapientiam Dei, Deumque ipsum sapiant, extrinsecè tamen, & imperativè; & hoc erat sensus litteræ; nimirum, quod per gratiam, & Spiritum Dei innumerabilis chorus virtutum moralium veniat animæ grata, & sanctæ, quasi noviter, ut per ejus imperium ascendat ad Thronum meriti supèri æternæ Beatitudinis.

307. Fateor præfata ex his, & aliis locis, quæ ad hoc communiter adducuntur, parum urgere contrarios; siquidem solum faciunt conjecturam quandam sufficientem tamen ad probabilitatem inducendum, si cum aliis autoritatibus, & rationibus conjungantur; sed quidquid sit de hoc, sic primò instatur via solutionis: textus allegati non solum de Theologalibus, verum & de aliis necessum est interpretari, siquidem copia virtutem, & honestatis Theologicæ non est innumerabilis, ut ex littera constat, cum in tribus tantum compleatur: Ergo non modo de illis, verum & de istis accipi debent, ut strictè accipiantur. Præterea Deus tribuit Spiritum per gratiam, & suas proprietates, quæ immediatius de ipso participant, & ulterius alias in nobis operatur virtutes, quæ etiam si supernæ sint, & ab ipso datæ, & infusæ, non tamen sunt quid proprium, & immediatum participans, & communicans cum suo Spiritu, sicut aliæ, quæ Deum tanquam objectum respiciunt, & ab ipso suam speciem sumunt: Ad quod clarius percipiendum advertas, est necesse, diversitatem locutionis hinc inde notatam tribuit vobis; loquendo de primis virtutibus: *Operatur in vobis*, loquendo de secundis.

308. Secunda via solvendi instatur: Loca superius expressa nequeunt accipi de virtutibus naturalibus, & acquisitis: Ergo nulla est solutio. Antecedens probatur: Textus illi loquuntur de virtutibus, quæ à Deo nobis donantur, ut per ipsas in nobis operetur; sed virtutes naturales nec nobis propriè donantur, nec per illas Deus in nobis operatur specialiter: Ergo de his non est littera textuum. Major constat, & minor probatur: Virtutes ex nostris actibus comparantur, supposito Dei concursu generali; sed id, ad quod

Tom. IV.

Deus tali modo concurrat, à nemine vocatur speciale opus Dei, sicut nec de illo dicitur, quod sit à Deo proprie datum, vel in nobis sic operatum: Ergo loquutio ea intelligi nequit de talibus virtutibus. Insuper textus illi quid speciale insinuare videntur circa earum virtutum communicationem; sed si Deus eomodo generaliter haberet erga eas, nil speciale dicerent: Ergo vel dicendum est, præfatas virtutes, de quibus textus, supernaturales esse, vel quod illæ aliæ naturales, & acquisitæ sunt quid speciale à Deo donatum, & isto modo in nobis operatum; quod non potest dici.

309. Nec fundamentum, quo modus dicendi fulcitur, sustineri potest: Nam imperium supernaturalium virtutum ad acquisitas exercitum, & comparatum nil intrinsecum ponit in eis, aut in earum operibus, sed purè extrinsecè se habet, & quasi intransitivè hoc modo elevat eas ad meritum vitæ æternæ, quatenus operans honesta opera naturalia assumit tibi finem charitatis in eorum elicitio; sed modus iste extrinsecè elevationis, & ordinationis ex parte operantis habitus, non immutat intrinsecè opus operatum naturale morale, nec eam moralem virtutem, vi cujus elicitur: Ergo sicut seclusa ordinatione, & imperio charitatis, ea virtus naturalis, ejusque actus non dicuntur opus speciale à Deo datum, & singulari favore operatum, eo jure, adhuc posito charitas imperio, nec diceretur esse opus specialiter à Deo operatum. Probo hanc consequentiam: idem remanet quoad intrinseca sui virtus naturalis, & ejus actus, opposita, & seclusa illa ordinatione charitatis ad proprium suum finem: Ergo si isto ablato imperio virtus naturalis non diceretur Dei speciale operatum, nec eo posito; siquidem idem manens idem semper natum est, facere idem.

310. Secundò probatur conclusio definitione quadam Concilii Vien. quæ refertur in Clement. unica de summa Trinit. & fide Catholica, ubi ut probior declaratur opinio ea, quæ contra aliam tenebat parvulis infundi in Baptismo gratiam, & virtutes; sed hic accipi debent virtutes non modo pro Theologalibus, sed etiam pro aliis moralibus: Er-

M

80

go ex his dantur quædam, quæ infusæ sunt, & supernaturales, ut pote cum gratia Sacramentorum collata. Minor probatur: Definitio hujus Concilii ea fuit circa quæstionem, quæ antea tempore Innocent. 3. suborta fuerat inter Theologos; sed in hoc procedebant non de virtutibus Theologalibus, sed de aliis moralibus: Ergo de his definitum extat in Clement. major probabilitas; & temerarium videretur negare, eas esse supernas, & cum Theologalibus infundi, utriusque Pontificis attenda declaratione. Minor probatur: In cap. *Majores* de Baptismo & ejus effectu §. *Illud verò* sic legitur status controverfiæ præfata: *Illud verò quod inducunt fidem, aut charitatem, aliasque virtutes, parvulis, ut potè non consentientibus non infundi, &c.* Nunc definitio Clement. *Nos autem attendentes::: opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis SS. ac DD. modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem sacro aprobante concilio duximus eligendam.*

311. Sed ex utriusque sanctionis litteris satis clarè constat, eas virtutes, de quibus ait controversia, diversas esse à Theologalibus: Ergo de illis extitit definitio, & declaratio, infundi nobis cum gratia. Minor ista probatur: in cap. *Majores* sit expressa mentio pro parte affirmativa eorum, qui asserabant, quod præter fidem, & charitatem, aliæ virtutes parvulis infundantur; sed hæc virtutes non possunt esse Theologales, siquidem istæ assignatæ extabant in littera; & aliæ præter ipsas erat scopus decisionis. Major constat ex dato textu, & minor satis liquet; cum ibi solum spes non expressetur; atqui de hac non diceret *aliasque virtutes*; esset enim futilis, & supervacanea loquutio: Ergo de aliis loqui est necessum, quæ & sint à Theologalibus diversæ, cæterum cum ipsis infundantur: Ergo dantur tales virtutes morales supernæ, ac infusæ per naturam suam.

312. Respondent contrarii huic probationi; quod nec in cap. *Majores*, nec in Clement. citata declaratur, quod parvulis in Baptismo infundantur fides, & charitas, aliæque virtutes, & istud mordicus etiam propugnat Vazq. 1. 2. dispu-

tat. 86. asserens, excitatis Canon. non rectè probari asserunt, quod & ipsæ tanquam probabilius defendit, quorum hoc est fundamentum: in cap. 20 sub Innocentio edito sic legitur: *Illud verò quod opponentes inducunt fidem, charitatem, aliasque virtutes, &c.* Nunc Concil. Vienn. *Nos autem opinionem secundam::: quæ dicit::: Conferri in Baptismo gratiam, & virtutes, &c.* At quod hic fidem, & probabilitatem faceret, non est id, quod opponentes inducant, sed quod Ecclesia definiat tanquam probabilius; scilicet, secundam opinionem, quæ docet, gratiam, & virtutes conferri: Ergo non illud primò allatum, nimirum: *Fidem, charitatem, aliasque virtutes*: quænam sint hæc virtutes? Satis declaratur in Trident. sess. 6. cap. 7. ubi dicitur: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*: Ergo non alias virtutes supernas præter istas: Ergo ex illis locis nil favorable habetur, quod allatam conclusionem corroboraret.

313. Sed contra sit: Id definit Concilium ut probabilius, quod secunda sententia assererat, & asserabat; sed secunda opinio, & sententia Theologorum tempore Innocentii, & Clementi; asserabat, Deum infundere Baptizatis fidem, charitatem, aliasque virtutes: Ergo istud definitur, ut probabilius. Major est Clement. littera, & minor probatur: Id asserabat secunda sententia, quod prima negabat, & opugnabat; atqui prima negabat præfatis Baptizatis non infundi: *Fidem, charitatem, aliasque virtutes*: Ergo contrarium huic asserabat secunda sententia. Minor videtur constare ex littera, ut in cap. *Majores* §. *illud verò* legitur: *Illud verò, quod opponentes inducunt, &c.* Minor verò ex eo colligitur, quod in Clement. dicitur: *Reperiuntur DD. quidam Theologi::: opiniones contrarias habuisse, &c.* Igitur opinio secunda contraria est primæ: Ergo illa asserat, quod hæc prima negabat; alias contrariæ non essent. Quoad Trident. ibi solum definitum extat, quod fide divina credendum est; relictis opinionibus, quæ de virtutibus moralibus agebant, in sua cujusque probabilitate, quam non negamus, nec DD. negativam tenentibus, etsi nobis minoris ponderis videantur. 314. Ter-

314. Tertio probatur conclusio ex Aug. super illud Psalmi 83. *Ibunt de virtute in virtutem*: Ubi postea quam tractasset de quatuor Cardinalibus, ista profertur: *Iste virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei donantur nobis.* Non videram in PP. locum aptiorem ad intentum fulciendum, ex quo arguo sic: Virtutes, quæ per gratiam donantur, sunt solum supernæ, & infusæ, aliæ enim nec per gratiam acquiruntur, immò nec conservantur; sed virtutes aliquæ Cardinales nobis per gratiam donantur: Ergo aliquæ hujusmodi virtutes supernæ sunt, & infusæ. Præterea super Psalm. 118. ad illa verba: *Feci judicium, & justitiam*, sic habet concione 16. *Quis enim infundit in homine justitiam, nisi qui justificat impium?* Et clarius Greg. homil. 5. in Ezech. docet: quod Spiritus Sanctus permaneat in cordibus nostris per quædam virtutes, quas declarat esse tres Theologales, & aliquas ex Cardinalibus, ut ab isto modo divinæ inhabitationis virtutes alias, & gratias datas gratis excludat.

315. Quarto ex R. D. in 3. dist. 34. probatur nostra conclusio sic: In præfata distinctione tenet, & docet, dari quædam virtutes supernas ab acquisitis distinctas; ut in versu: *præterea dicit: virtutes supernaturales ita conceduntur differre secundum substantiam à virtutibus acquisitis; sicut fides infusa ab acquisita, & virtus purè naturalis à morali*; sed virtutes, de quibus hic agebat, non sunt Theologales, sed Cardinales: Ergo hæc tenet esse posse supernas, & infusæ. Minor probatur: Virtutes, de quibus hic docet, supernaturales esse, sunt eæ, de quibus Coton, contra quem disputabat; sed D. ille loquebatur de Cardinalibus à R. relatis, & eas cum donis Spiritus Sancti confundebat: Ergo eas docuit R. supernaturales esse. Videatur D. R. hic art. 1. versu. *Quatuor sunt virtutes Cardinales.*

316. Quinto probatur conclusio quibusdam rationibus; et sit prima ea, quam deducimus ex R. ibi: Dantur virtutes, de illis loquendo, quæ Theologales non sint, & actus earum, quibus correspondet solum potentia obedientialis; sed ejusmodi virtutes essent infusæ, actusque earum superni: Ergo tales virtutes infunduntur nobis, & verè dantur. Minor videtur certa:

Tom. IV.

nam in hoc distingui debet effectus supernaturalis à naturali, quod hic correspondet naturali potentia, illæ verò obedientiali, ut in 3. citato docet R. & major probatur: In virtutibus penitentia, & religionis, earumque actibus primariis, & specialibus, quæ sub nulla ratione correspondere possunt naturali potentia hominis; sed tales sunt virtutes, de quibus nunc, à Theologalibus distinctæ: Ergo istæ supernæ virtutes inesse possunt hominibus. Major probatur: Actus proprius penitentia est detestatio peccati, ut malum Dei, sicut & Religionis cultus Deo verò exhibitus; sed actus hujusmodi superant naturalem potentiam hominis, solumque elici valent ratione obedientialis: Ergo hujus virtutes, & actus sunt non solum naturalis, sed obedientialis potentia.

317. Præfata ratio non quadrat aliquibus cum Vazquez; primò: quia penitentia, & Religio, etsi non Theologales virtutes, proprius ad eas accedunt, quæ tenus Deum respiciunt, etsi non ut objectum quod sicut illæ, tamen Deum respiciunt ut objectum cui; nimirum penitentia odio habeat peccatum, quia Deo displicet; Religio vero ut subjectum, cui cultus tribuitur; sed de his non est quæstio specialis, sed de Cardinalibus, & quæ adequatè tendant in honestatem creatam: Ergo de illis non est argumentum ad istas. Præterea: Penitentia vera, sicut & perfecta Religio, & in quantum subsunt obedientiali potentia; sunt taliter subjectæ huic potentia, quia inseparabiliter concomitantur charitatem, & fidem; siquidem nec superna penitentia sine charitate, nec perfecta religio sine fide dabilis sunt: aliter enim penitentia, & religio considerata, sunt merè naturales virtutes.

318. Sed hoc parum urget nostram probationem, & primum quod Vazquez assert, sic instatur: Quamvis penitentia & Religio ita ad Theologales virtutes accedant, sunt tamen specificè ab eis distinctæ, & diversæ: Ergo semel concesso, quod sint infusæ, & supernæ, rectè probatur contra opinionem oppositam dari alias virtutes sic infusæ, quæque Theologales non sint. Insuper: Etsi penitentia, & religio Deum respiciunt ut obje-

M 2 ctum

etiam *cui*, non ideo proprius accedunt ad Theologales virtutes, cum non harum, sed Cardinalium sint partes objectivæ, & potentiales: Ergo non malè probat allata ratio. Assumptum probatur: Penitentia, & Religionis objecta specificativa sunt quid creatum, quidquid sit de objecto *cui*, à quo non habetur species: Ergo proprius accedunt ad Cardinales; siquidem ad minus iustitiam in suis actibus emulantur; quapropter huius communiter dicuntur partes potentiales. Nec denique Penitentiam veram comitatur charitas, ut patet in attritione concepta propter penas inferni; sicut nec Religionem fides, licet ad eam præsupponi debeat; nam Religio pro rectò sui solùm dicitur cultus, honorque Deo exhibendus, qui in suis rationibus à fidei assensu præscindunt.

319. Secunda ratio fundari potest in eodem citato R. omnis actio nova terminatur ad effectum novum: Ergo novus, & specialis effectus petit novum, & speciale principium: Ergo effectus in sua natura supernus petit causam natura sua supernaturalem; atqui præter Theologales dantur in nobis effectus quidam natura sua supernaturales: Ergo illi supponunt in nobis principium, quod ex natura sua sit in eodem ordine cum ipso: Iterum subsumo; sed principium istud non potest nostris actibus acquiri; cum ad illud non valeamus, nec nobis ad hoc suppetant vires: Ergo deberet esse infusum: Ergo præter Theologales infunt nobis virtutes aliæ supernæ infusæ; Prima minor subsumpta probatur: Præter actus fidei, spei, & charitatis, adhuc, & penitentia, ac religionis eliciuntur ab homine fidei actus alii morales, qui superant naturæ vires, quique solo lumine fidei possent cognosci, & patrari, & ad quos non pertingit ratio connaturalis humani intellectus; sed hi actus, & effectus necessario essent supernaturales: Ergo præter Theologales dantur in homine alii superni.

320. Major, in qua est tota difficultas questionis, probatur; primò: Actus moralis, qui ab homine elicitur, ut est civis, & domesticus Dei, & quatenus ad vitam Christianam dirigendam, & gubernandam tendit, nec potest lumine

naturæ cognosci; insuperque superat ipsius naturæ vires, &c. sed frequenter eliciuntur ab omnibus actus huiusmodi: Ergo dantur. Major probatur: Qui alteri tribuit, quod suum est, appetitusque moderatur passiones, vel fortia, & difficultia agreditur, non quia hoc est præcisè rationi consonum, sed quatenus præfata inserviant Christianæ vitæ, & conducunt ad æternam, tales actus regulat non naturæ lumen, sed Prudentia supernaturalis fidei lucernæ imixa; & in vi horum non deservit civili, & humanæ potentia, sed Christianæ, & veluti divina; sed ea hæc naturæ lumine non cognoscuntur: Ergo superno: Ergo in suo fieri, & esse æquè supernaturales sunt.

321. Secundò probatur illa major principalis: Actus Cardinalium virtutum ut morales sunt, non solùm debent esse recti, sed rectè, studiose, & prudenter elicit; atqui hæc studiosa rectitudo, & prudentia solet quandoque vires superare naturæ, ac lumen similiter naturale: Ergo. Major est doctrina totius moralis Philosophiæ: nam si quis posset per accidens elicere actum temperantia, quin virtuosus esset: & quia temperatè non esset elicitus; ut cum quis actum Grammaticum faceret, non diceretur Grammaticus, si illum juxta regulas Grammaticæ non eliceret, sic ille, &c. Minor vero probatur: Studiositas, rectitudo, & prudentia in agendis, quæ commodum vitæ gratiæ respiciat, & Christianam foveat pacem, societatem, &c. non potest viribus naturæ adipisci, nec ejus lumine cognosci; cum hæc societas, convicius, & pax longè altiores sint illo lumine; sed à viris piis frequenter eliciuntur actus illi, ut finis iste servetur, & ea assumpta studiofate: Ergo tales actus superarent naturæ vires, & solo fidei lumine innotescerent.

322. Conclusio secunda: Gratia sanctificans, & præfata virtutes morales supernæ, & infusæ connectuntur necessario. cæterum non mutua connexione. Resolutio non est R. expressa, sed aliquibus ex prædictis doctrinis probari potest, & quia duplicem partem implicare videtur, prima earum declaratur, & probatur: Gratia sanctificans supposita

posita ejus connaturali infusione in anima humana, hominem constituit Dei filium, Deique heredem, ac per ipsam homini maxima, & præiosa donantur, teste D. Petro 2. cap. 2. Ergo necessario petit comites non modo Theologales, sed eas alias virtutes, quibus decoratur homo, & operatur opera Dei; atqui non solùm per virtutes Theologales, sed & per alias Cardinales, ista assequuntur à nobis: Ergo cū illis omnibus connectitur, gratia & ad infusionem sui infunduntur, quatenus est prima radix, & veluti natura in ordine divino, cui famulari debent cælestis comitatus, & chorus virtutum, & donorum: Ergo connaturaliter loquendo, data in homine ea sanctificante gratia, & aliæ reliquæ morales virtutes infunduntur.

323. Secunda pars de non mutua connexione probatur: Juxta asserta in Trident. Gratia non connectitur mutuo cum fide, & spe, quæ Theologales virtutes sunt; cum asserat, & decernat, quod adhuc quod homini gratia deficiat, in illo remaneant: Ergo idem dicendum erit de aliis moralibus virtutibus supernis. Antecedens est de fide, & consequentia probatur: Tum quia morales sunt deterioris conditionis respectu fidei, & spei; tum & maximè, quia ratio est eadem; siquidem fides, & spes remanent ut multum conducentes ad re assumptionem gratiæ de perditæ, & initium justificationis; sed ad idem suo modo deserviunt, & conducunt eæ virtutes morales infusæ: Ergo. Denique fides, & spes, ideo remanent, quia cum peccato non incompatiuntur; sed nec illæ aliæ virtutes morales: Ergo homini existentem in peccato sicut in sunt fides, & spes, sic & præfata virtutes. Minor probatur: Illæ virtutes morales non justificant per se, sicut nec fides, & spes: Ergo ita cum peccato incompatiuntur: Ergo etsi connectantur cum gratia, non est mutua ea connexio. Alia dabimus de hac, & alia conclusione in solutionibus argumentorum, ubi fundamenta opinionis contrariæ enerviter proponuntur, & solventur.



PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

324. Primò arguitur contra primam conclusionem; aliis quibus textibus sacre Scripturæ, & primus sit ex illo sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*, ubi loquens de divina sapientia, quæ pro charitate communiter accipitur, si ly *pariter* attendamus, datur intelligi quod Dei charitas, quæ in cordibus nostris diffunditur, est forma, cui tribui debet omnis humana honestas expectans ad æternam vitam: Ergo alia qualibet forma virtuosa superflue videtur: Ergo nulla alia datur supernaturalis præter Theologales. Huic consonat secundus locus ex Paul. 1. ad Chor. 13. sic charitatem extollentis: *Charitas patiens est, benigna est: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, &c.* Ergo similiter actus omnium aliarum virtutum sunt charitatis proprii: Ergo una data charitate est in nobis sufficiens principium elicitivum, & elevativum actuum supernorum virtutum Cardinalium.

325. Sed ad oculum insurgit instantia ex loco allegato: Si probatio ex loco sacro facta, convinceret aliquid, non modo superfluerent virtutes Cardinales infusæ, una habita charitate, verùm & fides, & spes, contrarium docentibus doctrinis sacris ex Trident. Ergo vel nil probat, vel utrumque concludit. Antecedens probatur: Non solùm docet Paulus ibi, quod charitas omnia suffert, & sustineat, sed etiam quod omnia credat, & speret: Ergo non solum esse deberet forma fortitudinis, aut temperantia, verùm & forma fidei & spei quatenus etiam omnia credit, & sperat. Dicamus, quod in textibus propositis charitas est forma omnium virtutum tam aliarum Theologalium, quam moralium in ordine ad condignitatem, & meritum vitæ æternæ; non verò respectu elicentia propriorum actuum, quod & insinuarè videtur idem ibidem, cum diceret: *Si linguis hominum loquar, &c. charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.*

326. Secundò arguitur per doctrinas Trident. In hoc ergo nulla fit mentio harum supernarum virtutum, sed unice de Theologalibus: Ergo alias non agnoverunt PP. illi. Patet antecedens: Siquidem locis illis, & sess. ubi de justificatione, de gratiæ, & charitatis infusione tractabatur solum vel de Donis, aut de fide, spe, & charitate expressa fiebat mentio: Ergo nil de aliis virtutibus declaratum erat. Brevius respondemus: Quod adhuc tempore illius Concilii grassabatur dissidium inter majores Theologos de ista difficultate, immò de alia; num scilicet Gratia, & præcitæ virtutes Theologales essent, quid de genere actus, qualitatis, aut habitus, nec ne? Et quoad hoc punctum in utramque sua parte indefectum reliquerunt: Ergo expressæ Trident. assumi nequit probatio, quæ nos urgeat: Et quia sententia, quam amplectimur, communior est, non immerito ex eodem Concilio forte pro ea possemus non levem deducere rationem, ad quam contrarii dicant, quidquid vellent, dum nos quid de PP. asserendum sit, proponimus, pro quo

327. Tertio arguitur: Secundum PP. doctrinas solum acquisitæ virtutes morales cognoscere valemus: Ergo in vanum introductæ sunt ex eis supernaturales, & infusæ. Antecedens probatur: Aug. de vera, & falsa penit. lib. contra Julianum 4. cap. 2. duplicem agnovit penitentiam, unam fructuosam ratione charitatis formatam, & quæ esset Dei Donum, & alteram, quæ viribus naturæ elici posset: Ergo non aliam duplicem naturalem, & supernam; sed unam solum, quæ per charitatem esset opus misericordiæ divinæ, & ea seclusa naturæ: Sic etiam Hieron. Greg. & alii PP. docuerunt virtutes, quas nos morales vocamus, cum charitate esse aurum, quod in anima radiat, & sine illa nihil Dei operatum, &c. Facili negotio ad omnia præfata respondemus, quod expressæ autoritatibus solum convincitur, charitatem esse formam condignantem opera virtuosa tam superna, quam naturalia; idè quæ fides sine operibus gratiæ mortua est: Et quid ex hoc inferunt DD. contrarii adversus assertum nostrum?

328. Quarto arguitur: Virtutes mo-

rales supernæ & infusæ non sunt ad salutem necessariæ: Ergo nullum est fundamentum ad eas adstruendas. Antecedens est certum; immò ex Trident. satis constat, cum ibi solum de Theologalibus Sermo fiat, ut legenti constabit; & consequentia probatur: Solum ea virtutes cognosci, & asseruari possunt, quæ necessariae sunt ad salutem, & vitam æternam, sed sic non sunt necessariae virtutes aliæ supernæ præter Theologales: Ergo sine fundamento ponuntur inesse hominibus. Hoc est unum ex præcipuis fundamentis sententiæ contrariæ, quod hic instari potest. Nec virtutes acquisitæ sunt necessariae ad finem naturalis honestatis promovendum, & assequendum: Ergo sine fundamento de illis loquuntur Philosophi morales, & ex eis Theologi. Dicerent, quod ea naturales morales virtutes naturæ rationali inserviunt, ut facilius, promptius, & expeditius finis honestus assequatur; unde non incongruè in hominibus asseveratur. Idem, & Theologi nostri sensus dicunt de virtutibus supernis sua servata proportione, quod scilicet, etsi simpliciter necessariae non sint ad æternam vitam, qua propter de illis non fit expressa mentio in Conciliis; sunt tamen secundum quid, & per modum Consilii desideratæ, quatenus finis intrinsecus earum non parum deservit ad vitam æternam assequendam, ut per eas seorsim discurrendo, constabit.

329. Quintò arguitur: Ea virtutes infusæ supernæ eo considerantur defacto hominibus communicatæ, quatenus deservire possint eidem ordini; sed ad hoc non requiruntur: Ergo non sunt de facto conceptibiles. Minor probatur: quidquid per eas haberetur in homine; totum præstari potest per unam charitatem; quatenus per illius imperium opera omnia virtutum, quæcumque sint, supernaturalizantur, & elevantur ad condignitatem meriti vitæ æternæ: Ergo ad nil deservirent præfata virtutes supernæ; cum omnia ab eis præstabilia haberet homo per naturales, & acquisitas, quibus si adjungatur ordinatio, & imperium charitatis, fierent meritoria beatitudinis; ut clarius patere potest in actu virtutis misericordiæ, ut largitio eleemosi-

na,

næ, quæ si propter ejus honestatem exerceatur, naturalis est; sint autem propter amorem Dei, & proximi, extinguit peccatum, & est præmio supernaturali digna: Ergo si istud habemus per naturales virtutes, ad quid supernæ? Etsi ordo naturæ superflua abhorret, quare non ordo gratiæ?

330. Ecce aliud gravissimum sententiæ contrariæ fundamentum, & ante ejus solutionem supponendum est, quod non omnè, quod aliter fieri potest, vel in vi alterius formæ, & causalitatis, superfluere videtur; sic actus corporeitatis præstari potest homini per animam rationalem eminentè illius alterius formæ contentivam, & non ideo superfluit ejusmodi forma corporeitatis, quæ connaturalius, & veluti unice præstat effectum corporeum, qui solum eminentius, & æquivoce haberetur per animam rationalem. Sic etiam Deus sine gratia posset justificare homines, eorumque peccata remittere per extrinsecum suum favorem, aut extrinsecam condonationem; & non ideo superfluit gratia, quia connaturalius, & perfectius, attentis divinis decretis, talis effectus sanctitatis præstaretur per gratiam intrinsecè receptam. Unde solum ea forma superflueret, sine qua haberetur idem effectus æquè connaturaliter, univoce, & perfecte.

331. Quibus suppositis, sic informā respondetur ad argumentum, negando minorem, ad cujus probationem distinguitur antecedens: Quidquid per eas virtutes haberetur, præstaretur extrinsecè à charitate, concedo; intrinsecè, nego antecedens. Dicimus, quod in operibus humanis, duplicem concipimus honestatem; una, quæ sit actuum moralium bonorum prout sunt ab homine elicitæ, ut pars est rationalis civilitatis, & alia, in quantum est concivis reipublice Christianæ, & domesticus Christi; prima est purè naturalis, secunda verò est superna, & conducens secundum se ad æternitatem, immò in homine grato, adhuc non pensato imperio charitatis exercito æternæ vitæ meritoria: Prima imperari potest per charitatem, & ad gloriam conducere; ceterum non intrinsecè, & sua natura, sed tantum extrinsecè; secunda verò

ex propria natura, & ex intrinsecis suis: & propter hoc non superflua, sed valde utilis est ad contentum virtutum, & earum extollentiam.

332. Sextò arguitur, & instatur solutio, & doctrina: Non datur honestas in humana operatione, quæ intrinsecè superna sit, nisi esset aliqua ex Theologalibus: Ergo nec datur virtus hujusmodi supernaturalis, & infusæ. Probatur antecedens: Honestas humanæ operationis in quantum est ab homine, ut concivis Dei, non est intrinsecè superna, sed extrinsecè, & per imperium alicujus Theologicæ virtutis: Ergo nulla datur hujusmodi honestas intrinsecè, & suapte superna. Probatur antecedens: Homo constituitur concivis Dei, ejusque domesticus, & pars civilitatis Christianæ unice per Theologales virtutes, fidei scilicet spei, & charitatis: Ergo honestas cujusque operis, & quæ in eo haberetur sub ista consideratione, licet superna esset, non intrinsecè tamen accipienda erit. Patet antecedens: Homo talis constituitur per illas formas, quæ ipsum ad ordinem gratiæ elevarent, & conducerent; sed istæ sunt gratia, & Theologicæ virtutes veluti ipsius proprietates: Ergo per has constitueretur domesticus Dei. Principalis consequentia probatur: In illo ordine, & eo modo est supernaturalis honestas operis purè moralis in homine, sub quo constituitur concivis Dei; sed istud habet per gratiam, & charitatem: Ergo per eas denominatur honestus in omnibus suis operibus: Ergo extrinsecè, &c.

333. Respondetur ad argumentum, quod sua laborat fallacia, negando antecedens, & ad ejus probationem similiter negatur antecedens, ad cujus probationem, in qua est pondus totius difficultatis, distinguitur antecedens. Homo constituitur concivis Dei, & unice principaliter, & necessario per illas Theologales virtutes, concedo; minus principaliter, & quasi ad melius, & tanquam à Consilio, nego antecedens: & eo ferè modo explicata majori subsequenti syllogismi, dicimus: quod homo principaliter, & necessario constituitur domesticus Dei per gratiam, ejusque Theologales virtutes, & per easdem, &

co.

eodem modo elevatur ad ordinem supernaturalem, ac ad vitam æternam, quatenus sine his nec amicus Dei esset, nec ad beatitudinem supernam perveniret; cum quo adhuc componitur, quod per alias inferiores virtutes similiter sit, & operetur ut Dei concivis, & veluti pars politica Christiana, non quia ejusmodi operatio necessaria sit ad illius statum; sed quatenus non parum conducere ad suum finem consequendum; ut patebit per virtutes morales discurrendo; unde licet tales virtutes, suarum operationes, & honestates non sint primò, & principaliter supernæ, nec necessitate simpliciter ad finem hujus ordinis assequendum; siquidem Dei consortium, & participationem immediatam non dicunt, & sine illius finis consequi potest; sunt tamen minus principaliter conducentes ad illum, atamen intrinsece, & suprenatura, juxta suam respectivè quidditatem; & ipso modo hominum constituant domesticum Dei, eumque ad ordinem supernum elevant, suarumque honestates supernales denominant; supposita, ut patet, principali, & necessaria elevatione per Theologales virtutes habita.

334. Sed contra: Non est conceptibilis honestas virtutis moralis conducentis ad æternam vitam, vel ad conservandam æquitatem inter homines, ut sunt concivæ Christianæ republicæ, ex propria quidditate ipsius virtutis: Ergo nec taliter erit supernaturalis: Probatum antecedens, Si ab homine Gratiam præscindamus, nec in eo concipiamus aliquam ex Theologalibus virtutibus, nullomodo ejus operationes taliter ad æternam vitam conducentes possemus concipere; sicut nec eundem ut Dei concivem expectaremus, nec ad huc Christianum: Ergo signum erit, quod nulla in eo esset conceptibilis honestas virtutis Christianæ ex munere, & quidditate propria moralis virtutis præcisivè a qualibet alia superna: Ergo tota ea supernaturalis honestas ortum duceret, & denominatiōnem a Theologicis virtutibus.

338. Non urget instantia, primò: quia si ab homine præscindatur rationalitas, non possemus, eum ut risibilem concipere; sed ex hoc non sequitur, quod

rationalitas sit forma risibilitatis: Ergo idem dicendum erit in nostro casu. Præterea si ab homine præscindas intellectum, non potest illum considerare volentem; sed ex hinc non sequitur, quod intellectus sit forma voluntatis: Ergo idem hic. Horum ratio erit replica solutio. Dicimus, quod forma, quæ ad aliquem actum necessario præsupponatur tanquam ad sui accessorium, & terminum essentialis connexionis, non potest præscindi ab hujus consideratione; cumque rationalitas respectu risibilitatis, & intellectus ad voluntatem se habeant isto modo; idè neutra potest sine suo principali concipi. Sic discurramus in nostro assumpto: Est enim fundamentum status supernaturalis, ejusque ordinis Gratia, & Theologales virtutes; unde his præscissis, & ablatis, corrumpitur præcisè totum Christianæ vitæ edificium; nec ex eo sequitur, quod tota hæc vita, & superna operatio sit gratiæ hujusmodi; sed tantum quod in illa stabilatur, & fundetur tanquam in principali cardine, in quo sistat: propter eaque non modo superna erit hæc principalis basis Christianæ vitæ, sed & alia, quam plurimæ virtutes, quæ in illa fundentur, & ad quam sequantur, & quæ suum finem proprium intendunt, prosequantur, assequanturque: Sic sunt quatuor illæ alicubi Cardinales deservientes gratiæ, ejusque potentis primis, ut facilis, commodius, & operosius ejus æternæ Beatitudo consequatur, ex propriis quidem prædicatis, & suapte natura proportionatis ad illius præfati finis intentum. Quis enim diceret quod æquitas Christiana est moderatio passionum, ut orationi deserviens, valor Spiritus, ejusque robur ad inimicos crucis Christianæ superandos, cultus, & honor sacris imaginibus exhibitus, non sint ex suis meritis, deservientes ad hujus ordinis gratiæ elevationem augendam, promovendamque.

336. Septimò arguitur: Materia virtutum moralium ex natura rei non est superna: Ergo circa illam nulla dabilis est virtus infusa. Antecedens probatur: Eadem materia ejusdem virtutis potest pertinere ad ordinem supernaturalem, vel naturalis remanere, juxta modum, & imperium alterius virtutis, cui adjungatur;

rum: Ergo quia talis materia ex natura sua supernaturalis non est; cum taliter constituitur ab intrinseco, & quatenus per elevationem, & imperium alterius supernæ virtutis pertingere valeat ad ordinem supernum gratiæ, & gloriæ. Probatum antecedens, & apponamus exemplaria quædam, tum in actibus penitentia, quæ quis dolet de peccatis propter eorum naturalem deformitatem, vel propter Deum offensam; tum in exercitio Religioso Catholici, & Judæi, in quibus cultus, qui ratione fidei est meritorius, & expectans ad ordinem gratiæ, remanet naturalis ex defectu hujus Theologicæ virtutis; ac denique, ut alia omittamus, in actu martyrii in odium passi veræ, & falsæ fidei; hic enim utrobique est ejusdem virtutis fortitudinis materia; ceterum per veram fidem supernaturalizatur, ac per eam imperium conducit ad vitam æternam, & ea deficiente, remanet purè naturalis: Igitur materia virtutum moralium secundum suam naturam eadem formaliter est, variarique potest in ordine juxta variationem virtutum Theologicarum, quibus sociari, elevari, & imperari possunt.

337. Respondetur ad argumentum, distinguendo antecedens: Materia virtutum moralium non est positive superna, permitto; permissive, nego antecedens. Permittit enim hujusmodi materia esse supernam, vel naturalem pro modo prudentiæ, per quam regulatur: Si namque actus virtutis exerceatur ut regulatus supernaturali prudentia, supernus erit, ejusque materia; si verò naturali, naturalis. Ceterum hoc opus hic labor est; quomodo scilicet concipienda sit virtus supernaturalis, & infusa, quando verò naturalis, & acquisita, & maximè stantibus, & urgentibus in argumento factis?

338. Ad quod dicimus: quod recta agibilia ratio vel potest esse respectu hominis considerata ut præcisè est individuum humanæ naturæ rationalis; & præterea accipi potest eadem rectitudo rationis comparata ad eundem hominem, ut fidelis est, & civis, ac domesticus Dei; prudentia primò modo accepta naturalis est, & acquisita; aliter autem infusa; materiaque circa quam versatur, similiter supernaturalis est, quatenus actus er-

Tom. II.

ga eam elicit per se, & ab intrinseco sustentunt, & respiciunt ad supernaturalem beatitudinem. Nec probatio illius antecedentis per illa exemplaria nos convincit; siquidem materia earum, sicut & aliarum virtutum moralium aliquid supernaturalitatis participant à Theologalibus, ceterum hoc est præsuppositivum, & veluti materiale; cum quo componitur, quod ipsæ in se habeant suam intrinsecam supernaturalitatem ex meritis suæ propriæ naturæ; unde Judæus, & Christianus, qui simul elicerent actum eundem Religionis, duplici quasi via secerenerentur, prima materialiter, & præsuppositivè, nempe ratione fidei divinæ, secunda propter diversitatem materiæ hinc inde habitam; nam cultus Christiani, etsi apparenter videatur coincidere cum Judæi, in rei tamen veritate, & quoad sua intrinseca, valde diversus est; sicut assensus fidei hujus, & alterius; nam cultus Deo exhibitus per Christianum ordinem natura sua ad ordinem gratiæ, & gloriæ; Judæi verò non: Idem dic ad alia exemplaria.

339. Octavo arguitur contra secundam conclusionem: Gratis dato, & concessio, quod ex virtutes morales supernæ, & infusæ possibiles sunt, immo, & quod de facto aliquibus infunduntur, adhuc ex hoc non licet inferri, nec est necessum, easdem cum gratia connecti: Ergo non ita cum Dei gratia infunduntur. Probatum antecedens: Solum illæ virtutes, quæ necessariae sunt ad gratiæ infusionem, & conservationem, petunt cum gratia eadem infundi; sed virtutes morales non sic desiderantur: Ergo etsi aliquibus infunduntur, non necessario cum gratia connectuntur. Minor est certa: Siquidem solum tres Theologales virtutes sunt ad salutem necessariae, ita Conciliis proclamantibus. Major verò probatur: Idem aliqua forma connectitur, quod illius proprietas est, vel conducent ad fieri, & esse illius; sed nil horum habent ad gratiam illæ virtutes morales; adhuc quod sint infusæ: Ergo nec infunduntur ad infusionem gratiæ, nec cum hac connectuntur.

340. Respondetur ad argumentum negando antecedens, ad cujus probationem distinguenda est major; de exigentia

N

tia

tia metaphysica, & morali, sicut & de connectione eodem jure conceptibili in presenti casu, & alibi: Dicimus enim, & tenemus, eam exigentiam moralem respectu virtutum moralium in gratia concipi, non verò metaphysicam, & essentialem; nullus enim hucusque dixerat, quod gratia Dei sanctificans per nullam potentiam posset ab illis separari, aut sine illis infundi; cum adeo certum sit, quod gratia ea quoad sua essentialia, & quoad actus proprietatum neutiquam ab ipsis taliter dependeat: unde solum relinquatur, quod valde deceat, & non parum conducatur ad ornatum, decorem, & perfectionem gratiæ comitatus ille aliarum virtutum moralium, quibus non solum decoratur, sed etiam finis gratiæ intenditur, perficitur, & veluti augetur, etsi non ita principaliter, sicut per charitatem; & hujus ratione adstruimus connectionem gratiæ cum his moralibus virtutibus.

341. Ultimò arguitur: Virtutes ex morales, & infusæ possunt inter se separari: Ergo multò magis gratia potest sine eis infundi. Patet hæc consequentia: Si quidem non est major ratio, quare inter se connectantur, quam cum gratia: Ergo si inter se separari possunt, maximè à gratis. Antecedens probatur per doctrinam R. in 3. dist. 33. citata artic. 1. §. *Ille differunt*; ibi tenet, quod Dona Spiritus Sancti separari possunt, cujus rationem reddit: *In aliquo enim, inquit est timor, in quo non est Consilium, & sic de aliis*; atqui potiorè locum tenent inter morales virtutes infusæ dona Spiritus Sancti; Ergo sic separari possunt hæc, & inferiores adhuc quod infusæ sint. Ad argumentum, quod mihi adeo obscurum apparet, & tignanter de ista sententia tractando, respondeo: *Quod R. ibi intendebat adstruere diversitatem inter virtutes naturales, & supernas, pro quo exemplum apposuerat de fide infusa, & acquisita; & ad convincendum, quod inter dona Spiritus Sancti hæc eadem diversitas locum habere poterat, hoc sic ostendit: quod in eis posset dari mutua separatio; sed hæc non est moraliter dabilis inter infusa, & superna: Ergo debet esse inter naturalia, & acquisita: Ergo non modo dantur virtutes morales supernæ, & in-*

fusa in materia donorum, ut puta, timor, Consilium, &c. sed etiam naturales, & adquisitæ, quod evincitur ex harum separabilitate, quæ in illis, supernis virtutibus locum non habet, si de non mutua, ut patet, loquamur; hoc est gratiæ ad eas virtutes; non verò earum ad gratiam, cum certum de fide sit, fidem, & spem remanere, adhuc quod gratia amittatur.

QUÆSTIO XIV.

Utrum dona Spiritus Sancti sint quid à virtutibus infusis specie diversum? Et quid de ejusdem spiritus fructibus, animæque Beatitudinibus?

342. **D**E Donis Spiritus Sancti agit R. in 3. dist. 34. circa ejus finem de beatitudinibus, & fructibus, quia de his Theologi communiter cum Mag. in ista distinctione. Fundatur quoad dona, & de quibus nunc immediatè tractamus, in illo 11. *Ita: Requiescet super illum Spiritus Domini, Spiritus sapientia, & intellectus, Spiritus Consilii, & fortitudinis, Spiritus scientia, & pietatis, & replevit eum Spiritus timoris Domini: Quæ licet ad litteram de Christo loquantur, cum nos omnes simus membra de membro capite, & de plenitudine ejus accipiamus, hominibus justis applicantur, & cum gratia sanctificationis infunduntur, ad quod videtur alludere Trident. cum doceret, fieri nostram justificationem per infusionem gratiæ, & donorum. Diximus hominibus justis infundi præfata dona, & omnia simul, ut verificetur verborum proprietates, & aliorum cum his concordia; ut in Evangelio Joannis non semel legitur, & clare constat ex illo; Spiritus Dona gratiam sanctificantem comitare, ac sine illa, etsi quandoque ali-*
quod

quod eorum officium in hominibus sentiamus, deficit à vera ratione doni, & annumerari potest alicui ex naturalibus, aut purè moralibus virtutibus.

343. Septem ergo dona Spiritus declarantur, vel accipiendo numerum determinatum pro indeterminato, & indefinito; vel quatenus numerus ille septenarius universalitatem, & generalitatem, quam denotat; de quo PP. & Expositores, vel denique quia inter alia Dona, quæ nobis noscibilia esse possent, potiora sunt ista, & nostris actibus supernis, & dogmatibus conformia. Sin ne habitus, aut actus secundi? Est & alia Theologorum difficultas: communis sententia est; quod sint habitus quidam de primâ specie qualitatis; cujus ratio aliqualis accipitur ex loco stabilito Isai. ubi per Verbum *requiescet*, quod per permanentiam, quæ distinctivum quid est habituum, declarantur: ac præterea: Dona hujusmodi sunt gratiæ, & Theologalium virtutum veluti sequela, comitesque horum entium procerum supernaturalium: Ergo sic sunt habitus, sicut ista gratia. Denique: Actus, & exercitia horum donorum ab aliqua supernaturali facultate, & virtute elici debent, quæ per modum actus primi præcedat ut elevativum, & proportionans ad eorum elicentiam; sed istud erit habitus, & de adem linea cum illis: Ergo erit habitus Donorum, vel Donum per modum habitus.

344. Ut etiam aliqualiter explicemus munera, & officia horum Donorum singularim accepta, & prout distincta ab actibus Theologalium virtutum, necesse habemus, conformari doctrinis communibus, cum de isto nil legerimus in R. sicque tenemus, septem hæc dona; sua quæ munera exercere, quæ non sint fidei, spei, & charitatis, etsi proprius ad ea pertingant tanquam reflexiones quadam suorum actuum; sic sapientia, scientia, & intellectus ad fidem; Consilium & fortitudo ad spem; pietas verò, & timor Domini ad charitatem accedunt. Per sapientiam enim certificamur de principiis illis fide creditis, & revelatis, taliter quod ea ita esse concludere possimus: Per scientiam verò præcisè de conclusionibus illis; ac denique per intellectus Donum de principiis secundum se, & similiter

Tom. IV.

creditur in quantum illativis alicujus divinæ veritatis. Consilium *ling* clariter dirigit, & fortitudo irregulariter agreditur arduissima opera, quæ tendant ad assequutionem gloriæ sperata. Ac denique pietas colit, quæ perpetuò reveretur, timor Dei filialis est Theologalis charitas, etsi in via amissibiliter Deum teneat, in patria verò in æternum.

345. An autem hujusmodi Dona sint habitus superni, & infusi, est non levis Theologorum quæstio? Ex qua alia non minoris ponderis deducitur, sint ne habitus quidam non modo à Theologalibus virtutibus quidditative diversti, verum & ab aliis, quæ Cardinalis dicuntur, & morales supernæ, & infusæ sunt, eo modo distinguantur? De subr. à Maffrio citatus in 3. dist. 34. sentire videtur, quod in humana politica solum desiderantur tres Theologales virtutes, & hæc supernales sunt, quatuorque Cardinales, & hæc quidem morales, & adquisitæ dicuntur: quibus septem accommodat Dona Spiritus Sancti annumerata; nimirum; sapientia, charitati, & spei; scientia, & intellectus, fidei; Consilium, prudentia, pietas, justitia; fortitudo est expressa inter ea septem, & timor, seu humilitas temperantiæ. Pro contrario modo dicendi habemus DD. communiter, etsi inter eos sua sit aliqualis diversitas; nam quidam confundunt Dona præfata cum virtutibus moralibus infusis, aliis tenentibus, distincta esse ab iisdem in suis quidditativibus.

346. Sed ante nostram resolutionem supponimus, quod de Donis Spiritus divini idem sciendum est, quod de virtutibus dicebamus; sicut enim virtus sumi potest latè, & strictè, sic Donum sumitur latè pro omni quod à Deo descendit, nobisque in nostrum profectum confertur, a quo est omne datum optimum, & omne Donum perfectum. Donum Spiritus Sancti acceptum strictè, adhuc potest bifariam considerari; vel quatenus notionale quid est, & Deo, intrinsicè, tertiamque divinam personam constitueret, vel in quantum est aliquid ipsius datum hominibus specialiter, quod equidem quia opus amoris divini est, Spiritui Sancto attribuitur: Et hoc etiam præterea subdividi potest, nempe in Donum stri-

N 2

Quæst.

etum in rei veritate, & famosum: Primum præcisè est charitas Dei, quæ per Spiritum Sanctum diffusa est in cordibus nostris; secundum verò sunt ea dona, de quibus communiter Theologi ex loco Itaræ, & quæ tantum septem computantur; & de his erit

347. Conclusio prima. Dona Spiritus Sancti sunt, habitus suapte natura supernaturales, & infusi. Duplicem partem habet conclusio, nimirum quod habitus sunt in ista famosa acceptione donorum, & quod superni; de primò satis supra diximus, etsi cogenti ratione convinci non potest nisi ea tantum assumpta, quæ de gratia sanctificationis utebamur; pro secunda habemus DD. communiter, & pro nobis principaliter R. in 3. dist. 34. art. 1. primòque probari potest ipsius fundamento, & auctoritate: Dona Spiritus Sancti habentur in nobis per ejus inspirationem, ita quod in cujusvis communicatione detur inspiratio nova gratia; sed effectus ille, qui in nobis habetur per Spiritus Sancti inspirationem, est supernus, & infusus: Ergo sic sunt Spiritus Sancti Dona. Major est R. *vers. Contra*: & minor probatur: Habitus, qui in nobis habetur per Spiritus Sancti inspirationem, non est naturalis, vel viribus naturæ acquisitus: Ergo supernus, & infusus; cum non detur medium in entibus quoad hoc. Antecedens constat: siquidem quod inspiratum est à Deo, superat natura vires; ad quid inspiratio divina, si nostræ suppetunt vires ad ejus affectionem? Ergo non potest esse opus naturæ, vel naturaliter acquisitum, quod est ex Spiritus Sancti instinctu. Alia habet de ista materia R. quæ nos q. præcedenti dedimus, & ideo omituntur.

348. Secundò probatur conclusio alia ratione, quæ necessario coincedere debet cum iis, quæ de virtutibus moralibus supra insinuavimus: Dona Spiritus Sancti suapte natura conducunt ad vitam æternam, & propter hoc hominibus justis donantur: Ergo superna sunt, & infusa; quia nil naturale ad hoc pertingere valet. Et antecedens probatur: Dona Spiritus Sancti ad id hominibus conferuntur per modum beneficii indebiti collati, ad quod deserviunt Christo Domino infusa, tanquam morale debitum hiposta-

ticæ unionis, & per cujus participationem hominibus ipsis infant; sed Christo Domino communicantur, ut quid conducent ad suam substantialè gloriam, ad minus per modum ornatus, decoris, &c. Ergo ad hujus similitudinem nobis conferenda sunt, & ut quid pertinens ad nostram æternam vitam; atqui Dona ea quatenus in Christo concipiuntur infusa, habent ex sua quidditate eam supernaturalem ordinationem: Ergo illam eandem habent prout hominibus communicantur.

349. Conclusio secunda: Dona ea Spiritus Sancti enumerata sunt habitus superni non modo à virtutibus acquisitis distincti, verum & à Theologalibus. Non est expressa in R. ceterum potest colligi ex iis, quæ ibi refert; siquidem in illa distinctione disputabat contra quemdam Doctorem, qui assererat, quod Dona Spiritus Sancti essent, quatuor virtutes morales, & tres intellectuales, quatenus virtute charitatis informantur, & ad nobiliores operationes extrinsece ordinantur; sed contrarium adstruere intendit per aliarum virtutum supernarum insuffisionem, quin ad Theologales pertingeret, nec de eis mentionem faceret: Ergo clarè tenuit, & quod Dona præfata essent quiddam distinctum à virtutibus moralibus, & intellectualibus acquisitis, & quod non confunderentur cum aliis Theologalibus virtutibus. Præterea constat ex eodem R. quod Dona Spiritus Sancti non consubstantiantur nec illis virtutibus moralibus, nec aliis intellectualibus, etsi eisdem approprientur, & istud fuisse placitum Greg. 1. mor. cap. 28. asserit, atque in hoc similiter nil de Theologalibus differit: Igitur videtur, idem, quod nos circa hoc sentire.

350. Probaturque conclusio hac efficaci ratione: Operationes, & actus Theologalium virtutum sunt in gradu altiori adhuc intra ordinem supernaturalem ad habitus Donorum Spiritus Sancti: Ergo confundi nequeunt habitus hinc inde. Antecedens probatur: Actus Theologalium virtutum tendunt, & respiciunt immediatè circa Deum, & ideo Theologica virtutes denominantur; sed non sic Deum respiciunt actus Donorum præfatorum: Ergo illi sunt in altiori gra-

du constituti, quantum supercrescit dignitas objecti utrorumque. Minor probatur: Actus, & operationes Donorum tendunt circa honestatem creatam, Deoque inferiorem: Ergo non in ordine ad Deum. Antecedens probatur per singula discurrendo, & attentis eorum nominibus, & quidditatibus, quæ si perpendantur, non Deum ipsum immediatè, sed aliquid infra Deum respiciunt, de quo in principio hujus q. præterquam quod, vel omnia septem habent Deum pro objecto immediato, vel aliqua; si namque tres, quas Ecclesia agnoscit, erunt Theologales virtutes; si verò dicatur, quod aliqua tantum; non est assignabilis ratio cur ista, & non reliqua Deum respiciant immediatè, ut sint aliis deteriora: Ergo ne hoc sequatur inconveniens, dicendum erit, quod honestas illa supra assignata superna, & creata sit omnium horum Donorum materia: Ergo confundi nequeunt cum Theologalibus habitibus: Ergo sunt aliquid ab eis distinctum.

351. Conclusio tertia: Dona hæc Spiritus Sancti, in famosa acceptione considerata, sunt in sua specie distincta à virtutibus moralibus cardinalibus adhuc supernis, & infusis. Conclusio hæc est frequens inter Thomistas, & videtur esse Div. Thomæ 1. 2. q. 68. & alibi; aliorumque antiquorum, & recentiorum, ut videre erit apud D. Exim. lib. 2. cap. 17. De ea non habemus in R. expressum aliquid in dist. citat. 3. ceterum in 4. dist. 14. ubi de virtute penitentiae aliquid adumbratur, ex quo eam deducere possumus; ideoque illis innixi, quæ in ea dist. asserit, & ex quibus hanc eandem conclusionem probat Elif. Nost. in tract. 4. de Sacrament. dist. 1. q. 6. art. 2. & deinceps, nostrum assertum probare possemus.

352. Primòque probatur: Dona Spiritus Sancti sunt virtutes, & habitus superni, quibus homo inclinatur ad operata, & extraordinaria ex divino impulsu, & instinctu motus; sed tam habitus hujusmodi, quam ejus actus in sua quidditate differre debent ab aliis actibus, & virtutibus communibus, etsi supernaturalibus: Ergo distinctione ea distinguuntur Dona Spiritus Sancti à reliquis virtuti-

bus. Major videtur certa; siquidem Spiritus divinus, qui, ubi vult, spirat, agit in nobis quadam specialia opera conformiter ad id, quod legitur in ad Roman. 8. & de Christo Luc. & Marc. 1. & talia, quæ frequentia non sint, nec communia, ut innotescat ejus virtus, motio, instinctus, impulsus, & hæc quidem propriè dicuntur fieri à nobis, & in nobis in vi quorundam habituum, & habitatum, quibus disponimur ad eam motionem, & impulsus; atqui hos habitus vocamus Spiritus Sancti Dona: Ergo sic nobis suam effectum operantur. Minor principalis probatur: Habitus isti, & virtutes taliter operativæ, quæ Dona Spiritus Sancti denominantur, tendunt in alia opera superna, vel aliud objectum formale respiciunt, ac virtutes communes adhuc infusæ: Ergo ab his in sua specie distinguuntur; cum prænes objecta formalia accipiantur unitas, aut distinctio specifica habituum, & actuum: Ergo semel, quod verificemus, quod objectum earum virtutum, quas vocat Theologia communiter, Dona Spiritus Sancti sit diversum formaliter ab objecto aliarum omnium virtutum, intentum habebimus.

354. Assumptum, quod est illud antecedens, probatur: Objectum, seu materia horum habituum non sunt actus, & eorum termini secundum suas entitates accepti, sed quatenus regularentur per prudentem rationem, & idem dicendum est de objecto specificativo omnium aliarum virtutum moralium; siquidem illius honestas objectiva, & moralis bonitas habetur per conformitatem ad prudentiam, quæ est recta ratio agibilium; ideoque idem objectum manens idem in sua entitate, & aliter, ac aliter per prudentiam regulatum, posset in unius prosecutione honestatem parere, in alterius verò, vitium, & deonestatem: ut studium, auditio facti, jejunium, &c. si indebitè, & indebito modo, opportunitate, & tempore ab hoc vel illo prosecutionis, & istud est medium intentionale virtutis, quæ ab unica prudentia mensuratur, & accipitur; sed materia habituum superiorum, qui Dona sunt Spiritus Sancti aliter regularatur, & dirigitur in sui prosecutione, ac eadem materia, ut assequibilis per alias virtutes: Ergo aliud est ob-

objectum illorum, & istarum: Ergo aliam, & aliam pariant honestatem in potentis elicitivis; sicut supra dicebamus de virtutibus infusis ad adquisitionem comparatis.

355. Minor probatur: Prudentia supernaturalis dirigit, & regulat humanas potentias ad horum operam assecutionem, & ad materiam istius arduitate per extrinsecum, & superiorem motum, & instinctum Spiritus Sancti applicata, & veluti determinata; sed prudentia, quæ hoc modo dirigit, & dirigit agenda, & profequenda, aliter regulat ac in communi exercitio, & dictatione operis ad huc superat: Ergo diversa est utriusque prudentiæ supernæ regulatio. Major est certa, accepta doctrina de Donis Spiritus Sancti; & minor probatur: Ad opera superna communia assequenda, & profequenda sola, & unica prudentia dirigit, & unice ducit ab intrinseco rationis lumine regulis fidei Christiani imbuto, & vestito, seclusa alia motione Spiritus Sancti; sed prudentia in agendis per Dona Spiritus Sancti, vel secundum ejus speciales virtutes, alio longe superiori modo se habet; nimirum ut specialiter à Spiritu Sancto mora, & stabilitata: Ergo prudentia hujusmodi aliter dirigit fienda, quam alia communis: Ergo honestas supernaturalis horum alia est in sua quidditate: Ergo & moralitas objectiva: Ergo & objectum formale specificans utriusque ordinis virtutes infusas, & supernas, quæ Dona sint Spiritus Sancti.

356. Secundo probatur conclusio: Actus heroici virtutum, eorumque habitus specie differunt ab aliis communibus; sed actus proprii Donorum sunt heroici, sicut sunt Dona ipsa Spiritus Sancti: Ergo specie differunt à virtutibus communibus. Minor debet esse certa: Nam virtus heroica ea est, quæ homines facit pueros Dei, vel Dei similes, in modo elevationi operandi, ut est doctrina D. R. ibi ex Arist. 6. & 3. Ethicor. ac denique homines facit operari ex instinctu divino, ut ait idem Playlos. de bona fortuna cap. 7. ad hæc verba: *His enim, qui moventur instinctu divino ad actus heroicos non debent consiliari; sed solum Donis Spiritus Sancti modus iste operandi tribuitur: Ergo propria, & perfecta hæroicitas operum moralium solum convenit virtutibus iis,*

quæ sint Spiritus Sancti Dona. Major vero principalis probatur: Hæroicitas actuum moralium, si perfecta sit, & superna, est altissima, & supra communem modum cujusvis virtutis; sed quidditas virtutis, quæ taliter altior est, & divina, est necessario diversa à quidditate virtutis alterius communis: Ergo quidditas actuum, qui hæroici sint, differunt quidditative à natura aliorum communium.

357. Conclusio quarta: Habitus Donorum Spiritus Sancti includunt virtualiter gradualiter habitus virtutum infusarum, & isto modo ab his distinguuntur. Conclusio hæc est conformior celebri huic distinctionis generi, quod R. non semel aprobat, & amplectitur ut inter esse, & essentiam, naturam, & subsistentiam, & alibi; ac ad divina ascendendo inter intelligere, & dicere, praxim, & speculationem, &c. de eaque Elteus N. loco citato, & nos sæpe in decursu nostri operis, primoque probari potest ista generali ratione: Distinctio inter eas quidditates, quarum una includit aliam, eamque præsupponit tanquam gradus quidam communis, inchoatus, & imperfectus aliaque realiter separabiles sint, est virtualis, gradualis, ac per modum quidditatis includentis ab inclusa in eadem reali entitate adunata; sed hoc modo concipere debemus Dona Spiritus Sancti cum aliis virtutibus infusis comparata: Ergo & taliter includuntur illa in istis, & hac eadem distinctione virtuali graduale distinguuntur. Major constat: siquidem inter præfata versari debet distinctio aliqua, quatenus inter ea intervenit separabilitas, & idem à se ipso separari nequit; sed non entitativa, & actualis: Ergo realis gradualis; hoc est, juxta diversos gradus ejusdem entitatis habita, & in ea virtualiter inclusa.

358. Minor verò, in qua est tota difficultas, probatur: Materia Donorum Spiritus Sancti eadem est entitative in quantum regulatur supernaturali prudentia, & subest instinctui Spiritus Sancti, solumque differunt essentialiter, & quidditative quatenus sic, vel sic regulatur, & dirigitur: Ergo habitus earum virtutum, & Donorum idem entitative est,

& solum quoad diversas quidditates in eo inclusas diversus, & distinctus; atqui non actu, & secundum entitates: Ergo virtute, & secundum diversos gradus ejusdem entitatis. Assumptum probatur, & exemplificemus in fortitudine; hæc enim potest primo accipi purè naturaliter, & physice, pro scilicet, corporis robore; & potest accipi moraliter, cæterum naturaliter; & in hac acceptione pertinet ad unam ex Cardinalibus per se acquisitis; potest præterea considerari prout regulatur supernaturali prudentia in ordine ad fortia patranda propter æternam vitam, isto modo est, & dicitur virtus superna, & infusa; ac denique potest homo per istam virtutem valiter fortia agredi, ut sit motus Spiritus Sancti instinctu, ut apparet in iis, qui ultro se precipites dederunt igni, & gladio in fidei protestationem; & hæc est fortitudo Donum Spiritus Sancti. Ex quibus duabus primis acceptionibus, ut impertinentibus omisis, ex tertia, & quarta assumendum est medium hic probativum.

359. Actus fortitudinis in ultima harum acceptione, & prout est Donum Spiritus Sancti includit fortitudinem eam, quæ regulatur prudentia superna, & infusa; sed non actu, & per modum alterius formæ: Ergo virtualiter, & veluti gradus quidam ejusdem entitatis. Major constat: siquidem præter Spiritus Sancti instinctum aliqua interior dictario desideratur ad quodcumque opus supernum; sed hæc est prudentia infusa: Ergo hæc, quæ est ex impulsu Spiritus Sancti. Et minor illa etiam liquet; nam in illo actu fortitudinis non exitit prudentia infusa, ut actuale regulativum, istud enim fuerat Spiritus Sancti impulsus: Ergo regulatio prudentiæ infusa, & fortitudine habita ex Spiritus Sancti instinctu. Ex quibus sequitur consequentia prima: Ergo sibi est considerare fortitudinem prudentiæ infusa regulatam, & non per modum formæ, & actualiter, præcisè erit per modum gradus formæ cujusdam, & sic gradualiter virtualiter totum contineret: Ergo fortitudo virtus infusa continetur in habitu fortitudinis, qui esset Spiritus Sancti Donum; & isto modo distinguenter, salva manente spe-

pecifica distinctione inter ea: Et idem dicendum erit de aliis Spiritus Sancti Donis.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

360. **P**rimo arguitur contra primam conclusionem: Si Spiritus Sancti Dona essent habitus superni, essent, & virtutes, & intransitive ad aliud, infusæ: Ergo dato quod essent habitus, non distinguenter formaliter, & quidditative à virtutibus infusis. Patet hæc consequentia per exemplum de fortitudine: Si enim fortitudo, quæ est Donum Spiritus Sancti esset habitus, & supernaturalis, diceretur etiam virtus supernaturalis, & infusa; nimirum fortitudo, quæ est Donum Spiritus Sancti cum illa, quæ esset una ex Cardinalibus infusis; siquidem utraque subiret eandem denominationem intrinsecam. Primum, & principale antecedens probatur per illam receptam definitionem virtutis supernæ, quæ Aug. tribuitur: Est ergo hæc virtus bona qualitas mentis, qua nullus male utitur, & quam Deus in nobis sine nobis operatur: Ergo si Dona Spiritus Sancti sunt habitus infusi, illam eandem obtinent definitionem.

361. Hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum quorundam antiquorum DD. quod Vazquez ibi recenset, facili negotio responderetur iis innixi doctrinis, quas supra dedimus ex R. Duplicem namque distinguimus virtutem, nempe virtutem communem, & hæroicam, etsi inter se solum quadam virtuali graduale distinctione, adhuc specificæ, & includentis ab incluso, distinguantur; quæ diversitas suum locum obtinere dedimus, tum in naturalibus, tum in supernis virtutibus; ex quo deducimus, quod hæroica non degenerat à propria, & essentiali quidditate virtutis, ideoque tam virtus communis infusa, quam hæroica, & quæ sit Donum Spiritus Sancti est bona qualitas mentis, &c. nec ex eo confunderentur in suis essentiis; nam virtus communis esset bona hujusmodi qualitas tanquam gradus quidem inclusus.

in heroicâ virtute, quæ illi superadderet motum, & instinctum specialem Spiritus divini ut in suum respectivè actum exeat. Utraque etenim fortitudo v. g. est virtus superna, & bona qualitas mentis, sed ea, quæ est virtus communis, inclinatur ad actus regulatos interiori prudentia infusa; alia verò fortitudo, quæ sit Donum, ad hos eisdem actus concurrat similiter relata, cæterum ulterius addit motum specialis instinctus Spiritus Sancti: de hoc postea iterum.

362. Secundò arguitur: Ut dona Spiritus Sancti sint habitus supernaturales à virtutibus communibus infusis distincti, deberent rationem aliquam specialem subire, vel illi specialiter subesse; alias multiplicarentur sine ratione, & sine necessitate; sed nulla ratio hæc subesse videtur hinc inde distincta in virtutibus, & Donis: Ergo nec inter se quidditativè distinguuntur. Major est certa, & minor probatur: Ea diversa ratio, quæ poneret distinctionem inter virtutes, & habitus, esset objectum diversum, ac est actuum eorum, qui ab eis elicerentur; sed objectum eorum actuum, qui pertinent ad virtutes, & eorum, qui sunt proprii Donorum, non est diversum: Ergo nec rationi formali diversæ subsunt eæ virtutes, & Dona. Minor probatur per singula discurrendo; & in primis objectum actuum eorum, qui pertinent ad intellectum in Spiritus Sancti Donis, nituntur divino testimonio, siquidem superni sunt; & ecce ratio propria fidei; in eis verò, quæ pertinent ad voluntatem, vel relacet objectum proprium charitatis, ut in Dono timoris filialis Dei, vel spei, ut videre est in dono fortitudinis, cujus actus exercetur ad bonum divinum affequentium: igitur eadem est ratio objectiva actuum virtutum, & Donorum.

363. Ad argumentum, quod est fundamentum contrarium, & cui fidei Vazquez ibi, responderetur negando majorem, ad cujus probationem similiter negatur minor, & ad eisdem probationem dicimus; quod objecta eorum actuum, qui tanquam Dona Spiritus Sancti reputantur, etsi necessario supponant proprias rationes objectivas Theologiarum virtutum, ut potè solum ab homine justo elicti, & harum sequela, ut supra

in principio q. dicebamus; non tamen cum his confunduntur, sed in eis apparet sua quidditativa, & essentialis objectiva diversitas: Sic ratio objectiva sapientiæ Doni non est veritas divina in dicendo, vel divinum testimonium, sed certitudo quadam habita in homine justo in iis, quæ divino testimonio innixus credit, ut ex illis infallibiles inferat conclusiones supernas & divinas, indubitanter cognoscendalia esse principia, & aliter esse non posse; & ad hoc motus, & habitatus ex instinctu Spiritus Sancti; unde objectum fidei non est hujus Doni objectiva ratio, sed aliud quid ad illud subsequutum; & eodem modo per singula alia discurrendum censemus.

364. Sed contra: Certitudo ea, & infallibilitas sapientiæ, scientiæ, & intellectus, quatenus sunt Spiritus Sancti Dona, necessario sunt judicia summa circa supernaturales veritates, quæ unice inniuntur divino testimonio, sint de principiis, aut de conclusionibus, aut alia quavis objectiva ratione; sed iudicium taliter firmum, & infallibile, cujus fixus assensus habetur præcisè à divino testimonio est actus fidei: Ergo eadem est fidei ratio, ac horum Donorum. De hac instantia latissimè Exim. Suarez hic; & quia ad suas doctrinas stabilendas unice fundatur in quadam conjecturali ordinatione prædictorum habituum, eadem & nos utimur cathogoria juxta eorum constitutionem ad mentem D. R. Propter quod ad instantiam dicimus: quod Dona ea assignata, etsi præsupponant necessario ad suos respectivè actus fidei divinæ firmitatem, formaliter tamen sunt actus quidam veluti reflexivi supra illos, in quantum scilicet, per sapientiam, v. g. ea principia fidei divina revelata, & ratione divini testimonii firmiter judicata, certò cognoscitur ita esse in se, & in ordine ad supernas conclusiones demonstrandas. Est enim sapientia in idea R. cognitio rei per causam, & quod ita est causa, ut contra eam nisi obesse possit, à quo præcindit scientia, quæ unice tendit ad conclusiones, ut ex suis causis, & principiis deductas.

365. Tertio arguitur: Habitus Donorum, ut specie distinguantur à supernis virtutibus debent tendere circa diversam

sam objectivam rationem ac sunt eæ, quas respiciunt præfata virtutes supernæ, & infusæ; sed non est assignabilis hæc diversitas objectiva in eis: Ergo nec talis specifica distinctio. Minor probatur: et sic apertius exemplar in fortitudine infusa, & quæ simul est Spiritus Sancti Donum: In hac eadem enim est materia, idem objectum, æqualis honestas in ejus actibus, nimirum, dura, & difficilia aggredi propter Dei honorem, & æternam vitam: Ergo non est assignabilis ea diversitas objectiva fortitudinis infusæ, & ejus, quæ sit Spiritus Sancti Donum. Facilis est ad argumentum solutio: Quod licet sit eadem utrobique materia, & objectum, materialiter acceptum, non est eadem formaliter honestas utriusque; siquidem materia fortitudinis præcise infusæ est regulata communibus legibus prudentiæ supernaturalis; alia verò præterea addit specialem institutum Spiritus Sancti ad cujus nutum homo moveretur ad grandia, & fortia patrandæ.

366. Sed contra: Actus quicumque fortitudinis supernæ, & ad æternam vitam ordinatæ, necessario est ex divino instinctu, specialique motione, & illustratione Spiritus Sancti: Ergo non est sufficiens supra assignata diversitas inter eos habitus. Antecedens probatur: Actus ille fortitudinis quatenus virtus est præcisè supernaturalis, est ab homine elicitus ut motus à Deo, & excitatus, ad jutos, & elevatus auxiliis iis supernæ gratiæ, quæ ad tam præexcellens opus desiderantur; sed auxilia hæc sunt divinæ motiones, instinctus, & illustrationes Spiritus Sancti & charitatis Dei; de quo textus frequentissimè: Ergo, Responderetur, quod apparet diversitas inter eos actus; ii namque, qui à fortitudine, ut virtus præcisè est, eliciuntur à Deo communiter excitante, & movente, habentur; cæterum legibus communibus prudentiæ supernæ regulati, & directi per eam scilicet consultationem mediocrum, & electionem, quæ distaverit conformia; at verò actus fortitudinis, qui sit Spiritus Sancti Donum, non sic eliciuntur, sed fortitudinis hujus infusæ præsupposita virtute, ulterius habilitatur homo per aliud Spiritus Sancti donum, ut sit à Deo

prompte movilis, ut ad ejus instinctum, quasi inconsultè sortia & grandia aggrediatur: & in hoc sensu loquuntur sacra Litteræ, tum de fortitudine ut virtus est, & ut Spiritus Sancti Donum, etsi non ita expresse.

367. Quartò arguitur contra ultimam conclusionem: Habitus virtutum supernaturalium separabiles sunt à Donis Spiritus Sancti: Ergo non modo gradualiter, verum entitativè distinguuntur. Pater antecedens: In homine fideli peccatore, in quo non manent Spiritus Sancti Dona, in ipso permanentibus virtutibus supernis, de quo Trident. clarè de fide, & spe. Responderetur quod in peccatore ex remanent virtutes in esse imperfecto, non verò in statu perfectionis, sub quo dicimus; quod in Donis Spiritus Sancti virtualiter includuntur, & ab eis solum gradualiter distinguuntur: & in hac acceptione non est in eis assignabilis ulla realis separabilitas. Aliiter respondere possumus conformiter ad doctrinas metaphysicas essentialis, & existentis, naturæ, & subsistentiæ, quod, scilicet, non separantur sicut duæ res, sed sicut, gradus unius à gradu ipsius, ejusdemque entitatis, & realitatis.

367. Sed contra: Non ita se habent Dona ea ad virtutes infusas, sicut subsistentia ad naturam: Ergo non est eadem solutio. Antecedens probatur: Dabilis non est subsistentiæ, & existentis gradus ultimus absque gradu naturæ, & essentialis; atqui non ita se habent Dona Spiritus Sancti ad eas virtutes communes infusas: Ergo non est eadem utrobique ratio. Minor probatur: Potest enim exerceri actus v. g. ex divino instinctu præcisè, quin præcedat gradus alius virtutis communis fortitudinis: Ergo non ita se habent. Antecedens probari potest per actus fortitudinis Sampsonis, & aliorum, in quibus nulla apparet consultatio ea prudentiæ supernæ communis, quia per prius actus illi quasi inchoarentur, & fieri inciperent. Ad instantiæ solutionem habemus doctrinam in R. 1. dist. 1. q. 2. art. 3. §. 2. ubi docet, quod eminenter gradualiter continetur actus inferior superiori, quando scilicet objectum inferioris altiori modo attingitur a su-

periori: Ergo actus fortitudinis infusa gradualiter, eminenter, & virtualiter continetur in ea, quæ est Donum Spiritus Sancti liquidem objectum illius virtutis communis altiori modo attingitur ab ea, quæ est Spiritus Sancti Donum: Igitur actus illi Sampsonicæ fortitudinis virtualiter gradualiter, & eminenter includebant actus inferiores fortitudinis ordinatæ. Vel dic, quod et si non conitatur de aliis actibus hujusmodi communibus, necessario colligi debet, ut rectus ordo virtutum assequatur.

368. Ad calcem hujusq. immò, & tractatus de Beatitudinibus, & fructibus Spiritus Sancti, agere proposuimus, de quo D.D. in 3. dist. 35. & ibi R. Div. Thom. 1. 2. q. 69. & 70. Conveniunt communiter contra antiquos aliquos, quos citat. Suarez lib. 2. cap. 21. Beatitudines non esse habitus quosdam, & virtutes peculiâres, quæ ab infusis communibus, & Spiritus Sancti Donis formaliter distinguantur, sed esse actus supernos adeo excellentes, ut illis Christus Dominus veluti assecuret præmium, & brabium, & in hac vita, & infutura, ut expressè constat in Evang. Matth. 5. & Luc. 6. & hoc erat fundamentum, & sententia R. ibi: De beatitudinibus sentiendum est, secundum quod per litteram textus datur intelligi; ex Evangeliiis constat, esse actus quosdam excellentes, & supernos ut

potè attinentes ad præmium æternæ felicitatis: Ergo ita sunt.

368. Et conformiter ad istum discutendi modum, fructus Spiritus Sancti, quos enumerat Paul. 5. ad Galat. non esse delectationes quasdam, ut quidam autumnarans ad actus earundem beatitudinum subsequutas, quia deficerent a vera perfectione fructuum Spiritus Sancti: nam actus supernus sit, aut naturalis, perfectior est delectatione ea, quæ ad illius elicentiam sequatur; unde superest, ut cum R. teneamus, quod fructus illi enumerati à Paul. & alii ibi, non expressè sunt actus Donorum ejusdem Spiritus divini, qui ideo fructus Spiritus dicuntur, quia sunt præmia illa, quæ talibus beatitudinibus respondeant: hæc est doctrina Expressa R. cui non opponitur communis sensus Theologorum recentiorum absolute tenentium fructus Spiritus Sancti esse actus illos excellentissimos Donorum, qui Spiritui Sancto attribuantur, quatenus ab homine justo eliciuntur ex ipsius speciali instinctu. Hucusque Tractatus de Gratia in suo esse veluti phytico inspecta, o! Cedat ad laudem Dei omnipotentis, ejus Sanctissimæ Matris Mariæ de Monte Carmeli, omniumque Sanctorum, & Sanctarum triumphantis curiæ, & specialiter Sanctæ Mariæ Magdalensæ de Pazzi specialissimæ hujus operis ad voca-

ta. Amen.



THEO.



THEOLOGICÆ
BACCONICÆ
SPECULI
TRACT. XIII.
DE JUSTIFICATIONE
IMPII.
PROOEMIUM.



PERE PRETIUM FIT MAXIMUM (CARMELITÆ charissimi) ut in hoc Bacconitano Speculum Tractatum specialem instituissemus de primoribus effectibus sanctificantis gratiæ, ut in iis lucidior appareret & notitia Deificæ sanctitatis, & mundities rationalis animæ clarior reluceret: Utrumque concinit Reg. Pf. in Psal. 50. *Cor mundum crea: :: Et Spiritum rectum innova, &c.* Ac utrumque hoc complectitur duplex gratiæ ministerium, animam videlicet justificare, eamque à delictis expiare, sicut & peccata dimittere; ideòque de utroque agendum separatim censuimus, ut ad quid est hujus gratiæ pertingere valeamus. Agite nunc, haurite aquas de fontibus salvatoris, venite, emite absque auro, & argento, aliave qualibet commutatione ac purissimum sanctitatis, flagrantissimumque vinum eximie charitatis, ut iis saginati, & delectati, veramque sanctorum scientiam adepti, justitiam Dei discatis, omnesque vias justificationis toto cordis, ac mentis affectu requiratis. Valet.

Tom. II.

Oz

QUÆ

QUÆSTIO I.

De existentia, & quidditate
justificationis im-
pii?

1. **D**E hac impii justificatione diffusius DD. ii, qui post præclarum Sacri Generalis Trident. Conc. scripserunt ob rationem (ni fallor) quæ in præmio sess. 6. ejusdem legitur: *Cum hoc tempore, non sine multorum jactura, & gravi Ecclesiasticæ unitatis detrimento, erronea quedam disseminata sit de justificatione doctrina: Exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram, sanamque doctrinam ipsius, justificationis, quod & factum legitur per undecim continua capita in eodem Conc. reserata: In quibus existentia, quidditas, circumstantiæ, & ea omnia, quæ præcedunt, & sequuntur impii justificationem, declarantur, definiuntur, & determinantur.*

2. Circa quæ aliquæ exitantur Theologicæ quæstiones, & non leves emergunt difficultates, de quibus, & nos semitas D. R. sequendo nostras adjicemus resolutiones; & per prius scire convenit, quod in præsentis tractatu solum de impii justificatione instituitur sermo: tum quia sic de ea textus, Conc. & PP. tum quia de alia specie, justificationis, quæ scilicet, habetur per modum generationis puræ, & non transmutationis de uno statu in alium; & hoc præcisè de privatione ad formam, ut est ea, quæ propria fuerat Angelorum, & primorum parentum respectu originalis justitiæ, sufficienter habetur in suis respective tractatibus; unde solum restabat, quod de præsentis singulariter ageremus, & quatenus de illa tot irrepleverant errores, & etiam quæ alio & alio modo se habent in suis quidditatibus.

3. Ac per prius scire convenit, multiplicationem accipi verbum *justificatio*, ut ex multiplici ejus usurpatione videatur,

quam faciat ad præsens, & conformior sit menti DD. ad sensum Ecclesiæ. Et primò præfatum verbum est in utroque foro satis commune, & frequenter ulitatum apud judices, & Patronos causarum; idèque eo utuntur in pronuntiatione sententiæ, & declaratione justitiæ partium, ad quod alludit illud Prov. 17. *Qui justificat impium, & condemnat justum, abominabilis est interque apud Deum: ad hunc modum reductur alia acceptio justificationis, nimirum prout dicit defensionem, seu alicujus excusationem, sive denique jus alicui dicere, & declarare, de quo extant Textus Sacri utriusque pagina. Aliter, & salubrius, spiritualitque sumitur verbum *justificatio* ex litteris sacris, videlicet, pro justitia, & animæ sanctitate gratis data, & accepta, qua ex peccatore homo justus constituitur: Pro quo plura habemus divinitus revelata, & hoc unum Paul. ad Rom. 3. sufficit; *justificati gratis per gratiam ipsius.* Et ecce præsentis materiæ assumptum.*

4. Conclusio prima: Datur de facto justificatio impii, & hominis peccatoris: Est de fide, constat in sacris litteris, definita in Conc. & semper in Ecclesia Catholica firmiter stabilita. Pro hac conclusione nulla alia assignari potest ratio, quam Gratia, benignitas, & humanitas salvatoris nostri Dei, qui non ex operibus justitiæ, quæ facimus nos, sed secundum misericordiam suam nos eosdem vocavit in sortem sanctorum, cum essemus natura filii iræ, ad quod Deus ipse Pater totius consolationis proposuit filium suum propitiorem per fidem in sanguine ipsius, ut Judæi, qui sub lege erant, & Gentes, qui non sectabantur justitiæ, justitiæ recipere, justificationem apprehenderent, atque omnes in adoptionem filiorum admitterentur: At beneficium hoc cum non omnibus fuisset applicatum, sed iis solum, quibus meritum passionis Christi communicatur, siquidem nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, idè et si pro omnibus mortuus sit, non omnes gratiam justificationis accipiunt, sed aliqui, & his horatur Apost. Gratias Deo semper agere debere, quia dignos illos fecit in sortem sanctorum vocari, & eripi à potestate tenebrarum.

5. Con-

QUÆSTIO II.

Utrum justificatio impii habeatur de facto per veram formam inhaerentem, non solum ut dicit interiorem hominis renovationem, sed etiam in quantum est remissio peccatorum?

7. **I**Nstituitur præsens dissertatio propter Hæreticos unice, qui sicut antiquis temporibus insurrexerant contra gratias actuales prævenientem, & adjuvantem, sic successivis sæculis contra sanctificantem, & gratum facientem sua etiam falsa dogmata evomerant. Hujus farinae fuerunt Luther. Calvin. Bezza. Melanct. Osiand. Kemnit. & horum sequaces: infelicia zizania sæculi 15. quæ isti inimici homines super sanam Ecclesiæ terram seminaverunt. Nullus enim negaverat hominis impii justificationem, omnesque profitebantur peccatorum remissionem, ut non ita in faciem resisterent sacris litteris utrumque declamantibus; ceterum insania quadam veluti insanientis in medicinam, qua celestis medicus hominem saucium culpam infirmitatibus curare decreverat, nunc eo temporis ita ab errarunt.

8. Non immorabor in eorum deliramentis singulatim exponendis, tum quia innumerabilia sunt, & inconnexa; tum quia apud DD. majoris notæ satis superque expugnata leguntur, & etiam quia non multum deservit præfata notitia ad meum præassumptum intentum; solum ergo referam eas doctrinas generali quadam veluti enarratione, & solum jure, quo per S. Conc. Trident. anathematizantur. Negant enim uniformiter, perfectam gratiam inhaerentem creatam, vi cujus homo impius justificatur: Tenent aliqui ex eis, quod hujusmodi justifi-

5. Conclusio secunda: Natura, & essentia justificationis impii describitur per esse translationem ab eo statu, in quo homo, nascitur filius Adæ primi in statum gratiæ, & adoptionem filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum salvatorem nostrum per lavacrum regenerationis sive in re, sive in voto receptum. Descriptio hæc habetur terminis expressis in Trident. Citat. cap. 4. & bene dicitur descriptio, tum quia immediatè post, aliam de justificatione affert quidditativam definitionem, ac præterea, quia hic quali per causas, & effectus declaratur essentia illius, & natura: legantur accuratè cap. 4. & 5. Per primum enim Adam, quasi per causam demeritoriam omnes nascimur filii iræ, ac per ejus inobedientiam peccatores constituantur multi; ceterum ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, & per secundi Adam inobedientem translatus sumus ad statum justificationis, ita ut qui à Deo per peccatum averfi erant, per Dei exitantem, atque adjuvantem gratiam, se ad suam ipsorum justificationem, præparent, & disponant.

6. Conclusio tertia: Justificatio impii vera, & stricta definitione definitur per hoc, quod sit interior renovatio hominis per voluntariam suceptionem, gratiæ, & Donorum; ex qua duo sequuntur, & quod non sit sola remissio peccatorum, & quod per eam homo ex injusto fiat justus, ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Est Trident. ubi supra cap. 7. Probaturque primò; quia est clarior, & expressior notitia justificationis impii tradita per immediata prædicata, quorum unum se habet ut genus, ut differentia aliud; interior etenim renovatio hominis est commune prædicatum, quatenus convenit per illud justificatio impii cum aliis, quæ non sunt hujusmodi, disertè verò per gratiæ, & Donorum suceptionem: Complectitur quætorum quid est justificationis impii, supposita de ea divina revelatione. Aliter namque de illa loqui non sufficimus. Argumenta hæreticorum, quæ faciunt circa hoc, infra dabuntur.

justificatio sit unice peccatorum remissio, et si hanc remissionem, nec placationem, aut Dei condonationem asserant, denominari debere, sed veluti quamdam non imputationem delictorum; ex his vero, qui mordicus negant gratiam interiorem justificationis, solum admittendam judicant gratiam quendam exteriorem talibus justificatis per fidem applicata, quaeque sit apud quosdam justitia Dei, & apud alios, Christi sanctitas, in sensu proprio loquendo.

9. Haec summatim sunt talium Haereticorum placita, at priusquam contra ea nostras proponamus conclusiones, supponendum est, hic nos praescindere à natura, & quidditate formae justificantis, vel ad quod genus praedicamentale pertineat? Num sit actus, an potentia? Habitus, vel dispositio? Nam hoc pertinet ad aliud institutum, sicut nec de ea aliquid habemus revelatum; nec item; sit ne sanctitas, aut justificatio taliter propria formae inherens, ut illi ex rei natura, & ex sua quidditate conveniat impium justum facere, & sanctificare? Nam hoc ultimum valde torquet Theologorum ingenia; ideoque inter eos est non levis difficultatis argumentum, infra in particulari decisione dabimus nostrum placitum ex R. cum quo etiam de reliquis dubiis differemus. Nunc sit ad intentum.

10. Conclusio prima: Justificatio impii habetur per unam formam creatam, animaeque inherentem. Est de fide, expressa in Trident. sess. 6. cap. 7. sic: *Id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusmodi Sanctissima passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaerent.* Item eadem sess. Can. 11. *Si quis dixerit homines justificari, vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & ebaritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat: Anathematis.* Doctrina Canonica Concilii deducta habetur ibidem ex variis locis sacris, & textibus utriusque testamenti, quos dabimus ad litteram, & juxta eos:

11. Secundò probatur conclusio: Per textus utriusque testamenti, & sit

primus ex illo Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis;* ex quibus istud conficimus argumentum: Munditiam, quam Propheta expetebat à Deo creari in corde suo, est justitia, sanctitas, & rectitudo ipsius interior; ut ex subsequenteribus clausulis constat, per illud: *Spiritum rectum,* & specialiter per verbum *innova;* sed munditia, rectitudo, & sanctitas à Deo creata necessario debet esse forma inherens: Ergo ea munditia, per quam rectificatur, sanctificatur, justificatur, & innovatur intus homo, est forma creata in ejus anima inherens. Sylogismus concludit Haereticos, & maxime stante doctrina Philosoph. ab eis recepta, & approbata, quod omnis creatura, quaecumque sit, est substantia per se existens, vel accidens in substantia inherens: Ergo semel habitus, quod munditia animae sit in homine creata, ut expressè constat ex illo: *Cor mundum crea,* & quod substantia non sit; ut colligitur ex illis verbis: *Et spiritum rectum innova,* quae inexistentiam indicant; legitime deducitur, formam esse accidentalem, & inherentem.

12. Ad haec faciunt plura novi testamenti, & quae passim leguntur apud DD. & maxime eorum, qui tempore controversiae horum Haereticorum floruerunt, unum dabimus, aut aliud pro conditione materiae; & sit 1. & illo 1. Joann. 3. ubi satis expressis verbis sermonem instituit de justificatione in Dei, & proximi dilectione fundata: *Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.* Quibus adjungi debent ea, quae ibi habentur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: Ex quibus arguo: Ea charitas, quae à Deo patre nobis donatur, & datur, ut filii ipsius simus, & denominemur, est semen, & veluti virtus Dei, à Deo descendens, nobis datum, & in nobis manens: Ergo quid verum, reale, & à Deo ipso distinctum: Ergo quid creatum in nobis inexistens permanenter; sed hoc est forma justitiae: Ergo haec est creata, & inherens in anima.* Audiatur Paul. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ecce Spi-

ritus Sanctus Donum Dei, & nobis datus: Ecce charitas per eam nostris cordibus diffusa; quid clarius pro astringenda forma cor nostrum mandante, & à divino Spiritu distincta, ac denique, ut pote creata, in eodem corde inherente?

13. Tertiò probatur conclusio ratione congruente, quam habemus in R. in 1. dist. 17. & quod l. 1. q. 2. & est in hunc modum: Status justitiae, & sanctitatis est status nobilissimus, & perfectissimus: Ergo debet haberi per formam, quae eidem statui connaturalis sit, & aliunde perfectissima, si possibilis est praefata forma creata inherens hominem justificans, quod nullus haereticus negabit: Ergo per hanc habetur de facto hominis impii justificatio. Assumptum probò: Concretum quodlibet verum, & reale, ut connaturaliori modo consideretur constituere debemus per eam formam, quae ipsi connaturalior sit: Ergo concretum, & complexum hoc *homo justus* connaturaliori modo consideratur, si per formam creatam ipsi intrinsecè receptam concipiamus constitutum. Alii aliis probant rationibus intentum hoc, ceterum, meo videri, non satis urgentibus, ideoque eas praetermitimus.

14. Secunda conclusio: Forma creata justificans impium est & remissiva peccatorum. Est etiam de fide in Trident. Definita ea 6. sess. cap. 7. *id tamen in hac impii justificatione fit: Ut in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inscribitur, fidem, spem, & charitatem.* Declaratio haec desumpta est ex textibus sacris, ubi satis clarè legitur, gratiam justificationis impii esse ipsius remissionem peccatorum, ut sunt illud Ps. 50. *Lababis me, & super nivem de albor;* & Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris:* Et 1. Joan. 1. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Alia quam plurima possent in medium produci, quibus orthodoxa fides de hoc puncto habetur; ceterum, quia alio tendit haereticorum versutia, ideo contra eorum doctrinas erit haec

15. Tertia conclusio: Remissio peccatorum per gratiam justificationis habita in homine impio est vera, & pro-

pria remissio, & non modo suorum peccatorum non imputatio veluti extrinseca Dei. Est etiam expressa in Trident. variis in locis, ubi de impii justificatione definiendo, sic de ea loquitur. Praeterea in sacris litteris utriusque testamenti constat, Deum verè remittere peccata suis mediis Sacramentis in re, aut in voto susceptis: ut ex illo Ps. 50. *Lababis me & super nivem de albor;* & in Isa. 1. *Si fuerint peccata tua ut concinnum, quasi nix dealbabitur,* & quam platina alba tam veteris, tum novae paginae, ut Joann. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi;* & Act. 3. *convertimini, ut deleantur peccata vestra: sed dealbare, transmutare tenebras peccati, eaque tollere, est verè, & propriè remittere: Ergo per Sacramenta debite applicata verè, & propriè remittuntur peccata.*

16. Praeterquam quod: Verba Scripturae debent accipi in sensu proprio, & stricto, quando & aliis concordant, ac nullum ex illis sequitur absurdum; sed Scriptura saepissime habet, & docet hujusmodi veram remissionem per Christi merita: Ergo ea remissio propria est, & vera: Major est Aug. Minor non negatur ab haereticis, & consequentia debet ab eis concedi. Denique convincitur, impium esse verè, & propriè peccator, Deo ofensus, ipsique inimicus: Ergo ab opposito, si Dei amicus constituitur, illique est peccatus, verè, & propriè sua remittuntur peccata, ita ut nil in eo remaneret, quod Deo esset odibile, eique injuriosum: Si autem nil adeit in peccatore hujusmodi, non modo peccata illius non apparent, verum & propriè non sunt: Ergo non modo Deus non imputaret illis sua peccata, ut ajunt, verum & verè per gratiam justificationis remitteret.

17. Ex Doctrinis hucusque allatis satis clarè convincitur dogma Catholicum, nimirum gratiam justificationis impii non esse solam remissionem peccatorum, sed ut supra dedimus, permanentis justitiae infusionem; hoc est, differtis verbis tenere, duo nostram justificationem continere, unum positivum quid, aliud verò veluti negativum; primum est gratia, qua impius Sanctus constituitur, & remissio peccati, qua innocens est, & impollutus à macula peccatorum; hoc est,

est, impium induere Dominum Jesum Christum, veteremque hominem exuere cum actibus suis; hoc est, accipere pignus spiritus, in quo clamaret Abba Pater, & jam servum non esse per peccati servitutem, & maculam, sed filium, & heredem per Dei gratiam.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

18. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem; & juxta diversorum placita sic etiam proponemus argumenta; et sit primum ex his, qui tenent, & docent homines impios non propriè justificari, sed tantum justos apud Deum reputari, quatenus sic, vel sic per fidem apprehensa Dei justitia, eadem & justus denominantur; videtur fuisse Calvini hunc sensum; & in primis objiciunt illud Job. 9. *Quia non justificabitur homo composuit Deo*: Et illud Ebdre 2. cap. 4. *Ne operas iniquitatum eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur*. Adjungunt alia, quibus denotatur, quod ea talis qualis justitia hominis impii sit ipsissima Dei sanctitas ab illis apprehensa per fidem, ut ajunt: nimirum illud Paul. ad Rom. 4. *Credenti in eum, qui justificavit impium, reputatur fides ejus ad justitiam*. Concludunt enim, quod sicut Deus dicitur, & est spes nostra, salus nostra, sic erit & justitia, sanctitas, & gratia nostra: Igitur per exclusionem totius formæ in-hærentis, & sola habita Dei justitia, impius justificabitur: cum sicut natura, sic Deus abhorret superflua; ut quid per plura faceret, quæ per pauciora optimè fierent?

19. Alii docent non modo per justitiam Dei, verum & per illam, quæ est propria mediatoris Jesu Christi impios justos fieri, per hanc sic denominari, & reputari sanctos in conspectu Dei; ut legitur in ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituuntur multi, ita & per unius obedientiam justus constituitur multi*: Et 1. ad Corinth. 1. *Christus factus est nobis à Deo sapientia, justitia, & redemptio, & alia adhuc modum, ex quibus*

sic arguunt: Eo jure verba Scripturæ debent accipi in sensu proprio hic, sicut alibi; sed si præalegata stricte accipiuntur, impius justificabitur ipsius Christi obedientia, & justitia: Ergo non desideraretur alia; quæ illi inhaereret: Ergo per justitiam Christi justus constituuntur, sicut per ejus redemptionem redempti.

20. Denique cum non desinat ex falso opinantibus alii asserentes, hominem impium, etsi imperfecta, & inchoata justitia, per formam inhærentem justificari, pro eis etiam objicitur hic, aut ille locus ex sacris literis; & sit primum ex Isai. 64. *Facti sumus immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ universa justitiæ nostræ*: Ecce justitiæ universalitatem, nostraque vilitatem; & imperfectiorem. Insuper 1. Reg. 2. *Non est sanctus, ut est Dominus*: Ergo nullus impius est justus sicut Dominus: Ergo nullus erit justus justitia perfecta, sed veluti inchoata, & aliquid à Deo expectans, vi cuius perficiatur: Ergo erit non forma inhærens, sed quid impio & justificato extrinsecum. Probat'ur omnes consequentià: Dominus est vere, & intrinsecè Sanctus; sed nullus est Sanctus, ut est Deus: Ergo nullus erit Sanctus perfecta justitia eidem intrinsecè.

21. Brevibus ab his difficultatibus expediemus, & ad primam primi argumenti responderetur; quod locus ille Jobi, & alia hujusmodi, quæ negant hominis justitiam propriam, vel debent intelligi secundum suæ naturæ vires adquisitam, vel ad Dei sanctitatem comparatam, ut ly, *compositus Deo*, denotare videtur; quasi diceret: Justitia hominis, si ad Deum compareretur, justitia non apparet; sicut nec vere justitia dici potest, quæ nostris operibus debeat. Nec per illud Paul. aliquid concludunt hæretici, cum nullus ex orthodoxis negat, credenti in Deum, fidem reputari ad justitiam, fides enim est justificationis initium, & sine ea nemo potest Deo placere; negamus ergo, quod unice per hanc fidem justitia habeatur, & quod illa sit mera Dei reputatio, quod hucusque non probarunt: Sicut nil probat eorum ratio ultimo loco citato; namque Deus dicitur, & est, spes nostra, salus nostra, justitia nostra, effective, & causative, sive etiam objective, ut ex aliis

aliis locis facis satis liquet, Superflua denique adhorret Deus, & natura; carèrum, hoc intelligitur connaturaliter, non verò per quamcumque potentiam, & insuper si superflua sint, quod non est in nostro assumpto.

22. Ad ea, quæ secundò loco asseruntur, dicimus, quod semper tenet auctoritas Aug. & pro omni loco facto, si ly *proprie, & stricte*, non grammaticaliter purè, sed ad sensum Ecclesiæ referatur; unde verè, & propriè per Christi obedientiam justus constituuntur multi, idèque ipse est sapientia, & justitia nostra, & talis dicitur, & est, sicut eidem sensui proprio correspondet; in sensu ergo proprio Ecclesiæ, obedientia Christi meruit nobis justitiam, estque illius causa moralis, & meritoria, & sub hac ratione per eam justus constituuntur multi, & Christus potest dici justitia nostra, admodum quo etiam denominatur redemptio nostra. Ad ultimum aliquid dedimus supra, & infra adjiciemus, quoad præsens sufficiat: quod justitia nostra, divinæ, & essentiali comparata, suas videtur habere maculas, non in se, ex se, & ex suis prædicatis, sed præcise ob subjectum in quo necessario deberet in esse; & ad hoc alludit illud Annæ; *Non est Sanctus, ut est Dominus*.

23. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Justificatio impii solum dicit motum ad justitiam; sed per hunc motum non remittuntur omnium genera peccatorum: Ergo non est idem intransitive justificatio formaliter accepta, ac remissio peccatorum. Minor probatur: Per hunc motum solum excluditur injustitia, quæ est species peculiaris peccati, sicut, & justitia dicitur de speciali virtute: Ergo per motum ad justitiam, quæ specialis est virtus, non remittuntur omnia peccata, sed solum illud quod sit proprium tale, & illi virtuti oppositum.

24. Argumentum est 1. D. Thom. 1. 2. 2. q. 113. cui respondet, quod omne peccatum opponitur rectitudini mentis Deo subditæ; quatenus est ab illo aversio, ipsiusque injuria, & secundum hoc omne peccatum est injustitia, ejusque remissio justificatio. Propter quod no-

tandum venit, quod justitia bifariam sumi potest, & in quantum est specialis virtus, ponens æqualitatem inter partes communitatis; & respiciens bene esse illius; & magis latè, prout dicit debita rectitudinem partii inferioris hominis ad rationem, & mentis cum Deo, sub qua acceptione imitatur quodammodo naturam stricte justitiæ, juxta superius dicta, & nomine illius denominatur communiter; sumpta principaliter ex sacris litteris denominatione, & in hoc sensu gratia sanctitatis justitiæ dicitur, quatenus completitur omnem rectitudinem creaturæ rationalis; nimirum in homine appetitus sensitivi cum ratione, & mentis cum Deo; & propter hoc peccatum, quod huic gratiæ contrariatur injustitia denominatur, ejusque remissio justificatio.

25. Arguitur tertio contra tertiam conclusionem; locis duobus sacris, quæ ad manum habentur frequentius ab Hæreticis, & sit primum ex Ps. 3. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum cæca sunt peccata*. Ex quo sic arguunt: Iniquitates, & peccata tunc dicuntur remissa, quando impius Beatus, & felix, declaratur; sed hoc habetur per ejus non imputationem peccatorum: Ergo hæc non imputatio est propriè remissio: Concordant quæ sequuntur ibi: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Secundus locus sit 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum; sed charitas est forma justificans, & delens peccata*: Ergo hujusmodi remissio, & abolitio peccatorum, est eorum operatio, & veluti non manifestatio apud divinum Tribunal, ut de illis justam requirit vindictam supremus judex.

26. Istud videtur sensisse Lutherum, & Calvinum, licet dissideant in forma remissionis; sed quidquid de hoc sit, uterque tenuit, peccata semel commissa non tolli, aut penitus eradicari per Dei gratiam, & sanctitatem, sed veluti per eam radi, aut regi; unde juxta eorum doctrinas semel impius, semper est peccator in rei veritate, etsi denominetur per Dei, aut Christi justitiæ imputationem sanctus, est merè extrinsecè, & quatenus Deus illi condonaret offensam, & indignitatem ad penam; ac ve-

luti si non videret ejus iniquitates; non quia eidem non in essent, sed in quantum operta, & occulta existerent sub velamine charitatis, & Deus de illarum vindicta non curaret, hoc est enim in impio non imputari delicta, nec esse dolum in Spiritu ejus.

27. Per prius ad hujus instantiam respondendum erit, quid est impium esse, & peccatorem, ut ex his detur intelligi, quam male de hoc senserint hæretici; Impius enim, & peccator est legis æternæ transgressor, per quod constituitur Deo offensus, injuriosus, inimicus, & pena æternæ condignus, unde transacto peccato, remanet in eo necessitudo, peccasse, ordo ad transgressionem non retractatam, privatio pietatis, justitiæ, & sanctitatis, condignitas ad penam eidem correspondentem: Ex his omnibus adveniente justitiâ, & sanctitate, solum remanet, peccavisse, cum ad præteritum nulla detur potentia, reliqua per justificationem taliter ab impio eliminantur, ut nil ex eis remaneat; nam forma justitiæ recepta in peccatore, excluditur in justitiâ, ac impietas, retractatur peccatum, & longe fit a peccatore condignitas ad æternam penam, ut legitur repetitis in locis sacris, de quibus aliqua dedimus in hac 3. conclusione, SS. PP. cum Conc. proclamant; & ratio ex his deducta convincit. Nam remisso debito, & condonata injuria, quomodolibet, deletur offensa, & extinguitur debitum: Ergo quocumque modo Deus remittat debita nostra, non modo extinguit, aut radit, verum & delet, & extinguit, sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum.

28. Arguunt denique quibusdam textibus, in quibus videtur littere nostram justificationem in peccatorum remissione; & quia à contrariis in pluribus aliis locis sacris clarius; & expressius habemus nostram positivam justificationem, ac per creatam formam habitam, de quo nullus est ambigendi locus. Immo nec per cogentem rationem aliquid afferri poterit, quod convincat existentiam hujusmodi justificationis, cum hoc dependeat utique ex divina voluntate nobis, & illis revelata, etsi nobis credentibus, illi credere noluerint,

cum videntes non videant, & audientes non intelligant, aures habeant, & non audiant; agravata enim sunt, & oculi eorum exarati: Ecce ratio congruentiæ eorum. Impietas impii, & injustitia peccatoris solum ponit in illo condignitatem ad æternam penam: Ergo hac præcisè remissa, & condonata à Deo, restituitur impius ad statum pristinum justitiæ, & amicitia Dei: Ergo in hoc stat tota justificatio illius.

29. Pro solutione non reputamus necessarium disquirere super constitutionem peccati, etsi enim consisteret in condignitate ad penam æternam ex actu peccaminoso relicta, adhuc tamen non tolleretur condignitas hujusmodi per solam remissionem peccati, cum præterea secum afferret gratiæ, & positivæ justitiæ privationem, quæ nisi adveniret, non faceret ex impio justum, ex peccatore sanctum; & est ratio: quia connaturalius est, privationem expelli per eam formam, quæ privat, & non esse formam extorri per esse illius: Ita enim Deus voluit fieri, & de facto his quidquid facere potuisset in alia providentia, seu de suo posse absoluto; de quo pro nunc non curamus, cum non ad dogmata Catholica, sed ad dubia Theologica expectet.



QUÆ

QUÆSTIO III.

Utrum hæc forma justificationis impii sit de genere qualitatis? Et an habitus, vel actus?

30. **T**ota ratio dubitandi oritur ex antea dictis, ex quibus querimus, quod cum gratia justificans impium sit forma eidem inhærens, & hoc sit definitum per Trident. sess. 6. num forma ista pertineat ad tenus qualitatis? Et an habitus sit, vel actus? Et quid circa hoc Ecclesia definiat? De primò est constans, & perpetuus sensus Theologorum ad genus qualitatis pertinere, immò & habitum esse, ac de prima specie illius; sic D. Thom. 1. 2. q. 113. D. subst. in 1. dist. 17. B. Agid. in 2. dist. 26. D. R. in 1. dist. 17. & quodlib. 1. q. 8. cum quibus eorum expolitores, & Alectæ; licet non deficiant, qui indifferenter teneant, per formam inhærentem in Trident. expressam utrumque comprehendere, & habitum gratiæ, live etiam charitatis, aut actum contritionis, & dilectionis Dei, si forte ille ad genus qualitatis pertineret, à quo omnes, nosque cum illis præscindimus.

31. D. R. in 1. quolib. 8. art. 3. §. 3. sentire videtur, esse definitum, gratiam, quæ in impiis justificatur, esse habitum, & ex consequenti creatam qualitatem: Sic enim ait ibi: *De factis, & de definitione, & determinatione divina est ordinatum, quod in nobis sit quidam habitualis habitus, creatus in nobis, qui vocatur charitas.* His tribus concludit assumptum; primum est ex illo Paul. 1. ad Cor. 13. ubi indifferenter de charitate loquitur Apost. sicut de fide, & spe; sed hæc sunt habitus: Ergo & illa. Secundum accipit ex Clement. Desum. Trinit. & fide Cat. ubi aprobat opinio tenens, in Baptismo infundi Dona, & virtutes: Ergo hic comprehendit

tur charitas, quæ virtus erit, & habitus. Tertium ex Clement. de Hæret. cap. ad Nostrum; determinante, quod lumen gloriæ requiritur ad videndum Deum: Ergo idem censendum erit de charitate: Ergo sicut illud, sic ista habitus erit. His adjungi poterit declaratio quædam sub Inn. III. in cap. Majores de Baptismo, & ejus effectu, quæ coincidit, & est eadem cum Clement. de sum. Trinit. ponens medium inter Scholasticos, & adituens, probabilior, esse sententiam eorum, qui asserunt, gratiam, & Dona, virtutesque, quæ parvulis, & adultis infunduntur, esse habitus, & qualitates.

32. Ac per prius ad nostram sententiam aperiendam, supponimus hic nos, & fere omnes, qui de hoc disputant, loqui de facto, & juxta præsentem providentiam; unde abstrahimus ab aliis dubiis, & quæstionibus; num scilicet, forma hæc inhærens, & impium justificans, habeat ex rei natura, hominem sanctum facere? Et an hoc sit ita proprium habitus, ut actibus convenire nequeat per quamlibet potentiam adhuc absolutam; nec ne? De his etiam infra suis in locis: Propter quod, cum in titulo tria queruntur, tribus conclusionibus solvendus erit.

33. Conclusio prima: Forma justificans impium, est de genere qualitatis: Est communis inter Theologos antiquos, & recentiores, constatque, etsi non expressa, in Trident. deducitur tamen legitime, & evidenter ex declaratione, & definitione inhærentis forma; sed forma creata inhærens animæ, & eam denominans, præcisè est de genere qualitatis; nam alia genera ex novem accidentium, animam non afficiunt; etsi quædam, ut actiones, & passionis, in illa inhæreant, vel sint qualitates, ut plures sentiunt, vel si sint ex suis prædicamentis respectivis, cui nos adhæremus, non præstant denominationem justitiæ, & sanctitatis de facto, ut infra probabimus: Ergo deveniendum erit ad genus qualitatis, ad quod pertineat forma justificans est necessarium: Et ex hoc forte sumplisset fundamentum Catechism. Sancti Pii V. de Baptismo, ubi satis clarè docetur, quod Dei gratia: *Sit divina gratia qualitas anima inhærens.*

34. Conclusio secunda: Forma justificans est qualitas de prima hujus specie, nimirum habitus, & non actus secundi. Est etiam communis inter Theologos; & licet Vazq. loc. citat. supra, contendat eum non paucis, actum dilectionis Dei, & penitentiae, de facto habere vim, & sufficientiam ad impium justificandum, loquitur ad ultimum de sanctificatione imperfecta, non de ea, quae nunc accidit, & quoad essentiam justificationis ipsius, de quo est praesens quaestio, quidquid sit subalio providentia, aut hypothet. Probari potest pluribus text. utriusque testam. ubi satis clarè convincitur, gratiam, & justitiam esse Donum Dei permanens ex natura praesentis sanctificationis: In eis enim, qui dicuntur Sancti, adest templum Dei, in quo inhabitat; Deum insuper venire ad has animas justas, & in eis mansionem habere, ita quod Deus maneat in justis, & isti in Deo quiescant, & alia hujusmodi; sed hoc satis clarè indicat rationem formalem habitus in justitia, quae sinit in permanentia inexistere, &c. quod est esse difficiliter amovibilem à subjecto praedictam sanctificationem; Ergo qualitas est de specie habitus.

35. Probatur secundo ex Trident. cit. sess. 6. ibi ergo definitur hominem justificari tali modo per inhaerentem sanctitatem ut unusquisque suam recipiat secundum propriam dispositionem; sed forma inhaerens, & recepta in anima ad pondus dispositionis non est actus, aut passio transiens, sed forma permanens; siquidem dispositionis, & passionis non est dispositio: Ergo est forma habitualis, & permanens. Praeterea ibidem habetur, quod charitas est virtus, sicut & fides, & spes; quibus homo impius integraliter justificatur; sed virtus non est actus secundus, sed forma permanens, cum nullus virtuosus dicatur per actum, qui ex sua natura cito transit: Ergo ea forma justificans est de specie habitus, & non de actus secundi.

36. Denique probatur ratione congruenti, quomodo quaestiones de facto probari possunt. Justitia, & sanctitas homini inhaerens, & eum justum faciens, debet pertinere ad eam speciem qualitatis, quae congruentiori, & connaturaliori

ri modo praestat suam propriam denominationem; sed nullo alio, quam habitualiter, & permanentiter: Ergo sic erit de prima specie qualitatis. Major est certa; cum aliter discurrendum non sit de statu nobilissimo sanctificationis, nec de divina providentia erga eum; & minor probatur, primo, ex perfectione habitus supra actiones, & passiones; secundo; quia perfectio est actualitas essentialis; sed actualior est habitus, quam actus, aut passio: Ergo. Minor probatur: Forma accidentaliter eo actualior est, quo magis accedit ad perfectionem substantiae, cum sint accidentia entia per ordinem ad substantiam; sed actualitas habitus prior est substantiae, ut potè de linea entis permanentis: Igitur perfectior erit denominatio, quae haberetur per formam habitualem, quam ea, quae adveniret per cito transeuntem.

37. Conclusio tertia: Non est adhuc ab Ecclesia definitum, formam impium justificantem esse de genere qualitatis, aut alterius determinati praedicamenti. Est contra aliquos Theologos antiquos, & ex recentioribus non videram contrarium asserentem. Probaturque primo ex generali quadam ratione; nimirum, quia adhuc inter Theologos in offenso pede disputatur: Ergo adhuc remanet infra terminos majoris probabilitatis. Secundo; quia non constat nec in locis sacris, nec in Conc. definitionibus, ad quod ex praedicamenti pertineat hujusmodi forma justificans: Ergo nil de hoc definiit Ecclesia. Tertiò; quia loca, quae de Dei dilectione habentur in sacris litteris, non parum probant vim amoris Dei, efficaciam penitentiae, & justitiam, quam secum afferunt: Ergo relinquunt indefinitum, quanam sit quidditas formae conferens justitiam, & sanctitatem?

38. Immo nec Theologica demonstratione convinci poterit: Nam Theologica demonstratio, ut talis sit, debet constare ex praemissis, quarum una sit de fide, & alia evidens, & per se nota, ut ex eis deducatur conclusio Theologica similiter talis; atqui in syllogismo isto: *Forma justificans impium est anima inhaerens; sed forma inhaerens animae, eam sanctificans, est de specie prima qualitatis. & habitus; et si major sit de fide; minor non est evidens,*

nec

nec per se nota, cum suas patitur probabilitates, & adhuc debeat probari: Ergo conclusio haec: *Ergo forma impium justificans est de prima specie qualitatis;* nec est proprie Theologica, nec deducitur per demonstrationem proprie talem. Ad summum Theologus recentior, qui in hac tempestate contrarium sentiat, illum nota temeritatis inimi posset; cum doceat contra assensum communem DD.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

39. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Forma inhaerens animae, non est necessario qualitas: Ergo non est fundamentum, ut ad hoc genus redacatur forma sanctitatis, justificans impium. Antecedens probatur: Anima inhaeret passiones cito transeuntes, actus secundi, ut puta auxilia, amor Dei, &c. sed per haec, quae non sunt de genere qualitatis, justificaretur impius: Ergo quin deveniamus ad praedicamentum qualitatis, salvaretur forma inhaerens, & animam impii justificans. Respondetur ad argumentum non convincere de facto, & secundum id, quod connaturalius conjectamur, sub quo sensu, etiam ad aliud genus pertinentia possent animae inhaerere, imò & eam justificare; non tamen perfectius, & congruentius; & hoc erat assumptum; nam pro illo statu nobilissimo justitiae nostrae petitur modus perfectissimus formae animae inhaerentis, & haec est necessario qualitas, quae est primum post substantiam de linea entium spiritualium.

40. Secundo arguitur contra secundam conclusionem, & forte instatur solutio data: Potius ad actus secundos, quam ad habitus pertineret justificatio impii, semel quod debeat haberi per formam inhaerentem: Ergo et si concedatur pertinere ad genus qualitatis, non tamen ad speciem habitus. Antecedens probatur: Justificatio haberi debet de facto, & juxta datam doctrinam, per formam quae connaturaliori, & perfectiori modo conferat sanctitatem; sed haec per-

fectius habetur per actus secundos, quam per habitus: Igitur potius ad illos pertinet justificatio impii. Minor probatur: Perfectior est in se actus quam habitus: Ergo perfectiori modo praestat suum effectum formalem: Antecedens patet: actualior est, & propter eum datur habitus, ac denique, usque dum adveniat actus secundus manet quasi sopitus habitus: Ergo ille perfectior est illo; cum hic totam suam perfectionem habeat per respectum ad illum.

41. Respondetur ad argumentum per firmas, & stabilitas doctrinas, quae passim habentur apud DD: majoris notae, & in se constituunt solidum fundamentum, negando videlicet actus secundos esse perfectiores habitibus; tum quia hi sunt de genere entium permanentium, illi vero cito transeunt; tum quia actus est veluti effectus; habitus causa; & haec est suo effectu nobilioris conditionis; ac denique habitus est primum speciei qualitatis; actus vero ad secundum gradum hujus speciei pertinet; vel ut propria sententia loquar, ad deterius pertinet praedicamentum, nimirum actionis, propter quod non est curatibus tribuamus potiores partes, quam habitibus: habitus enim est potentia, ceterum veluti activus a deo, quae actualior actu suo; quia unumquodque agit pro ut in actu; actus vero est actualior accidentaliter, & ideo haec actualitas non arguit majorem perfectionem ad habitum comparata: Nec habitus est propter actum, nec in ordine ad illum, ut sui perfectivum, sed ad eum tendit tanquam ad finem effectum, & cui, suo modo, tribuat esse, & perfectionem, non autem, ut à quo eam accipiat, & isto modo ponitur habitus in sua actualitate per actum suum, non tanquam per formam intrinsecam, sed ad modum effectus, & extrinsece completivi.

42. At objicies per actus visionis, & charitatis, qui perfectiores sunt habitibus luminis gloriae, & charitatis consummatae: Ergo actus secundi, ad minus superni, perfectiores sunt suis habitibus, & potiores effectum formalem praestant. Antecedens probatur: Actus visionis, & charitatis sunt formaliter beatitudo superna rationalis natura: Ergo perfectiores sunt,

&c.

&c. Probatum antecedens: Beatitudo ut sic, ut non semel dixeramus, consistit in actu nobilissimo: Ergo & beatitudo supernaturalis. Præterquam quod tract. 3. q. 9. assertum habemus, quod nec lumen gloriæ, nec charitas Patriæ, sunt formæ beatificativæ formaliter, sed visio, & amor, quia actus hujusmodi sunt nobiliores, & perfectiores inter formas omnes, quæ in beatis sint conceptibiles: Ergo hic deficit ratio illa, præstantia, scilicet, habitus supra suum actum, in ordine ad justificandum formaliter impium.

41. Respondetur ad objectionem primò: Quod beatitudo consistit in entitate perfectissima, quia alias esset substantia, sed in operatione tali, & ideo dicit R. in. quodl. q. 3. art. 6. *Quod beatitudo nostra consistit in actione: felicitas enim secundum Philosophum, & Sanctus est perfectissima operatio hominis*: Igitur perfectior actus beatificativus non est comparatus ad alias entitates, sed ad finem beatitudinis naturam rationalem. Ex quibus liquet: quod visio beata, & amor Dei in Patria, etsi sint perfectiores lumine gloriæ, & habitu charitatis quoad munus beatificandi, non tamen in esse entis, aut in ordine ad sanctificationem, & justificationem; ratio ulterior potest esse: Quod sicut felicitas est operatio, sic sanctitas, & justitia dicunt permanentiam inesse, naturam in ordine gratiæ, hæreditatem ad gloriam, filiationem Dei, & alia hujusmodi, quæ congruentiori modo prædicantur de habitibus, quam de actibus.

44. Aliter responderi poterit ad replicam: Possunt considerari in essentia, & in modo essendi visio Dei, & sui amor in Patria: Si enim concipiuntur in essentia sua, sunt deteriores habitibus luminis gloriæ, & charitatis propter superius dicta; si autem considerentur secundum modum, quem habent essendi, dicunt permanentiam quandam, tentionemque & inamissibilem possessionem Dei, & sub hæc consideratione per accidens, & ratione status gaudent præstantia quadam super præfatos habitus, quæ etsi sufficiat ad constituendam æternam, & supernaturalem beatitudinem præ omnibus quibuscumque entitatibus, non valet ad justitiam, & sanctitatem connaturaliter præbandam, tum propter immediatè da-

ta, tum quia justitia, & sanctitas sunt primam de ordine supernaturali; sed hoc debet esse mensura aliorum: Ergo in æliæ debet esse de genere entis perfectioris; atqui habitus est perfectior speciei qualitatis: Ergo ad istum, & non ad actum conjectare possemus justitiam impii pertinere.

45. Tercio arguitur aliquibus text. ubi dilectioni Dei, ac penitentiam tribuitur justificatio impii, & peccatorum remissio, unum vel alium dabitur; sit primus ex illo Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et sic argumentatur, qui tenet impium justum fieri per actus hujusmodi, sicut per gratiam, & charitatem; neminem enim videram, gratiam excludentem ab officio sanctificandi, sed vel simul cum penitentia hunc effectum præstare, vel quod hæc habet in se formam justificantem, quæ quidem effectum præstaret connaturaliter, semel quod Deus, ut posset, gratiam, & charitatem negaret, & vellet impium sanctum facere medio suæ contritionis actu, ad quod deserviunt hic, & alii sacri text. Peccatum Magdalena: fuit de facto remissum, & justitiam consecuta fuit per Dei dilectionem, ut *ly quia dilexit*, satis convincit, cum causam denotet, quæ cum non sit efficiens, formalis debet esse: Ergo indifferenter præstatur effectus justitiæ ab actibus, sicut per habitus corroboratur ex illo 1. Joan. 3. *Qui facit justitiam justus est*; sed facere est de lineæ actus: Ergo justificare est proprium actus.

46. Respondetur ad argumentum, etsi sit generalis solutio, quod in loco allegato, *ly quia* denotat causalitatem, sed nec efficientem, nec formalem, nam est, dare medium, nimirum, materiam; unde semper ac legatur in sacris litteris de dilectione Dei, & contritione, sensum facere causæ dispositivæ, quasi certissimum sit, quod contritio sit dispositio ad justitiam, & hanc verè penitentibus esse promissam, cumque dispositio, & forma nequeant unum, & eundem effectum formalem præstare, inde inferunt aliqui, quod non modo de facto verum nec de possibili, amor Dei posset impium justum facere sanctum, ac Dei amicum; nos ergo de hoc non curamus.

ramus; sed unice hæc etiam ratione intenti, ad nostram conclusionem tenemur. Contra quam nil probat illud Joann. cum solum denotet, quod qui faceret opéra justitiæ justus sit, sicut qui facit opéra hominis, homo est; qui homotalis per sua opéra formaliter constituatur: Igitur nec justus per opéra justitiæ.

47. Quarto arguitur contra tertiam conclusionem: Definitum est ab Ecclesia, formam justitiæ nostræ animæ inhære; definitum est, gratiam, & Dona infundi parvulis in Baptismo; & idem est de adultis quoquomodo modo justificentur; definitum est, fidem, spem, & charitatem hominibus justis communicari: Ergo definitum est, gratiam, & Dona esse habitus, & qualitates permanentes. Antecedens constat ex Trident. Variis incip. & consequentia ex dictis legitime inferuntur, prætereaque probatur: Dona nobis infusa, & virtutes hujusmodi non sunt de lineæ actus; illa enim sunt a nobis, & licet detur medium inter actus, & habitus, nimirum gratiæ actuales, quæ quidem non sunt habitus, & sunt Dona infusa, & animæ inhærentia, hæc non vocantur in sacris litteris nomine virtutis, sed motionis, impulsus, exitationis, tactus, cogitationis, &c. Igitur nomine Doni animæ inhærentis, venit forma quadam habitualis, & permanentis, & hæc erit, tum gratia, tum Theologales virtutes.

48. Respondetur ad argumentum, quod supposita Conc. declaratione, & definitione circa formam justitiæ nostræ, qua adstricti sumus, ut credamus, & confiteamur, esse rem de genere accidentali, & inhærentis; cum in ea tria sint conceptibilia, de quibus adhuc dubitari liquet, ad nullum eorum determinatè cogimur assentiendum tanquam certitudinæ fidei certum: In accidentibus namque supernis dantur habitus, dispositiones, actus secundi vitales; sed habitus ad primam speciem, & in primo ordine qualitatis, dispositio ad eandem, & in secundo, actus vero ac genus actionis pertinent. Ergo de his est ambigendi locus adhuc: quod forma justificans inhæreat, ut accidens quoddam. Nec rationes, in contrarium aliud concludunt, quam magnam probabilitatem, de qua

supra in Clement. de fide, &c. Nec denique declaratum extat, quod tres Theologales formæ sint tres virtutes propriæ tales, & secundam quidditatem virtutis, ut ex Phyl. Mor. igitur nec quod habitus sint, aut de alia, specie accidentis.

QUÆSTIO IV.

Utrum forma justificans impium ex natura rei, & veluti physice præstet suos effectus formales?

49. **P**RO pluribus effectibus Gratia justificans quaerimus; quia plures recensentur in Conc. ut puta hominem justum, sanctum, acceptum, filium Dei, sui regni hæredem, & sibi charum, & amicum constituere, & fortassis, de illis diceretur in Psalm. 118. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, &c.* Et si licet in unam veluti rationem formalem coeant, diversas tamen denominationes sortiuntur, & propter hoc non incongrue vocantur effectus in adæquati gratiæ hujus habitualis justificantis; cumque de omnibus eadem sit ratio, de omnibus etiam oritur dubitatio. Nec mirum esse debet, quod hæc gratia, & virtus Deitica tot denominationibus decoretur; tum propter excellentiam, & dignitatem ei a sanctis oraculis attributam, tum, & maxime propter altitudinem suæ quidditatis ad eò difficilis, & nostro captui imperceptibilis, ut cum per conceptus absolutos illius esse explicare non valeremus, his multiplicatis formalitatibus respectivis, aliquam de ea sententiam ferre possimus. Istis addendum venit quosdam alios effectus, qui ibidem sunt hujus justitiæ proprii, qui negativi sunt, vel ad minus negativam denominationem sortiuntur; cujusmodi sunt, expulsi, condonatio, remissio, seu non esse pec-

peccati mortalis, rationem maculae erga animam considerat, & prout dicit rationem injuriam, & offensam ad Deum offensum relatam: de quibus etiam resolvendum erit.

50. In hoc enim uno convenire debemus, quod scilicet, gratia haec justificans, habeat in se & in virtute sua hujusmodi recensitos effectus, taliter ut se sola, & nullo alio superaddito, sit perfecta sanctitas, & justitia hominis impii, eumque transferat de statu inimici ad statum filiorum Dei, de statu servi ad esse heredem regni caelestis, per eamque unice, & quasi per formam intrinsecam peccati macula deletur, Deique offensa remittitur, & condonetur, quorum causa efficiens, & extrinseca sit Dei omnipotentissima virtus, moralis, & meritoria, sui filii unigeniti incarnatio, vita, passio, & resurrectio; instrumentalis vero, Sacramenta per eam ad hos effectus instituta, ac denique finalis gloria Dei, & Christi Dei honor: his stantibus, quoquomodo opinetur, salva manet, & incolumis doctrina Catholica, & nec in minimo intingitur a tramento haereticorum, nec praeterea accedit, nec ad umbram eorum Theologorum, cujus sensus, & sententia non bene audit apud antiquos, & recentiores.

51. Etenim ceteris quidam, & contentus hominum, alias canonici Coloniensis, ut medium ponent, & ut melius dicant, ut finem invenirent diversis haereticorum placitis, quoddam confecerunt libellum, cui titulus *Antididagma*, ubi quamdam justitiam statuerunt, inchoatam, & imperfectam, ceterum non defectuosam aut maculatam, sicut pannus menstruatus, ut autumant Buccerus, & Kemnit. sed habitam & virtuosam, cui adhereret Dei favor, & misericordia, eam sufficientem constituerent, ad remittenda peccata; huic consonat Albert. Pighius controvers. 2. Hunc modum dicendi panis abjicimus cum communi, ut non bene sonantem, & Trident. non conformem, & ulterius quia alia, & alia est ratio DD. contendentium, quorum doctrina est in Ecclesia bene visa, & hanc in medium adducemus, solum inquirendi, & disputandi gratia, ut quanam sit declaratio Trident. in hac materia proximor apparere possit.

52. De hoc puncto multiplex modus

dicendi habetur apud DD. & maxime antiquos, quibus ex recentioribus pro suo quisque sensu accedit. Et in primis D. Thom. 2. 2. q. 10. & alibi sentire videtur, gratiam habitualement suapte natura, & physice praedictos effectus praestare, sicut est natura divinae formalis, & physica participatio. Hoc non judicatur ita certum, ut non desint non pauci ex ejus schola contrarium sententes, sed quidquid de hoc sit, DD. Thomista hujus temporis communiter sunt hujus sententiae, etsi in quibusdam thesibus aliter ab aliquibus tandem adstruatur. Videatur P. Vazquez. hujus sententiae acriter defensor hic disp. 204. Doct. subtr. stat. pro parte contraria cum suis discipulis in 4. dist. 16. in 2. & in 1. dist. 17. Durand. ibidem. Ricard. in 3. disp. 31. Gabriel. Nominal. & plures, quod esset grave recensere.

53. Hi etenim tenent, gratiam habitualement justificantem praefatos effectus praestare non ex natura rei, & physice, sed ex Dei lege, & voluntate statuente, quod hujusmodi superna qualitas assumpta esset ad hominem impium, justum, charum, acceptum, & filium, ac heredem Dei constituendum, cum illi ex sua essentia alii effectus possint attribui: Legatur Mast. disp. 7. de justificatione. q. 1. per totum. Non dissentit D. Bonav. in 1. dist. 17. Durand. ibi, etsi pro modo sui instituti quilibet suam adstruat, & probet sententiam, & de illis non obliviscemur. Dantur, & alii DD. quasi media incidentes via, qui licet gratiam habituali non negent effectus hujusmodi ex rei natura convenire, dicunt tamen, quod illi competunt in actu primo, & ex condignitate, & praestantia hujus qualitatis, quatenus ea sufficiat, ut hominem impium, justum, charum, dilectum, ac filium Dei constituat, si adesset actus Dei secundus acceptans, diligens, & hereditatem aeternam volens eidem conferre, ac denique peccata ejus dimittere, & ille velut favor Dei, etsi connaturaliter exigatur a Dei gratia, non est eidem essentialiter debitus, ideoque ab ea est per divinam potentiam separabilis. Sic D. Exim. lib. 7. de Sanct. cap. 1. & 2. cum non paucis a se citat.

54. D. R. In primum dist. 17. & in quodlib.

quodlib. q. 8. plura habet, quae ad hujusmodi effectus justificationis explicandos conducere possint, ceterum ex iis non erit facile mentem ejuseruere circa dubium praesens, cum de eo nullam faciat mentionem, ideoque circa illud nobis discurrendum erit juxta alia, quae ibi assert, quae ad hoc facere possint: & antea ut certum praesupponendum duxi, sententiam ipsius non adeo esse particularem, sed a pluribus placido vultu receptam; tenet enim, quod omnes effectus formales, qui passim gratiae habituali attribuntur, non esse eidem essentialis, sed tantum connaturaliter ipsi debiti sive ipsi gratiae comperant adaequate ex natura rei, sive adjuncto favore aliquo ex divina lege praesumpto; praetereaque a Deo suppletis per suae omnipotentiae virtutem, ita quod quidquid Deus per istam gratiam operatur in anima justae, possit per aliquid aliud, quidquid illud sit, praestare, etsi non ita perfecte, & connaturaliter, de quo infra suis in locis. Unde ad nostrum intentum revertentes variis conclusionibus juxta nostram methodum, quod nos cum R. D. differendum esset, dicemus.

55. Conclusio prima: Gratia habitualis habet ex natura sua, & omni alio secluso, quidquid illi convenit, quatenus est participatio physica, & formalis naturae divinae. Conclusio haec supponi debet ex eis, quae cum R. dedimus tom. 1. tract. 4. q. 2. & in hoc tomo tract. 12. q. 9. Probarique potest in hunc modum: Gratia justificans participat de divina natura, quod de illa formaliter dicitur, ut natura intellectualis est; sed quod de divina natura, utralis est, gratiae inest, eidem physice, & ex rei natura convenit: Ergo hoc, quod gratiae convenit, ut physica participatio est divinae naturae, illi convenit ex natura sua, & omni alio secluso. Major videtur, secundum superius notata, certa, & minor probatur: Gratiae convenit, ut quaedam similitudinaria natura est esse principium sic, vel sic, intellectualium operationum, ut puta, Deum intelligere, & velle, hoc idem de divina praedicatur natura, atrento precise conceptu naturae; sed gratia ex sua natura habet connaturaliter esse tale principium elevans animam

ad praedictas functiones: Ergo hoc habet gratia ex sua natura, physice, & omni alio secluso. De majori, & minori quare locis citatis, & alibi in hoc speculo plura, & communia.

56. Conclusio secunda: Gratia habitualis habet ex lege, & statuto Dei impium justificare, filium Dei adoptivum, & regni caelestis heredem connaturaliter constituere. Hanc judico, esse mentem R. Tum ex iis, quae locis citatis habet de gratia, & charitate, quae apud eum sunt eadem realiter entitas, tum & maxime verbis expressis illius, quae leguntur q. 8. quodlib. 1. & antequam proponantur, & asserta conclusio probetur, recolendum est id, quod tract. 12. dicebamus de aliis effectibus, qui communiter gratiae habituali tribuntur, nimirum, impium facere Deo gratum, dilectum, & amicum, de quibus formalitatibus singulariter discurre R. contra Aureol. & nos ejus vestigia sequentes, de illis non pauca dedimus ibi. Nos insuper curare debemus, quid in sacris litteris, Trident. & PP. de praesenti controversia habeatur, cum ibi solum sermo sit de gratia habituali, in quantum de facto est justitia nostra, & reconciliatio cum Deo, & nihil speciale legitur, quod facere possit ad rem praesentem.

57. Primum ergo probatur haec conclusio ex R. quodlib. citat. sic dicente art. 4. *Sicut enim non obstante quod charitas sit quaedam qualitas creata ex ordinatione divina fundat respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem, ita videtur, quod, posset, ordinasse, quod talis motio, &c.* Per quae verba satis clare suam mentem declarat, & absque interpretatione aliqua, aut tortura asserere tenemur R. in hac fuisse sententia, cum plane doceat, gratiam, & charitatem fundasse respectum acceptabilitatis ad Deum ex divina libera ordinatione; hoc est, lege, statuto, aut decreto suae voluntatis ita stauentis impium justificare, amicum, charum, acceptum, ac filium suum adoptivum facere: Ergo haec officia non sunt ita propria gratiae & charitatis, ut ipsi debeantur ex natura rei, & sua attenda quidditate.

58. Immo in praelegatis verbis ad est fundamentum ad nostram probandam

conclusionem; quod, & videtur esse commune pro hoc modo dicendi; & conformiter ad illud, probatur conclusio: Gratia Domini nostri, & charitas Dei, quae per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur, est qualitas creata; sed nulla res creata, quamvis sit constituta in esse supernaturali, potest ex sua natura; & quidditate fundare supradictos respectus; nimirum, hominem impium plene justificare, charum Deo, ipsiusque amicum reddere, in statu filiorum, & heredum regni caelestis ponere, ac praeterea peccata delere, infinitam offensam suprae majestatis remittere, a quo super sedemus: Ergo quantumvis superna, & perfectior sit ea Dei gratia, non habet ex sua natura, & essentia praestare posse illos effectus, si ad hoc divina lege, aut ordinatione non esset evecta. Major est fide Catholica certa, praescindendo ab eo, quod sit qualitas, vel aliud quodcumque ex decem praedicamentis. In minori est tota difficultas.

59. Primòque probatur per doctrinam R. quam affert in 1. citat. art. 4. §. 2. *Supponendum, quod Deus est objectum super-naturale, & non copulatur anima nostrae naturali, sed voluntariè, secundum Aug. ad Volu-tarianum*: Ergo nulla res creata ex natura sua fundare potest respectus amici, filii, & heredis Dei: Probo hanc consequentiam: Per istos respectus Deus copulatur rationali creaturae; sed hoc non potest fieri naturaliter, hoc est; ex natura rei, sed voluntariè, & ex libera Dei definitione: Ergo ex rei natura nulla dabilis est creatura illos effectus, & respectus fundans. Minor videtur sententia R. ex Aug. & major patet: Nam Deum copulari animae, vel alteri naturae rationali est eidem specialiter uniti pro modo vinculi, & nexu, usque dum pertingat ad sui claram visionem, & ipsum Deum anima teneat, nec dimittat, ut per tales respectus discurrendi constabit: Ergo per eos Deus animae nostrae copulatur ut cum-que.

60. Secundò probatur illa minor. Nulla creatura, quantumvis superna, potest Deum obligare, ut eam gratiam habeat, accipiet, & ut amicum ordinet in vitam eternam tanquam suam heredita-

tem a seundam: Ergo nulla res creata potest illos effectus praestare ex sua natura. Antecedens constat: Nam Deus necessitari nequit nisi a se ipso, cum bonorum nostrorum non indigeat, & ab eis sit omnino independens, quod non esset, si ab aliqua creatura cogi, aut obligari quomolibet possit. Et consequentia probatur: Semel quod Deus gratiam infundere alicui naturae rationali, tenetur ad illius acceptationem, amicitiam, & ut eam in filium acciperet, & regni sui heredem constitueret, & hoc non voluntariè, & sua libera definitione, sed ex visceribus, & essentia ipsius gratiae: Ergo ab ista gratia cogere, obligaretur, & necessitaretur ad hujusmodi favores, quorum Dominus est, praestandos, & communicandos.

61. Huic rationi, quae frequentior est apud DD. hujus sententiae variè respondent contrarii sensus; unam vel alteram solutionem dabimus ex iis, quae magis in usu sit, & forte ad illa alia reducuntur: & antea tanquam nullius roboris rejicienda venit prima probatio principalis minoris. Certum enim debet esse, Deum non copulari animae nostrae naturaliter, & hoc intelligimus ita, quod anima nostra non habeat ex sui natura formam, cujus ratione Deus cum eadem copuletur, & speciali modo uniat; sed si hoc ei accidat quandoque, non erit ex debito sui, sed ex voluntaria, & gratiosa Dei definitione, qua statueret se illi uniri vel per se immediatè, ut non pauci praetendunt, vel necessario propter gratiam animae diffusam per Spiritum Sanctum; tuncque etsi gratia ea naturaliter praestaret effectus praedictae copulationis, cum hoc habeat ex sua essentia; tamen quia ultra libere à Deo infusa, & communicata esset, ejusmodi copulatio esset voluntaria, non naturalis.

62. Nunc, ergo ad secundam principalis minoris probationem, quae magis urgere videtur, dicunt aliqui: Quod Deus absolutè, & antecedenter necessitari non potest ab aliqua ex suis creaturis; tam propter ibi dicta, tum & propter urgentissimas rationes; cum quo tamen componi potest, quod secundum quid, & ex suppositione liberae suae determinationis istam patiatur obligationem, &

ne-

necessitatem: Liberum enim simpliciter, & necessarium secundum quid ubique videmus in eadem re conspirare, & ex illo receptissimo Arist. axiomate: *Omne, quod est, ex suppositione, quod sit, necesse est, esse*, convincitur: Unde prudentissimè teneri potest, quod ex suppositione liberae gratiae infusionis, & collationis, Deus teneatur, & obligetur ad sua officia, & munera, quorum anima nostra sit capax: ut puta, amicitia, hereditas regni caelestis, acceptatioque ad gloriam; & quid hoc contra Dei supremam auctoritatem & independentiam?

63. Fateor praefatas solutiones sufficere, ut viam difficultatis enervent, sicut & eas, quae contra nos objicere eadem facilitate enodari; horum est unica ratio, qua n. supra tetigimus, elevatio scilicet, materiae, quae tractatur, & circa quam nullum cogens argumentum fieri potest: Sed quidquid de hoc sit, ut nostro muneri fiat satis; non praetereundam solutionem primam judicamus ad R. ex Aug. & contra utramque sic argumentamur: R. ibi loquitur de anima nostra secundum quod est capax divini amoris, visionis, & copulationis cum Deo, & eo supposito, tenere videtur, quod Deus cum anima ista copuletur voluntariè: Ergo solutio nulla. Antecedens probatur: ex ibi tradita doctrina habemus, quod cum intellectus non sit potentior, quam voluntas, si Deus se videndum preberet intellectui, eidem liberè copularetur, & similiter, si Spiritus Sanctus per se assisteret voluntati, illi uniretur eodem modo voluntariè per amorem: Ergo utrumque haberetur in anima nostra; & ex nulla alia virtute, quam ex voluntaria Dei erga ipsam exhibitione: Ergo si istud haberet anima nostra per qualitatem Deificam, non ex hujus natura, sed voluntaria Dei determinatione, anima in esset. De hoc satis, ut ad rationem fundamentalem redeamus, quae sic instatur: Si gratia ex sua natura convenit fundare jus acceptabilitatis ad gloriam, eidem compereret absolute Deum necessitare ad istam condignitatem; siquidem quod alicui convenit essentialiter, absolute, & in omni statu convenit: Ergo absolutè nulla est.

64. Alii respondent ad hanc probationem; quod sicut gratia, & charitatis

Tem. II.

proprium unum est, & essentiale, fundare respectum amici, grati, & accepti Deo subjective, & per modum principii radicalis, & proximi amoris supernaturalis, & ut ad salutem apporet, & hoc ex natura rei, & ex sui essentia quantumvis creata sint entitatis, immò & de linea accidentium; sic & non obstaret, quod haec eadem creata, & accidentalitatis entitas fundaret respectum amici, & filii Dei objective, & veluti terminus divinae redamationis, & ordinationis, sive acceptationis in vitam aeternam: Ratio hujus erit aequalitas hinc inde considerata; in idem enim coincidit esse principium amoris, & verè amicitiae, ac terminus hujus redamationis: Ergo si gratia ex sua natura primum convenit; detur disparitas de secundo; vel ratio, quae urgeat contra illud.

65. Contrà hanc secundam solutionem non pauca dedimus in hoc, & in tract. 12. q. 9. ubi satis clarè, & ex mente D. R. innuimus nulli rei creatae, quamvis esset inter omnes altissima dignitatis, posse comperere esse terminum, aut objectum congruum divinae redamationis, acceptationis, vel alterius cujuscumque actus divini; nam ex eo vilescerent intellectus Dei, & voluntas; unde ex eo quod gratia, & charitati convenire posset esse principium amandi Deum, non sequitur esse objectum, & terminus hujus redamationis: Ergo paritas quoad hoc non tenet de esse principium ad esse objectum, & terminus; erit sic ex eo quod gratia, & charitas ex natura rei habeant esse principium intelligendi, & amandi Deum, non sequitur, quod ipsis conveniret essentialiter, & quidditative esse objectum congruum divinae acceptationis, & adoptivae filiationis natura, & forma sua.

66. Praeterea: Esse principium radicale; aut proximum supernarum operationum pertinet ad manus elevationis, sive dispositionis ad hunc ordinem per modum principii activi, vel passivi, sic, aut sic, juxta cujusque placitum; esse verò acceptum apud Deum, filium Dei cum jure ad suam gloriam, & hereditatem, ipsius Dei amicum, & commensalem, etsi homini conveniat, ipsique ad aptetur per formam inhaerentem, & informantem, addit non parum ad illam for-

Q2

ma,

malitatem, & officium dispositionis, & elevationis, & hoc est ita proprium Dei, cuius est sua hereditas, ut nulli creaturae attribui possit, nisi cui gratiose communicare voluerit sicut id de facto dedit gratiæ, & charitati: Ergo diversa est utrobique ratio; siquidem esse formam elevantem, & disponentem sive ad supernaturales functiones proportionantem, cuiusq; enti creato competere potest, quod a Deo assumeretur ad similes effectus præstandos; licet connaturaliori modo per gratiam, charitatem, & alia Dona superna.

67. Tertiò ad secundam rationem principalem dicerent; quod acceptatio, amicitia, & assumptio animæ ad Dei hereditatem, & potest accipi ex parte Dei acceptantis, ordinantis, & impium diligentis in vitam æternam, vel potest considerari secundum quod habet homo intrinsecè, ex gratiæ dignitate in se inherenti, ipsumque informantis, & suum esse conferentis eidem: Ex quibus hoc ultimum, et si gratia justificans quid creatum sit, habetur ex ipsa rei natura, impioque communicare poterit; siquidem est propriissimum ipsius, quatenus est naturæ divinæ physica participatio, & inter omnes res creatas supremæ dignitatis: Non sic primum, illud enim est ita proprium Dei, ut nulli rei creatæ ex sua natura convenire possit, cum Deus Dominus sit suæ hereditatis, & gloriæ: et si hoc gratiæ præfatae adapteretur, erit utique, quia Deus vellet eam sic ordinare, & eidem jus tribuere, cui teneretur ad redamationem, tum ad acceptationem, & amicitiam; quod equidem esset favor specialis eidem gratiæ collatus, extrinsecè tamen; et si connaturaliter eidem gratiæ debitus; & propter hoc vocatur à Patronis huius sententiæ favor intrinsecus, & non pura denominatio extrinsecæ, aut mera imputatio, quatenus ordinatur ad futurum effectum realem prædictæ gratiæ inherenti conferendum intrinsecè.

68. Convenimus cum hoc modo dicendi in aliquibus, et si in aliis ab eo dissentiamus: Tenemus etiam, gratiam sanctificantem esse physicam, & formalem divinæ naturæ participationem; quapropter eidem convenire debet, &

essentialiter, hominem gratum, sanctum, & iustum physicè, & connaturaliter constituere, quidquid sit de alio modo sanctificandi, & iustificandi Deo non impossibili, de quo, & nos suo loco: Differimus enim in pluribus, & maxime in iis, quæ tract. 12. q. 9. latius dedimus, & de quo specialiter sentit, D. R. & discutit ibi citatus. Unde superest, ut de assumpto controverso impresentiarum contra solutionem datam instemus, & antea, ut certum, supponendum censeo, & maxime apud DD. contrarios; quod acceptatio, redamatio, dilectio, & amicitia Dei, prout sunt actus suæ divinæ voluntatis, sunt omnino liberi, gratiosi, nulli creaturae debiti, & propterea favor specialissimus creaturis sic amatis collatus, & de hoc nullus est ambigendi locus, sistitque, & terminatur favor iste in collatione gratiæ, & Donorum, ex quo supposito, oritur inter Theologos difficultas, num ista gratia, quam Deus confert, habeat ex sua natura, & essentia præfata munia? An præterea desideratur, quod Deus, qui eam contulit, faciat suo misericordi favore ea omnia complere? Nimirum hominem impium iustum facere, acceptum ad gloriam, &c.

69. Contra solutionem in hunc modum instamus: Gratia sanctificans solum communicare potest impio ex sua ipsius natura, quod eidem convenit, quatenus est physica divinæ participatio; sed constituere hominem acceptabilem ad vitam æternam, non est illi essentialè, & ex rei natura conveniens: Ergo nec adhuc acceptabilitas intrinsecæ, & quasi in actu primò considerata, est ita propria gratiæ, quin illi supera cresceret favor, & determinatio Dei talem acceptabilitatem conferentis. Major est ratio contrariorum, & minor probatur: Gratia sanctificanti solum competere poterit ex ipsa rei natura, & ut est divinæ participatio, esse principium, & radix operationum divinarum, sic videlicet, quod hominem impium per eam informatum elevet, & ad functiones præfatas, nimirum, intellectum, & amorem Dei, ut Author supernaturalis est; sed proportio huiusmodi, & elevatio ad superna nec dicit respectu acceptabilitatis ad vitam æternam, nec

strictæ amicitia ex ipsa rei natura: Ergo nec respectus acceptabilitatis habetur in homine iusto ex ipsa natura gratiæ.

70. Minor probatur primò per rationem, quæ non malè audit apud Patronos sententiæ nostræ: Non sunt ex natura rei connexa, posse diligere, seu amare, & esse acceptabilem; aut dilectum: Ergo ex eo quod gratia præstet ex sua natura primum, non sequitur, quod eidem essentialiter conveniat, & secundum. Assumptum patet per ea, quæ frequenter videmus, nimirum: plures non dilecti, aut accepti, diligunt eos, à quibus nec diliguntur, nec amore amicitia amantur. Secundò probatur eadem minor: Hominem impium constitui proximè acceptabilem in vitam æternam, nil aliud est, quam fundare respectum saltem connaturaliter ad divinam voluntatem, ut eum ad gloriam ordinet, cum jure tamen ad illam, ut ad propriam hereditatem; quod & est proprium filiorum Dei: sed respectus iste nequit gratiæ convenire ex sua essentia, & quidditate: Ergo, &c. Minor probatur: Respectus iste nulli creaturae est debitus: Ergo nec eidem convenire potest ex sua natura, quamvis altissima sit dignitas. Antecedens probatur: Respectus iste dependere debet à divina voluntate non modo gratiam conferente, verum & illi tribuente, quod suum propriissimum est, scilicet, jus connaturale ad suam hereditatem: Ergo non obstante gratiæ infusione, aliud desideratur, vel extrinsecus favor superadditus, vel intrinsecè cum ipsius gratiæ collatione communicatus, ut cuius gratia fundaret respectum istum proximæ acceptabilitatis: Ergo non ex sua natura in ea habetur.

71. Instantiæ huiusmodi, et si in eis à propriis principiis præscindamus, videntur esse totius quæstionis pondus, ideo in illis immorandum duximus; propter quod contra eas primò insurgunt contrarii. Gratia sanctificans, eo præcisè, quod sit physica divinæ naturæ participatio, affertur secum, & ex sua essentia esse terminum spiritualis, & supernæ filiationis Dei: Ergo non modo fundat respectum ad supernaturalia opera, verum & jus, & acceptabilitatem ad Dei hereditatem. Patet hæc consequentiæ

Nam si filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: Ergo si per gratiam filii sumus Dei, per eam, & acceptibiles ad gloriam. Primum antecedens probatur: Vera spiritualis, & superna generatio est physica communicatio naturæ generantis; sed huiusmodi est collatio gratiæ, quæ est, & dicitur physica participatio divinæ naturæ: Ergo hoc stante, ipsa gratia erit terminus physicus prædictæ generationis; hominemque filium Dei constitueret, ipsum faciet Deo similem in hæc natura, eâ similitudine sufficienti ad spirituales generationem.

72. Aliter possent urgere contrarii in hunc modum: Gratia sanctificans apud Theologos communiter, est semen gloriæ & quatenus gloria quasi pullulat ab ea, vel in quantum est radix nostræ beatitudinis formalis: Ergo sicut semen habet jus physicum, & connaturale ad fructus, & radix ad radicatum, sic & gratia ex sua natura non incongrue habebit jus istud; quin ex eo aliquid de supremo Dei dominio diminueretur; cum gratia hæc à Deo liberè, & gratiose, & cui voluerit, conferatur: Ergo acceptabilitas intrinsecæ, & quasi in actu primo considerata, quæ in idem coincidit cum hoc jure ad Dei hereditatem, ita est gratiæ propria, ut ei ex sua natura conveniat, nullo habito respectu ad ultimum Dei favorem. Prima consequentia probatur: Dei Dominum super suam hereditatem sufficienter salvatur per hoc, quod cui voluerit, quando, & quomodo voluerit, conferatur in jure, aut in re; sed istud sufficienter habetur in gratiosa, & liberali sanctificatione, & justificatione, & suo tempore, gloriæ possessione: Ergo stante hoc jure intrinsecò, & connaturali in gratia sanctificationis, adhuc verificaretur Dei supremum Dominum supra suam hereditatem.

73. Ellet in infinitum procedere, si, quæ ex utraque parte afferri possent, in medium producerentur, dicta sufficienter pro capto elatiori doctrinæ; caterum ut omnibus fiat satis; contra primam contrariorum instantiam sic argumentamur: Filiatio ea, quæ per Dei gratiam habetur, et si adoptiva, est vera, & propria, ita quod per illam non modo denomi-

nemur, sed & simus filii Dei; sed per physicam participationem divinæ naturæ, & omni alio favore secluso, propriè non denominaremur, necessems filii, nec illius gratiæ infusio esset talis generatio, quæ in adoptionem propriam filiorum desideratur: Ergo gratis concessio, quod gratia ex sua natura sit physica, & formalis divinæ naturæ participatio, adhuc ex eo non sequitur, esse terminum formalem spirituales, & supernaturalis generationis ex sua essentia, & quidditate. Major est littera Joan. & minor probatur: Propria ratio adoptivæ generationis unice dependet à libera Patris voluntate, hominem extraneum assumentis ad propriam hereditatem; sed ad hoc nil facit physica divinæ participatio naturæ ab anima iusti secundum se, omni alio secluso; siquidem ab eo præcindit, & sine hoc haberi potest, ut cum auctoribus huius sententiæ convenimus: Ergo etsi habeatur per gratiam istam conaturaliter huiusmodi filiatio, non tamen secundum suam naturam, sed quia Deus ita voluit eam gratiam prædictam effectum præstare. Minor probari debet: Physica divinæ naturæ participatio solum dicitur ex natura rei, haberi vi huius participationis aliquid, quod formaliter iungitur divinam naturam, ut præcisè natura est, ut putà esse, suo modo, principium essendi, & operandi supernaturaliter: Ergo aliud quodcumque, quod huic gratiæ attribuitur, erit eidem à divina lege, & institutione collatum: Ergo sic erit, esse filium, amicum, acceptum, &c.

74. Secunda instantia sic impugnari poterit: Etsi Dominium Dei sufficienter salvaretur per huius gratiæ infusionem, non tamen conformiter ad naturam rei, ad modum quo, licet gratia sit principium meriti supernaturalis, hoc tamen non habet ex natura sua, sed ex divina lege, & institutione, quatenus aliter derogaretur divinæ iustitiæ, cui omnia nobis donata, sunt ei debita: Ergo licet gratia libere à Deo impio conferatur, derogaretur suo supremo Dominio, si deficeret ab eadem lege ejusmodi collatio, essetque contra ipsius rei naturam, quæ ex se habere nequit, Deum obligare ad amicitiam, & propriam hereditatem

conferendam. Præterea: Dominium, quod veritaretur in ipsius gratiæ collatione, solum est respectu naturæ ipsius, & juxta ea, quæ habet ex sua quidditate: Ergo aliud quodcumque ei attribuitur, debet à libero favore Dei oriri; sed hoc aliud, est, constituere hominem acceptum, propriè amicum, filium, & heredem: Ergo istud exigit, specialem favorem supra infusionem, & communicationem veluti physicam talis gratiæ. De aliis inter solvenda argumenta.

75. Secundò probatur illa minor principalis primæ probationis, & conformis ad doctrinas R. loco citat. dat. Audiat in 1. dist. 17. §. 2. *Dens ita potest objective acceptare fundam. sicut facta; quod non esset, si charitas (hæc est gratia in R.) præberet acceptato formam, & habitum, per quum objective esset acceptatus, &c.* Et paulo inferius: *Non enim oportet ponere aliquid creatum objectum divinarum operationum; sed Deus volendo se, acceptat omnia, quæ vult, quando vult, & quomodo vult, &c.* Ergo nulla res creata quamvis sit constituta in esse supernaturali, potest fundare ex sua essentia, & natura respectum acceptabilis, filii, & heredis, &c. Probat hęc consequentia: Prædicti respectus debent esse in ordine ad divinam operationem acceptantem, & sed nulla res creata ex sua natura potest dicere objectivum respectum ad divinas operationes: Ergo idem quod prius.

76. Ratio prædicta parum posset urgere DD. contrarios, præterquam quod contra eam facere possent argumentum non leve in istum modum: Non obstante, quod charitas sit qualitas creata, fundat respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem, saltem ex divina ordinatione: Ergo non inconvenit, quod aliquid creatum sit objectum divinæ acceptationis. Antecedens est expressum in R. ut supra dedimus; & consequentia, præterquam quod satis clara est, probatur: Charitas, etsi à Deo esset ordinata ad illum effectum, quid creatum est, ut apparet, & R. docet; sed in vi huius ordinationis fundare potest respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem: Ergo aliquod creatum, etsi requiratur lex divina, aut Dei ordinatio, potest esse objectum divinæ acceptationis. Assumptum

77. Se-

convincitur: divina lex, & ordinatio non extrahit charitatem, & gratiam à ratione entis creati: Ergo si ordinatione supposita, charitas creata potest fundare respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem, huic objectivæ acceptabilitati non obest conceptus, & ratio formalis creaturæ.

77. Secundò, & fortius, urgeri potest ratio ea probativa ex D. R. de prompta: Si Gratia, & charitas nobis inherens, ex se non possent esse objectum divinæ acceptationis, quia sunt quid creatum, sed totum, objectivè, scilicet, haberi in homine acceptato ex divina voluntate eum acceptante præcisè quia vult, & quando, & quomodo voluerit, sequeretur, quod de facto, & secundum præsentem providentiam ad nil objectivum deferviret charitas, seu gratia: Contra quod textus sacri, Conc. & PP. una voce docentes per Dei gratiam nos salvos fieri, iustos, Sanctos, amicos, filios, heredes Dei, dilectos, acceptosque constitui, ita quod hac gratia, & charitate deficiente secundum quod de facto statutum est, corrueret hoc supernaturale edificium iustitiæ: Ergo. Sequela probatur: Tota ratio objectiva iustitiæ impii unice haberetur à divina voluntate, eum acceptante in vitam, & æternam hereditatem; siquidem nil extra se Deus vult, sed hominem huiusmodi acceptaret, non quia gratus sibi esset, sed quia eum acceptavit quando, & quomodo voluit: Igitur adhuc in vi præsentis decreti ad nil objectivè deferviret charitas.

78. Nec respondeas, quod Gratia, five charitas solum desideratur de facto in anima iusti propter esse subjectivum, in quantum, scilicet, per eam habilitetur ad supernos actus, & meritorios eliciendos; non tamen propter esse objectivum, cum nil Deus objectivum expectet ex parte nostri; in se enim habet, & ex sua natura objecta omnia, & rationes omnium acceptabilium, & volubilium: Ergo non est cur gratiæ tribuatur objectivum divinæ volitionis, & acceptationis. Doctrina est expressa R. pluribus in locis, & ad intentum specialis in 1. cit. §. 2. ubi ait: *Sic igitur habito, quod charitas, quæ de facto ponitur, ponitur propter esse subjectivum, ut scilicet, disponamur ad*

meritorie operandum, &c. Ergo charitas, seu gratia solum de facto ponitur propter esse subjectivum animæ, aliud verò, quod objectivè se habeat in justificatione impii respectu divinarum operationum, habetur in, & ex Deo ipso, qui est objectum, supereminens, & in quo omnia seibilia, & volibilia adunate, distinctè, & eminentiori modo continentur.

79. Non inquam, hæc responsio est sufficiens, & maximè attentis his, quæ non semel ex D. R. dedimus in hac q. docet enim in quodlibet cit. & est totius difficultatis apex; quod charitas, etsi quid creatum sit, fundat respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem: sed respectus iste in anima impii iustificati de facto per charitatem est purè, expræsè, & differtis verbis objectivus; siquidem charitas ponitur propter esse subjectivum iusti, in quantum eum disponit ad meritorie operandum; insuperque si ex mente D. fundat præterea respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem, etiam poneretur propter esse objectivum: Vel dicant, quid est esse subjectivum, & objectivum in iustis per respectum ad charitatem? Ergo hæc solutio nulla videtur adhuc ex mente R.

80. Urgetur in super responsio per doctrinas communes ex sacris, & Canonicis litteris: Charitas, seu gratia de facto ponitur in anima, etsi non sit necessarius, & essentialiter, congruentius tamen, perfectius, & conaturalius, ut verè, & propriè hominem impium transferat deesse inimicum ad veram amicitiam cum Deo, ut eundem constituat in statu filiorum Dei, per eamque renovetur in hominem interiorem, & insuper ut vitæ æternæ heredem; sed ista omnia non solum dicunt, aut in charitate inferunt subjectivam dispositionem, verum & objectivam proportionem, ut homo à Deo redametur, ut amicus, accepteturque ad gloriam ut hæres ad hereditatem Dei: Ergo etiam ex hac ratione nulla est solutio. Major est de fide, & minor probatur: Ea omnia munia, quæ tribuuntur gratiæ, & charitati per sacras litteras, similiter pertinent ad esse objectivum justificationis impii ut, ex verbis ipsis constat; nimirum esse amatum, acceptum, &c.

&c. Ergo per charitatem non modo de facto disponitur homo justus, subjective, & ad operandum, sed etiam objective, & in quantum eidem præbet formam suam acceptabilitatis, & redamabilitatis.

81. Argumenta hæc, & pondus rationum, magnam præferunt difficultatem, & præterea non parum urgent, si in R. doctrinas doctrinis concordare velimus. Ob quod ut certum statuere debemus, quod quando R. D. suis in locis loquendo de objectis divinarum operationum accerrimè docet, & tenet, quod nullius operationis Dei sit dabile objectum extra Deum ipsum, procedit, & loquitur de objectis per se motiis, & per se terminatiis primario, aut secundo; quin per hoc creaturas excludere videatur, ab esse objectum famosè terminans, & resultativè pertinens ad divinas operationes prædictas; unde in hujus D. sententia Deus verè cognoscit, & verè vult creaturas, ipsæque verè sunt objectum horum actuum, sed non subinduant rationem veri objecti per se, sed resultativè, & quadam veluti famosa denominatione dicuntur terminare divinas operationes, ad modum quo mors dicitur finis, & terminus viventis.

82. Hoc prædicto fundamento deveniendum interest ad ulteriora, & quæ ad rem nostram faciunt et in primis censeo, quod quando R. docet, quod charitas, sive gratia, vel quid huic dono æquivalens necessario requiratur propter esse subjectivum, & ut dispositio ad meritorie operandum, ita debet intelligi, ut ad hoc esse subjectivum essentialiter, & quidditivè requiratur, taliter quod vel ipsa virtus Deifica, vel motio alia specialis Dei, sive assistentia Spiritus Sancti ad hoc munus indispensabiliter desiderantur. Alio modo discurret circa esse objectivum hominis per istam charitatem justificati; in hoc etenim cum Deus habeat in se rationes objectivas omnium rerum, & maximè supernarum, potest pro suo libito acceptare tam facta, quam fienda, ut ipse ait ibi, & quæ vult, & quando, aut quomodo voluerit, quin ad hoc desideret aliquid ex parte rerum acceptarum, quod necessario, & essentialiter requiratur ad earum acceptabilitatem; sic enim loquitur: *Deus ita potest*

acceptare facta, sicut fienda, quod non esset, si charitas præberet acceptato formam, & habitum per quem objective esset acceptatus: hoc debet intelligi in sensu essentialiter, & quidditivè requisito.

83. Ex his dictis, & suppositis prior, & proximior est concordia locorum R. quando enim in 1. cit. docet: *Quod charitas, quæ de facto ponitur propter esse subjectivum, ut scilicet disponatur ad meritorie operandum; ita debet intelligi, ut sensus illius sit, quod qualitas ista superna de facto animæ infusa habeat ex sui natura, & essentia hominem justificatum disponere tantum, & præparare ad meritorie operandum; sin autem, ut ipse D. ait q. 8. quodlib. Non obstante, quod charitas sit quædam qualitas creata ex ordinatione divina fundat respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem, consideretur, ut debet, non procedit de charitate secundum id, quod habet physicè, & ex natura rei, sed supposita lege, & ordinatione divina; sub quo sensu, & non aliter Gratia Dei, & charitas fundare potest præfatos respectus objectivos, non per se terminativè, sed per accidens, & resultativè; optimeque coheret, & quod Deus acceptat, quæ voluerit, & quando, aut quomodo placeat ex natura rerum, & per se; exterum divina lege, & ordinatione supposita, ratione gratiæ, & charitatis, non primario, & ex illa, sed secundo, & consequitivè.*

84. Nunc ad formam argumenti, quæ in hoc filogismo recapitulatur: Charitas, ut per divinam legem ordinata, est adhuc qualitas creata; sed ut sic fundat respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem; Ergo idem dicendum erit de Gratia, cui obesse non poterit ratio creaturæ, ut similem respectum fundare possit. Respondetur, concessa majori, & distinguendo minorem; sed ut sic fundat respectum acceptabilitatis physicè, & ex natura sua, nego, ut subest divini ordinationi, subdistinguo minorem: sub ista ratione fundat respectum, subjectivum, omitto; objectivum iterum distinguitur minor; fundat respectum objectivæ acceptabilitatis resultativè, per accidens, & consequitivè, concedo; per se, & tanquam objectum verè terminans divinam acceptationem, nego minorem, Et

Et ecce disparitas consequentis. Negamus enim creaturæ cuilibet, quod ex natura sua fundet respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem, vi cujus Deus obligaretur, ut suam velit eidem conferre hereditatem; cum quo componitur, quod hæc eadem creatura à Deo ipso ordinetur, & veluti assumatur, ut eam tanquam per formam non modo subjectum disponatur ad meritorie operandum, verum & adesse objectum suæ acceptationis non per se movens, aut terminans quia acceptatio Dei est suæ voluntatis actus volentis homini justificato conferre gloriam; & huic divini operationi dedecet ad creaturam per se terminari; sed solum famosè, & resultativè.

85. Sed adhuc non acquiesces: Acceptatio, redamatio, & dilectio Dei respectus hominis nil ponit in acceptato, aut supponit, sed se habet sicut honoratio ad honoratum, aut sicut intellectio ad intellectum, vel visio ad visum, & generaliter ad modum quo se habent actus omnes immanentes, qui actus transmutativi non sunt, per respectum ad sua respective objecta: Ergo respectus acceptabilitatis ad Deum acceptantem, quem habet charitas ex divina ordinatione, non est ad rem nostram. Antecedens est littera R. locis hic citat. & consequentia probatur: Respectus acceptabilitatis præfatus in charitate fundatus, vel se habet subjective in homine justo, vel objective; si subjective, non desiderat charitas divinam ordinationem, ut subjectum disponat ad supernas operationes; si quidem physicè, & ex natura rei illi convenit esse principium dispositivum, & elevativum hujusmodi; nec objective disponi potest homo justus per charitatem ad Dei acceptationem; nam acceptatio, sicut alius quilibet actus immanens Dei nec ponit, nec supponit in objecto aliquid ab eadem productum; & tanquam terminus distinctè inspectus; sicut docet R. per exemplum de honoratione respectu honorati ibi: Ergo charitas ut ordinata per divinam legem nil facit in homine, quod deservire possit ad suam acceptationem.

86. Primo aspectu apparet replica difficilis, sed certè faciliter enodatur, ad eamque dicendum censemus, quod to-

ta disputatio R. in præallegatis locis citat. sinit, in inquirenda natura, & quidditate charitatis, seu gratiæ; ideoque ibi præcisè quærit pro hoc investigando, num sine gratia ista possit homo justificari, acceptari ad gloriam, & mereri? Et cum teneat, quod hæc Deifica qualitas solum desideratur ad hæc munia connaturalius, & perfectius præstanda; consequenter docere debet, quod sicut essentialiter non requiritur, sic sine illa posset homo de posse Dei extraordinario justificari, acceptari, & in statu merendi constitui: & istud erat eorum quæstionum scopus; sub quo sensu nec acceptatio, nec justificatio impii perunt essentialiter aliquid in eo objectivum; vi cujus terminet hanc acceptationem, & justificationem ex parte Dei consideratam, sicut nec honoratio aliquid expectat in honorato, aut in eo relinquit; cum quo tamen componitur, quod attentò divino decreto, seu præsentis providentia, qua Deus statuit hominem acceptare, & justificare connaturaliter, & modo perfectiori, & nobiliori, ad hoc præcisè requiratur gratiæ collatio, tum ut eum disponat subjective, & secundum suam naturam, quam & voluit constituere objectum suæ acceptationis pro modo tamen competente rei creaturæ, nimirum resultativè, & famosè terminantem eam.

87. Et non remaneat scrupulus difficultatis, declarare, & exponere debemus per doctrinas R. sapius repetitas, & specialiter in 1. dist. 27. art. 3. §. 2. per totum quod quando Philosophus docuit, quod actio transiens differt ab immanenti per hoc quod illa, & non ista habet terminum productum à se ipsa distinctum, intelligi debet, non præcipue, sed comparative; hoc est, quod actio transiens regulariter habet terminum productum, & per se ad illum terminatur; non sic actio immanens, cum nullum extra se terminum productum per se habeat, cum quo componitur, quod sicut actio transiens solet quandoque nullum habere terminum formaliter productum, sic ab opposito, actio immanens aliquando terminum extra se producit, non per se, & tanquam finis principaliter intentus,

R

sed

sed veluti per accidens, & resultative: nunc ad rem nostram, licet enim acceptatio, & justificatio sint actiones immanentes, possunt pro libito Dei habere terminum in acceptato ab ipsis distinctum, etsi non tanquam finis per se intentus, per accidens tamen, & per consequentiam; hic erit gratia, & charitas in presenti providentia, & ex divina ordinatione.

88. Solet ab aliquibus hæc eadem asserta conclusio probari per autoritatem Trident. sess. 6. Canon. 11. ubi satis clarè definitur, justificationem impii esse gratiam inherenter, & non tantum favorem extrinsecum Dei: Ex quibus in hunc modum argumentantur; Conc. determinat, gratiam justificationis esse non solum favorem Dei: Ergo probabilissimum, & fortè certum relinquit, quod favor Dei pertineat ad gratiam justificationis. Hæc consequentiā probatur: In illa hipotetica Conc. includitur favor Dei, veluti pars intrans simul cum gratia inherente ad perfectam impii justificationem: Ergo favor pertinet ad adæquatam conceptum justificationis. Assumptum patet: Nam si solum favor sit & favor solus, non adest forma justificans: Ergo simul cum gratia inherente hunc effectum præstabit. Alii denique probarent præfatam conclusionem per hoc, quod in casu hujus probabilitatis esset magis gratiosa justificatio, magisque dependens a libera Dei munificentia; cum plus de favore haberet: Ergo modus iste dicendi conformior est textibus Conc. & PP. taliter extollentibus misericordem erga impios justificationem: At quia hæc, & antecedens ratio non multum præmit DD. contrarios, nec nos in illis pedem figimus, etsi eisdem assentiamus, & idè ut probabilioribus eis accedimus.



PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

89. **P**rimò arguitur: Si Gratia Dei ex natura sua non esset perfecta sanctitas, & justitia, sed accedente Dei favore, & æstimatione, sequeretur, quod solum ad præsentiam hujus qualitatibus, aut actus impius justificaretur; sed contrarium proclamatur Trident. definiens contra Hæreticos illius temporis, nobis inesse, & per modum formæ inherenter, veram justitiam, & sanctitatem: Ergo huic formæ qualitas sit, aut actus, convenit ab intrinseco, & ex sua natura esse justitiam, & sanctitatem nostram, sed hæc qualitas creata est gratia sive charitas: Ergo secluso Dei favore, aut acceptatione ei convenit, impium justificare. Minor est expressa in dicti Conc. sess. 6. per varia cap. & Canon. de quibus, & nos supra in præsuppositis ad præfens dubium; & major videtur clara in hunc modum: Si Gratia non habet ex se, & ab intrinseco sui impium, justum facere, esseque veram, & perfectam sanctitatem, ad hunc effectum expectaret Dei favorem, & æstimationem: Ergo inspecta secundum sua propria intrinseca non esset perfecta sanctitas. Et ecce doctrina Bucerii & aliorum à Trident. damnata.

90. Hoc est præcipuum argumentum contrariorum, & in quo principalis ratio sistit, & quod maximè extollitur ab illius sententiæ Patronis, idèdque quanta possimus maturitate perpendendam erit, & maximè cum contineat prælarum Trident. circa hoc declarationem, pro quo breviter recapitulanda veniunt, quæ in principio hujusq; dicebamus, & notandum, simul: Quod in Trident. citato, & in ejus decisionibus, sive definitionibus de gratia justificante, & forma nobis intrinsecè inherente, & quæ sit nostra interior renovatio, & sanctitas, sentitur, & proceditur de ea gratia, quæ de facto animæ impii infunditur, & à qua tamquam à forma interiori justificatur, præscindendo ab eo, quod hæc forma justificans habeat physicè, & ex natura

tura

sua munus sanctificandi, nec ne? Num scilicet ea ut pote in sua quidditate superna, & perfectissima esset ulterius à Deo assumpta, ut prædictum effectum exerceret, quod equidem haberet non ex se, sed ex divina ordinatione? Ita etenim disquisitio est Theologorum Scholasticorum propria, ejusque conclusiones hinc inde deductæ merè probabiles sunt, & de illis nil hucusque determinavit Ecclesia, nec Trident. quod circa præsentem controversiam pro aliqua parte contendendum urgeat, cum sit unicè contentum in eo, quod hominis impii renovatio sit interior, & à forma intrinsece inherente habita, & non à Dei, vel Christi meritorum externa imputatione, aut applicatione.

91. Nuncque ad formam argumenti respondendum erit, si singulas ejus propositiones qualificemus; & in primis falsum supponitur in majori, nimirum quod favor, aut æstimatio Dei, cujus ratione charitas justificat impium secundum præsentem providentiam, sit quid accedens, seu accessorium ad gratiam istam, hoc enim est apertè falsum, etsi non sit indecens, ac repugnans; nam Gratia, qua impius justificatur de facto, est forma realis, & physica à Deo creata, & infusa cum hujusmodi favore, & æstimatione, taliter, quod in se, etsi non ratione sua naturæ, habeat inditum valorem ad justificandum ex divina lege, & institutione eam extollere statuente ad munus sanctitatis, & justitiæ: Igitur favor iste non est quid accedens, seu accessorium ad gratiam, qua impius justificatur, sed cum illa secundum præsentem legem intimè conjunctus, infusus, & communicatus, & ab eadem sic inseparabilis sit, ut intrinsecetur in anima impii, sicut & ipsa qualitas secundum suum esse physicum, unumque inhaereat, & informet.

92. Unde, hoc sic stante, non bene deducunt DD. contrarii sequelam præfatam majoris, & maximè hæc nostra supposita doctrina; cum ex ea non sequatur, quod unicè ad præsentiam gratiæ impio communicatæ, illum Deus justificaret. Sicut princeps ad præsentiam metalli extrinsecus ei valorem confert, & monetam constituit; non inquam, hoc

Tom. IV.

umbram habet veritatis; siquidem, ut superius immediatè dicebamus, valor, æstimatio, sive divina acceptatio non consequuntur ad gratiæ infusionem, sed cum ipsa & in ipsa communicatur homini sanctificatio omne, quod ad perfectam justificationem desideratur: Ergo non rectè deducitur ex principiis assertis, quod ad præsentiam Gratiae homo à Deo justificaretur. Hæc consequentiā convincitur: Si Deus infunderet homini impio Gratiam tali modo valorizatam, non bene diceretur, quod solum ad ejus præsentiam Deus hominem illum sanctificaret, sed quod magis ad veritatem accederet, esset, quod Deus per illam, tanquam per formam, prædictum effectum præstaret; atqui in hoc modo dicendi res ita se habent: Ergo ex eo non bene deducitur primæ majoris sequela.

93. Nec Trident. legitime adducitur in minori contra intentum nostrum, quod longius recedit à placitis hæreticorum, ut ex dictis non semel satis constat, nullus enim ex iis damnatis asseruit, Gratiam justificationis impio infundi, aut communicari, sed totum negotium justitiæ nostræ à Deo extrinsecus dependere; & ad summum qualem qualem justitiam inchoatam, & fortè defectuosam concessere: Nos autem à contrario docemus, & tenemus, omnem nostram sanctitatem, & justitiam ab intus esse, in nobis inesse veluti formam inherenter, intrinsecusque suam effectum sortiri: Ergo nec in minimo intingimur, maculamur, aut univocamur cum doctrinis damnatis. Assumptum evidentiatur: Tota justitia nostra est à Dei gratia nobis infusa, & communicata; sed gratia hæc intrinsecus se habet in anima: Ergo sic est tota nostra justitia. Major patet: Gratia ista quomodolibet sit, habet munus justitiæ, & sanctitatis, ita quod secundum providentiam, eidem tanquam formæ conveniat effectum prædictum præstare: Ergo in Gratia ista sistit tota justitia nostra.

94. Contra quod nil urget probatio ea, quæ in argumento assumitur; non igitur est bona argumentatio hæc: Gratia non habet ex sua natura esse perfectam justitiam, & sanctitatem: Ergo in nulla

R 2

pro-

providentia potest ab intrinseco sui esse perfectam justitiam, & sanctitatem. Falsa consequentia: siquidem potest aliqua forma præstare intrinsecus effectum, qui eidem non competat ex sua natura, sed aliunde. Patet: Gratia ipsa in homine est principium intrinsecum meriti, & ei non convenit tale munus ex sua natura, sed ex divina lege; aqua habet esse instrumentum physicum causativum gratiæ regenerativæ intrinsece, cæterum non ex sua essentia, sed Christi institutione: & in physicis, calor est instrumentum hujusmodi carnis productivum, sed non ex sua natura, sed prout in animali: igitur gratia, seu charitas poterit esse forma intrinsece justificans, non tamen ex sua natura; sed lege Dei, & Decreto. Ratio horum prima fit ab exemplari: homo, & Angelus dicitur justus, & sanctus intrinsece, non verò ex natura sua: Ergo aliud est esse tale intrinsece, & aliud esse tale ex natura sua, & quidditate. Patet hoc: Nam adesse tale intrinsece, sufficit, quod formam præstans hanc denominationem intrinsecus inhæreat, vel adhæreat; adesse verò tale ex natura rei, ulterius requiritur, quod denominatio ea eorum habeat ex prædicatis essentialibus.

95. Ecce nunc immediatior ratio, & secundò probativa assumpti, & quæ in idem convenit cum immediatè dictis: Duplici namque modo (doctrina est expressa R. non semel data) potest haberi intrinseca denominatio; vel a forma essentiali, & tunc ex natura proveniens; vel à forma extra essentialiam, cæterum intrinsecata, adhærente, sive inhærente intrinsecus; & in hoc casu, etsi non denominet formam hæc subiectum suæ inhærentiæ, seu adhærentiæ ex natura sua, illud tamen denominat intrinsecè, ut potest à forma intrinsece habita proveniens: Discurremus sic in gratia, & charitate; ex natura sua solum habet esse principium subiectivæ sanctitatis, ex lege verò, & divina ordinatione, illi objective intrinsecata, & isto modo homini impio infusa, habet eundem intrinsece, & perfectè justificare, licet non ex sua natura, ex lege tamen, & divina ordinatione.

96. Ad formam respondetur, negando suppositum, & sequelam majoris, & ad hujus probationem negatur minor, & ratio erit doctrina à nobis superius data, his terminis concisis reproducta: Gratia namque, quæ de facto est impii justitia, & sanctitas, nec habet ex natura sua esse justitiam, nec ad id exspectat favorem Dei, sed in ejus creatione, infusione, & communionem Deus creator, & infusor illi præstat simul cum sua quidditate, virtutem Deificam, qua possit communicare animæ id, quod habet ex sua natura, & id, quod ex divino beneplacito, sed utrumque intrinsece, & per intrinsecam in anima insistentiam; aliter tamen, & aliter juxta ea, quæ propria sua sunt, & quæ ex divina lege, & favore. Ultima verò consequentiæ propositio sic debet distingui: Ergo charitas inspecta secundum suam propriam intrinsecam, & ex natura sua convenientiam, non est perfecta sanctitas, concedo; secundum suam propriam intrinsecam, & ex lege Dei habitam, non est perfecta sanctitas, nego consequentiam.

97. Secundò arguitur, & instantur doctrinæ data in ista hypothese: Si Deus crearet, & infunderet gratiam secundum suam tantum physicam, & essentialia postea pro sua voluntate, & libito assumendam, ut quem, & quando voluerit justum constitueret, amicum, & sui Regni hæredem, in hoc casu, verè diceretur, impium justificari, & non per formam intrinsecam, sed præcisè per illam Dei advenientem ordinationem; atqui quoad esse intrinsecum eodem modo se haberet favor adveniens gratiæ creatæ, & infusæ, sicut si cum ea esset simul à Deo inditus: Ergo eo jure, quo in illa providentia homo justificaretur per formam extrinsecus accedentem, sic de facto, & secundum præsens decretum, si stemus doctrinæ data. Major videtur certa, & saltim à nobis asseritur, & minor probatur: Favorem illum, & divinam ordinationem esse simul cum Gratia inditum, vel ei jam infusæ advenientem, supponi est necessarium, esse accessorium, accidentale, quid, & præscindibile à gratia, & è cõverso: Ergo adveniat gratiæ creatæ, vel simul cum ea infundatur, quoad esse intrinsecum ju-

justificationis eo modo se habet ad impii justificationem. Antecedens est certum, & consequentia liquet: adveniat, vel simul infundatur cum gratia ordinatio ea Dei, semper est quid extrinsecum, præscindibile, & accessorium gratiæ: Ergo quoad esse intrinsecum justificationis impertinenter se habet, quod favor Dei, si necessarius est ad constituendam justitiam, adveniret gratiæ infusæ, vel quod simul, & in ejus creatione esset à Deo inditus, & gratiæ ipsi communicatus.

98. Ad argumentum respondetur, & admissa, ac concessa hypothese, ut patet, & negare non audeamus, ad majorem dicimus, quod duplici via discurrere possumus de impii justificatione in ea hypothese, primò sic, quod Deus illum justum faceret per se, & tantum ad præsentiam illius physicam, & supernam qualitatibus, ad modum quo gratiam conferebat per Sacramenta veteris legis: Secundò, & alio modo connaturalioris; nimirum, eam gratiam, & physicam qualitatem ordinando, & instituendo, ut in modum formæ inhærentis talem præberet sanctitatem. Primò modo si concipiamus hypothese, certum est, quod homo in ea providentia justificatus, merè extrinsece, & à Dei omnipotente ordinatione justus, & sanctus denominaretur; cæterum non ita extrinsece, ut esset talis purè denominativè sicut in columna dicitur dextrum à dextera animalis; at quia de hoc fusius suo loco, & ad rem nostram parum conducit; de secundò modo dicemus; nempe quod in illo casu ita intrinsece denominaretur impius justificatus, sicut in præsentem decreto; nam sicut nunc taliter justificatus, justitiam accipit per modum formæ intrinsece inhærentis, ita in ea providentia eveniret: Gratia enim in illo eventus esset à Deo assumpta, & ordinata, ut ea ipsa hominem impium sanctificaret: Ergo & per modum formæ, & intrinsece; solumque esset differentia in modo divinæ ordinationis, quatenus scilicet de facto sic Deus infundit gratiam, & in tali hypothese pro alio tempore ordinatam, ut munus justitiæ obiret.

99. Hic est sensus majoris, minorisq; prætermissa, concessaque consequentiæ

in sensu à nobis supra explicato, simulque toto entimemate, ad probationem consequentiæ distinguendum est ultimum antecedens: Favor, & ordinatio divina est quid extrinsecum gratiæ, & ab ea præscindibile, si consideretur secundum suam physicam prædicatam, concedo, si consideretur, ut gratia est, & justitia, nego antecedens. Vel aliter: Est quid extrinsecum, & extrinsecè se habens, nego, est quid extrinsecum, intrinsecatum tamen, & adhærens gratiæ, concedo antecedens. Supernaturalitas enim & meritum sunt quid extrinsecum, & præscindibile ab actibus hujusmodi fidei, &c. cæterum ordinatio Dei intrinsecatur taliter in eorum vitalitate, ut verè dicantur intrinsecè superni, intrinsecè meritorii: favor, ordinatio divina, seu lex tali modo gratiam secundum suam naturam constituunt, ut etsi extrinsecus à Deo proveniant, in ea tamen ita adhærent, ut velut intrinsecari videantur, et simul coadunantur, ut unam gratiam, & sanctitatem component; sub quo sensu debet intellegi prima distinctio hujus antecedentis.

100. Tertio arguitur, & adhuc insurgunt contrarii contra solutionem datam: Favor, & ordinatio divina nil intrinsecum ponit in gratia, prout est forma inhærens, & impium justificans: Ergo si necessarius est supra physicam naturam gratiæ, ut impius iustificetur, incidimus in sententias Bucceri, & ad minus Pighii, & Canonic. Colonienf. cum isti teneant, sic vel sic, quod gratia Dei non est perfecta justitia, nisi extrinsecus Deus eam acceptet, & reputer, aut ordinet ad effectum sanctitatis suplens, quod ei deficit ex sua natura. Antecedens probatur: ordinatio hæc, & favor Dei nil reale ponit in gratia secundum suam naturam considerata sicut nec honoratio in honorato; sunt enim denominationes purè morales, quæ quoad esse rei, terminum, cui afficiunt, non immutant; sed si aliquid intrinsecum ponerent in gratiæ natura, eam immutaret, & aliter faceret esse, ac erat ante favorem illum: Ergo favor iste, sive divina ordinatio nil intrinsecum ponit in gratia, prout est forma inhærens, & realis.

101. Per prius ad hujus argumenti, & instantiæ solutionem recolendum, seu potius supponendum censeo, quod nec Doctores illi Catholici, nec Buccerus, aut Kemnitijs ita præcisive loquantur in suis placitis, & sententijs, ut aliter docere videantur de Gratia Dei physice, aliterque de eadem moraliter considerata, quidquid de hoc nostris argumentibus inferamus: Certum enim est, quod Gratia ea, de qua procedunt, & quam expugnavit est nostra justitia interior renovans, & sanctificans, & de hac sentiunt aliqui, in sufficientem esse, alii verò, & deterius, imperfectam, & maculatam: Cum utriusque nullomodo coherere possunt Theologij hujus temporis, siquidem quomodolibet sentiant de Gratia quidditate, & essentia, ad ultimum omnes in unum conspirare debent, tenendo, & docendo, Gratiam istam, ut formaliter justitia est nostra, & sanctitas, intrinsecam esse impio justificato, perfectamque ac completam illius interioris renovationem; per quam omnes isti DD. hinc inde disputantes toto celo distant à placitis damnatis, & non bene receptis, cum isti loquentes de Gratia sub eâ reduplicatione, ut scilicet, gratia est, & justitia, adhuc imperfectam, & insufficientem, immò, & defectuosam esse sentiant, ita quod si Deus non suppleret, quod illi deficit, vel macularet impium, vel ad minus eum non faceret sanctum.

102. Nos verò cum antiquis, & recentioribus, qui præcisive loquantur de Gratia Dei, & charitate, aliter sentimus de ea, ut quædam entitas physica est, & aliter, ut justitia nostra est, & sanctitas; ut enim sanctitas est, & justitia, perfecta est, sufficiens est, connaturalior est, interior, & intrinseca est renovatis impii, & translatio ad statum filiorum Dei, nulloque alio indigens intrinseco, aut extrinseco, quo compleatur, aut perficiatur intra limites sanctitatis, & justitiæ; in quo ergo, nec in minimo, hic modus dicendi coincidit cum damnato? In nullo certe, sed si vim difficultatis perpendimus, adhuc argumentum insolitum manet: nam gratia ista, ut justitia nostra est, non habet ab intrinseco sui, esse sanctitas hujusmodi: Igitur ab extrin-

seco; consequenterque neutiquam dici poterit intrinseca, aut esse interiori hominis impii renovationem. Et ecce motivum, seu ratio coincidentia cum sententijs non bene visis.

103. Cui duplici via respondendum censeo; prima, per distinctionem illius argumenti antecedentis: Favor, & ordinatio Dei nil intrinsecum ponit in gratia & charitate ab ea realiter, & entitative distinctum, concedo; nil intrinsecum poni relativum, seu de novo respectivum in ea gratia, nego antecedens. Consideramus gratiam secundum suam physica prædicata, & eandem, ut subest divinæ ordinationi, & acceptioni: in primò statu solum habet esse formam supernam, qua anima potest in opera supernaturalia, in secundo verò statu ordinationis scilicet, & acceptionis divinæ, etsi nulla eidem addatur realitas, seu physica entitas; advenit tamen eidem novus ordo intrinsecus ad gloriam, & æternam hæreditatē, respectus filiationis Dei, & suæ hæreditatis, amicitia, &c. quæ omnia quid reale sunt, & intrinsecum gratiæ, & charitati, etsi non quid reale distinctum. Admodum quo per novos respectus intellectuales, & intentionales verè, & intrinsecè, realiterque in Dei natura superaditos concipimus intellectum, voluntatem, ceterasque potentias, & attributa, quæ etsi realiter inesse consideremus, non tamen realiter superadditæ: Sic favor, & ordinatio Dei in Gratia ponunt, & constituunt realem justitiam, & sanctitatem, ceterum non realiter distinctam à Gratia entitate, sed in simul conspirantem ad impium acceptandum, &c.

104. Solutio hæc expressa est in R. quodlib. 1. q. 8. art. 4. & quæ est totius nostræ resolutionis fundamentum; iterum dabimus verba: *Non obstante, quod charitas sit quædam qualitas creata ex ordinatione divina fundat respectum acceptabilitatis ad Deum, &c.* Hic ergo respectus acceptabilitatis in gratia, sive in charitatis qualitate fundatus, non est ex natura ipsius, sed ex divina ordinatione, eidemque advenit intrinsece hac Dei lege, quin aliquid per modum entitatis de novo illi accrescat, sed tantum ut ordo quidam, seu relatio, dicamus, transcendentalis ad-

admodum quo, ut ipse D. ibi habet: *Omnis motus receptus in mobili fundat respectum, quo copulatur agenti, qui quidem illi intrinsecè advenit, & non per modum realitatis superadditæ:* Sic etiam posito termino, resultat infundamento relatio, quoad exercitium, quin huic consequatur entitas, seu realitas: igitur non est cur non possimus sic sentire de Gratia, & charitate, nimirum, quod stante divina ordinatione illi accedat intrinsecè novus respectus acceptabilitatis, justitiæ, & filiationis Dei, quin hoc sit per novæ realitatis augmentum, sed eadem immutata permanente quoad suam entitatem subinduat novum respectum, seu novam intrinsecam denominationem vi alicujus actionis etsi extrinsecus, applicatæ: Ergo ea supposita lege, decreto, & divina ordinatione, Gratia, quæ secundum suum esse physicum non est adæquata sanctitas, & justitia, intrinsecè fundat hos respectus de novo sine novæ entitatis additione.

105. Nec contra hoc facit hæc instantia, & de qua alibi: Non potest scilicet, per novam extrinsecam actionem quia de novo intrinsecè denominari, forma illi aliquid intrinsecum de novo adveniat, vel uno verbo, quin intrinsecè mutetur: Ergo per actionem Dei extrinsecus Gratiam ordinantem adesse nostram justitiam, non denominaretur intrinsecè nostra sanctitas, si non mutaretur intrinsecè per novæ realitatis receptionem. Hæc instantia parum nos præmit; & in primis sic instatur: Per actionem educativam, & generativam producitur forma ad existendum, & subsistendum, aliterque se habet intrinsecè in vi hujus actionis, (nec abhorreas, quod sint transseutes, & ex se transmutativæ actiones) cum nil novum generetur, aut producatur de entitate, & realitate superaddita, sed solum novus gradus ejusdem realitatis, & entitatis: Igitur Gratia, & charitas in vi divinæ actionis ordinativæ poterit subinduere novam intrinsecam denominationem per novi respectus realitatis advenientis rationem, absque eo quod nova realitas, & entitas eidem accedat, sive accrescat.

106. Ratio doctrinæ hæc est, juxta mentem R. in 1. cit. & hic: Nova intrin-

seca denominatio, vel potest esse per formæ mutationem, aut transmutationem, vel per novum statum, gradum, aut respectum intrinsecum ejusdem formæ; primo modo requiritur ad novam denominationem nova entitas, non quia intrinseca, sed quia est talis per veram mutationem, & quæ rem substantialiter facit aliter esse: Secundus modus denominationis intrinsecæ verificatur semper ac forma quomodolibet se habeat aliter intrinsecè, etsi non sit per realem transmutationem, per adventum tamen novi status intrinseci, seu gradus, aut respectus; quiquidem accidere, aut evenire possunt alicui formæ absque illius reali, & intrinseca mutatione, sed solum de novo connotata aliqua vera, & reali actione; ut patet in exemplis immediate positis, & in ferè millibus in omnium doctrinis bene receptis; ita enim vestitur ens diversis intrinsecis denominationibus in unica realitate repertis, & solum diversis potentiis, scientiis, & actibus extrinsecè connotatis: Ergo & in nostro casu poterit sic esse.

107. Secunda solutio, quæ & communis est apud Patronos nostri modi dicendi sistit pure in alietate intrinseca morali, quæ sufficiens est, ut gratia, quæ ante divinam æstimationem, sive ordinationem solum erat principium subjektivè dignificans animam, & eam elevans, & proportionans ad superna; ea ipsa, ut subest huic divinæ ordinationi intrinsece aliter se habeat, etsi moraliter, sufficienter tamen, ut possit esse vera justitia, & sanctitas, amicitia Dei, & ejus filiationis adoptiva, cum hæc munia magna ex parte moralia sint, ut patet in omnibus compositis Sacramentorum, quæ hujus gratiæ sunt principia effectiva; & in honorato intrinsecè per honorem ab extrinseco eidem exhibitur. Per quæ sit satis argumento proposito per distinctionem antecedentis: Nil intrinsecum physicum ponit; concedo; nil morale, nego antecedens. Buccerus enim, & alii, etsi hoc extrinsecum astruant, nimirum divina justitia applicata; in hoc vel ponunt totum negotium nostræ sanctitatis, vel si aliquid concedant divinæ gratiæ, non totum, quod Catholici Theologi, ut supra annotavimus,

108. Huic doctrinæ, etsi bene fundatæ non adstringimur, & quia suas patitur urgentes instantias, & quia ut nunc immediate dedimus, cognoscimus aliquid verum, & reale gratiæ inesse in vi divinæ ordinationis, etsi non ab ea distinctum; videlicet, realem acceptabilitatem ad Deum acceptantem, & insuper, ordinem ab bona realia in vi divinæ ordinationis conferenda; quod totum quid verum est, & reale; & uno verbo; Sacramenta, asserimus, esse physicas causas gratiæ, & gratiam istam, tenemus, constitui per esse physicam participationem divinæ naturæ: Igitur ordo moralis purus ad Deum acceptantem, ut non sufficientem, plene non admitimus, quamvis simul inesse non negemus.

109. Quarto arguitur: Si divina lex, & orinatio desideratur ad perfectam justitiam, & sanctitatem, Gratia non esset unica, & formalis causa justificationis impii contra quod est definitio Trident. Ergo ea, & alio quolibet secluso, esse debet justitia, & sanctitas. Antecedens probatur: Si desideratur Dei favor ultra substantiam gratiæ, hæc, & favor essent causa formalis nostræ justitiæ: Ergo Gratia tunc non esset unica formalis causa justificationis impii. Ante solutionem sciendum venit, quod in Can. 11. Trident. sess. 6. damnatur, qui dixerit, gratiam, qua justificamur esse tantum favorem Dei: Igitur à ratione justificationis non excludit citatum Conc. favorem Dei; cumque ulterius doceat, ac teneat, gratiam, & charitatem esse unicam nostræ justificationis formalem causam, videtur recte componi posse utrumque, nimirum, & quod favor Dei desideretur ad nostram justitiam, & quod hæc proveniat à Gratia, & charitate tanquam ab unica causa formali, & intrinseca.

110. Quomodo ista cohæreant in decursu hujus disputationis satis, superque dedimus, & nunc aliquid addemus, quod & simul sit argumenti facti solutio. Ac per prius apud omnes debet esse satis notum, quod favor, ordinatio, & divina lex potest considerari ex parte Dei ordinantis, & statuentis, & ex parte objecti, circa quod fertur; quod idem est, ac activè, & passivè considerari, unde si activè hanc

ordinationem concipias, erit extrinsecus habita, sin verò passive, & objective, intrinseca erit, in primaque acceptione suum effectum haberet efficienter, & in secunda, formaliter: Nunc ad rem nostram, & argumentum responderetur, negando antecedens, ad ejus probationem distinguitur antecedens; substantia gratiæ, & favor, quatenus passive concipitur, esset causa formalis nostræ justificationis, concedo; activè consideratus favor Dei, nego antecedens. Favor namque in isto casu, & sub hac acceptione, passiveque acceptus, est ipsamet substantia, & natura gratiæ, non inesse physico inspecta, sed ut subest divinæ ordinationi, & quatenus fundat respectum acceptabilitatis ad Deum acceptantem, & subsisto sensu substantia, & natura gratiæ est unica causa formalis nostræ sanctitatis, & justitiæ secundum totum suum esse, & secundum omnia sua prædicata.

111. Quinto arguitur: Gratia Dei ita extollitur per sacras litteras, ut per eam homo impius factus sit participes sortis sanctorum, ereptusque de potestate tenebrarum, ac translatus in regnum filiorum dilectionis Dei; per eam fit in nobis fons aquæ salutis in vitam æternam; est enim semen divinum, per quod nascimur ex Deo, & peccatum excludimus a nobis; hæc, in quam, est vita cujus abundantia in gloriam regnavimus æternam; denique Spiritus divinus de isto Spiritu testimonium perhibet, quod simus filii Dei, & in eo clamamus *Abba, Pater*, pleni, ac super affluentes Spiritus salutaris adoptionis, non servitutis, sed amoris; & alia quam plurima, quæ in Prophetis, & Psalmis leguntur: Ergo hæc omnia gratiæ conveniunt ex se: Ergo & esse ex propriis sanctitas, Justitia, Filiatio, Hæreditas, &c.

112. Responderetur, quod in his, & similibus locis sacris, ubi de gratia sanctificante agitur, loquitur de ea gratia, quæ secundum presentem providentiam hominem impium justificat, ac de ea charitate, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur. Theologis relinquendo, num hoc gratiæ illi competat

tat ex sua essentia, & physica entitate? Num ex lege, & divina ordinatione? Sicut inibi non distinguitur inter gratiam, & charitatem, sed pro utraque indistinctè supponit nostræ justitiæ forma; quin hoc officiat scholasticæ disquisitioni, quæ de differentia utriusque solè excitari: Ex quo liquido constat solutio: Gratia enim, & Dona nostræ justitiæ secundum allegata loca debent intelligi, ut à Deo nobis de facto infunduntur, sic nimirum, ut non modo dicant sua essentialia physica, sed & divinam ordinationem, qua constituuntur acceptabilia; & hominem impium denominant acceptum.

113. Sexto arguitur, & fortè instatur solutio: Gratia Dei secundum sua realia, & intrinseca prædicata convenit esse prima qualitas supernaturalis, natura in hoc ordine, physica, & realis participatio divinæ essentia, esseque facit conforrem divinitatis, ac per eam nobis conferuntur maxima, & præiosa, quæ Deus diligentibus se præparavit: Ergo ex sua essentia habet esse amicitiam, justitiam, sanctitatem, sicut & terminum formalem divinæ adoptionis, & filiationis. Antecedens est certum, & consequentia probatur: Gratia Dei, eo quod sit physica participatio divinæ naturæ, hanc imitatur realiter per quandam analogiam, etsi specialem similitudinem, ita quod sicut divina natura est Dei sanctitas primordialis, & objectum essentialiale æternæ amicitia, sic & gratia illud conveniret per participationem, & accidentialiter; similiturque, sicut natura Dei est terminus formalis Verbi generationis, sic etiam gratiæ infusio diceretur generatio spiritualis; ipsaque erit terminus formalis hujus generationis, consequenterque per eam diceretur homo filius Dei adoptivus, ad modum quo per naturam dicitur Verbum Filius naturalis: Quid ergo amplius desideratur, ut præfata mania gratiæ insint ex sua natura?

114. Hoc, meo videri, est hujus sententiæ præcipuum argumentum; & maxime urget contra tenentes, & adstruentes physicam istam participationem divinarum perfectionum à creatis accidentibus, quorum nos tenerè partes, Tom. IV.

supra dedimus tom. I. tract. 4. ideoque conformiter ad hanc doctrinam respondemus ad argumentum, concessio antecedenti, & negando consequentiam, cujus rationem habemus in ipsa quidditate participationis; hæc etenim, ut ex terminis liquet, est, partem capere, & partem relinquere; unde si gratia physice participat divinam naturam, partem imitatur, & partem non imitatur in divina natura esse principium divinarum operationum, quod est propriissimum naturæ, ut natura est, & alia non imitatur, vel quia inimitabilia sunt, vel quia in rebus creatis non adest capacitas ad hujusmodi imitationem: Sic lumen gloriae, est participatio divini intellectus, & charitas voluntatis, & nec lumen nec charitatis imitantur, seu participant in his potentis conceptus distincti verbi, & productivi impulsus propter immediatè dicta.

115. Dicamus nunc de gratia, quod participat esse principium amoris, non verò esse objectum congruum divinæ redamationis, quia istud est propriissimum divinæ naturæ, quæ unice est objectum movens, & terminans divinæ operationis, solumque resultativè, & consequentivè, ac famosè terminaret, & prohibito suo, divinas potentias; ideoque nec ex natura sua, nec in vi hujus physice participationis poterit esse vera amicitia, justitia, ac sanctitas, quæ utrumque exigit, & subjectivam, & objectivam acceptabilitatem, quin aliter, & per divinam legem eidem conferatur. Quoad filiationem adoptivam est ferè eadem ratio; non enim infusio gratiæ est ullo modo generatio, nisi quadam lata similitudine, & ad modum quo ea denominatur natura; unde si huic adjungatur divina ordinatio, & statutum, quod ad adoptionem necessario desiderantur, erit utique adoptio perfecta, & in hoc sensu, Dei lex supleret, quod naturæ gratiæ deficeret adesse modo possibili terminum spiritualis generationis; siquidem cum præfata generatio, & adoptio dependeat à Dei acceptione, hac non stante, non staret adoptiva filiatio.

116. Septimo arguitur: Gratia sanctificans, eo quod ex se, & secundam sua

sua essentialia prædicata sit realis divina natura participatio, dicaturquæ semen gloriæ, fundat in habente eam jus quoddam, & debitum ad æternam hæreditatem; sed hoc est, esse hominem impium Deo charum, acceptum, ac Filium Dei adoptivum per gratiam hoc scilicet modo conceptam: Ergo istud habetur ex gratia sumpta secundum sua prædicata. Patet hæc consequentia: siquidem in ista gratiæ acceptione concipimus eam perfectionem supernaturalem; nimirum, quod sit radix, principium, semen dilectionis, & visionis Dei. Major probatur: Jus ad gloriam, quod aliud non est, nisi Dei hæreditas, sive regnum ejus, haberi debet in homine, in quantum dicit ordinem, proportionem, sive inclinationem, & veluti commensurationem cum eadem gloria, & hæreditate Dei; sed totum habemus nudè, & præcisè per gratiæ qualitatem realem, quæ per sua prædicata gloriæ proportionatur, & cum ipsa commensuratur: Ergo non est, cur gratiæ denegetur jus istud; etsi attendatur ex parte Dei conferentis gloria, nulli dubium sit, quod pro suo nutu, & voluntate, seu actuali acceptione, cui velit, conferat, illa se semper manente jure connaturali, & intrinseco gratiæ ad gloriam istam.

117. Respondetur ad argumentum, negando majorem, ad cujus probationem distingui potest major: Jus ad gloriam essentialiter quæsitum, haberi debet in quantum per gratiam homo proportionatur, & commensuratur cum illa, nego; jus quæsitum ad gloriam haberi debet inesse perfectò, & connaturali per istam gratiam gloriæ proportionatam subdistinguo majorem: fundamentaliter, & remotè, concedo; formaliter, & actualiter, nego majorem. Non negamus qualitatem gratiæ secundum sua prædicata dignitatem esse videlicet radicem, principium, & primum, quid in ordine supernaturali, ideòque elevans animam, & proportionans, atque commensurans eam non modo ad amorem, verum & ad visionem Dei, ut est in se, ex quo solum sequi potest, quod ratione hujus gratiæ homo aptior sit, ut perfectiori, & connatura-

liori modo assumatur adesse filium, & amicum Dei; quæ quidem actualitates, & veluti denominationes supra hoc exigunt voluntatem, & Dominium Dei statuentis hominem ita proportionatum facere amicum, & filium, cum nullo alio modo Deus teneatur ad redamationem alicujus, & ad suam conferendam hæreditatem, nisi cui velit. Ex quibus liquido habemus, quod aliud est, quod in argumento assumitur, & aliud, quod inferre intenditur: Esse namque semen gloriæ est, esse illius principium, & radicem; fundare verò jus ad gloriam addit ulterius debitum morale ad illam, & hæc cum sit Dei propria, solum potest deberi, cui Deus eam statueret conferre. Plurimi namque ex hominibus sunt valde proportionati ad seculares, & Ecclesiasticas dignitates, & officia, nullusque habet jus ad ea, nisi Princeps quempiam per suam legem honorare decrevit.

118. Sed contra solutionem instatur: Gratia habitualis est inter formas creatas perfectior, & aptior, ut à Deo assumatur ad justificationem impii, & ejus connaturaliorem filiationem, & amicitiam: Ergo hæc gratia habet aliquid secundum suam naturam, quod sit propriè sanctitas, & justitia. Consequentia probatur: Natura gratiæ ita propriè convenit, esse sanctitatem, & justitiam nostram, ut nulli alteri formæ convenire possit esse perfectam, & connaturalem impii formalem justificationem: Ergo ipsi sua natura convenit esse propriè sanctitatem. Iterum probatur hæc consequentia: Esse gratiam habitualem connaturalem impii justificationem, non habet ex lege, & ordinatione Dei: Ergo ipsi convenit ex sua natura. Antecedens probatur, tum: Nam ideo hæc gratia est talis sanctitas, quia forma altior est permanens, & habitualis qualitas animæ inhærens: Ergo non ex lege Dei. Tum etiam: siquidem lex, & ordinatione divina supponunt in natura gratiæ istum connaturalem modum præstandi suum effectum formalem: Ergo illum non ponunt. Assumptum convincitur: cum in tantum effectus quis connaturaliter habeatur, in quantum fiat secundum naturam exigentiam: Ergo nec lex divina,

nec

nec ipsius ordinatio, nec aliud quid gratiæ extrinsecum eam constituit formam aptiorem, & perfectiorem ad connaturaliter impium justificandum.

119. Respondetur ad instantiam, concessio antecedenti, & negando consequentiam, & ante nostram rationem potest sic retorqueri: Nulla alia forma est aptior ad esse principium connaturale meriti, quam Gratia, & charitas: Ergo erit secundum suam naturam propriè principium meriti? Falsa consequentia. Aliter: Nulla alia materia est aptior ut anima rationali connaturaliter informetur, quam verum corpus organicum: Ergo corpus istud ex sua natura est propriè humanum? Falsa consequentia; sicut est ea, quæ deducitur in argumento. Certum est enim, quod qualitas Gratia aptior est, ut à Deo ordinetur ad impii justificationem connaturalem, & quia habitus est supernus, radixque amoris, & subjectivæ amicitia Dei; ceterum usque dum à Deo assumatur, & constituatur forma perfectæ justitiæ, & per istam legem ultimò compleatur in esse justitiæ, & sanctitatis, non potest dici, aut denominari propriè sanctitas, & filiatione Dei, siquidem eidem deficeret quasi forma determinans, & cōplens denominationem istam: Unde ea gratia accepta secundum sua propria nec inadæquata justitia est, aut sanctitas, etsi inadæquate cōducatur ad illam constituendam simul cum divina ordinatione: Propriè ergo est pars hujus connaturalis justitiæ, sed non est propriè justitia; sicut de corpore dicebamus.

120. Ultimo instatur solutio, & reddit argumentum superius factum: Si gratia Dei secundum se, & ex natura sua est pars sanctitatis, & inadæquate connaturalis justificatio impii, sequitur, quod gratia, de qua Trident. non sit unica, & formalis causa nostræ justificationis connaturalis, de qua procedit, & loquitur idem Conc. Ergo ne hoc dicatur, alio modo sentiendum est, & tenendum de ista formali, & connaturali impii justificatione. Probatur antecedens: Essent namque diversa valde prædicata realia gratiæ, & divina lex seu ordinatione, ut possent componi, & coadunari ad unam formam, sive formalem

Tom. IV.

causam justificationis impii: Ergo si utrumque desideratur, non unica, sed multiplex esset causa formalis prædicatæ justitiæ. Probatur antecedens: Primum namque haberetur in gratia physicè, secundum moraliter: Ergo possent in unum convenire.

121. Respondent aliqui, primò: Quod non sunt inunibilia esse physicum gratiæ, & moralis affectio Dei, ut ex illis quasi unitis resultaret una composita causa formalis sanctitatis; admodum, quo æquè distant corpus, & anima, & benè componuntur, ut unam constituent humanitatem, quæ veluti totalis forma sit, unica formalis causa hominem humanum constituens. De hoc nos supra, & impræsentiarum addimus, quod illud, quod divina lex ponit in gratia; videlicet intrinsecam acceptabilitatem ad Deum acceptantem, non est quid cum prædicatis gratiæ incomponibile, sed valde concordat, ut simul faciant, esse unam adæquatam causam connaturalem justitiæ, & sanctitatis: Et est ratio: Quia acceptabilitas hæc potius conformatur formæ, quæ in Deum summè dilectum tendit, ut per eam homo diligatur; sed sic se habet gratia ex se: Ergo cum ea conformatur Dei acceptabilitas; & hæc est verè gratia Dei, unamque justitiam nostram constituit.

122. Hic quærant aliqui; num actus charitatis, & perfectæ contritionis possint esse forma justificans impium? Adhærentes principiis stabilitis, & stabilientis, non habet locum apud nostros præsens difficultas, & ratio est: Nam si non habemus pro inconvenienti, quod per potentiam Dei absolutam potest quis constitui filius Dei, acceptus ad gloriam, amicus, & à peccato mundatus, ponique in statu mærendi absque omni aliquo inhærenti, quantum magis potest justificari per actum realem amoris Dei, qui forma realis est, & inhærens, licet non perfectè, & connaturaliter, sicut de facto fit per gratiam, & charitatem, quæ sunt de genere entium permanentium, & de quibus communiter sentitur, quod de facto procedant textus, &

Conc.

S 2

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Utrum homo impius justificari possit absque aliqua forma sibi intrinsece inherente?

123. **S**upponimus doctrinas superius datas, & quoad factum, tenemus cum Ecclesia, quod ex divina ordinatione, & decreto impius justificatur per formam intrinsecam, & intrinsecè inherentem, & pro modo discurrendi probabiliori hanc esse qualitatem ibidem sentimus, etsi non eodem fidei assensu; unde solum nunc quarimus, num aliter fieri possit de potentia Dei absoluta ab omni determinatione suæ voluntatis? Non est inanis, aut in utilis disquisitio; tum quia gravissimi DD. in hanc, & aliis materiis per hypothese impossibiles solent veritatè enucleare; tum etiam quia hoc modo discurrendi rerum essentiæ, & quidditates clarius, & facilius patefiunt. Ratio est hæc: Quod hujusmodi quæstiones resolvuntur per repugnantiam, aut non repugnantiam terminorum, & intellectuum; sed in hac non repugnantia sistit rei essentia, & quidditas: Ergo ut hac innoscat, inutilissima est quæstio de possibili, aut impossibili repugnantia. Sufficiat dictum, ut ad alia transeamus.

124. Et in primis in quæstionibus de possibili supponi est necessum, nil derogari divinæ veritati, aut revelationi, quia istud habemus à Deo actu, & decreto suo revelatum; de illo verò discurremus, præscindendo à divina determinatione; unde per hujusmodi conclusiones, nec hæreticis adherere possumus, nec ab illis recedere valemus. Exempli gratia: Si cum R. D. asseramus humanitatem propria reteta personalitate assumi potuisse à divino Verbo; vel cum mun. DD. quod tres divinæ personæ incarnare potuerunt, &

absolute possunt, vel, quod non transubstantiato pane, Christi corpus posset sacramentaliter ubique locorum existere, quæ per hoc anla in se tribueretur hæreticis contrarium tenentibus? Vel quisnam favor suæ doctrinæ? Ex quo colligimus, quod determinatum ab Ecclesia super impii justificationem non potest in argumentum deduci, vel ad minus parum urgeret pro firmandis, aut infirmandis resolutionibus de possibili in præsentimateria controversis, & disputatis.

125. Plures solent à DD. in præsentiarum exitari, quæ veluti in unam coeunt, & conveniunt rationem dubitandi; ea nimirum, quæ nunc disquiritur, ad quam & alia conlequitur, quæ determinatè quarit, possent ne impii peccata dimitti sine tali forma, ac per solam Dei extrinsecam condonationem? Et cum ad formam justificantem connaturaliter accedat condignitas ad merendum, & quodam morali debito adesse principium meriti ex legè, & decreto insignita sit, solet etiam dubitari, num creatura rationalis sine ista forma intrinseca possit per solam Dei omnipotentem voluntatem in statu merendi constitui? Omnes enim præfata quæstiones in unum certè conspirant; cæterum unaquæque habet suum quid speciale, patiturque suas proprias difficultates, ideoque opere præteritum duximus de illis singulatim, & in suis respectivè locis, peculiarem instituere tractatum; solumque de ea, quam præmanibus habemus nunc agemus.

126. Recolendumque censemus, quod ab ea controversia, de qua efficacissimè DD. Suárez, & Vazquez, videlicet de sufficientia actus charitatis, & contritionis ad nostram justitiam conferendam, penitus super sedemus; propter superius dicta tota q. præcedenti; aliter enim sentimus de justitia, & sanctitate, quam DD. ii, qui in dubium vertunt gratiam habitalem, & charitatem cum ejus actibus in negotio justificationis impii: nam juxta nostrum dicendi modum à Deo assumi, seu per ipsum ordinari possent ad effectum istum præstandum, sicut unaquæque suæ supræmæ subditur voluntati; de quo nullum aptius exemplar præmanibus habere possumus, quam materia

Sa.

Sacramentorum, & ad horum instar discurre licebit de eorum effectu principalissimo. Si denique Deus ita potest per quamcumque formam ex impio iustum facere, poterit ne sine nulla? Relicto modo hoc possibile ejus infinitæ, & altissimè providentiæ. Ecce punctum difficultatis propositæ.

127. In qua DD. antiqui, & cum eis recentiores in varias partiti sunt sententias juxta uniuscujusque modum discurrendi, & sentiendi de quidditate nostræ justificationis. D. Ang. videtur docere partem negativam, etsi non fallor; S. D. ubi de hoc tractat, quætionem instituit de facto, & secundum ea, quæ ab Ecclesia præscribuntur: Aliter tamen possemus dicere, quod cum ejus rationes convincant de natura, & quidditate nostræ sanctitatis, & justitiæ, loquitur præcisivè; ideoque sub nulla acceptione homo impius justificaretur, nisi per formam quomodolibet intrinsecam, si ejusdem doctrinæ perpendantur. Est communis inter Thomistas, & ferè omnes expositores S. Thom. Alii à contrario discurrunt, & sentiunt circa nostram justitiam, adhuc præscindendo à divinis determinationibus. Insuper non desunt DD. via media incedentes; cum utrisque partim conveniunt, & partim differunt ab iis; sic D. Exim. Suar. lib. 7. cap. 3. alii, quos pro se citat.

128. Restat nunc videre, quid de hoc sentiat D. R. namque ex pluribus illius locis eruere possumus suam germanam sententiam: Etsi ergo de dubio præsentim non instituatur peculiarem tractatum, plurimum tamen est in aliis eidem necessario connexis; præterquam quod clarè, & expresse docet, quid nos tenere debeamus; sic in nostro casu tom. 1. tract. 4. q. 9. & 10. vestigium aliquod reliquimus præfati sensus, de quo nunc cum eodem Magist. in 1. dist. 17. in 2. dist. 38. in 1. dist. 2. in quolibet. q. 8. & alibi incidit: Idem ferè tenet N. Bononienf. in 1. dist. 14. & in 4. dist. Concordant D. Subr. Seraphic. Alenf. & plures, cum quibus & nos partè affirmativam sectantes, sit

129. Conclusio prima: Justificatio impii, ut præcisè dicit sanctitatem, Dei filiationem, & reliquos omnes effectus formales positivos nostræ justitiæ

haberi, & obtineri potest, de potentia Dei absoluta, sine aliqua forma creatura animæ intrinsecè inherenti. Est R. ibi supra; primòque probari potest per eos textus communes sacræ paginæ utriusque testamenti, ubi summè extollitur activitas infinita divinæ omnipotentis, quos omittimus, quia rationes, quibus convincere possunt, comprehenduntur in hac prima probatione R. D. in 3. dist. 23. art. 3. ubi hæc habet: *Apud sanctos inconveniens est, quod aliquid fiat à Deo, nisi à potentia ordinata ad aliquam congruitatem.* Et aliquantò post VV. *Per idem, circa finem: Potentia absoluta non ponitur propter operationem, sed solum ad ostendendum, quod in tali facto non includitur contradictio, si fini.* Hæc aliquando dedimus, sed iterum reproducentur, ut ad intentum accedamus.

130. Et ex eis sic orditur probatio hæc: Secundum ea, quæ Deus fieri decrevit per suam ordinatam potentiam, non potest convinci ad id, quod per ejus absolutam potentiam potest; siquidem illa respicit fieri, quod congruit, illa vero quod non repugnat ex positione sui per possibile inesse: Ergo ex iis, quæ Deus decrevit fieri circa hominis impii justificationem, probari non potest ad omnia, quæ absolutè posset, si aliter ac nunc, in re ponatur sua justificatio: Ergo aliunde debemus sumere fundamentum, ut ostendatur Dei absoluta potentia in ejusdem hominis sanctificatione; sed non, nisi viso eo, quo posito, nulla sequatur contradictio, quæ vinci non potest per divinam omnipotentiam; cum ex hac ortum habeat, tanquam ex prima radice, rerum possibilitas, vel impossibilitas, siue contradictio in suo esse: Ergo ex isto principio probamus, quod præfata justificatio haberi potest per Dei absolutam potentiam sine omni forma intrinseca.

131. Omnes antedictæ propositiones sunt certissimæ, ideoque solum superest, ut concludamus, quod si in re poneretur justificatio impii sine forma intrinseca, nulla sequeretur contradictio; & hoc convincitur: Ex tali modo justificationis, non sequeretur impium taliter justificatum, esse, & non esse justificatum; sed hæc est unica contradictio, ad quam necessaria.

cessario deveniendum est: Ergo nulla sequitur ex eo contradictio. Major probatur: Homo extrinsecus justificatus per Dei potentiam absolutam, esset verè, & propriè justificatus: Ergo non sequeretur, in ea hypothesi, quod homo ille esset, & non esset justificatus. Antecedens probatur: Homo extrinsecus justificatus haberet à Deo justitiæ fonte veram, & propriam sanctitatem: Ergo esset verè, & propriè justificatus. Antecedens probatur: Vera sanctitas est à Deo omnipotente, & infinitæ virtutis: Ergo sicut intrinsecus in anima, & per formam inhærentem, sic extrinsecus, & nulla adhibita forma, potest à Deo communicari vera, & proprias sanctitas.

132. Consequentia hæc, quæ est totius difficultatis scopus, & R. sententiæ probatur ratione ipsius, in 1. dist. 17. q. unica art. 5. §. 2. & est secunda nostræ conclusionis: Deus non habet virtutem suam alligatam Sacramentis, aut quibuscumque rebus, sed ex sola acceptatione sua poterit hominem constituere in esse sanctitatis; sed acceptatio nil ponit in acceptato, sicut nec honorificatio in honorato: Ergo nulla habita forma intrinseca, poterit Deus hominem impium acceptare ad justitiam, & sanctitatem. Huic rationi, quæ est etiam D. subt. ut supra, annuit R. D. isto tamen Superaddito: *Verum est, quod de potentia absoluta possit acceptare actum meum sine omni prævio*; prætereaque expressior habetur in 2. dist. 38. art. 2. atqui hujusmodi acceptatio, quam de potentia Dei absoluta conceditur per R. est adesse supernaturale gratuitum sanctitatis, & justitiæ: Ergo id posset Deus per talem potentiam facere in homine peccatore absq; omni prævia forma.

133. Huic rationi, quæ in isto principio communi sistit, videlicet, quod potest Deus per se facere, quidquid mediis causis secundis potest; & ad quod reducuntur rationes, & fundamenta contententium, respondent DD. contrarii: Quod virtus Dei, quæ exercetur efficienter, aut finaliter, scilicet, in genere causæ extrinsecæ, non est alligata Sacramentis, sive aliis quibusvis rebus; ut puta, vis creativa, productiva, conservativa, &c. ea verò, quæ non aliter fieri, & esse possunt à Deo

nisi media aliqua virtute, & causalitate intrinseca, sive formali, sive materiali, non possunt ortum habere à Deo, nisi mediis illis formis, vel materiis, quibus essentialiter competit suos respective effectus præstare: Sic hominem non faceret sine media anima, & corpore, nec album absque albedine, &c. Ad hunc modum sentiunt de justitia, & sanctitate; hætenim sunt formæ, quæ intrinsecè denominant justum, & sanctum, ac in genere isto, causæ scilicet, formales, suos fortiuntur effectus; ideòque à Deo per nullam potentiam supplebiles; & ideò nec posset justum facere, & sanctum sine justitia, & sanctitate, sicut nec album absque albedine, & hominem sine anima rationali.

134. Unde ita distinguunt principium illud: Quidquid Deus potest facere mediis causis extrinsecis, & efficientibus, potest per se facere, concedunt; quidquid potest mediis causis intrinsecis, & formalibus, negant. Ratio doctrinæ obvia est, & à nullo ignorata: Genus causæ intrinsecæ est imperfectionis, dependentiæ, indefectibilis intimationis cum creaturis, & propter hoc, & alia inconvenientia, genus istud causalitatis Deo dedecet, & à Deo insupplebile est per quamlibet potentiam, cum per nullam possit sic creaturis intinsecari, ut unum quid cum eis constituat, quod non sequitur in alio genere causæ ab istis imperfectionibus depurabilis. De his non invenio dissidium, immo in prædicta doctrina convenimus, cum non intendamus à communibus principiis recedere; ideòque superest, ut pro parte declarem, ad quodnam genus causalitatis reduci debeat justificatio passivæ, & terminativè accepta, per quod & instabitur solutio contrariorum, argumentum solvetur, & roborabitur conclusio nostra.

135. Pro quo supponendum, censeo: Quod passiva impii justificatio, de qua hic, cum sit de linea accidentali spiritali, & à nostris sensibus penitus aliena, & præterea de ordine superno, ad quam vires propriæ humani intellectus non sufficiunt, difficulter de ea loqui est necessarium, taliter quod potius qualem qualem possemus de ea produceret tractatum, si ad ejus functiones animum intendamus; non sic

sic de illius quidditatiis prædicatis, ac de propria causalitate intrinseca discurre valeamus; aliter enim, & aliter de hujusmodi formis, ac de naturis substantiabilibus, & sensibilibus loquantur Philosophi; sed quidquid de hoc sit, & in quantum per enigmaticam cognitionem oculorum mentis ad hoc figere liceat, dicimus: Quod justificatio hæc alia esse potest connaturalis, perfecta, & secundum præsens decretum habita; alia verò absoluta ab omni decreto, non ita perfectior, & non conformis regulari rerum ordini, & naturæ. De hac diversitate R. D. locis supra citatis, & plures ex antiquis, & recentioribus; & hæc est totius nostræ doctrinæ basis, & fundamentum; de qua vide R. in 1. dist. 17. art. 4. §. 4. circa finem.

136. Quo supposito, sic instatur data solutio, & tertio probatur conclusio: Impii justificatio potest haberi connaturaliter, & secundum præsens decretum, prætereaque supra cursum rerum, & attempta Dei potentia absoluta: Ergo etsi primò non habeatur nisi per formam creatam permanentem, & intrinsecè, inhærentem, ea tamen secundo loco allata posset esse omni hæc seclusa forma. Antecedens est certum apud omnes, & est satis notum. Consequentia probatur: Ille hic non valeret, & ad hunc effectum præstandum Dei absoluta potentia, quia impii justificatio provenit à forma Deifica in genere causæ formalis causante prædictum effectum justitiæ, & sanctitatis, cujusmodi causalitas per nullam potentiam potest esse à Deo; sed hoc aliter se habet: Ergo posset Deus suplere per suam absolutam potentiam locum formæ sanctitatis habitualis, & permanentis. Major est certa, & minorem bifariam probō, primò: Quia nec per textus, nec per sanctos, nec cogenti ratione convincitur, quod justificatio impii præcisivè à divinis determinationibus, & constitutive sit causalitas formalis; omnes namque textus, Conc. PP. & sancti procedunt, & loquantur de hac impii justificatione, prout de facto à Deo est præstita, & concessa; sed aliud, & aliter sentitur de eo, quod Deus fieri decrevit ab eo, quod potuit facere: Er-

go aliter discurre potest de forma pro omni possibili justificante, quam de ea secundum præfatam providentiam.

137. Secundo probō illam minorem: Non est necessarium, quod forma sanctificans animam, sit eidem intrinseca; ipsamque informet: Ergo hunc effectum Deus posset in alia providentia præstare sine aliqua prævia informatione. Antecedens probatur; tum: Quia in regulari providentia substantiæ subsistunt per suas respective subsistentias tanquam per formas intrinsecas, & veluti intrinsece informantes, vel terminantes; & maxime in doctrinis eas constituentibus, ut quid positivum à suis substantiis realiter distinctum; sed in extraordinaria Verbi divini Incarnatione Deus per se ipsum supplet effectum subsistendi absque labe informationis: Ergo idem posset facere, si impium per semetipsum justificaret. Tum etiam convincitur: species intelligibilis, quæ ordinariè, & regulariter fecundatur intellectus creatus ad suas intellectiones, est forma intrinseca; & inhærens; & tamen Deus ad supernam suam visionem per suam essentiam vicem gerit hujus formæ intelligibilis sine imperfectione informationis: Ergo licet Deus regulariter impium justificet per formam intrinsecè inhærentem; posset tamen ista præcisâ providentia, hunc effectum præstare per se immediatè, & sine omni informatione.

138. Respondent DD. contrarii ad rationes istas, & in primis ad primam: Quod substantia ex genere suo, & ex sua quidditate non est forma; quoquomodo dâns esse, & actualitatem, sed solum est terminus formalis substantiæ eidem tribuens tantum modum essendi, & propter rationem istam præscindit à se, vel in alio esse; & consequenter a formali inhærentia, & informatione, solumque dicit constitutive, & quidditative, esse terminum naturæ; eam ultimò complens in linea substantiæ; quæ quidem si inhæreat, ut in creatis accidit, non est ex conceptu substantiæ, sed ob imperfectionem entis creati; & ideo si hæc substantia à Deo supleatur, cum ab ea præscindatur, quod est proprium entis crea-

creati, & loco illius solum ponatur, quod essentialiter pertinet ad esse subsistentiæ, nimirum esse naturæ complementum, gerit Deus vices subsistentiæ propriæ, seclusa quacumque informatione. Idem dicunt de speciebus intelligibilibus; istæ namque præscindunt a substantia, & accidenti, sunt enim accidentia, non quia species hujusmodi sunt, sed quia creatæ, unde si à Deo supleantur, relicto eo, quod est proprium creaturæ, adhuc remaneret conceptus proprius speciei intelligibilis: Non sic justitia, & sanctitas nostra, quæ ex sua quidditate sunt verè formæ informantes, & inherentes: Ergo exempla allata ad rem non faciunt.

139. Sed contra fit: Ideo per vos exemplaria non concludunt, quia justitia, & sanctitas, ex sua quidditate sunt formæ, non sic subsistentia, & species intelligibilis, & in hoc stat disparitas; sed nunquam satis probatur quod justitia, & sanctitas ex sua essentia sint formæ: Ergo nulla est solutio. Antecedens probatur: Si justitia, & sanctitas ex genere suo sunt formæ, ubique sunt formæ, neutiquamque essent perfectiones simpliciter simplices, de quibus Anselm. Monolog. 15. essentque imperfectione admixtæ, ad denique non formaliter, sed eminenter de Deo dicerentur, quod nullus dicit, sunt namque divina attributa: Si ergo justitia, & sanctitas in tantum sunt formæ, quatenus dicuntur justitia nostra, sanctitas nostra, redit idem argumentum, & pariter tenent, quod ita declaro: Subsistentia nostra, & species intelligibilis nostræ intellectiois petunt ex ratione ista esse formas intrinsecas, & inherentes; & tamen respectu nostri Deus per se immediate harum effectus præstat per aliam providentiam: Ergo licet justitia nostra sit forma inherens, posset Deus per se immediate loco illius impium justum facere.

140. Quartò per idem probatur conclusio: Justitia, & sanctitas est animæ puritas, rectitudo, ac mundities, quæ homo impius constituitur Dei amicus, charus, dilectus, transferturque per eam ad statum filiorum Dei cum jure ad suam æternam felicitatem, hæc enim omnia habentur secundum legem, & ita-

tutum Dei præsens; per gratiam, quæ regulariter dicitur habitualis, tanquam per inherentes formam; sed hæc eadem denominationes possent per Dei infinitam, & absolutam potentiam de homine impio dici, & prædicari; nimirum per solum divinæ suæ voluntatis applicationem, ut superius dicebamus cum D. Aug. ad Volusianum q. præc. five per specialem assistentiam Spiritus Sancti, quod fortè de facto Mag. dixerat in 1. dist. 17. sic esse: Ergo sic, vel sic utrumque tenet D. R. locis citatis: Ergo posset Deus impium justificare per exclusionem cujusvis creaturæ formæ. Major est certissima, consequentia inferitur.

141. Minorque per omnia probatur: Rectitudo, puritas, & sanctitas animæ, quæ est conformitas cum divina natura, subjectio mentis ad Deum, & appetitus ad rationem, elevatioque ad Dei similitudinem, ex qua ortum habet amicitia hominis ad Deum ipsum, hujusque filiationis, &c. sunt formalitates eminenti quodammodo in divina voluntate contentæ, ni dicamus formaliter; ut suo modo sunt fortitudo, & patientia; propter quod de facto Deus dicitur fortitudo, & patientia nostra in sacris litteris; sed ita posset à Deo animæ impii communicari immediate: Ergo non est quare hoc gratiæ repugnet. Major est certa, & minor latissime probari potest ex iis, quæ tom. 1. tract. 4. q. 9. dedimus ex R. in 2. dist. 4. præterea ibidem q. 10. vide doctrinas circa hoc in eodem 2. dist. 38. quas breviter reproducemus: Præfata denominationes in tantum eminenter sunt in Deo, quia est totum ens: Ergo propter hoc per se potest facere, quod per eas fit, sicut si esset calor infinitus, & totum ens in linea caloris, posset omne calidum quodlibet constituere: Ergo similiter dicemus de justitia, & sanctitate.

142. Respondent contrarii ad hanc, & æquivalentes rationes, concedendo totum assumptum hujus probativæ rationis; ex quo solum sequitur, quod sicut Deus dicitur extrinsecè, & denominative fortitudo nostra, & patientia nostra, spes nostra, &c. quatenus eminenti quodammodo continet præfatas virtutes, sic etiam, quamvis alias sanctitas, puritas, &c.

&c. formaliter prædicentur de Deo, sitque simul eminenter tota nostra justitia, & sanctitas, si tamen homini impio pro quolibet possibili immediate applicetur, ipsumque sanctum, & justum constitueret, tantum extrinsecè, & denominative diceretur justus, & sanctus in vi hujus divinæ determinationis, eidemque hæc eadem sanctitas conveniret imputative, sicut de præsentibus hæretici; numquamque posset esse, & denominative verè, propriè, & intrinsecè sanctus, & justus, si ipsi aliter non inesset vera sanctitas; ad modum quod non diceretur verè fortis, verè & patientis sine inherenti fortitudine, & patientia. Ratio est aperta: Nam à forma extrinsecè existente, non potest intrinsecè denominatio provenire; sed Deus quantumcumque animæ impii intimetur, eique illabatur, se habet ad illum extrinsecè tantum assitens: Ergo per istam assistentiam constitueretur verè, propriè, & intrinsecè, Sanctus, & Justus.

143. Sed contra fit, primò, & argumentor valido argumento Comment. 7. mer. com. 37. quod R. affert. in 1. ibi, art. 4. §. 2. sicut calor cælestis facit ad generationem carnis in semine, & ad formationem materiæ per assistentiam virtutis corporis cælestis, & absque aliqua intrinsecè inhaesione, aut informatione, sic voluntas posset rectificari, & justificari per solum assistentiam Spiritus Sancti; sed in casu caloris corporis cælestis semini assitens, verè, & propriè dicitur eidem semini inesse virtutem formativam materiæ: Ergo similiter hic. Ratio hujus est: quod vis caloris corporis cælestis semini assitens veluti appropriatur eidem, quatenus unam cum illo conflat virtutem generativam, & formativam carnis; sed idem dicendum venit in nostro casu: Ergo æquè se habent. Tota doctrina evincitur, si consideremus animal generans præmori ad formationem sui fetus, in quo casu calor corporis cælestis virtualiter, & eminenter semini assitens facit, & illud constituit intrinsecè potens ad præfata formationem; sed istud præstaret absque intrinsecè inherenti; quanto magis divina, & infinita potentia valeret ad hoc, ut si gratia habitualis deficeret, ut cumque per se impium

constitueret justum, & potentem verè, & propriè ad opera charitatis.

144. Elucidatur assumptum per hanc secundam instantiam: Ex argumento Paul. ad Atheniens. de Deo vero ignoto loquentis; act. 17. *Non longè est ab uno quoque nostrum; & subdit: In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Nunc R. in 1. dist. 3. q. 1. art. 3. verba, quæ dedimus tom. 1. tract. 2. q. 19. iterum reproducta: *Causa formalis, & essentia creaturæ non esset essentia, neque forma esset forma, neque informaret, nisi tota essentia creaturæ, & forma, & materia continerentur inesse à Deo continente: & ideo ex hoc, quod est in creatura per essentiam, est ei intrinsecè, quia est per rationem causa formalis, &c.* Et prosequitur ibi; quod non sit talis, ut informet, sed quatenus quasi intrinsecè intimatur creaturis, ac si esset omnium propria forma: Ergo sic posset Spiritus Sanctus animæ impii assitere, & eo jure intimari, ut illum constitueret justum verè, propriè, intrinsecè, ac si esset performam inherentes. Probat hæc consequentia Spiritus Sanctus existens in nobis per essentiam, & illapsus, nobis intrinsecè intimatur: Ergo si specialiter assitaret, ut nos sanctos faceret, nobiscum etiam sic intrinsecaretur: Ergo non esset cur, non diceremur in vi hujus specialis assistentiæ verè, & propriè, ac intrinsecè justus, & sanctus.

145. Denique convincitur: Homo verè, & propriè dicitur, & denominatur cognitus, & dilectus, lapis similiter visus; sed istæ denominationes proveniunt à forma extrinsecè, ut est acceptatio ad acceptatum, & honor ad honoratum: Ergo ad propriam, & veram denominationem non obest, quod forma denominans extrinsecè, sit denominato. Rationem ad hoc in R. D. invenies locis citatis, quæ in hunc modum se habent: Ea subjecta, quæ apta nata sunt ad aliquam denominationem, quamvis extrinsecè esset forma hujusmodi denominationis, ab illa tamen dicuntur verè, & propriè talia, non sic quando res aliter se habent; exemplum horum offertur ibi: Columna enim non dicitur verè, & propriè dextra, aut sinistra, sed tantum denominative, & improprie, videlicet dicitur talis à dextra, & sinistra animalis, à quibus non est apta nata de-

nominari: Secundi exemplum ibi supra habetur de viso, dilecto, honorato, &c. sed homo aptus natus est denominari quomocumque esset justus, & sanctus: Ergo siue iustitia respectu illius esset forma extrinsecus habita, adhuc per illam vere, & propriè denominaretur Sanctus.

146. Urgetur doctrina: species creata spiritualis denominat objectum materiale verè, propriè, & intrinsecè intelligibile; & tamen est forma extrinseca, & extrinsecè se habens ad illud: Ergo ad propriam, & intrinsecam denominationem istud non obest. Major constat: quia objectum huiusmodi à nulla alia forma habet esse proximè intelligibile; per se enim, & ex suis intrinsecis, cum sit ens materiale, solum remorè dicitur, & est intelligibile. Minor etiam liquet. Tum, & maxime, quia species talis est accidens, objectum substantia, & ideo entitative distincta; tum etiam, quia species est forma in intellectu existens, eundem informat, & actuat: Ergo unde quaque est objecto extrinseca. Prima verò consequentia probatur: Ideo non obest immediatè dictum, ut species intelligibilis verè, propriè, & intrinsecè denominet intelligibile objectum materiale, quia illud continet, & est tota essentia illius intentionaliter; sed Dei sanctitas est magis tota sanctitas nostra creata, & inhærente: Ergo licet ea divina sanctitas sit impio extrinseca, non obstat, ut per eam in aliqua providentia verè, propriè, immo intrinsecè denominetur justus, & sanctus. Omitto exemplum actionis, quæ existens in passo, denominat agens verè, & propriè, & intrinsecè: Ergo per quamcumque esset rationem, verificari non repugnat verè, & propriè denominatio à forma non intrinsecè habita in subjecto denominato.



PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

147. PRIMò arguitur: Hypothesis ista possibilis ansam præbet hæreticis gratiæ habitualis, & intrinsecè oppugnationibus, ut ex ea in orthodoxos insurgant, & suum probent deliramentum: Ergo potius licet contrarium tenere. Antecedens probatur: Et si ex possibilitate in alia providentia non probetur ad id, quod est revelatum, & decretum in ista, tamen aliunde, & sumpto fundamento à nostro modo discurrendi, possent suum assertum tueri: Ergo nostrum præbet eis ansam. Antecedens probatur: fundamentum, & ratio nostra sistit in eo, quod per gratiam Dei substantialem posset homo impius constitui, & verè, & propriè justus, & sanctus: Et contra Hæreticos urgent Catholici Theologi per hoc, quia si impius justificaretur per imputationem iustitiæ Dei solum, non diceretur tunc verè, & propriè justus; sed contrarium posset tenere nostro ducti fundamento: Ergo Major est certa, & minor probatur: Nam dicerent, quod per iustitiam Dei tantum impio imputatam extrinsece posset verè, & propriè sanctificari, sicut accideret in nostro casu possibili: Ergo hoc ansam præberet eisdem hæreticis.

148. Respondetur ad argumentum, primò; quod hæretici specialiter Luterus, & Calvinus; nam alii aliter de justificatione senserunt, etsi non ut oportebat, loquentes de impii justificatione, numquam docuerunt, illi inesse veram iustitiam, sed solum quod per quamdam Dei declarationem, & suæ iustitiæ imputationem impius tanquam sanctus reputabatur in divina præsentia, & ideo in sacris litteris sanctificatio ista exprimitur per hoc nomen forense *justificatio*: Ex quò liquido constat, nostrum modum discurrendi parum prodesse placitis horum hæreticorum. Secundo dicimus, quod principale argumentum contra hæreticos sumunt Catholici ex sacris litteris, & Ecclesiæ decisionibus, quæ est uni-

unica ratio fidei, & infallibile stabilimentum veritatis: Ergo ratio huius nostræ probabilitatis parum potest eis favere; cum nos de possibili, illi de facto loquantur: Ergo licet rationes alias coincident, ex hoc non possunt concludere suum intentum, ita esse à Deo expressum, & revelatum.

149. Tertio, & me iudice, immediatius, responderetur ad argumentum, totum assumptum negando; alia enim, & alia est utrobique ratio: Siquidem Dei sanctitas, & iustitia, quæ in doctrina damnata impuratur impio ad sui justificationem, vi cuius apud Deum ut sanctus, & justus reputatur, non accipitur ab eis veluti forma eminenti quodam modo, & super æquivalenti sanctificans, suprens, & vices gerens virtutis creatæ Deificæ per suam infinitam potentiam, & sub ista consideratione, nostras doctrinas firmamus: Non sic procedant Hæretici, cum aliqui, & est commune, teneant, per fidem apprehendi ab impio, Dei, vel Christi iustitiam, & ita justificari, præcendendo à vera, vel propria justificatione; alii verò per liberam Dei imputationem, in quantum scilicet, hoc modo impium non amplius reputare vellet peccatorem, sed quomolibet sit, non coherent sensus hinc, inde: Ergo ex nostro discurrendi modo, & nostra considerata probabilitate, non possunt sumere ansam, & fundamentum ad sua falsa dogmata.

150. Secundò arguitur: Sicut anima est vera corporis forma, ita gratia habitualis est vera forma inhærens animæ, ut eam sanctificet; sed Deus per nullam potentiam potest per semetipsum supplere vicem animæ, aut cuiusvis alterius formæ substantialis, immo nec accidentalis, ut puta, nequit constituere hominem sine anima, nec album absque albedine: Ergo nec justum, aut sanctum sine forma sanctitatis, & iustitiæ. Major est fermè doctrina fidei, & minor constat: Nam substantiæ completæ sunt talis per suam materiam, & formam, qualibetque deficiente, tota corrumpitur per locum ab intrinseco: Ergo Deus harum partium nullam supplere potest; & idem cum proportionem sentiendum est de accidentibus.

accidentalibus formis, cum istæ, et si tales sunt subjectis, sunt tamen essentialis suis concretis; albedo enim est albedo extrinseca, intrinseca verò albo: Unde superest, ut detur disparitas consequentiæ, quæ legitimè inferitur.

151. Pro quo argumento solvendo, ut certum reliquimus, quod Deus causæ formalis nullo modo exercere potest; aliud enim est, supplere vicem illius eminenti quodam modo, & aliud suam exercere munus; primum Deo dederet, secundum verò cadit sub spheram suæ omnipotentia; unde in casu nostræ quæstionis, & in aliis similibus, Deus faceret, quod Gratia habitualis facit de facto, vel in genere causæ efficientis virtualis, de quo genere causæ nos cum R. in 1. q. 2. prolog. dedimus tom. 2. tract. 7. q. 12. vel potius formalis eminentis extrinsecè, de qua idem R. ibi dist. 3. ut supra dicebamus tom. 1. tract. 1. q. 19. nunquam tamen ita connaturaliter per sui in subjecto exhibitionem, & communicationem, & hoc per nullam potentiam potest à Deo suppleri; per quæ sic informa distinguitur consequens: Ergo Deus non potest connaturaliter justum, & sanctum constituere sine sanctitate habituali, concedo; eminenter & virtualiter, nego consequentiam.

152. Ad oculum patet responsio: causa enim formalis, cum intrinseca sit, & præter essentiam, & quidditatem, causat actualitatem sui esse, & connaturaliter, & perfectè, quod aliter fieri non posset, nisi per propriam in subjecto communicationem: Ipsa enim forma est entitative, & causa, & effectus in ista consideratione, sub qua Deo repugnat ita connaturaliter, & congruenter illius effectum causare: Aliter tamen posset, utendo sua omnipotenti virtute, per se facere, quod media ea forma fit; ceterum nec connaturaliter, nec congruenter rerum naturæ, & quidditati, sed eminenti, & extraordinario quodam modo, & supra ordinem causarum naturalium; & hic modus altissimus procedendi locum non habet in formis substantialibus, quæ primum esse, & primam actualitatem consequuntur; qua propter verum hominem facere non valet sine corpore, aut sine ani-

ma, nec aliud quodvis ens naturale physicum sine materia, & forma.

153. Ratio hæc esse potest: Quod primum esse rerum, quod est earum quidditas, & substantia, nequit non esse connaturale, & debitum, ideòque insupplebile per aliud, quodcumque sit; quia tunc deficeret à linea, & ordine connaturalitatis; ideòque formæ prædictæ primariæ à Deo suppleri non possunt; essent namque & non essent connaturales; essent, ut supponitur; & non essent, quia per extraordinariam potentiam Dei haberentur; assumptum ex ipsis terminis convincitur. Non sic loqui, & sentire debemus de formis accidentalibus, quæ rerum naturas in actu connaturali, & essentiali constitutas supponunt; de his enim sine præjudicio, & indiscriminatim tam de naturalibus, quam de supernis eandem habemus assertionem, siquidem quidquid Deus mediis his formis connaturaliter, congruenter, & in pondere, & mensura facit, posset aliter instituere præter, & supra earum debitum, ac exigentiam, & eminenti quodam modo; unde non renuo concedere, quod sicut Deus hominem justum facere potest, etsi non connaturaliter, sine habituali sanctitate, sic etiam valer ad album sine albedine connaturali; habemus æqualem rationem, & exempla supra allata utrobique faciunt; & concludimus, quod hujusmodi denominationes in eo casu possibili haberentur ab æquivalentibus, virtualibus, & eminentibus denominativis, quæ propria, & connaturalium formarum vices gererent.

154. Tertio arguitur ratione alia, qua Catholici urgent novatores, & facit contra nostram conclusionem; ut potest quidditativa, & essentialis: Assistentia Spiritus Sancti est æqualis omnibus rebus; siquidem ubique, & ubicumque est per essentiam suam; sed ex hac infalibili veritate sequuntur inconvenientia ea, quæ sunt contra hæreticos, etiam respectu nostræ conclusionis: Ergo sustineri non potest. Major est certa, & minor probatur: sequitur non solum, quod omnes homines essent æquæ sancti, verum & quod nullus esset non justus; sed hæc sunt inconvenientia, quæ Catholici inveniunt in

sanctitate, & justificatione. novatorum: Ergo ea ipsa inconvenientia deducuntur ex nostra conclusione, posita in actu illa possibili sanctificatione. Assumptum probatur: Assistentia Spiritus Sancti esset tunc causa formalis, & totalis justitiæ, & sanctitatis; sed ea est æquæ & æqualis in omnibus hominibus: Ergo essent omnes æquæ, & æqualiter justii. Major cum minori sunt certæ, & consequentia convincitur: Stantē causa eadem, & eo modo applicata passio, stat effectus idem; sed assistentia Spiritus Sancti esset causa totalis justitiæ: Ergo si hæc esset, ut supponitur, omnes homines essent æquales in sanctitate, ut probatur.

155. Ad argumentum respondeo, distinguendo majorem: Assistentia generalis Spiritus Sancti est æqualis in omnibus rebus, concedo; assistentia specialis, nego majorem. Solutio sistit in hac distinctione: Ergo nulli dubium est, Deum non solum per essentiam suam esse in rebus, sed præterea, illabi in animas sanctas, immo & trine personatum, ac ut est in se, & ad modum quo facialiter videtur à Beatis: Hæc est communissima doctrina, & de hac loquitur R. locis citat. 1. dist. 17. art. 6. dicens: *Quod est possibile, quod per specialem illapsus Spiritus Sancti acceptetur, &c.* Ecce non solum notatum illapsus Spiritus Sancti, verum & ejus specialem assistentiam, de qua nullam aliam fortior rationem in medium producere valeamus, quam ejus voluntatem suæ rationi conformem, qua in illa providentia illaberetur in animas, quasi immediatè, ut per id sanctificarentur, & justificarentur, sicut nunc de facto eo jure in easdem illabitur per gratiam; solumque esset differentia inter hanc, & illam providentiam possibilem, quod nunc Deus sic illabitur in eas, quia sanctæ sunt; aliter tamen illaberetur, ut essent justæ. Numquam tamen illapsus hujusmodi esset communis, sed specialis, nec hic esset ea communis præsentia in rebus, de qua argumentum; & ideo si per istum illapsus in casu possibili haberetur justitia, & sanctitas impii, non omnes homines essent æquæ justii, nec æqualiter sancti; sed hunc misericordem illapsus Deus, in quos voluerit, misericorditer exerceret. De hoc dicant novatores pro suo nutu. 156. Hæc

156. Hæc solutio, etsi meo videri, & juxta D.R. doctrinas sit aptior, attamen non est apud eundem unica, & cui absolute fida, & est ratio, quam ex Joan. 14. deducimus, & in qua fundatur communis Theologorum assensus circa Dei illapsus in animas sanctas: *Si quis diligit me: ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Super quem locum reflectendum est, quod prius Dominus dixerat: *Et pater meus diligit eum*: Igitur propriori ad illapsus Dei in animas, est ejus dilectio, & amor conceptibilis erga eas, ut per illum justificentur, & postea ad justitiam, & sanctitatem sequatur divinus illapsus. Hoc, quod de facto, & in præsentia providentia concipimus in ordine sanctitatis, & illapsus Dei in sanctis, in alia providentia possibili necessarium duximus considerandum, sic, videlicet, quod per prius per voluntatem, & dilectionem Dei liberè volentis hominem impium justum facere, ut eidem sic applicatam sanctus constituitur, & postea ordine naturæ in illius animam illabatur. Concordat expositio D. Gregorii in istum locum; nam ut ipse ait: *Prius est esse alicubi, quam manere.*

157. Utrumque modum solvendi tenet R. ibi, & concordat cum ejus doctrinis alibi datis, unde ut hæc alia solutio stabilietur, recolendum est, quod in Clemente de sum. Trinit. & fide Cath. expressè habemus: *Quod virtutes, & dona infunduntur in Baptismo*: Insuper quod in Clement. de hæreticis. cap. *Ad nostrum*, determinatur: *Quod lumen gloriæ requiritur ad elevandam potentiam; ut videretur, ne solis naturalibus divinam essentiam possemus videre.* Nunc R. in 1. quodl. q. 8. art. 3. §. 3. *Cum igitur æquæ efficax fuerit error relapsorum, quod solum voluntas naturalibus posset mereri, sicut intellectus clarè videre Deum secundum Beggardos, sequitur, quod, quoad intentionem decretalis eadem necessitate est ponenda charitas habitus, sicut lumen*: Quibus prælibatis, ut eramus sensum hujus secundæ solutionis (utramque certè inconculsè sustinemus) in medium licet afferre speciosam sanè sententiam R. in 1. q. 1. prol. art. 3. §. 3. *Sicut, inquit ponentes lumen (de facto scilicet) ponunt, quod non potest intellectus noster in cognitionem divina essentia, nisi*

mediante lumine; ita pono, quod intellectus noster hoc non potest immediate, & ex propriis viribus sed voluntate divina mediante per modum applicantis & elevantis. Vide me tom. 1. tract. 3. q. 6. Ergo tota elevatio, & constitutio supernaturalis, immo totum quod Deus de facto facit per charitatem, & lumen gloriæ, faceret de posse suo absoluto per suam voluntatem ad hoc liberè applicatam: Ergo non omnes homines essent æquæ justii, sed ii solum, quibus hæc divina voluntas determinaretur; juxta illud Paul. ad R. 9. ex Osee: *Misericordiam præstabo cui voluero.*

158. Quarto arguitur, & instatur solutio: Ut voluntas divina huic potius quam alteri applicetur, vel istum impium, & non alium per se immediate justum, & sanctum constitueret, & denominaret, aliqua affinitas, seu connexio, sive quid aliud desideratur, ut potius unum, quam alium per medium præfatum sanctificaret; alias non esset major ratio cur præfatus denominatio esset vera, & propria hujus, ut non sit, sicut denominatio dextri, aut sinistri in columna; atqui nulla affinitas, connexio, sive proportio reperitur in uno impio, potius quam in omnibus: Ergo vel omnes, vel nullus justus constitui posset per hanc nudam divinam voluntatem. Sed contra: Nulla proportio, seu affinitas invenitur in Jacob, ut à Deo præfatus diligeretur, nisi propositum suæ divinæ voluntatis: Ergo in nostro casu possibili idem discurrere licet. Solutio in forma supra in hac q. notatur; ubi satis clarè dedimus diversitatem hujus, & aliarum denominationum, quæ à formis extrinsecis ortum habent; & specialiter pro nostro casu assignatur aptitudo, & positiva capacitas hominis, ut huic sublit denominationi; hæcque erit illa affinitas, quam P. Vazquez desiderat.

159. Quinto arguitur: Voluntas Dei, hominem impium per se immediatè justificans per modum applicantis, & elevantis, ut R. docet, debet esse efficax, & facunda voluntas; sed si efficax sit, non per se, & immediatè, sed media aliqua forma à se producta præstaret impio justitiam: Ergo numquam impium, & per nullam potentiam, posset sanctificare sine forma creata, & intrinseca. Major est

certa, & minor probatur: Tum ex communibus doctrinis in hoc distinguendis amorem Dei efficace ab inefficaci, immò ideo efficax dicitur, quia semper producit formam, & veluti creat, per quam suam sortiatur effectum: Ergo voluntas illa Dei efficax, qua impium & elevat, & applicat ad justitiam, hoc facit media aliqua forma à se producta, & creata, & alio modo non potest; siquidem ea, quæ de actibus divinis dicuntur, per nullam potentiam possunt aliter esse, aut elici: Ergo si efficacia divinæ voluntatis ad extra salvetur per habere terminum productum per suum actum, per nullam potentiam posset Deus aliquid velle efficace, & non habere terminum productum.

160. Tum etiam, & est ratio horum probativa: Per hanc efficace voluntatem habetur in rebus, quæcumque esset, mutatio aut transmutatio; sed hoc fieri non posset, si per illam aliqua forma non produceretur: Ergo semel concessa ejusmodi efficacia in voluntate elevante, & applicante impium ad sanctitatem, deberet esse per aliquam formam. Major constat: Quia per istam voluntatem efficace aliquam ut de novo in anima impii: Ergo per eam habetur mutatio aliqua. Minor verò probatur: Mutatio ea non esset, nisi fieret ex parte impii, cum in ipsa voluntate divina hoc implicet, oraculo clamante. *Mal. 3. Ego enim Dominus, & non mutor;* atqui mutatio in creatura conceptibilis non est, nisi per adventum novæ formæ; & maxime, si sit de non esse adesse, sicut impræsentiarum considerandum erat: Ergo mutatio illa de impietate ad justitiam, nunquam fieret efficace à Deo, nisi in vi alicujus creatæ formæ.

161. Respondetur ad argumentum, concessa majori, negando minorem, & ad ejus primam probationem recolendum censemus, quæ tom. 2. tract. 7. q. 8. ad 2. dedimus de constitutivo efficaciæ ut sic: hæc etenim non dicitur talis, quatenus effectum producit, alias confunderetur cum efficientia sed eo efficace dicitur actus, seu potentia, quatenus vim obtinet ad effectum in reponendum; quibus sic instantibus, conveire non possumus in eo, quod actus divinæ voluntatis ideo dicatur efficace, quatenus effectum in re habeat

productum, sed solum in quantum vim habet, ut suo ordine, valeat ad illum ponendum; ad quam virtutem sequitur, quod effectus in re ponatur hoc, vel illo modo juxta exigentiam rerum, vel ipsarum non repugnantiam, scilicet, per absolutam Dei potentiam, vel ordinatam; unde salvari potest, quod ea voluntas divina esset efficace, & quod non habeat effectum in repositum juxta exigentiam creatæ naturæ, & per potentiam ordinatam habitum, sed aliter, videlicet, per illius non repugnantiam obedientialem, & per absolutam Dei potentiam, & in hac providentia verificaretur, & quod voluntas Dei esset efficace, & fecunda, & quod non haberet pro termino formam creatam, sed solum suæ ipsius applicationem, & determinationem.

162. Sed contra: Etenim gratis concedatur, quod efficacia sit tali modo constituta in divina voluntate, adhuc dicitur connexive suam potentiam executivam applicatam ad effectum in re ponendum, aliter esset vis illa efficace frustranea, & inutilis; sed effectus hujusmodi potentiæ ad extra executivæ debet esse forma aliqua, aut res creata, ab eaque distincta, ut pote de genere efficientis transeuntis causæ, ac denique quod in aliud à se debet agere: Ergo quomodolibet consideretur efficace voluntatis Dei impium sanctificantis, essentialiter deberet esse per formam aliquam creatam. De hoc plura dedimus variis in locis cum R. in cuius principiis ex Arist. deductis habemus, quod causa efficiens, & actio transeuntis non petant suos terminos productos, & à se distinctos, ut exemplificant in Zitharadis, &c. & maxime loquendo de causis efficientibus virtualibus, & applicativis, sive elevativis: Unde totum, quod in instantia afertur, pro medio nimirum, quod potentia efficace ad extra connectatur cum efficace divinæ voluntatis, quod hæc operetur efficienter, & transeunter, concedimus; cæterum verum non est, quod necessario debeat habere terminum de novo productum, sed sufficit, quod esset vel productum, vel applicatum, vel elevatum, & sub qualibet ex his rationibus verificatur, & efficace divinæ voluntatis, & suæ potentiæ executivæ efficientia: Videmus

demus intentum in generatione naturali hominis, in qua ut est satis probabile, nil novi substantiale producit, sed solum per novam unionem animæ ad corpus, verè homo dicitur genitus, & productus efficienter, & transeunter ab homine: Et ut per hanc doctrinam soluta maneat secunda probatio illius minoris principalis 163. Addimus potentiam doctrinam ex R. in 1. dist. 17. art. 4. §. 2. & ita orditur solutio in forma distinguendo majorem: Per hanc efficace voluntatem connaturaliter operantem, est mutatio, aut transmutatio in rebus, permitto; si operetur absolute, subdistinguo majorem: Est mutatio late accepta, concedo; strictè, nego majorem. Docet namque R. ibi quod in vera mutatione, aut transmutatione, qualis est ea, quæ de facto invenitur in justificatione impii, necessario aliquid de novo produci debet ut passum quod erat sub privatione, transeat adesse sub forma, qua privatus erat in mutatione verò, quæ propria non est, nec passum transmutat, sed tota actio manet in agente, non requiritur aliqua forma de novo producta, sed per eandemmet actionem passum constituitur, & denominatur tale: & hoc accideret in eo casu possibili, quod per potentiam Dei absolutam impius justificaretur immediate per Dei efficace voluntatem.

164. Sexto arguitur, & instatur solutio: Voluntas Dei efficace, qua de facto de impio fit justus, & sanctus, est verè transmutativa, ac ex eo sequitur, quod impius justificetur per aliquam formam creatam, & inharèntem: Ergo in casu quæstionis sic per formam creatam deberet homo justificari. Antecedens est certum, & consequentia probatur: Eo jure, & modo esset ea justificatio possibilis, ac de facto est, in quantum scilicet, impius transiret per eam de non esse ad esse justum, & sanctum: Ergo utraque esset vera mutatio. Patet hæc consequentia: Siquidem verè mutari est vere transire de non esse adesse. Antecedens verò probatur: In utraque verò justificatione homo impius desineret esse impius, & transiret adesse verè justum, & sanctum; aliàs in ea providentia possibili non ageretur de vera justitia, & sanctitate, & quæstio reduceretur ad terminos impli-

catórios; sed si ita sit, utraque activa justificatio est verè actio transmutativa, sicut & passiva vera mutatio: Ergo in qualibet possibili justificatione, & sanctificatione adesse debet verè forma creata inharèns.

165. Respondetur ad argumentum, negando consequentiam, & ad probationem negatur antecedens; & ad ejus probationem concessa majori, ad minorem, primò supponimus, quod non omnis actio in passum agens est illius transmutativa, quamvis efficace sit, transeuntis, & efficiens, de quo plura dedimus supra, & est communis doctrina R. ut videtur in omnibus rationibus applicativis, &c. Supponimus etiam, quod in omni mutatione intervenit transitus de non esse adesse per novæ formæ adventum, cæterum non omnis transitus de non esse adesse est verè mutatio hujusmodi; & clarè videtur in agente per actionem transeuntem, quod verè transit de non esse adesse agens; cæterum hic transitus nec dicitur verè mutatio agentis, nec huic aliquid de novo advenit. Unde concludendum est, & resolutoriè tenendum, quod non ubicumque sit transitus de non esse adesse, dicitur propria mutatio, et si famosè, quoad usum, & in quadam lata acceptione pro eodem usurpentur, & veluti dicantur ad convertentiam, mutari, videlicet, & transire de non esse adesse.

166. Sed contra iterum: Mutari subiectum strictè mutatione est aliter nunc se habere, ac antea; sed homo justus aliter se habet per quamcumque justificationem justificetur: Ergo verè mutatur. Major est certa: Siquidem aliter ista dicitur novum esse subiecti: Ergo & veram mutationem: Minor verò probatur: homo impius quomodolibet justificetur, est acceptus ad vitam æternam; sed hoc antea non habebat: Ergo aliter se habet, &c. Major est certa; minorque liquet: Nam esse acceptum aliquem ad vitam æternam nunc, nil aliud est, quam Deum velle istum secundum præsentem dispositionem, esse dignum vita æterna; sed hoc non habebat, dum erat constitutus in peccato mortali: Ergo quilibet justus aliter se habet, ac quando erat in statu impii.

impii. Assumptum omnè convincitur per regulam generalem hujusmodi: quia quoties reperitur alicuius inter extrema, debet esse mutatio in illis, vel in aliquo.

167. Patet in presenti materia: Deus vult homini impio aeternam damnationem, huic verò justificato, vitam aeternam, & hoc efficaciter: Ergo istius modi alicuius debet esse per mutationem in aliquo ex extremis; non in Deo: Ergo in homine translatio de injustitia, ad veram justitiam. Præterea, ex communi doctrina: Impietas, & justitia sunt privativa, & circa ideam debent esse; sed per impietatem peccator nil constituitur, & quasi in nihilum redactus est per ipsam peccatum: Ergo per justitiam factus est aliquid, vel aliquid esse novum eidem advenit, quod non habebat in statu injustitiæ. Denique: Si hoc ita non sit, justus, & impius eo modo se haberent quoad esse verum, & reale animæ; sed hoc videtur implicatorium: Ergo. Major patet: Quia si justitia non sit forma aliqua realis in hærens, nil esset: Ergo quoad hoc æquè se haberent; & minor constat: Siquidem ex illo sequeretur, justum esse, ut supponitur, & simul non esset justus; quia adhuc remaneret in suo non esse, sicut cum erat in statu peccati: Ergo implicatorium illud sequeretur: Omittimus hic aliquas instantias, de quibus suis in locis infra.

168. Ad hæc, quæ R. affert hic in r. citat: etsi alia via procedat, respondetur: & ad primum distinguitur prima major, Mutari subjectum, est aliter se habere, utcumque, nego: est aliter se habere per actionem transmutativam, concedo majorem: & concessa minori, concedimus etiam totum, quod in prima probatione dicitur in contrarium, & adversus nostrum modum discurrendi. Certum est enim, quod in hypothesi questionis hominile justificatus aliter se haberet, transiretque de non esse ad esse acceptum ad gloriam, quatenus scilicet, haberet novam condignitatem ad eam, quam antea non habebat; præterea licet hæc omnia de facto impio adveniant per Gratiam in hærentem; & ratione hujus formæ alicuius sit vera mutatio; de possibili tamen

Deus in eodem impio eadem alicuius alicuius constitueret per semetipsum eidem intimatum, & absque forma aliqua, & propter hoc relegandus erit conceptus strictæ mutationis ab isto modo justificationis ac denique concludendum, quod doctrina ea generalis in argumento assumpta falsa est in illa generalitate: Ab hoc super edemus, quia satis supra de illo in presenti q.

169. Ad secundum constat ex supradictis: Quod videlicet, Deus homini impio vult damnationem, cum impius permaneat, suum autem ei remittat peccatum per suam velle, & per ideam acceptat illum ad vitam aeternam, constituitur justus, & hac vita dignus, nullo alio habito in eo, nisi hujus divine voluntatis applicatio: Ergo sine aliqua mutatione. Nec tertium convincit, & sic potest distingui major: Impietas, & justitia ex Dei lege sunt privativa, & secundum præsens decretum, permittit; ex natura rerum, nego majorem. De hoc vide plura q. præcedenti. In lata quadam acceptione contrariarentur in hypothesi nostra, & idè dummodo aliud quid in justo apponatur positivum, sufficit, ut verificetur ea privativa oppositio, de qua in argumento. Ad ultimum patet per supra dicta: Justus enim aliter realiter se haberet, ac impius in ea possibili providentia, non realitate proveniente à forma nova reali in hærente, sed à nova reali denominatione orta à divina voluntate eidem applicata, vel ab speciali Dei intimatione, instantia, vel Spiritus Sancti illapsu: quod sufficit, ut impius, & justus non eo

modo se habeant eo casu possibili.



QUÆ

QUÆSTIO VI.

Utrum ad justificationem requiratur motus liberi arbitrii?

Et quid circa hoc de possibili?

170. **P**rocedimus hic, & loquimur de justificatione adultorum, & pro nunc abstinemus de parvulorum, cum quoad hoc alia sit utrorumque via ad justitiam, unde impræsentiarum sermo venit de ea justificationis forma, quæ propriis actibus veluti comparatur, ut conformiter ad superius dicta discurremus, & locum habeat hæc ratio dubitandi, pro quo supponimus, & ut certam relinquimus sententiam Aug. quæ satis constat adhuc rusticis, & idiotis, nimirum, qui creavit te sine te, non te justificavit, aut salvabit sine te; est certissima, & ab omnibus procomperto recepta, fundaturque in sacris litteris utriusque testamenti, & præclaris Conciliorum decisionibus, & pro ea sit,

171. Conclusio prima: Ad impii adulti justificationem necessario concurrat motus liberi arbitrii proprii: Est de fide, & expressa in Trident. sess. 6. Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo exitanti, atque vocanti, quoad obtinendam justificationem, se disponat, ac præparet; neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere: Anathema sit.* Ex quibus argues, & est ratio probativa conclusionis, quæ pro multis sufficit: Liberum hominis arbitrium, ejusque motus desideratur, ut impius se præparet, ut justificationis gratiam consequatur: Ergo motus iste necessario requiritur ad impii justificationem. Probatum hæc consequen-

Tom. IV.

tia: Non aliter potest arbitrium concurrere ad propriam justitiam obtinendam, nisi præparativè, & dispositivè; sed ad hoc petitur à Conc. motus ejus: Igitur hic est necessarius sic in verbis Concilii.

172. Aliter probari potest conclusio ratione ista: Homo impius voluntariè avertitur à Deo, & per motus proprii arbitrii convertitur ad bonum commutabile: Ergo ut impetret, & consequatur bonum suæ sanctitatis, & justificationis, connaturaliter desideratur voluntaria conversio ad Deum, & motus arbitrii, quo à creaturis avertatur. Utraque propositio præterquam quod satis clarè de vincitur ex ipsa natura peccatorum, & ab eis resipiscencia, est de fide constans in sacris litteris, declarataque extat in Trident. sess. citata variis in cap. ejusdem sess. ubi determinatur, voluntariam debere esse susceptionem gratiæ, & Donorum, sicut tuit horum amissio; sed voluntaria non esset, nisi haberetur per motus liberi arbitrii ipsius justificati: Igitur isti motus, ad minus connaturaliter, exiguntur ad impii justificationem.

173. Nec contra doctrinam datam urgere potest modus justificationis parvulorum, hi etenim, ut pote totius libertatis expertes, sunt incapaces proprii motus conversivi ad Deum, & avertivi à creaturis, recipiuntque gratiam, & Dona, cum regenerantur: Igitur non voluntariè: Ergo non requiritur ad impii justificationem voluntaria susceptio gratiæ, & Donorum ea voluntarietate, quæ per motus proprii arbitrii exerceatur. Hoc, inquam, non obviat sententiæ communi; siquidem nec dicimus, quod essentialiter, & quidditative requiratur ad justificationem motus liberi arbitrii creati, sed tantum asseruimus, connaturaliter desiderari: Ergo non ad omnem justitiam, sed solum ad eam, quæ propriis actibus comparari possit, expectatur motus liberi arbitrii, & in quibus verificetur illud Prophetæ Isa. 30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri.*

174. Et cum non sic justificentur parvuli, & ii, qui ad usum rationis non perveniunt, sed ex opere operato, & Christi Domini meritis, collationeque Baptismi, de his aliter sentiendum erit, quo ad vol-

V

lun.

incuriam susceptionem gratiæ & Donorum: Fundaturque Catholica hæc doctrina in modo contrahendi, & comitendi utraque peccata & adultorum, & parvulorum: Adulti namque peccant per actus propriæ voluntatis, ideoque sua peccata dicuntur personalia, & in se liberè perpetrata; peccatum verò parvulorum commissum est, non propria, sed capitis voluntate, in qua peccaverant; diciturque propterea originale: Unde cum horum averfio à Deo non sit in ipsis voluntaria, sed in capite, eorum conversio ad Deum ipsum non requiritur, quod sit in se voluntaria, sed sufficeret, quod esset talis in suo capite Christo; & isto modo voluntarii justificarentur parvuli per voluntariam susceptionem gratiæ, & Donorum: alia ratione connaturaliori discurremus, & sentimus de libera adultorum sanctificatione.

175. Secunda conclusio: Potest adultus justificari de potentia Dei absoluta sine motu liberi arbitrii proprii. Conclusio est communis, & fortè uterque Soto habet contrarium, Probarique solet, primò: Quia parvuli justificantur per baptismum, nullo in eis præcedente, aut concomitante proprii arbitrii motu. Præterea, qui per Sacramentum penitentiae in re susceptum justificantur, solum habita dispositione ab attritione ea, quæ excludat omnem voluntatem peccandi, & juxta præscriptum per Trident. nullus in eis adest motus proprii arbitrii, vicusque ipsæ gratia à Deo coneratur, cum hæc unice debeat charitati, & contritioni, quæ illius sunt veræ dispositiones; sed ex his exemplaribus convincitur, quod justificatio impii non requirat essentialiter motus proprii arbitrii: Ergo sine his haberi potest per Dei absolutam potentiam. Major cum minori constant, & consequentia optimè deducitur: Nam ea, quæ essentialiter non desiderantur, etiam alias sint requisita connaturalia, possunt per eam divinam potentiam suppleri; ex eo enim nulla inferretur repugnantia, & contradictio; ut satis patet: Et liquet assumptum: quia si essentialiter exigentur proprii actus ad justitiam, nec per Baptismum in parvulis, nec per attritionem in Sacramento

Penitentiae haberetur: quia, quæ essentialia sunt, in quocumque statu est necessarium esse.

176. Non accedimus his rationibus; non prima; & primò exemplari: Quia questio, de qua nunc, non habet locum in parvulis omni proprio actu carentibus; nec insuper modus suæ justificationis potest esse mensura adultorum; siquidem illi cum non contraxissent impietatem per actus proprii arbitrii, nec in se voluntari esset, ut superius dicebamus, nec sua justificatio haberi deberet per actus proprios, & in se voluntarios. Secundum exemplar non multum concludit; actus enim attritionis, ut ad salutem opponer, supernaturalis, & efficax est dispositio ad gratiam in Sacramento Penitentiae conferendam, & ideo PP. Concilii Trident. pro comperto habuerunt decernere, ad finem istum potiri debere ea efficaci supernaturalitate, quatenus ut sic consideratus ejusmodi actus, & simul cum Sacramento conjunctus unam faceret contritionem, & impium ex attrito contritum constitueret; atqui hujusmodi attritio est motus proprius arbitrii, & sufficiens dispositio ad justitiam: Ergo ex hoc fundamento non probatur assumptum.

177. Unde alio tendere debent rationes, quibus nostrâ stabilitur conclusio; primòque probatur ex R. fundamentis habitis in 1. dist. 17. q. 9. Quodlib. 1. Deus potest infundere actum meritorium, & illum per se creare in voluntate, nulla præcedente gratia, & charitate: Ergo potest ab opposito infundere gratiam, & charitatem in anima, nullo pensato, & præhabito actu, aut motu proprii arbitrii; sed per hujusmodi gratiæ infusionem impius justificaretur, quod nullus negat: Ergo sine actibus, & motibus propriæ voluntatis. Antecedens est expressum in R. & sufficientissime probatum, de quo, & nos suo loco: & prima consequentia probatur: Magis dependet actus à potentia, quam habitus, & ille immediatius inhaeret eidem, mediat enim inter actum, & potentiam; sed actus potest esse in potentia sine habitu connaturaliter requisito per modum principii elevativi: Ergo habitus potuit esse in eadem

po-

potentia sine actibus propriis, adhuc quod sint dispositiones connaturaliter desideratæ ad ejus infusionem.

178. Secundo probatur conclusio ex eodem R. loco citat. Afferit ergo, & tenet, Deum posse absoluta sua potentia acceptare dormientem, gratum facere impium sine justitia, & gratia inherente: Ergo eadem potentiam faceret impium sanctum sola suæ gratiæ infusione, & omni motu proprii arbitrii secluso. Antecedens est doctrina R. superius immediate stabilita, & consequentia probatur: Plus est, hominem impium acceptare ad gloriam, & justum facere sine inherente gratia, quam eundem impium justificare, ipsique formalem justitiam infundere sine proprio sui actu; sed primum supra convincimus: Ergo rectè concluditur secundum, quod ex illo antecedente inferret. Minor cum consequentia tenet, & major liquet: Nam ad hoc ut Deus impium justificet sine gratia inherente, utrumque suplet sua divina omnipotentia, & formam justitiæ verè informantem, & actum proprium, quo ad eam disponatur; in casu verò nostræ presentis questionis solum Deus suppleret propriam impii dispositionem: Ergo ad oculum patet, quod plus sit hominem impium justificare sine forma inherente, quam hanc infundere sine proprii motu.

179. Ex quo tertio probatur conclusio: Deus potest sua absoluta potentia gratiam non infundere homini elicienti veram contritionem, & Deum actu diligenti: Ergo poterit ab opposito gratiam impio communicare, qui nullum omnino motum libere exerceret suæ voluntatis. Doctrina antecedentis est satis nota, cum nullum inveniamus caput repugnantiae, præterquam quod amor Dei, & perfecta contritio solum connaturaliter, & ex lege Dei cum gratia connectuntur: Ergo possent per divinam absolutam potentiam ab ea separari. Et prima consequentia probatur: Actus hujusmodi se habent sicut dispositiones ad gratiam, & hæc est veluti forma illorū perfectiva, & formativa; sed utramque solum connaturaliter gratiæ inest, & non essentialiter: Ergo & possunt tales actus esse sine

Tom. IV.

gratia, & hæc sine illis communicari, sine contradictione aliqua, & dedecore divinæ omnipotentiae: Alias probationes, quæ passim apud DD. inveniuntur, omitimus, ut parum doctrinis nostris concordantes.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

180. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Adultus non Baptizatus, qui quidem ductum rationis sequatur in appetitu per se boni, & fuga mali, deberet pro hora mortis quomodo libet justificari; sed non per motum proprii arbitrii: Ergo dabile est, quod adultus justificetur, & connaturaliter, non interveniente præfato arbitrii sui motu. Paret hæc consequentia. Nam in eo casu non esset supra legem à Deo statutam ea justificatio. Minor etiam constat: cum ante Baptismum nullus est dabilis connaturaliter, actus, qui esset ad justitiam dispositio; & major probatur: Siquidem homo ille adultus si moriatur injustus tantum originali peccato, non esset locus adeo usque nunc revelatus Ecclesiæ, ubi in æternum esset destinatus: non cælum sedes beatorum; non infernus, non limbus, hic est proprius parvulorum, & alius personaliter peccantium: Igitur de illo adulto aliter provideret, & nil est magis consonum divinæ misericordiæ, quam id, quod pro medio argumenti sumebatur.

181. Responderetur ad argumentum, quod est adeo connaturaliter dabile, quod si daretur adultus taliter in suis operibus moralibus reificatus, Deus teneretur vel per se, vel per Angelum, eum de rebus fidei instruere, sicut fecisse legitur per Philippum cum Regina Cancæ Eunucho, tuncque illum justificaret per motum proprii arbitrii, vel concomitanter, vel antecedenter ad Baptismum ejusdem concurrentem: Ita judicant, congruum fore DD. aliqui, & inter eos Angelicus, & ut magis conforme divinæ pietati, quæ vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; unde nec

V. 2

in

in hoc, nec in aliis casibus verificari potest; quod adultus justificetur, nisi per voluntariam susceptionem gratiæ, & Donorum, ut docet Trident. citat.

182. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Non est conceptibilis impii adulti justificatio, quin sit per veram ad Deum conversionem; sed vera conversio ad Deum exigit actum proprii arbitrii essentialiter: Ergo motum istum petit essentialiter adulti justificatio: Ergo per nullam potentiam posset motus iste à Deo superari, aut impediri in tali justificatione. Nec respondeas: Quod conversio requisita ad Deum in qualibet justificatione impii debet correspondere aversioni, qua à Deo recedit peccator; sed adultus peccator avertitur à Deo actu: Ergo ut justificetur, debet actu, & non solum habitu ad Deum converti. Major convincitur: Nam aversioni opponitur conversio; sed oppositorum eadem est ratio, & doctrina: Ergo quidquid de aversione à Deo dicitur pro constituendo peccato, sentire tenemus de conversione ad Deum pro illius remissione, & peccatoris justificatione. Aversio enim, & conversio sunt circa idem, & in eadem materia, & sub eadem ratione versata; nimirum vel ad Deum offendendum, vel ut peccatori sit Deus ipse peccatus, amicus, & non injurius: Ergo subinducere eandem disciplinam debent.

183. Quo non obstante, argumentum respondetur, per distinctionem conversionis actualis, & habitualis; non enim essentialiter exigitur ad adulti justificationem actualis conversio ad Deum, & per proprium actum habitam, sed sufficit habitualis, quæ eidem in esset per infusionem gratiæ, & justitiæ, quæ cum forma sit, & actus, non est unde oriri posset repugnantia, ut à Deo ejus auctore, & creatore liberè communicetur, vel communicata conferatur independentè ab omni omnino actu creaturæ, quando, & quomodo voluerit pro modo suæ omnipotentissimæ virtutis; tuncque creatura ea prædita gratia vestita, ornata, & justificata esset ratio formalis amicitiae Dei, filiationis, & acceptabilitatis ad gloriam: Et non conversionis ad Deum ipsum, &

ab omni peccato lethali recessus, & aversio, illiusque remissio, ac totius gravis injuriæ condonatio? Prædicta omnia concipimus in homine impio, cui justitia hæc infundatur liberè à Deo, & sine mora sui proprii arbitrii.

184. Nec contra hanc doctrinam urget, aut præmit instantia argumenti: Concedimus enim aversionem à Deo, & ad eum conversionem, quandam habere oppositionem, & veluti contrarietatem, ac de illis, connaturaliter loquendo, eandem debere esse rationem; ideòque sicut nullus actu à Deo avertitur nisi per proprium motum, sic nec ad Deum converti potest, ex lege ipsius, nisi interveniente sua dispositione; ceterum si ad utrasque denominationes oppositas attendamus, quoad sua essentialia, plus nimio distare videntur, quo ad doctrinam, & disciplinam in sensu instantiæ; siquidem recessus, & aversio à Deo ita est à creatura rationali, ut tota sit ab ea, taliter quod nullum sit agens superius, qui vincere possit ejus connaturalem modum essendi, & cui attribui posset alietas, quæ supra suam naturam veniret, non sic conversio ad Deum, quæ cum sit de linea boni positivi, imò & supernaturali, cum in hoc specialiter subdatur superiori agenti, posset hoc operans supra cursum rerum, & ordinem connaturalem, eam conversionem præstatam sic stabilire, ut nulla habita creaturæ cooperatione, constitutur verè ad Deum conversa, non actu, ut supponitur, sed habitu: dedecet Deo, & repugnat, quod illi tribuatur à se aversio; congruit, & non implicat, quod in casu, & hipothesi quæstionis, illi de absoluto posse operanti applicetur conversio prædicta.

185. Tertio arguitur contra secundam conclusionem pro contrariis secundæ sententiæ: Non est possibilis impii adulti justificatio, si non comiteretur eidem voluntaria ad Deum conversio: Ergo per nullam potentiam potest Deus adultum justificare, quin per motum arbitrii proprii susciperet gratiam sanctitatis: Patet consequentia: Nam voluntaria hæc receptio gratiæ dicit liberam saltem dispositionem in adulto recipiente: Et antecedens videtur doctrina D. Thom. in qua

qua fundantur patroni hujusmodi dicendi in 3. parte q. 86. ubi post aliqua dicit: *Et ita impossibile est, ut alicui remittatur peccatum sine penitentia virtute; sed penitentia virtus, si actualis sit, sunt motus proprii arbitrii: Ergo sine his impossibile est justificatio adulti: Huc alludit illud Paul. ad Hab. 11. sine fide enim impossibile est, placere Deo; sed fides non habetur sine actibus propriis: Ergo idem, quod prius. Nunc sic: Impossibile à Deo fieri non potest, cum solum sit ad possibilia potens: Igitur, nec ad hanc impii adulti justificationem sine propriis liberis motibus.*

186. Respondetur ad argumentum per prius supponendo doctrinas de impossibili physico, & morali satis notas apud Theologos, sicut est ea, quæ est juris, & facti inter Legittas; de quibus maxime facit ad rem nostram illud cap. *Cum sit ars: ubi leguntur: Quæ pendent à voluntate Principis, & concedi non consueverunt, reputantur inter impossibilia; per quæ datur intelligi, dari impossibile aliquod, & quod ex suis terminis non implicet, & quod essentialiter Deo non repugnet, & hoc erit morale impossibile; vel juris, aut facti; ad hoc alludere censemus, quod Dominus per Luc. 17. prædicat: *Impossibile est, ut non veniant scandala; & ad id etiam referimus doctrinam Paul. in argumento allegatam; ad ultimumque dicendum censemus ad verba D. Thom. eum loqui de impossibilitate ista, quatenus scilicet, divinus Princeps non consuevit, nec decrevit ea peccata remitti nisi penitentia virtute, ideo aliter facienda remissio ab illo, impossibile judicatur; quin per aliam absolutam potentiam ab ea consuetudine, & decreto præscindentem, sine ejusmodi virtute possit haberi.**

187. Quarto arguitur: Peccatum personale non retractatum dicit & carentiam gratiæ, & præterea habitualementem persistentiam in malo, & conversionem voluntariam ad bonum commutabile; sed per gratiæ infusionem, ac secluso motu proprii arbitrii non amittitur utrumque: Ergo nec peccatum illud remittitur: Patet hæc consequentia: Cum in remissione peccati, & gratia communicetur, & simul retractetur peccatum, ac peccator desiderat converti ad se, ut ad Deum con-

vertatur: Major etiam est certa: Siquidem ea gratiæ privatio non subindueret rationem macula; & peccati, nisi connotato ordine ad peccatum commissum, & cum habituali permanentia in illo; & istud est ea habitualis conversio voluntaria ad bonum commutabile. Minor verò probatur: Gratia infusio solum infert exclusionem privationis, & non esse peccati illius; ad modum quo voluntaria conversio ad Deum expellit, & removet voluntariam ad bonum commutabile, & cum ea incompatitur: Ergo quia utrumque concurrat, non expelleretur peccatum.

188. Respondetur ad argumentum per doctrinas superius datas, & supposito, quod aliter sentimus de remissione peccati personalis juxta legem, & statutum Dei, & secundum quod revelatum legimus in sacris Scripturis, & aliter præscindendo ab his determinationibus, & secundum Dei absolutam potentiam, sub quo sensu procedimus, & hujus ratione Gratia sanctificans infusa emundat animam à peccatis, constituit hominem Dei filium, amicum, & habitualiter conversum ad ipsum, à bonoque illo commutabili aversum, & separatam; hoc enim habet ex sua natura, & divina ordinatione, quatenus est forma habitualis hæc omnia præstans, & eminenti quodammodo dicens retractationem peccati, quod cum ea gratia incompatible est; & licet voluntariè contraheretur, & per proprios actus peccatoris, & aliter non posset esse, hoc ideo est, quia non habet superiorem causam, cui tribuatur; non sic discurrendum est de illius retractatione, quæ cum sit de linea boni, & perfecti, habet agens superius, quod possit supplere vicem inferioris, & connaturalis, & loco proprii arbitrii subrogaretur virtus omnipotentia divina, cui tribueretur ea conversio.

189. Ultimò arguitur, & instantia solutionis est: Peccatum personale est liberè commissum, sit vel non commissio- nis, libertate peccatoris: Ergo ut remittatur, requiritur libertas, & proprius actus ipsius, nec sufficeret sola gratiæ infusio: consequentia probatur, & patet in humanis contractibus, in quibus ma-

net obligatio, dummodo liberè non retractentur, sicut liberè contrahuntur: Ergo dummodo peccatum liberè non retractetur, manet essentialiter adhuc liberè contractum, & commissum. Satis diximus supra ad hoc; nimirum, quod habitualis conversio ad Deum habita per Gratia infusione, eminenti quodammodo opponitur liberè illi conversioni ad bonum commutabile, habeturque à potentiori agenti; & idem diceremus de contractibus humanis, si daretur causa superior distrahens liberam contrahentium obligationem, in quo casu, idem verificaretur, videlicet, quod esset liberè contracta, & per actus proprios, & per alienum retractata.

QUÆSTIO VII.

Utrum Gratia infusio sit peccatorum remissio?

190. **D**E remissione peccatorum ea tractavimus hic q. 2. quantum nobis visum fuit sufficiens ad declarandum quid determinatum sit in Conc. tanquam fidei dogma tenendum contra Hæreticos male circa illam sentientes, & ex industria quadam Theologicè discutienda impræsentiarum reservavimus; & interea non parvi æstimatur quæstio, quam præ manibus habemus, quæ etsi non sit ad eam communis, est valde utilis ad quidditatem remissionis peccatorum addiscendam: Est equidem effectus notissimus nostræ sanctitatis, satis clarè notatus in Trident. at cum in verbis hujus sanctæ Synodi videretur ambigendi locus circa hujusmodi effectum, & modum suæ causalitatis, idè ex illo hæc, & aliæ subortæ fuerunt difficultates, inter quas præfens primum locum obtinet, imo ex ejus resolutione plures possunt elucidari.

191. Et ante omnia supponendum est, hic non dubitari de identitate formali, & quidditativa justitiæ, & sanctitatis cum remissione peccatorum; nam certum judicamus, hanc esse effectum secundarium, illam verò primarium, unan primario intendi, & aliam secundario: Deo gratiam impio communicanti, inter quas essentialis identitas reperiri non potest, sicut nec inter quæcumque quæ talen ordinem primarii, & secundarii servant unde superest, ut pro latiori identitate quæramus; num scilicet, sit una, & eadem mutatio, qua impius transit ad esse justum per gratia infusione; & de esse ad non esse peccatorem per remissionem culpæ, & offensæ? vel si sint duæ mutationes essentialiter inconnexæ, etsi se connaturaliter comitantès, positiva impi justificatione, & sanctificatio cum remissione peccatorum suorum, nec ne?

192. Quæsitum clarificari oportet exemplo hoc satis noto inter Philosophos per similes mutationes, quæ sunt hujusmodi; ex non calido fit calidum, & ecce una mutatio; ex frigido fit calidum, ecce alia mutatio; quid dissidii inter eas reperitur? Quod in prima, una, & eadem est mutatio, qua subjectum ex non esse calidum transit ad esse calidum, & positiva ista generatio caloris est simul, & connexivè exclusio negationis illius: In secunda verò productio calidi non est corruptio frigiditatis, sed ulterius desideratur alia mutatio non connexa, etsi concomitans, nimirum de frigido in non frigidum; ut verificetur, quod illa generatio calidi esset & corruptio frigiditatis; ex quo deducunt, quod Deus posset conservare simul calidum cum frigido in summo, non autem calidum cum non calido secundum idem: quia nimirum posset suspendere concursum suum circa mutationem illam frigidi in non frigidum; tuncque remaneret calor de quo genus cum frigiditate nondum corrupta, licet aliter eveniret connaturaliter.

193. In hunc modum alia, & alia via discurreunt Theologi recentiores circa præsentem quæstionem; aliqui etenim tenent, & docent, unam, & eandem esse infusione gratia, & remissionem peccati,

Quæst. VII. Utrum gratia infusio sit peccatorum, &c.

cari, ita quod impossibile sit gratiam infundi, & peccatum non dimitti, sicut non potest lux fieri, & tenebras non depelli. Vazquez satis diffusè est hujus sensus, plures citans antiquiores DD. & pro se allegans Trident. Ab opposito sunt alii, qui afferant, remissionem peccatorum esse mutationem distinctam ab infusione gratia non reali, aut positiva distinctione, sed alia inferiori, sicut solemus distinguere rem physicam à morali; unde in isto placito, etsi connaturaliter comitentur gratia infusio, & peccati remissio, possunt tamen per absolutam potentiam separari: Pro hac citat Suarez Scot. & alios ex antiquis, insuperque idem Trident. in medium producit ad eam firmandam.

194. D. Ang. de hoc plura habet tum in summa Theologiæ, in disput. & alibi, in quibus, etsi quisque habeat fundamentum sufficiens pro suis assertis, non tamen aliquid expressum videram, quod favere posset unum, aut alium dicendi modum. D. vero R. similiter non semel loquitur de infusione gratia, & animæ sanctificatione, ac remissione peccatorum, quo autem ordine, & connexione se habeant, nullibi docet, ceterum ex iis, quæ tum in 3. tum in 4. sententiarum leguntur, potest ipsius mens aliquantulum investigari.

195. Ac præterea etiam supponendum est, quod hic loquimur de gratia infusione connaturaliter accepta, & secundum quod à Deo ordinata est, non solum, ut impium justificet adæquatè, acceptum constituat, ac Filium Dei, sui que heredem, verum & quatenus remissiva est peccatorum; siquidem alia via, & consideratione, non improbabili, quæstionem non haberemus; & sub ista acceptance quærimus de his effectibus; nimirum de gratia communicatione, & peccati remissione. Est insuper hypothesis utilis tum ad quidditatem horum effectuum dignoscendam, tum & maxime, ut ex ea contra Novatores proberetur vera, & realis impii sanctificatio, & interior renovatio, simulque non existentia peccatorum impii, & per eandem sanctitatem absolutio eorum, & remissio in ejus anima passivè, ac veluti intrinsecus in-

196. Ex qua deduci est necessum dubium aliud satis à DD. enucleatus de co-existentia, scilicet, gratia cum peccato mortali, aut hujus repugnantia, ceterum cum de hoc sint diversimodi discurrendi propter diversitatem sentiendi de gratia justificationis, & notabiles difficultates circa hoc emergant; pro nunc omittendum duximus, & ad quæstionem sequentem remittendum, solum contenti iis, quæ sunt præsentis propria, & pro necessitate tractanda; pro quibus denique supponimus, quod circa constitutum peccati habitualis, idem sentimus cum communibus doctrinis; sic nimirum quod præter gratia privationem, ulterius quid aliud dicat vel connexivè, vel connotatum, seu quovis alio modo in ordine ad peccatum commissum, vi cujus anima maculata sit, & Deo ex oia habitualiter existat, ex quo, & ex gratia privatione, quasi integretur malitia habitualis impii, præcindendo ab esse positivo, & negativo, moralis, & rationis.

197. Conclusio: Infusio gratia justificationis est peccati simul remissio. Est Authorum primæ sententiæ, & aliorum; clareque colligitur ex variis D. R. doctrinis, quarum aliquas dabimus, & per prius adducemus loca aliqua sacra, & PP. sententias, ut magis solidetur, & proberetur: Hujus fundamentum sistit in argumentatione hac: Translatio impii ad statum filiorum Dei, sic est una mutatio, quod transitus de non esse in gratia adesse Deo gratum, sicut deesse ad non esse peccatorum, solum famosa quadam ratione significant duas mutationes, at in rei veritate una tantum sit; sed hac stante unica mutatione, gratia infusio est impii simul, & justificatio, & sui peccati remissio: Ergo sic est.

198. Major est totius difficultatis scopus, primòque probatur per illud Paul. ad Colof. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, &c.* Et: 1. Petri 1. *Qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum.* Ad quæ alludit Trident. variis in locis, ubi de justificatione impii loquebatur: Legatur specialiter hic cap. 3. & 7. in quibus concludit, per justificationem

impium transferri de injustitia ad justitiam, de peccatore in Filium Dei, ac ex inimico amicum fieri, per quæ quid aliud declaratur nisi unam, & eandem esse mutationem, gratiæ infusionem, & peccatorum remissionem? Plures ex Patribus possumus in medium producere, & pronunciantur, quia iis verbis utuntur in præsentia, ac Petrus, & Paulus in suis respect. Epist. ex ipsisque ebunt sensum, & sententiam suam, quamque Trident. expressit, & declaravit.

199. His textibus, & PP. authoribus possent respondere AA. contrarii sensus: Quod translatio illa, & transitus de non esse ad esse amicum Dei, quæ in justificatione impii per eisdem text. & Conc. cap. declaratur, est motus, quem à contrario in contrarium expressit D. Thom. loquendo de eadem justificatione impii, qui motus licet unus sit, non est simplex motus necessario, cum soleat aliquando esse compositus ex pluribus mutationibus: De hoc nullam aliam afferunt rationem, quam exemplar ex eodem Conc. sess. 13. cap. 4. Canon. 2. ubi transubstantiationem panis in Corpus Christi declarat per unam mutationem; atqui hæc mutatio simplex non est, sed ex duabus partialibus composita: Ergo illa alia, de qua tractatur, etsi una & singularis sit, non simplex, sed composita erit ex partialibus mutationibus; sic videlicet; quod ad modum quo intransubstantiatione Panis Eucharistici, & est positio, & productio corporis Christi sub speciebus per modum unius mutationis, & desitio substantiæ panis per modum alterius; sic & in justificatione intelligatur infusio gratiæ tanquam una mutatio de non justo in justum, & remissio peccatorum veluti alia, qua transiret de peccatore in non peccatorem: Ergo textus allati non concludunt assumptum conclusionis.

200. Sed contra responsionem pronunciamus: Quod licet verum sit, dabilem esse, & de facto dari mutationem, quæ quamvis una sit, & singularis, esse tamen posset compositam ex pluribus, vel duabus partialibus mutationibus, de quo aptissimum exemplar est, quod contrarii opponunt de Eucharistica trans-

substantiatione de promptum ex Trident. ex hoc non deducitur argumentum ad intentum nostrum, cum non asseramus impossibilem eam mutationem ex pluribus partialibus compositam, quod requirebatur, ut ratio ab illo exemplari sufficeret ad solutionem; potest quam optime esse hanc unam mutationem, illam verò, de qua est questio simplicem, & singularem: ratio esse posset; quod prima, de qua contrarii, versatur inter terminos positivos, sicut mutatio frigidi in calidum, nostra verò inter negativum, & positivum, ut est tenebræ ad lucem: Ergo solutio nulla est.

201. Secundò probatur illa major, & est probatio secunda conclusionis per R. in 4. dist. 2. q. 2. art. 3. tenet enim hic, & docet, peccatum (loquebatur de originali) tolli non posse sine gratia, ex suppositione, quod homo esset constitutus in isto ordine, & ad hoc probandum sic procedit: *Cuiuslibet privationi propriæ correspondet proprius habitus: sicut ergo Deus non potest tollere de aliquo ipsam privationem, quæ est non esse sine tali habitu, & actu primo, qui est esse, ita nec non esse gratum, nisi dando esse gratum.* Ex quibus probamus conclusionem nostram: R. docet, & tenet non esse gratum, & peccatorem se habere ad gratiam sicut privatio ad formam; sed cum subjectum transiret de privatione ad formam, ibi una, & simplex intercedit mutatio: Ergo quando impius transfertur ad statum Filii Dei, solum per eandem unam transiret mutationem.

202. Clarius ex eodem in 3. dist. 3. q. 2. art. 3. tractabat hic R. de impossibilitate peccati originalis per unum instans reale temporis, & ad calcem citati art. ait: *Cum expellitur culpa, inducitur gratia, est unica mutatio; licet tamen quando generatur culpa, & iterum corrumpitur, sint duæ mutationes contrariæ; atqui ista mutatio unica, de qua R. debet esse simplex: Ergo sic est mutatio de peccatore in gratum. Probatur minor: Illa mutatio est de privatione ad habitum, & ut contradistinguitur ab ea, quæ est inter terminos positivos, & verè contrarios; sed mutatio talis sic est una, ut non coalescat pluribus partialibus mutationibus: Ergo mutatio, de qua hic, est una, & simplex.*

203. Tert.

203. Tertio probatur conclusio, & illa major simul ratione, quam deducimus ex R. hic, & alibi: Infusio gratiæ justificationis, & quatenus à Deo ordinatur ad hominem impium sibi charum, & gratum constituendum, est vera productio termini positivi ex sui non esse, ita quod nullum alium terminum à quo diceret, nisi privationem sui; sed huiusmodi productio formæ non modo est illius productio, verum & connexivè talis privationis expulsio: Ergo sic est una mutatio infusio gratiæ, quod sit simul remissio peccati. Major constat ex terminis, & factis vocibus sic extollentibus nostram justificationem, eamque luminicomparantibus, sicut tenebris impiorum peccata; sed lucis productio est ad terminum positivum de pura privatione: Ergo. Minor principalis liquet: Ex opposito vero sequeretur quod simul esset & forma positiva denuo genita cum ejus privatione, essentque, & non essent simul, contra primum principium omnium argutionum. Per indeque legitime deducitur consequentia.

204. Probatur denique per communem rationem gratiæ. Hæc enim conferri est necessum ex suppositione divinæ ordinationis in vi Sacramentorum, quæ ex Christi institutione sunt peccatorum remissiva: Ergo gratia per ea infusa est essentialiter peccatorum remissio. Præterea: Gratia hæc justificationis à Deo ordinatur, ut hominem impium sibi charum, & amicum faciat: Ergo & gratum, & sibi similiter peccatum, mutuoque dilectum: Ergo & sibi non ex osum, & odibilem; atqui hæc omnia dicunt non peccatorem esse: Ergo totum haberi debet per illam unam, & unicam mutationem, qua transiret de statu peccatoris, & impii ad statum gratiæ, & filiorum Dei: Ergo semel quod talis homo esset justus constitutus justitia gratiæ adoptionis, esset non peccator: Ergo infusio huiusmodi gratiæ est simul, & connexivè peccatorum remissio. Alia via, & rationibus DD. nostri sensus suam stabilunt conclusionem, sed quia aliter de ista gratia sentimus, alio currunt eorum rationes fundamentales, & de illis aliqua inter argumenta adjiciemus.

Tom. IV.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

205. **P**rimò arguitur iisdem textibus, & authoritatibus, quibus utuntur DD. contrarii, et sit primus locus ex illo Paul. ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram: & 6. cap. Qui cumque Baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius Baptizati sumus: Conformiter ad quæ, ita in Trident. sess. 6. cap. 7. legitur: *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & renovatio &c.* Et postea: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo.* In quibus, & aliis similibus locutionibus satis clarè datur intelligi, aliam, & aliam esse mutationem, qua impius fit justus, & qua de peccatore transit ad non esse in peccatis primam scilicet esse per gratiæ infusionem; secundam verò per eorum peccatorum remissionem.*

206. Ecce, quod initio hujus questionis dicebamus, ortum dissidium inter AA. hinc inde contententes fundamentum non leve sumere ex vario loquendi modo, tum sacri textus, tum Concilium quibus PP. & specialiter Ang. Mag. idèque ut argumentum solvant, & nos cum eis, supponendum est: non paucos ex Hæterodoxos errasse circa impii justificationem, & munera, ac officia gratiæ sanctificationis, quod esset pro nunc longum recensere; imo & inter Theologos antiquos emerit gravis difficultas de separatione remissionis peccatorum ab infusione gratiæ, & Donorum, quamque sedavit Inn. III. de quo aliqua immediate dicemus: Ut autem errores præfatos proscriberet Ecclesia, Sanctum Concil. Trident. sumpto ex illis, & aliis textibus fundamento, & ratione, declaravit, impii justificationem, non modo ex divina lege esse gratiæ infusionem, verum & remissionem peccatorum; præintendendo ab eo, quod sint una, aut duæ mutationes; relinquentesque locum Theologis, ut de hoc possent suas ordinarè questiones.

X

nes, eo scilicet fine, ut veritas definita clarius eluceat.

207. Quo supposito, respondetur ad argumentum: Quod ex textibus, & Conc. allegatis solum convinci potest gratiæ infusionem, & peccati remissionem esse duas veluti mutationes, quæ cum valeant esse adæquatas, & inconnexas; vel à contrario, inadæquatas, & mutuo se comitantes necessario; amplectimur hoc secundum, & talem esse sensum sacrorum locorum sentimus, cum ex eorum locutione, duas veluti mutationes inferamus; sic nimirum quod aliter illa infusionis gratiæ à remissione peccatorum sit solum inadæquata, & connexiva, non vero adæquata, & separabilis. Ratio, præter eam, quam dedimus in conclusione, habetur in eodem Trident. *Quibus verbis* (ait cap. 4.) *justificationis impii descriptio insinuat, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Adæ ad statum filiorum Dei: ubi videtur unicam declarari mutationem de statu peccati ad statum gratiæ, et si aliis partialibus coalescat.*

208. Secundò arguitur: D. R. in 4. supra citato, videtur tenere eam opinionem antiquam, vel ad minus non contradicere sentientes per circumcissionem peccatum originale remitti, et si gratia, & virtutes non infundantur: Ergo in hujus R. sententia saltim non improbabiler separabiles sunt infusio gratiæ, & remissio peccatorum: Ergo non una, sed duæ sunt mutationes, solum se comitantes, & non connexæ, alias per nullam potentiam possent separari. Prima consequentia patet; siquidem D. R. refert opinionem eam, & ipsam non reprobat, solumque reputat inferioris probabilitatis juxta declarationem Inn. III. in cap. *Majores, &c.* sed quando sic se habet R. in suis placitis, utrumque potest probabiliter teneri: Ergo. Antecedens probatur: Illud, quod eodem art. 3. circa finem habet ex Gloss. 4. ad Rom. ponens diversitatem hanc inter Baptismum, & Circumcisionem: *In circumcissione tantum peccata remittebantur, sed nec per eam gratia ad bene operandum conferebatur, &c. In Baptismo vero & peccata dimituntur, & gratia cooperandi confertur.* Ex quibus liquido constat, R. admisisse, quod remissio peccatorum

esset aliquando mutatione separata ab infusione gratiæ: Ergo ex sua natura non sunt duæ mutationes connexæ infusio gratiæ, & peccatorum remissio.

209. Argumenti hujus occasione aliqua scitu digna discutienda veniunt, ut ad ejus solutionem deveniamus, & primò dicimus; quod aliud est, infusionem gratiæ intimè connexam esse cum remissione peccatorum, & aliud, quod hæc esset ab illa inseparabilis; de primo habemus declarationem in Trident. non vero de secundò; ideòque tanquam fide tenendum judicamus, necessario comitari infusionem gratiæ remissionem peccatorum (quidquid sit essentialiter, de quo postea) & juxta præsentem providentiam; aliter verò dicendum de remissione peccatorum respectu infusionis gratiæ; siquidem Innocent. non damnavit propositionem eorum Theologorum, qui ita sentiebant, sed solum ut probabiliorè declaravit aliam contrariam opinionem, tenentem scilicet, per circumcissionem & peccatum remitti, & gratiam infundi, veluti si utrumque esset mutuo inseparabile; hancque esse sententiam, quam amplectitur R. D. ut videre est in toto eo 4. art. sequenti, & hodie absque temeritatis nota, & hæresis suspitione contradici nequit.

210. Secundò suppono, quòd in stilo R. sæpius notato, plura habet, & veluti refert ex aliorum doctrinis, & sententiis quæ nec reprobat, nec approbat; at in alijs quibus problematicus se habet; in alijs verò contrarium opinatur, cæterum eorum fundamenta non insinuat falsitatis, maxime si de doctrinis dogmaticis agatur, ne videatur sentire eos A.A. damnata doctrina comprehendere; ratio horum erit id, quòd in ejus sententiis reperimus scriptum. Sic ad nostrum intentum: Inter Theologos temporis R. & præcedentis prævaluerat non levis difficultas circa effectum circumcissionis, & Baptismi; quibusdam tenentibus per illam gratiam non conferri, sed solum remissionem peccati originalis, alijs ab opposito docentibus, utrumque à Deo fieri in circumcissione, hoc ultimum approbavit Ecclesia; primò non proscripto; hoc prosequitur R. sententiam istam amplectitur, de pri-

ma

ma non curavit, non quia ut probabilem haberet, sed quia negative se habuit Ecclesia circa eam. Vide consiliationem 47. ubi partim eorum, quæ notavimus, leguntur scripta, & per omnia adest ad argumentum solutio.

211. Tertio arguitur: Peccatum habituale non est pura & mera privatio physica gratiæ: Ergo infusio gratiæ hujusmodi est talis mutatio, ut coexigat aliquam aliam mutationem, quæ sit peccati remissio. Antecedens est certum; tum: Quia posset Deus sine peccato aliquo nos ea gratia privare, sicut & eam libere infundit: Igitur peccatum aliud quiddam supra gratiæ privationem: Tum: Peccator adiciens peccatum supra peccatum: peccat novo, & distincto peccato, quòd addat privationem ad privationem gratiæ: Ergo quia peccatum non dicit essentialiter physica gratiæ privationem: Tum denique: Quia peccatum ad gratiæ physica privationem addit respectum ad sui actum præteritum non retractatum, quomodolibet hæc relatio accipiat: Ergo aliquid est supra privationem gratiæ. Nunc primam consequentiam probatur. Si peccatum aliquid dicit præter physica gratiæ privationem, aliquid aliud requiritur ad peccati expulsiōem supra gratiæ infusionem; siquidem per hanc gratiæ infusionem solum ejus physica privatio expelletur: Ergo ad peccati expulsiōem alia mutatio requiritur; nimirum peccati remissio dependens unice à divina voluntate.

212. Argumentum urget contra eos, qui tenent peccatum habituale consistere in physica privatione gratiæ secundum suam prædicatam physica, & ex natura rei considerata, nos autem, qui aliter sentimus de eadem gratia; ut justificans est, & quatenus impium Dei filium constituit; aliter etiam ad argumentum respondere cogimur, quidquid sit de solutione DD. suo modo discurrentium, conformiter ad quod, respondemus, prætermisso antecedenti, distinguendo consequens: Ergo infusio gratiæ hujusmodi, si esset tantum sumenda secundum ea prædicata, quæ illi conveniunt ex natura rei, coexigit aliam mutationem, quæ sit peccatorum remissio, ommitto pro nunc;

Tom. IV.

Ergo infusio talis gratiæ, quæ sit justificationis, & filiorum Dei, nego consequentiam; & ad ejus probationem, eo modo distincto antecedenti, negaridebet consequentia;

213. Supposuimus in principio quæstionis, in ea procedere de gratiæ infusione, non præcise in quantum dicit sua prædicata essentialia, & physica; sub hac enim acceptione non est locus dubitandi; nam per eam impium solum elevaretur ad ordinem supernum habitualiter, effectusque potens ad opera ea superna, quorum gratia principium est, & radix; cum hoc solum proprium sit, & essentialia gratiæ ex suis prædicatis; unde ut ulterius talem impium Deo acceptum, gratum, amicum, & sui heredem faceret, aliam voluntatem, sive ordinationem desideraret, vi cujus in hoc gradu constitueretur, ideo hæc esset in tali hypothese mutatio alia. At enim alio tendit nostra sententia, & modus dicendi, ut diximus, loquimur certè de gratia justificationis; quæ non solum dicit sua prædicata essentialia, verum & divinum ordinem, ut impium Deo acceptum faciat, & amicum, & de hac sentimus; separari non posse à peccatorum remissione;

214. Ideòque ad formam distinctionis conformes dicimus: Quod privatio gratiæ, quæ ex peccato actuali relinquatur in anima, est physica; sicut & eo modo ac physica est infusio gratiæ justificationis; hæc etenim est physica infusio forma physica, cæterum non solum secundum ea, quæ physice, & ex natura sua habet, verum & secundum ea, quæ ulterius dicit ex divina ordinatione; unde hujus privatio per peccatum habita, non solum erit physica privatio gratiæ, sed præterea erit talis; ut eorum sit privatio, quæ ipsi competunt ex Dei institutione, et si comiteretur velut conditio, connotatum; aut aliud quid, respectus ille, aut relatio ad actualè peccatum non retractatum: Devenimus ergo ad hoc, quòd gratia justificationis, & peccatum habituale se habent tanquam forma, & privatio; sed in formæ infusione unà tantum desideratur mutatio, ut simul ipsius privatio expellatur: Igitur sic est in præsentem, ut R. docuit in 3. citato.

X 2

215. Nunc

215. Nunc ad principale antecedens addimus: Quod tolerabile esset nos privari posse gratia sine peccato, libere Deo suum circa eam concursum suspendente, & certè non improbabile iudicio; ex quo non licet inferre, peccatum addere positivam aliquid supra huiusmodi privationem; sed sufficit dicere additatem aliquam relativam transcendentalem de linea morali, & quæ inesse entis sit purè rationis; ceterum istud additum nec extrahere potest peccatum habituale à ratione privationis puræ, cum sit ita nihil, sicut est ipsa privatio. De secundo peccato commisso non retractato primo, nulli dubium est esse gratiæ privativum; at quia impium supponit gratia ista privatum, ea non privat actum, sed potestatem tantum; & hoc videtur sufficere in pluribus formalibus effectibus, & apud aliquos adhuc primariis inadæquatis, quanto magis hic, ut verificetur ratio formalis constitutiva peccati habitualis in illo peccato secundo commisso.

216. Quarto arguitur, & instatur doctrina: Mutatio, qua impius transit ad statum filiorum Dei, est veluti à contrario in contrarium, ut est doctrina Div. Thom. in de verit. q. 28. & R. sæpe; sed huiusmodi mutatio debet duabus mutationibus adæquari, quæ inconnexæ, & separabiles sint: Ergo mutatio adesse gratum, alia est, ad non esse in peccato. Major est certa, præter quod quæ per istam rationem convincitur: Peccatum non purè privative opponitur gratiæ: Ergo etiam veluti contrarie. Antecedens constat: Peccatum ultra privationem gratiæ dicit constitutivè, & essentialiter ordinem verum, & realem ad actualem commisionem, aut omissionem defectuosam; sed ordo hic est positivum quid in habituali peccato repertum: Ergo hoc non est constitutivè pura privatio: Major: Tota deformitas, & malitia reperta in peccato habituali oritur ab illo respectu, siquidem eoposito, ponitur, & eo ablato, aufertur; quid essentialius! Igitur respectus iste ad præteritum actum peccati non retractati pertinet constitutivè ad peccatum habituale: Ergo hoc non est pura privatio.

217. Ex quo illa minor principalis

probat: Primò: Ea debet esse mutatio de statu impietatis ad gratiam, sicut est gratiæ ad peccatum; sed hæc coalescit duabus inconnexis mutationibus: Ergo illa: Major videtur certa, & minor probatur: Homo justus per actum peccati verè mutatur de non peccatore in peccatorem; sicut etiam de iusto in impium; sed hæc sunt duæ inconnexæ mutationes: Ergo talibus mutationibus constat translatio iusti ad statum peccatoris. De hac minori infra; pro tunc secundo probatur illa minor principalis argumenti: Sicut mutatio frigidi in calidum duabus adæquatur inconnexis mutationibus, ita debet esse ea, quæ est de impio in peccatorem: Ergo hæc sicut illa duabus constat mutationibus. Antecedens probatur: alia mutatio sic est, quod cum sit inter duo extrema positivæ; ad introductionem unius, potest Deus suspendere concursum suum, ut aliud non expellatur; ita ergo in justificatione poterit Deus ad introductionem justitiæ suspendere remissionem impietatis: Ergo mutationes illæ separabiles sunt, & inconnexæ: Ergo infusio gratiæ non est intransitivè peccati remissio.

218. Ad argumentum respondetur, & in primis cum DD. allegatis sentimus, oppositionem eam vocari contrariam, & esse non ea contraria oppositione, quæ inter formas verè positivæ reperitur; cum apud eisdem peccatum nihil sit in ratione deformitatis, & malitiæ, sed quia hoc etsi nihil entitativum, dicit tamen quoddam positivum morale, de quo bene argumentum, ideo aliqua analogia oppositæ dicuntur contrariè; quod enim res ita se habeant, clarè convincitur: Si quidem malitia peccati relicta in anima, dum non retractatur, solum potest fundare respectum ad peccatum, ex quo resultat, sicut ipsa est in re; atqui ea non dicit esse aliquid proprium, & positivum, sed purè privativum, & ad summum morale: Ergo sic erit relatio ad prædictum peccatum non retractatum: relinquitur, quod major non est fundata.

219. Ad minoris primam probationem respondetur, negando majorem, in sensu quæstionis: Non enim æquo pede currunt prædictæ mutationes; quando homo

homo justus actu peccat; intervenit una adæquata mutatio de non peccatore in peccatorem, ex qua, ordine naturæ consequitur privatio gratiæ; & alia similiter mutatio de iusto, scilicet, in non iustum; & ecce duæ mutationes adæquatæ ordine naturæ se consequentes, & ipso ordine connexæ, unde ex his non est argumentum ad intentum nostrum, ubi solum una reperitur mutatio, nempe de impio in sanctum, etsi duabus coalescens partialibus mutationibus, connexis tamen, & inseparabilibus.

220. Ad secundam minoris probationem satius diximus supra, addimusque, quod infusio gratiæ, & peccati remissio æquiparari nequeunt frigidum ad calidum; nam hæc dicunt suas veras, & positivæ formas contrariæ dependentesque separabiliter à divino concursu; non sic peccati ad gratiam est eadem ratio; cum in primis peccatum non sit forma dependens in suo conservari à Dei concursu; etsi enim negare non possimus à Dei remissione dependere, Deus ad hanc tenetur simul quod infundat impio gratiam justificationis ad remissionem peccati illius; nam huiusmodi gratia secum trahit essentialiter ex suppositione divinæ ordinationis, hominem impium constituere non solum gratum, & amicum, sed & sibi peccatum, & inoffensum, quod connexive dicit suorum peccatorum remissionem; deveniamus ergo ad hoc, quod huius gratiæ infusio sit peccatorum remissio.



QUÆSTIO VIII.

Utrum Gratia, & peccatum per aliquam potentiam Dei possint coexistere?

221. **D**ubium, de quo nunc, enodatur à DD. tum antiquis, tum recentioribus, & de illò utiliter quaritur, & quia multum conducens ad extollendam Dei omnipotentiam, vel quatenus non parum facit ad exenterandam deformitatem peccati, vel divinæ gratiæ elevationem inquirendam. Potest enim Deus in ea, quæ non repugnant fieri; vel potius quod Deus facere non potest, fieri repugnat; unde ad convertentiam dicuntur; hoc implicat, ergo à Deo esse nequit; sicut: Deus facere non potest: Ergo repugnat in suis prædicatis; & ad hæc reducuntur quæstiones ex de possibili, quæ inter DD. agitantur communiter; ideoque juxta modum sentiendi de rerum prædicatis, & compatibilitate, aut repugnantia inter se, sic sentitur de eorum possibilitate, vel implicatione:

222. Et ante resolutionem supponendum censeo: Hic non queri pro ea coexistentia viali, & pro eodem instanti extrinsecò, de qua R. in 3. dist. 1. q. 2. sed de alia habituali, & permanenti, sic quod pro eadem duratione, & tempore quis existat simul cum peccato mortali, & in gratia justificationis: Devenialibus enim non est quæstio, cum ea compatible sint cum ista gratia; & per eam non remittantur. Nec insuper tractamus, nisi de gratia justificationis, quoquomodo sanctificatio impii constituatur. Quapropter DD. ii, qui distinguunt in gratia, & conceptum qualitatis, & rationem gratiæ, non habent pro impossibili compatibilitate gratiæ inesse qualitatis cū peccato

to mortali, etsi alias repugnaret inesse gratiæ: admodum quo etiam asserunt, augeri posse inesse gratiæ, quin augeretur inesse qualitatis.

223. Alii verò, qui docent & tenent, gratiam justificationis constitui per sua physica prædicata, ut per divinam legem, ad hunc effectum justificandi ordinatur, non remittunt concedere possibilem præfatam coexistentiam peccati, scilicet, & gratiæ inesse tamen physico considerata, & non sub ea consideratione, qua nostra formalis justificatio est; nam sub hac dicit non solum sua prædicata essentialia, sed ulterius addit divinum statutum, per quod constituit impium amicum, acceptabilem, ac Filium Dei. Devolvitur tota difficultas præfata ad hunc modum discurrendi. Et ut omnia, quæ hic agitari solent, comprehendamus, non solum resolvendum erit de peccato habituali, verum & de ipso actu peccatoris; videlicet, an quando homo actu peccat, in illo instanti peccandi coexistere possit cum gratia? Juxta modum supra stabilitum, salva in hoc definitione Gregorii XIII. declarantis incoexistentiam charitatis cum peccato.

224. Hic modus discurrendi aliquibus visus est inutilis, & quasi nullius momenti, cum certum, & indubitabile sit, gratiam justificationis intransitive ad aliud dicere remissionem exercitam peccatorum; sed cum remissione peccati apud omnes, & ex se patet, in terminis ipsi implicat coexistentiam peccati: Igitur nulli dubium esse poterit, aut in mentem venire, an possit peccatum simul existere cum ista gratia, quæ essentialiter peccatum remittit, delet, & eradicat. Unde tota iis devolvenda asserunt ad gratiam habitualem his terminis conclusam, & quatenus præcindit à placitis hinc inde sententibus; sicque, qui in gratia separabilem, censent conceptum qualitatis à ratione gratiæ, possent sub uno, & non sub alio, asserere præfatam cum peccato simul existentiam; sicut ii, qui physica ejusdem prædicata cum morali ordinatione non confundunt, id ipsum sentire valerent.

225. Nos autem alia via incedendum

judicamus, & supposita hypothese possibili, quod à gratia separari possit formalitas habitualis principii physici operum supernaturalium à formalitate justitiæ, sanctitatis, & acceptabilitatis, nihil, aut parum dissidii in proposito quæsito remaneret; cum ab ea similiter separabilis esset peccatorum remissio, & unde oriretur repugnantia coexistentiæ cum peccato, non apareret, & de hoc non pauca dedimus q. 4. hujus tractatus: Solumque cum iis DD. disputamus, qui gratiæ tribuerent secundum sua prædicata, & ex sua natura, non solum conceptum præfatæ radicis, verum & hominem impium, sanctum, Dei amicum, acceptabilem, & heredem gloriæ constituere, quibus connaturaliter adjungitur vis remissiva suorum peccatorum: An videlicet, cum gratia ita constituta sit peccatum mortale in facto esse compatibile? Inter quos,

226. Prima sententia tenet, Gratiam hujusmodi, etsi non connaturaliter, tamen de potentia Dei absoluta coexistere posse cum peccato mortali. Hanc diffuse illustravit D. Suarez lib. 7. de sanctificat. per varia cap. ut 2. 18. 19. 20. pro se citans D. subt. in 4. Nominal. & alios, tum Thomistas, tum neutrales. Artamen apud hos A. A. non ita accipitur gratia sanctitatis, & justificationis, stricta acceptione ut sub isto munere, & ratione comparatur cum peccato, de quo postea. Secunda sententia habet pro impossibili coexistentiam hujus gratiæ cum peccato, & maximè quatenus à Deo ordinata est ad impii justificationem. Hanc sequuntur recentiores Thomistæ; Vazquez, & plures alii; etsi inter hos DD. sit alia, & alia ratio sentiendi circa gratiæ justificantis constitutum. Pro utroque modo dicendi citatur D. Thom. & in 1. 2. & 2. 2. ac de verit. q. 27. & 28. D. R. expressissimus est, & cum eo sit

227. Conclusio: Cum peccato mortali actuali, & in facto esse, sicut & habituali per nullam Dei potentiam coexistere potest Dei gratia justificans: sic A. A. secundæ sententiæ, etsi quilibet sua via incedat. Primòque probatur per communem rationem implicantiam, & repugnantiam horum terminorum justitiam, scilicet, & peccatoris simul, amici, & inimici, &c.

&c. quæ ad ultimum devenire deberet adesse simul, & non esse, quod impossibile est; sed impossibile à Deo fieri nequit, immò ideo impossibile est, quia Deus illud facere non potest: Ergo nec hanc coexistentiam peccati, & sanctitatis superare. Major probatur per doctrinam R. in 3. dist. 3. q. 2. sic enim art. 1. *illa contraria, quæ simul possunt inesse eidem, sunt contraria habentia medium, non autem contraria extrema in actu perfectò: :: scilicet gratia, & culpa non habent medium, &c.* Igitur sunt extrema habentia repugnantiam, ut simul coexistere possint: velut R. ibi: Igitur sunt extrema, *quæ nullomodo in sunt videm, neque in transitu, neque in mora:* Ergo sic actuale peccatum, sicut & habituale implicat eidem coexistere subiecto.

228. Secundò probatur conclusio per R. ibi art. 4. & 5. ubi probat, non solum quod connaturaliter non possit coexistere per instans, neque in tempore peccatum originale cum Dei gratia, sed nec adhuc de posse Dei absoluto; ita enim orditur argumentum: *Deus non potest illud, quod includit contradictionem; sed quod aliqua forma de natura permanentium; & eadem ratione, quod aliqua privatio de natura permanentium, cujusmodi est originale, sit producta inesse: :: includit contradictionem:* Ergo ita eadem contradictio, & implicatio eperitur respectu peccatorum personarum. Patet: Nam sicut originale in sensu R. est privatio, vel extremum privativum gratiæ, sic erit & personale: Ergo sicut implicat existentia originalis cum gratia, ita & actualis. Constat antecellens per communes doctrinas: Siquidem peccatum originale est vera Dei offensa, injuria, & ab eo averfio, & per unum anima deformata est, sicut personale habet: Ergo quoad constitui per esse privativum, in idem conveniunt: Igitur & eadem erit implicatio simul existendi cum gratia, sive in instanti, sive in mora.

229. Tertio probatur conclusio per liam rationem, quæ deducitur ex eodem R. ibi: Sic se habet gratia ad peccatum, & peccati ad gratiam, sicut albedo d ejus carentiam, & privationem, & e contra; sed impossibile, & contradictorium est album, & non album simul exi-

stere: Ergo & gratiam cum peccato. Major, in qua est tota difficultas, probatur, primò: per sacras litteras, & PP. sententias, ubi passim legimus peccatum tenebris, & gratiam luci assimilari; sed lux, & tenebræ se habent sicut album, & non album, aut tanquam forma, & privatio, esse & non esse: Ergo ita est gratia ad peccatum. Major est Paul. ad Eph. 5. & 2. ad Cor. 6. & Joan. 1. expresse: Minor etiam liquet, & à contrariis non negatur.

230. Sed respondent: Quod similitudo ea non est ad omnes concordantias, sed ad aliquas, & isto habito fundamento dicendum, quod gratia, & peccatum solum dicerent cum luce, & tenebris quamdam analogiam non propriè talem, aut æqualitatem, & ex hoc desumitur in textibus proportionalitas inter ea: Sicut enim lux illuminat, splendet, & lucet, sic gratia in anima, & à contrario per tenebras effectus isti evanescunt, & pereunt; ad hunc modum: Anima per Gratiam eminenti quodam, & spiritali, ac supernaturali modo splendet, sicut stellæ in perpetuas æternitates; & hoc totum corrumpitur per peccatum, quod animam veluti obscurat, denigrat, & ut carbonem ad ignem paratum constituit, & hoc per tenebras maximè declaratur; quin leciat inferre, quod in suis respectivè quidditatibus æqua ratione se habeant.

231. Solutio optima est, cæterum parum urget, sicut & argumentum, cum ratio ex utraque parte ex textibus de prompta nequeat esse cogens; ideoque breviter instatur: Similitudo lucis, & tenebrarum ad gratiam & peccatum non accipitur in locis allegatis pænes eorum entitates, sed solum propter oppositionem, quæ inter se dicunt, sed ea, quæ lucis ad tenebras est purè privativa: Ergo sic est gratiæ ad peccatum. Major constat ex ipsis verbis: *Et quæ societas lucis ad tenebras; vel: eratis aliquando tenebra, nunc autem lux, &c.* hac enim denotant oppositionem privativam; præterquam quod ex eorum natura, & communi acceptione lux, & tenebræ sic opponuntur: Igitur quamvis in aliis solum analogentur, in ratione oppositionis suam dicunt univocationem.

232. Quarto probatur conclusio alia

ratione, & est communis apud AA. ita sentientes: Gratia sanctificans ut talis est, impium constituit iustum, sanctum, Deo acceptum, ipsius amicum, filium, & heredem, & ista sic in unum conveniunt in gratia justificationis, ut sint illius effectus formales, & inter se inseparabiles, cum quibus necessario conjungitur remissio omnium peccatorum; à contrario peccatum est Dei offensa, injuria, & ab eo totalis aversio, hominemque facit Deo ipso ex osum, injurium, odibilem illi, & aeterna pœna dignum; sed in eodem videtur repugnans, & implicatorium, quod simul sit Deo charus, & dilectus, filius, & amicus, & pro eodem instanti, & tempore, offensus, & odibilis, ac destinatus pro ea differentia temporis ad aeternam pœnam: Ergo implicatoria est hæc simul existentia gratiæ cum peccato. In hoc syllogismo sistit tota vis præsentis resolutionis, & majorem efficaciam habere videtur ex veritate præmissarum; nam major est definitio gratiæ, & peccati. Minor etiam patet: Nam sunt extrema contradictoria, vel ad minus contraria, quæ medium non patiuntur; & eadem gaudent incompatibilitate, ac si contradictoria sint: Nullus enim potest esse simul amicus, & inimicus stricta tamen amicitia, & inamicitia majori: Si autem est dare medium in ordine gratiæ, & elevationis naturæ rationalis, non invenio.

233. Huic rationi, in qua sistit totum fundamentum assertionis, respondent DD. contrarii: Omnes effectus recensitos esse formales in gratia justificationis, ipsique convenire ex natura rei, aliter tamen, & aliter, & juxta eorum ordinem, & primitatem; nam alii de ipsa dicuntur primario, & essentialiter, & hi semel quod gratia sit, animam informans, non possunt non præstari, & communicari; alii verò solum secundario, & connaturaliter ab eadem oriuntur, & qui tales sunt, possunt per absolutam Dei potentiam adhuc quod homo esset in gratia, iisdem non gaudere: Sic impium fieri Deo charum, dilectum, filium, & heredem sunt effectus connaturales gratiæ, & veluti secundarii; & in casu possibili, quod Deus, ut potest, & non tenetur, eam infunderet absque pec-

cati remissione, impius esset in gratia constitutus sine talibus effectibus acceptabilitatis scilicet, & amicitia, quatenus impeditus esset ratione peccati non remissi, & præoccupatus ejusdem peccati existentia. Nihil est tam commune, quam quod effectus formales secundarii, & pure connaturales, sunt de absoluta Dei potentia à forma separabiles pro actu essendi, et si in ipsa permaneant, quoad exigentiam, ut ablatò impedimento, quodcumque sit, similiter præstentur.

234. In hac solutione comprehenditur, credo, summam totius doctrinæ oppositæ, & pro majori intelligentia probari debet assumptum; effectus primarius alicujus formæ, & qui essentialis sit, est primò conceptibilis secundum genus suum, & propriam differentiam; sed in gratia per prius ad effectus sanctitatis, & justitiæ ad est alia ratio prior, nimirum esse pretiosam Dei margaritam, & consortem sui, ac participationem suæ naturæ, ad quod sequitur veluti connaturaliter, & ex propria natura hominem iustum, Dei amicum, & heredem sui constituere: Igitur ille erit primarius, & essentialis, illi verò secundarii, connaturales, & per absolutam Dei potentiam separabiles. Unde in hypothesi, quod Deus sua hac virtute uteretur, gratiam infundendo alicui impio, & esset ipsius Dei consors, & divinæ naturæ particeps, non verò Amicus, Dilectus, & filius, sed offensus, injuriosus, & ex osus: Ergo simul existeret in eo casu & gratia, & peccatum.

235. Bene: Igitur sic, vel sic impius simul erit, in præfata hypothesi, sanctus, & peccator, justus, & injustus, mundus, & immundus, gratus, & ingratus; atqui istæ contradictiones videntur: Ergo non vitatur implicatorium per solutionem datam. Probatum antecedens: gratia, præcisè, quia participatio divinæ naturæ, est sanctitas, puritas, & mundities: Ergo si coexistat impio, in sua impietate perseverans, illæ repugnantia similiter verificarentur. Respondent: Quod in eo casu homo ille esset in gratia sanctitatis, cæterum, nec esset sanctus, nec mundus, nec justus, aut gratus, quia his denominationibus obstaret peccatum, quod cum sit de linea mali, totum hominem illum

illum impium, & Deo odibilem constitueret, cui non repugnaret, quod simul posset Deum diligere, credere, & in ipso sperare: Fundatur doctrina in proloquio eo: Malum ex quocumque defectu: Ut autem esset, & dicatur sanctus, requiritur, quod totus sanctus esset, & secundum omnes suas formalitates, quia est de specie boni, quod ex integra causa habetur.

236. Ulterius, contra datas doctrinas insurgimus, & antea notatur: Ex illis sequi videtur; quod in eundem sensum conspirant, & sententiam quoad hoc, quod est separare à gratia conceptum radicis supernaturalis ab aliis formalitatibus, nimirum acceptabilitatis, & justificationis, sicut & nos cum aliis DD. tenemus, salva tamen differentia, in eo quod pro hac parte asseritur prædictos effectus gratiæ competere ex Dei ordinatione, illi vero connaturaliter, & quasi secundario asserant convenire; sed parum interest prædicta differentia ad interitum coexistendi gratiam cum peccato, præscindendo ab eo, quod illi convenit secundario, vel separabiliter: Ergo si iisdem principiis stare velimus, id ipsum asserere tenemus. Ast quia de gratia ista procedimus, ut justitia nostra est, & ut detur locus quæstioni; præterea acquiescere non possumus illò modo discurrendi de gratia, semel quod conceptus illi, qui ad justitiam faciunt, gratiæ conveniant ex natura rei.

237. Ideo sic instantur eadem doctrina: Id convenit gratiæ primario, essentialiter, & inseparabiliter, quod de ipsa dicitur, in quantum est formalis participatio physica divinæ naturæ; sed constituere impium sanctum, objectum resultativum congruum dilectionis Dei, & cum jure ad gloriam gratiæ convenit, quia talis formalis participatio est: Ergo ipsi conveniunt primario, & essentialiter supra dictæ formalitates, quæ quidem essentialiter repugnant cum peccato coexistere. Major debet esse certa apud DD. contrarios. Minor vero probatur: Natura divina ex se, & primario est objectum congruum suæ dilectionis, ipsa que primò & per se est Dei sanctitas, & summa puritas, ita quod non sit per prius concepti-

Tom. IV.

bile prædicatum aliud, quo Deus sit, & constitutur sanctus, & suæ dilectionis primarium objectum; sed istud gratia habitualis participare debet primario, & essentialiter: Igitur si ita est, gratiæ conveniunt eæ formalitates inseparabiliter.

238. Aliter instatur doctrina contrariorum: Adhuc quod amicitia, Dei hereditas, & filiatio sint effectus formales secundarii gratiæ, ipsi convenire debent inseparabiliter, non quia secundarii sint, & formales effectus, sed propter connexionem, quam habere debent cum natura gratiæ habitualis: Ergo non tenet solutio, aut ratio. Antecedens probatur: Natura hujus gratiæ petit à Deo specialiter diligi; sicut per eam homines constituuntur dilectores Dei juxta litteram sacra: Parab. 8. *Ego diligentes me, diliget*; sed cum ista passiva dilectione impii inseparabiliter connectitur amicitia Dei, & ejus filiatio: Ergo. Pater assumptum: Nam Deus sub nulla ratione gratiam infunderet impio, quin eum speciali amore diligeret, & connexivè ab eo diligeretur; & quid aliud est; amicitia, acceptatio, Dei filiatio? Ergo dicuntur veluti ad convergentiam.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

239. **P**rimò arguitur: Nulla est oppositio peccati cum gratia: Ergo non est, unde implicet eorum simul existentia. Antecedens probatur: Non contraria, nec contradictoria: Ergo nulla est exiis; quæ possunt reperiri inter gratiam, & peccatum. Antecedens probatur; & primò loquendo de peccato actuali: Peccatum actuale non consistit in privatione gratiæ, sed in quadam inordinata actione, aut omissione: Ergo non sunt privativè, & contradictoriè opposita. Probatum hæc consequentia: Hæc inordinata actio, vel omisio hominem constituit mundi, & sui ipsius dilectorem; gratia verò à Deo dilectum; sed hæc sunt vade disparata, & inter se dicere non possunt ordinem oppositionis: Ergo

Y,

nec

nec contrariam, nec contradictoriam. Assumptum convincitur per id quod saepe videmus inter homines, ut scilicet, quis sit alicujus amator, à quo nec diligatur, immò & odio habeatur: Ergo ad hunc modum discurrere liceret, quod esse mundi dilectorem, & à Deo amatum, nullum dicit essentialem ordinem oppositionis.

240. Antecedens illud, quoad id, quod continet de peccato habituali, probatur; & per prius ut certum relinquendum est, quod etsi apud DD. & PP. gratia, & peccatum contraria dicantur, saepe hæc est lata contrarietas, & quæ reduci deberet ad contradictoriam; nam gratia est de genere physico, & reali; peccatum verò habituale de linea privationis, vel ad summum, si aliquid habet de entitate, erit, propè nihil, morale, vel rationis, sed hoc non est sufficiens ad fundandam oppositionem contrariam cum gratia: Igitur de contradictoria solum erit difficultas, & in hunc modum convincitur: Ut peccatum contrariè opponatur gratiæ, deberet esse physica illius privatio, & in eo consistere, ut sic verificarentur termini illi, inter quos versatur ea oppositio; nimirum esse, & non esse in eodem, & secundum idem; sed stare potest hujusmodi physica privatio gratiæ sine eo, quod constitueret peccatum habituale: Ergo. Minor constat: Siquidem, si Deus hominem purum condidisset, & non elevatum ad esse supernum, esset physica gratia privatus; sed nec in peccato, aut inimicitia maneret constitutus: Ergo ista physica gratiæ privatione peccatum habituale non constituitur.

241. Ad solutionem scire convenit, in hoc puncto non disputari de stricta oppositione ex assignatis, sed solum de ea, quæ sufficeret ad incompatibilitatem talem, quæ inferat contradictorium à Deo insuperabile, & invincibile; sic amor, & odium, assensus, & dissensus sunt tali modo inconjunctibilia, etsi inter ea non sit assignabilis genus illius oppositionis strictæ, quæ à Philosophis exprimitur; & eomodo discurrerent de homine actu peccante, cui per nullam potentiam Deus gratiam infunderet, propter eandem oppositionem ibidem resultantem; unde licet hic, aut

alibi non verificetur formaliter, & immediate genus propriæ oppositionis, dummodo deveniatur ad illud primum contradictorium. scilicet esse, & non esse, reperitur ea sufficiens oppositio, quam Deus per nullam potentiam superare valeret.

242. Respondetur nunc ad argumentum; negando antecedens, & ad ejus probationem potest distingui antecedens: Non contraria; aut contradictoria, strictè acceptis, omitto; ea oppositione contraria, aut contradictoria, vel mediata, vel immediata, quæcumque sit, & sufficiat ad incompatibilitatem; nego antecedens. Nec dicas, quod hic petimus principium, vel circulum in solutione, cum quæramus pro incompatibilitate gratiæ cum peccato, & dicamus, quod ideo non possunt simul coexistere, quia gaudent oppositione quadam, quæ fundat oppositionem inconjunctibilitatis; sed hoc est idem per idem probare, reddere conclusionem pro ratione, aut inducere vitiosum circulum: Ergo alia debet esse argumenti solutio.

243. Non enim simili de effectu implicatur solutio: Nam ex oppositione saltem mediata, quæ inter peccatum, & gratiam reperimus, & quæ talis est conditionis, ut ex ea posita in re, sequatur esse, & non esse, inferimus eam incompatibilitatem, & inconjunctibilitatem, quæ à Deo vinci non possit, ut simul existat cum peccato gratia: Tota ratio sumitur non ex oppositione gratiæ cum peccato, hæc enim apud omnes est nota, sed ex natura oppositionis, cumque hæc non supponatur, sed probetur per probabilissima fundamenta, nec petitur principium, nec datur locus vitioso circulo, nec idem per idem probatur; & istud sequentibus solutionibus declarabimus.

244. Consequenterque ad distinctionem datam loquendo, dicimus ad primam probationem de peccato actuali, quod equidem consistit in illa actuali dissonantia, & deformitate, quod certè secum affert essentialiter, & ex suppositione elevationis naturæ humanæ ad ordinem gratiæ, hujus privationem, & quoad hoc in idem conveniunt peccatum actuale, & habituale, unicèque differunt

pa-

panes respectum ad actum peccaminosum; nam privatio gratiæ impii dum actu peccat, dicit ordinem ad peccatum præsens, ea verò privatio habitualis eundem respectum connotat, & ad ideam peccatum, cæterum ut præteritum, & nondum retractatum: Ecce vides quomodo in ratione privationis gratiæ in idem conspirant actuale, & habituale peccatum; cumque incompatibilitas peccati, & gratiæ ortum habeat ab ista privatione; siquidem ex ea sequeretur illud esse, & non esse in gratia, esse, & non esse peccatorem, & hoc vitare intendamus, ideo id ipsum, quod de habituali, de actuali peccato tenere debemus.

245. Ad secundam probationem illius antecedentis, in qua de peccato habituali agebatur, respondetur: Physicam privationem gratiæ utique non constituere peccatum habituale, cum ulterius requirat veluti conditionem, aut alio quovis modo respectum, seu ordinem ad actum peccaminosum præteritum, necdum retractatum, & relatio, cum sit de linea moralis, optimè quadrat gratiæ justificationis quæ secum affert quandam moralitatem, desumptam tamen ex divina lege, qua ordinavit eam, ut impium constitueret Dei amicum, & acceptabilem; ex quibus sufficiens consideramus fundamentum, ut inter hoc peccatum habituale, & gratiam justificationis verificemus formam, & privationem, esse & non esse, & secundum idem, & simul primariam rationem incompatibilitatis eorum. Ad ultimum deveniendo, non est argumentum illius assumptæ privationis gratiæ in homine non elevato, nam ea non esset privatio, sed veluti negatio; siquidem homo in illo statu non esset illius proximè capax, sed tantum remotè, ideoque de illo casu nostrum non est paritas.

246. Secundò arguitur: Potest in homine justo quando actu peccat, conservari à Deo justitia: Ergo non implicat coexistentia ista. Antecedens probatur: Potest Deus in eo casu non suspendere concursum suum circa gratiæ conservationem; sed tunc permaneret cum peccato: Ergo istud potest Deus facere. Minor probatur, primò: quia Deus non tenetur in casu peccati ad hujusmodi gra-

Tom. II.

tia destructionem concursum præstandum: Ergo potest. Antecedens probatur: Gratia ex sua quidditate nec petit conservari ad destructionem peccati, nec peccatum destrui ad infusionem gratiæ: Ergo Deus non tenetur in casu peccati, non suspendere suum concursum conservativum gratiæ. Constat antecedens, tum ex nostris doctrinis, tum ex constitutivis utriusque.

247. Secundò probatur illa minor: per adventum gratiæ impio existenti in peccato; in hoc ergo Deus non tenetur ad peccati destructionem, remissionem, seu condonationem: Ergo neque in opposito eventu tenetur suspendere concursum circa gratiæ conservationem: Probatur antecedens: Aliud, & aliud est gratiæ infusio, & peccati remissio; illud enim dicit divinam acceptationem, & amicitiam; istud constituit Deum non offensum, & peccatum, pænæque condignitatem condonatum fecit; sed semel gratia impio infusa, Deus solum teneretur ad acceptandum illum ad gloriam, quin adhuc maneret peccatus, & inoffensus, nec injuria condonata: Ergo Deus non tenetur ad remissionem peccati, quamvis impio gratiam infundat. Minor probatur: Utrumque oritur à libera Dei munificencia, & misericordia: Ergo non tenetur adhuc ab amico, & jam acceptato, non exigere satisfactionem pro offensis sibi illatis, & quasi insoluto debito, non remittere pænas, ipsum in statu peccati relinquendo.

248. Tertiò potest in hunc modum probari principalis minor: De facto Deus conservat in homine justo, quando peccat, fidem, & spem, dummodo non sit ejus peccatum his virtutibus immediate oppositum, ut puta, infidelitatis, aut desperationis: Ergo loquendo de posse absoluto, posset in eodem etiam gratiam conservare. Antecedens est de fide, & consequentia probatur: Fides, & spes, etsi Dona gratiæ, hominique communicantur, & infunduntur, ut ipsius gratiæ sequela; ideo, quia peccato ut cumque commisso non opponuntur ex sua natura, sed solum infidelitatis, & desperationis, & hoc ex divina lege, cum eisdem donis conservatur peccatum in homine

Y 2

im,

impio; sed sic ex divina lege, & statuto gratia peccato opponitur, & non ex sua natura: Ergo etiam non de facto, quia hoc statutum violari nequit, poterunt per absolutam Dei potentiam coexistere.

249. Respondetur ad argumentum, negando antecedens, & ad ejus probationem, negatur minor, & ad hujus primam probationem negatur antecedens, & in sua probatione distinguitur antecedens: Gratia ut habitualis forma est, & attentis suis physicis prædicatis, nec petit destrui, &c. concedo; Gratia sub munere formæ justificantis, nego antecedens. Loquebamur de gratia ista, ut justitia nostra est, & de hac apud nostros est locus questionis; nam de ea secundum sua physica prædicata considerata non habemus specialem difficultatem; in ista enim acceptatione nec pugnat eum peccato, nec hominem Dei amicum constituit: Sub alia vero, & quatenus justificativa est, procedimus, & loquuntur DD. contra quos agimus, & sub ista dicimus, Deum teneri ad ejus corruptionem, vel ad non conservationem illius, semel quod homo justus peccet; nam homo talis apponit per peccatum odium, inimicitiam, & offensionem Dei; sed ex ipsa rerum natura, hæc opponuntur gratiæ, eaque privant, quia est amicitia Dei, ejusque acceptatio, & filiationem: Igitur Deus non potest suum concursum suspendere, istam gratiam conservando, semel quod justus peccaret. Ad modum quo, quia æqualem dicunt oppositionem amor, & odium, assensus, & dissensus, si quis dissentiat, & odio habeat objectum aliquod, Deus nec potest conservare assensum de eodem, nec amorem illius objecti.

250. Ad secundam minoris probationem satis supra q. præcedenti, præterea nunc respondetur, negando antecedens, & ad ejus probationem negatur similiter major, loquendo nempe de Gratia ea justificationis, de qua procedimus, & maxime si alietas infusionis ipsius à remissione peccatorum adæquatè, & separabiliter sumatur: In hoc enim sensu in idem conveniunt infusio talis gratiæ, & remissio peccatorum, servato tamen ordine naturæ prioris, & posterioris, qui ad inseparabilitatem non obstat: Impius

enim non potest transferri ad statum filiorum, & amicorum Dei, permanente in eo non solum condignitate ad penam æternam, verum ipsa eadem impietate, & malitia, cujus ratione constituebatur Deo exosus, & ingratus; si namque Deus illius peccatum non remitteret, impius, inimicus adhuc mansisset, & etiam amicus, & gratus ratione gratiæ infusæ.

251. Sed contra urgent contrarii, & solvunt fundamentum nostrum: Per gratiæ infusionem præcisè, & nondum peccato impii remisso, non constitueretur Deo acceptus, & gratus: Ergo ruit totum fundamentum contrarium, & gratia cum peccato posset simul existere. Antecedens probatur: Ut impius constituitur gratus ratione gratiæ sibi infusæ, requiritur, quod illi non ponat objicem, nec impedimentum divinæ acceptabilitatis; sed si ipsi nondum esset peccatum remissum, idem peccatum esset obex, & impedimentum gratiæ, ut omnes suos effectus formales præstaret: Igitur non præcisè ratione gratiæ infusæ impius constituitur Deo acceptus, & gratus, sed ulterius desideratur ex parte impii totius peccati exclusio. Major patet in pluribus exemplaribus formarum, quæ non præstant omnes suos effectus formales in subjecti informatione, quia in eo reperiunt objicem, & impedimentum, sufficit tamen alicujus principalis exhibitio: & in nostro casu: Si gratiæ infusio homini impio communicata esset peccato nondum remisso, aliis non præstitis, illo habito objice peccati, adhuc præstaret illi esse divinæ naturæ participem tanquam effectum gratiæ primarium.

252. Hæc est totius doctrinæ contrariæ summa, ad quam sufficienter supra, insuperque iterum dicendum expedit, quod laborat equivocatione circa bifariam acceptationem gratiæ: Gratia etenim ut præcisè forma physica supernaturalis est, solum ex sua natura hominem constituit divinæ naturæ participem, & per Dei absolutam potentiam posset cum peccato existere; ipsa vero gratia, ut justitia nostra est, præterea dicit, & principaliter, amicitiam, filiationem Dei, ipsiusque acceptabilitatem, unde semel quod

quod alicui in peccato existenti infundatur essentialiter purgat totius peccati malitiam, immò si non expelleret peccatum, nec posset communicari peccatori: Et est ratio Philosophorum: Ea forma, quæ suo effectus principales, & essentielles non potest subjecto capaci communicare propter objicem, & impedimentum aliquod, nequit in illo recipi, aut illud informare: siquidem ex opposito sequeretur, quod informaret, & non; informaret, ut supponitur; non, quia effectus essentielles non præstaret, & hoc est informare: Concludimus quod à gratia justificationis, ut talis, est amicitia Dei, justitia, & sanctitas perfecta impræcindibilis, & inseparabilis.

253. Ad tertiam probationem concedimus coexistentiam fidei, & spei cum peccato; tum quia Deus sic revelavit esse; tum etiam, quia non pugnat nisi cum ibi assertis peccatis, cum quibus nec gratia opponitur ex natura sua, sed ex eodem divino statuto; unde si Deus vellet hoc statutum suspendere, posset utique cum peccato simul existere; cæterum in isto casu desineret esse gratia justificationis, de qua tractamus, & quæ est hujus questionis scopus; quæ quidem constituitur inesse talis per hanc Dei ordinationem, & ea stante; stat nostra justitia, oppositio, & incompatibilitas cum peccato mortali: Liqueat notabilis differentia fidei, & spei comparatæ ad gratiam, ut justitia nostra est. Unico Verbo: Gratia ex natura sua accidentaliter advenit oppositio cum peccato; ipsi vero ut ordinatæ, & ut præterea justitia nostra est, essentialiter. Parieti advenit accidentaliter visum disgregare, cæterum ut albus est, essentialiter.

254. Tertio arguitur: Repugnantia gratiæ cum peccato non est tanta, ac talis, quæ à Deo vinci, & superari nequeat: Ergo Deus sua utens absoluta potentia posset gratiam infundere cum peccato coexistentem. Antecedens probatur: Non est repugnantia contradictionis, ex qua sequatur esse, & non esse: Ergo non est à Deo insuperabilis. Antecedens probatur: Potest Deus per istam absolutam potentiam peccatum condonare sine gratia infusæ per ex-

trinsecam solum remissionem; sed hoc non posset, si talis esset contradictio peccati, & gratiæ: Ergo non est talis contradictio inter peccatum, & gratiam. Major est nostra, & minor probatur: Ubi est talis stricta contradictio, privatio non tollitur nisi per formam oppositam; sed hic non est ita: Igitur nec est talis contradictio.

255. Argumentum solvitur q. sequenti per totam, sufficiat nunc dicere, quod inter gratiam, & peccatum est contradictio vera, & rigorosa, ut quæ est inter esse, & non esse, formam, & ejus privationem; certum est, quod per nullam potentiam potest tolli privatio, nisi per formam oppositam; & in casu argumenti, & quod Deus peccatum extrinsecus condonaret, simul impium justificaret extrinsecè tamen, ut potest, per gratiam acceptationis divinæ, supplendo per suam omnipotentiam ita applicatam vicem gratiæ creatæ infusæ; semperque verificaretur peccatum per gratiam remitti, & condonari; nam Gratia Dei, & justificatio est illa extrinseca acceptatio impii ad suam amicitiam, filiationem, & hæreditatem: Ecce quomodo numquam peccatum remittitur, quin impius justificetur, sicut nec impius quomodolibet justificari potest sine peccati remissione.



QUÆSTIO IX.

Utrum Deus possit sine intrinseca infusione Gratia extrinsecus peccata dimittere, & condonare?

256. **H**ucusque non pauca dedimus in decursu hujus operis, quæ ad enodationem hujus gravissimæ difficultatis facere possunt, & infra tractatu sequenti, Deo dante, daturi sumus: Immo q. 5. hujus sufficienter declaratur, quamnam debeat esse circa hoc sententia nostra? Si enim posset Deus per aliam providentiam impium justum, acceptum, & amicum facere per suam voluntatem omnipotentem eidem applicatam, quanto magis per idem facere posset, quod eidem impio peccata remittantur? At tamen de isto specialiter inquirimus, & quia hoc frequens est apud AA. antiquos, & recentiores, & quia fortassis ibi aliqua sint prætermissa, quæ hic in medium adducta, majorem facerent probabilitatem nostri sensus, & placiti.

257. Et pro majori claritate supponimus, vel potius hic supersedemus ab aliquorum DD. sententia, de quibus & nos supra, qui remissionem peccatorum per circumcisionem adeptam à donis infusis separari asserbant, immò & de Baptismo parvulis exhibito idem ipsum autumabant; utrumque enim hodie præne præscriptum ab Ecclesia habemus. Nec præterea loquimur de homine illo peccatore, quem Deus in pura natura condidisset, & non elevatum ad ordinem gratiæ; non quia sit extra materiam, de qua dubitamus, sed quia non minori difficultate implicatur, nãm videlicet, impius in tali statu constitutus, esset non modo privatus reſtitutione naturali, verum, & gratia supernæ justificationis; & quia

ejus solutio petit specialem circumspectionem, propterea modus remissionis hujus peccati suo loco tractabitur. Unde quæstionem circumscribitur ad impium, ut nunc est stabilitus in ordine superno gratiæ, & de quo nullus dubitat, quod peccatum ejus dicat sic, vel sic privationem gratiæ, & sanctitatis supernæ

258. DD. Thomista recentiores communiter tenent, remissionem peccati per extrinsecam condonationem habendam, ita impossibilem esse, sicut effectus talis impii justificationis per extrinsecam justitiam, sequuntur in hoc non improbabilius D. Thom. & aliquos ejus discipulos ex antiquis commentatoribus. Ut Cajet. hic, & alii de quibus Vazq. disp. 205 à contratio Thomista alii tenent eodem Angelico Mag. partem affirmativam, ut puta Suarez, Victor. & non pauci ex antiquioribus similiter Thomistis. D. Subr. hunc modum dicendi tueretur variis in locis, de quo Mast. disp. 7. q. 3. Adhæremus cum R. D. de quo infra, huic modo sentiendi affirmativæ de divina omnipotentia, & de ejus virtute infinita remissiva peccatorum; & sit.

259. Conclusio: Potest Deus remittere peccata impii absque intrinseca gratiæ infusione, & per solum extrinsecam condonationem. Est R. etiam non his terminis concessa, deducta tamen necessario ex aliis ipsius expressis doctrinis, quæ suo ordine dabuntur, primoque probatur ab aliquibus. Posset Deus hominem impium transferre de statu elevationis ad statum purè naturæ; sed ei remitteret peccatum, si vellet, & sine infusione gratiæ, sed aliunde, & per extrinsecam conditionem: Ergo hoc non est ei impossibile. Pater antecedens: Siquidem in illo ordine naturæ, non esset gratia, per cujus infusionem peccata remittantur. Probatio displicet, quia nititur medio non minus arduo, & incerto, & de quo est eadem ratio dubitandi; tum; quia peccatum in quocumque statu perpetratur, secum affert, & non improbabilius, gratiæ privationem, quæ sanari non posset nisi per ejusdem gratiæ infusionem. Tum etiam; quia semel peccato commissio in ordine gratiæ, non posset remitti nisi in illo eodem ordine, in quo impius peccavit,

vit, stabiliatur. Hæc est communis sensus contrariorum: Igitur assumpta probatio parum eos urgere posset.

260. Alii aliter probant per æquiparationem offensæ divinæ ad humanam, si namq; homo offensus peccatur offendenti, & ipsi injuriam remittit per solum extrinsecam voluntatem; cur Deus non ita faceret impio, & peccatore? Valeret ne plus voluntas humana in condonatione injuriarum, quam divina? Nullius roboris esse probationem censeo, & omisſis pro nunc aliis rationibus, ex ea, ut probat, inferri videtur; quod Deus de facto condonet, & remittat debita nostra sine gratiæ infusione, quod adhauc obsonum est: & sequela in hunc modum probatur: Non est minus efficax divina voluntas ad injurias remittendas, & condonandas, quam humana; atqui hæc de facto eas condonat, & remittit absque ulius formæ communicatione: Ergo sic erit de facto divina in suis injuriis remittendis.

261. Præterea probatur eadem conclusio apud aliquos per locum ab opposito: Deus ut Author gratiæ est, sicut libere infundere potest gratiam peccatori, & absque illius cooperatione, sic poterit ab homine justo gratiam auferre, & absque illius peccato: Ergo ab opposito poterit peccatum impio tollere, & remittere sine gratiæ infusione. Antecedens, ut sit verum, debet ita intelligi; ut homo ille, cui Deus auferret gratiam, transferatur ad statum puræ naturæ; & tunc non habemus probationem urgentem, ut immediate nunc dicebamus; vel aliter, Deus auferendo eidem gratiam infusam, loco ejus illud acceptaret ut amicum extrinsecus tamen; at hic est casus quæstionis, quæ probare debemus. Si denique homo justus, à quo Deus auferret gratiam, maneret illa privatus, ut justitia est, & sanctitas; sequeretur, quod fieret injustus, & inimicus Dei per illam gratiæ ablationem; Deusque esset suæ injuriæ Author; quia non esset, cui ea injustitia tribuatur, quod absurdissimum est; vel dicant, quomodo maneret talis homo in casu, quo ea gratia esset privatus? Nam medium non datur, nisi status purè naturæ, de quo dicebamus supra: igitur nec probatio convincit.

262. Nec denique probatio N. Lezan. hoc tract. 7. q. 6. disp. 7. cum aliis, quos citat, placet; tenet ergo, quod remissio ista peccatorum per extrinsecam condonationem habita; solum imperfectam amicitiam Dei ad peccatorem dicat, non verò hominis ad Deum; quia ad hanc requiritur conversio actualis, vel habitualis ad Deum ipsum; sed sine habitu; aut actu haberi non potest ejusmodi conversio: Ergo nec amicitia ea; quæ in tali conversione consistit. Non, in quam, hæc ratio ponderis est: Nam actus divinæ voluntatis, quæ ita eminentis est, ut suplere possit vices gratiæ infusæ ad depellendam injuriam Dei; & ad esse terminum divinæ amicitia; cur non erit ita eminentis, & virtuosus; ut suplere possit vicem habitus ipsius gratiæ, & charitatis; ut esse possit homo potens ad se convertendum habitualiter ad Deum? Vide me tom. 1. tract. 3. q. 6. tuncque per illammet divinam voluntatem omnipotentem esset homo impius perfecte justus, & perfecte sua injuria remissa, etiam non connaturaliter. His prætermisſis.

263. Probatur primò conclusio per doctrinas R. quas supra dedimus q. 5. hujus tract. & sunt illius ad litteram: Nulla habita forma intrinsece animæ impii infusa potest à Deo acceptari ut amicus, filius, & sui hæres; sed per hoc præcisè eidem essent sua remissa peccata: Ergo tunc erit talis remissio sine gratiæ infusione; & per extrinsecam condonationem. Major sufficienter relinquatur probata; & constat per ea; quæ q. 3. tract. hujus per tot. dedimus: Minor etiam liquet: Siquidem in præſenti dubio loquimur de remissione peccati secundum id, quod de peccatis sentimus, & quatenus connectuntur, & inseparabiles sunt infusio gratiæ, & peccatorum remissio; ideòque semel quod quis sanctificati, & justificari possit sine intrinseca hujus formæ communicatione, sed solum per extrinsecam acceptationem assumi valeat ad esse Dei amicum; & filium; necessario sequitur, quod etiam extrinsecus desinat esse inimicum, exosum, &c. & sua peccata remissa, & condonata maneat.

264. Secundò probatur conclusio R. in 1. dist. 17. q. 1. art. 4. in fine, quærit, qua-

quare cum Spiritus Sanctus extrinsecus assistens, sufficiat ad meritum, datur de facto charitas propter Clement. *Ad nostrum*, & respondet inter alia: *quia talis habitus ponitur propter excellentiam status, & ex privilegio, & ideo non oportet, quod de lege communi aliquid proportionale ponatur in omni statu.* Ex quibus formatur ratio: Gratia ponitur de facto tanquam forma requisita ad justificationem, & insuper ad remissionem peccatorum impii propter excellentiam status superni, & ex privilegio illius: Ergo non desideratur prædicta forma necessario, & essentialiter pro omni statu, & providentia, ita quod aliter esse non possit de posse Dei absoluto. Consequentia patet ex eodem R. ibi, & antecedens probatur ex doctrina, quæ ex illo deducitur: Prædicta forma solum desideratur, ut quid proportionale in illo, & pro illo statu: Ergo non necessario & essentialiter sed tantum ex privilegio.

265. Responderent contrarii: Quod imò, quia infusio hujus formæ supernæ est proportionale quoddam pro illo statu, desideratur pro omnibus functionibus illius status, ut puta, sanctificatio impii, & peccatorum remissio, & hoc necessario, & essentialiter, nam status supernaturalis essentialiter fit, & constituitur in proportionem ad functiones supernas: Ergo proportionalitas hujus modi habita per formam intrinsecam essentialiter est talis; unum quodque etenim per suam formam est perfectus in actu, & in sua essentia: Ergo forma, quæ istam proportionem præstaret, non ex privilegio, sed absolute, & pro omni statu desideratur, ut similem effectum præstaret: Igitur non convincit ratio ex R. contra Gratiam infusam per modum formæ inhærentis ad justificationem impii, & remissionem peccatorum essentialiter requisitam.

266. Sed contra instatur solutio; quatenus, non ut par est, procedit in R. intelligentia: Non enim docet, quod per eam formam proportionetur natura ad esse supernum, sed quod charitas de facto datur in illo ordine, ut proportionaliter, hoc est, congruenter ad eum statum nobilissimum natura operetur; sed hoc est privilegium, & non necessitas: Igitur non essentialiter desideratur, & necessario.

Assumptum probatur: Si charitas, idem est de Gratia, essentialiter, & pro omni statu, & providentia requiritur in natura, ut taliter supernaturaliter operetur, & non proportionabiliter, & ex privilegio; Dei virtus, & omnipotentia alligaretur eidem, Deusque ut Author supernaturalis obligatus esset, & necessitatus, ut aliter non posset nobiscum operari in isto ordine; & pro omni providentia non valeret hominem, sanctum, justum, sibi peccatum facere, quod videtur non quadrare latissimis terminis divinæ potentia: Ergo non ita est.

267. Denique probari potest conclusio per satis communem rationem, et si non sit R. Remissio peccati, & condonatio offensæ, si per possibile Dei injuria separabilis esset a privatione gratiæ, posset haberi ab homine impio per puram Dei voluntatem eam condonantem: Ergo non præcisè, quia offensæ Dei est, sed ulterius, quia secum connexive affert gratiæ privationem, nequit extrinsecus remitti, & condonari: Ergo ex genere suo ipsi non repugnat talis extrinseca remissio: Ergo etsi secum afferret talem privationem, posset Deus absolute hac uti condonatione extrinseca. Antecedens constat: si diligenter attendamus, quid est injuriarum remissio, & offensæ condonatio; hæc enim cum sint in persona offensæ, dependent unice ab ejus voluntate, quod offendens fiat offensori peccatus, & quod suum est, vel sui juris condonet eidem. Ultima vero consequentia probatur: Id, quod secum affert offensæ Dei connexive, posset à Deo vinci alia via, & medio, ad quod deveniendum est: Igitur. Patet per doctrinas sæpe datas ex R. D. ante.

cedens.



PRO:

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

268. **P**rimò arguitur: Necessario, & essentialiter requiritur forma aliquâ, vel ut habitus, sive tanquam actus ad remissionem peccati impii: Ergo per nullam potentiam potest Deus illud remittere per extrinsecam condonationem. Antecedens probatur: Impius dicitur, & est verè, propriè, ac intrinsece peccator, Deo inimicus, & exosus: Ergo, ut ipsi remittatur peccatum, essentialiter exigit fieri hoc per intrinsecam formam sibi inditam, aut infusam. Antecedens est certissimum, & contra eos Novatores tenentes, peccatum consistere in Dei imputatione solum. Consequentia verò probatur: Remissio peccati verè talis debet esse illius ablatio, & eradicatio, & non modo non imputatio, ut agebant iidem Novatores; sed ablatio talis, & quæ sit vel alicujus privationis, sive positiva formæ intrinsecæ, & verè insistentis in subiecto, fieri debet necessario per intrinsecam formam: Ergo sic deberet esse remissio peccati impii. Minor probatur: Ablatio hæc, & eradicatio peccati est vera mutatio intrinseca, & translatio de esse intrinsece peccatorem, ad esse intrinsece Deo peccatum; sed non esset verus, & intrinsecus transitus de uno in alium statum sine aliqua forma intrinseca de novo habita; nam aliquid novi habere debet, quod antea non habebat: Ergo hæc desideratur, & non sufficit sola Dei extrinseca voluntas condonans, & remittens peccatum.

269. Argumentum hoc est unum ex præcipuis fundamentis contrariorum, de quo non pauca dicebamus q. 5. hujus tract. denuo concedimus, & tenemus, peccatum impiorum esse verè, & propriè, & intrinsece juxta modum suæ constitutionis, & essentia in illis, & insuper nec negamus, quod ex natura sua sit Dei offensæ secum afferens condignitatem ad aeternam pœnam; quod equidem pro omni providentia est ab eodem im-

Tom. IV.

præscindibile: Immo in casu hujus possibili providentiæ, in quo asserimus, per extrinsecam Dei voluntatem remitti posse peccatum, ea ipsissima remissione, quoad substantiam, qua secundum potentiam ordinariam remitteretur, in illo eventu condonaretur; cui non obstat argumenti ratio; tota sistit in eo, quod si extrinsecus posset à Deo offensæ illa remitti, nec esset vera, & propria eradicatio peccati, sed ratiio quædam, nec peccator per eam transferretur de statu peccatoris ad statum filiorum, insuperque condignitas ad pœnam, quæ eidem intrinseca est, intrinsece adhuc remaneret; quatenus scilicet deficeret intrinseca forma infusa, cui necessario tribuerentur effectus hujusmodi, qui secum trahunt veram, & propriam mutationem in peccatore.

270. Sed per prius ad solutionem, instatur ratio ista contrariorum. Ideo apud eos hæc forma intrinseca desideratur ad remissionem peccatorum, quia remissio ea deberet esse propriè, & verè talis, translatioque de statu peccati ad ejus privationem, & denique mutatio de esse ad non esse peccatorem; sed adhuc non interveniente vera mutatione, ac novæ formæ communicatione, stare posset, & vera remissio peccati, translatioque de uno in alium statum: Igitur ratio contrariorum non cogit, aut præmit nos. Major est doctrina eorum, & minor probatur per varia exemplaria. Agens enim actione transeunte, verè transit de non esse ad esse agens absque mutatione, aut receptione alicujus formæ denuo habitæ; Zitaræus verè, & propriè zitarizat, & de non esse transit ad esse suæ operationis; & generaliter transcendit ratio ad omnia agentia applicativa, ut notavit R. hic: Ergo formalitas propriæ remissionis nec obstat rationi nostræ, nec inter necessitatem formæ infusæ; cum reliqua, quæ afferuntur in argumento ad eam requisita, non exigant strictam, & propriam mutationem.

271. Conformiterque ad instantiam, responderetur ad formam argumenti, negando in primis, quod ad remissionem peccati requiratur vera, & propria mutatio; tum quia hæc solum essentialiter

Z

exi-

exigitur in his transmutationibus, quæ faciunt ad essentiam rerum, & in quibus indispensabilis est forma intrinseca substantialis de novo informans; in accidentalibus quibusvis, & quæ non pertinent ad primam esse rei, & quatenus supplebiles sunt per eminentiorem formam, & actum, potest transmutatio qualis qualis invenire absque propria mutatione interveniente: Tum etiam; quia remissio peccati, quæ fiat modo excedenti providentiam ordinatam, debet modo superiori haberi, & non juxta rerum ordinem connaturalem: Ergo si ea, quæ connaturaliter habetur in impiis, quibus peccatum remittitur, sit per veram mutationem, alia superior, & eminens remissio, quæ in nostra hypothese fiat, non deberet terminis concisis strictæ mutationis ligari.

272. Nec præterea, ea remissio, quæ haberetur per illam Dei extrinsecam condonationem, diceretur non imputatio, aut rasio peccati, sed vera, & stricta remissio, & ejus penitus eradicatio; nam illa Dei voluntas condonativa esset eminentis contentivum cujusque formæ infusæ, illiusque vices supleret modo superiori, & eminentiori; atqui remissio habitæ regulariter per formam Deificam vere, & propriè est eradicatio peccati: Igitur illa, quæ in assumpta hypothese haberetur, talis esset. Patet in anima rationali, quæ effectus formales corporis, & sensibilis formæ præstat, ita propriè, & strictè, sicut si esset formaliter corporea, & sensitiva, & hoc nulla alia via nisi, quia eminenti quodammodo est corporea, sensitiva, &c. quanto magis infinita virtus divinæ voluntatis illos effectus, quæ sibi nec repugnant physicè, nec moraliter incongruunt suæ bonitati, & sapientiæ, præstare valeret?

273. Adhuc non acquiescunt, & sic instant: Hoc posset utique divina voluntas; ceterum non intrinsecè remittens offensam, & eam extinguens, sed merè extrinsecus condonans penam pro peccatis debitam: Ergo hoc solum præstaret in nostro casu, in quo non verificatur ea ipsissima remissio, quæ alias haberetur per infusam formam; sic probant assumptum ex anima rationali sumpto exem-

plo: Hac enim propriè præstat effectus corporis, & sensationis, etsi eminenti modo, per modum tamen veræ informationis intrinseca in ipso corpore, cujus actus est; sed ab opposito divina voluntas ita peccata condonans non se haberet intrinsecè præstans intrinsecos effectus remissionis eorum: Ergo solummodo concedi posset in ea extrinseca condonatione quædam penæ remissio, non verò intrinseca restitutio impii ad statum non peccatoris.

274. Sed nec istud convincit: Libenter enim permitimus, quod voluntas divina posset extrinsecus penam debitam pro peccatis penitus extinguere, quin gratiæ privationem non expellat, ac per consequens peccatorem non reducat ad statum amicitie, & filiationis Dei; hoc ergo posset, quia omnipotens, & quia non repugnat, per eandemmet voluntatem ipsi peccatori, non solum condonare penam, verum, & offensam remittere, in sui gratiam admittere, filiumque, & heredem constituere; tuncque illam gratiæ privationem, quæ secum trahebat intrinsecus peccatum, tolleretur extrinsecè per se ipsam, quæ ratione suæ omnipotentie eminentiori modo æquivaleret omnibus formis extrinsecis, & intrinsecis, iis exceptis, quæ ad primum esse rei pertinent: Concludimusque in hoc, quod voluntas divina extrinseca peccatori præstaret effectum intrinsecæ remissionis sui peccati, non formaliter, & connaturaliter, sed eminenter, & per potentiam extraordinariam: & in hoc apparet notabilis differentia inter animam rationalem, & divinam omnipotentiam: Illa enim non posset illos effectus præstare adhuc eminenter sine informatione, quia creata est, divinæ verò ab opposito repugnat informare, propter quod, & sine informatione valet ad eos effectus, & aliter esse non potest.

275. Secundò arguitur: Etsi gratis concedatur, quod per extrinsecam Dei voluntatem, & nulla alia forma creata interveniente, possint impio peccata aliquantulum, & imperfectè remitti, non tamen aliter hoc fieret per potentiam Dei

Dei absolutam: Ergo in hypothese nostra, remissio peccati deficeret à vera ipsius ratione, & secundum quid talis esset Antecedens probatur: Quia sine forma intrinseca non daretur amicitia inter Deum, & hominem, quæ quidem desideratur ad perfectam offensæ remissionem; sed sine forma intrinseca non est vera amicitia: Ergo neque peccati remissio. Major probatur: Amicitia perfecta est Dei ad hominem, & hominis ad Deum; sed homo ad Deum converti non potest sine actu, vel habitu, qui sunt veræ formæ: Ergo sine hac nec est vera amicitia, &c. Fundatur assumptum, in eo quod vera amicitia petit inter amicos mutuam amorem, & redamationem.

276. Hoc argumentum est ratio N. Lez. & in eo confundere videtur effectum perfectum cum connaturali, ita quod qui connaturalis non sit, nec perfectus dici debet: Nos enim non sic sentimus; nam aliud, & aliud est perfectio, & connaturalitas; id ergo erit connaturale, quod rerum ordini, & naturæ conformetur; id verò perfectum, cui nil deficiat de sua actualitate; & consequenter, quæ supra providentiam ordinatam hiant, si completa sunt in suo esse, in illo perfecta erunt, etsi non sint connaturalia in suo fieri: Contraformiter ad quod de remissione peccati in nostro casu dicimus, quod perfectissima esset, nihilque illi deficeret ad essentialem remissionem offensæ; non autem connaturalis, quatenus non per providentiam ordinatam, & modo naturæ, hoc est, per formam intrinsecam haberetur. Nec tunc deficeret stricta amicitia, quia hæc salvatur per redamationem in habitu, ut in parvulis, & dormientibus, & ad istam habitualement redamationem ex parte hominis non desideratur forma, sed vice hujus supleret divina omnipotentia eidem applicata.

276. Tertio arguitur: Deus per non imputationem peccati non

potest justum constituere, sicut nec per imputationem illum faceret peccatorem; sed idem est, quia voluntas Dei unicè nec justum facit, nec peccatorem posset: Ergo ad hoc quod est hominem impium condonare, & inoffensum constituere, non sufficit Dei nuda voluntas. Argumentum hoc contra quæstionem de possibili, & purè inanimatum terminis methaphisicis, nil urget; & ad illud dicimus, quod impossibile est, Deum per sui imputationem peccatorem constituere; esset namque author peccati, si præviè ad eam imputationem non esset impius per se, & in se peccator, & ad hoc alludit illud Psalm. 31. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum; quod & declaratur per sequentia: Nec est in spiritu ejus dolus.* Nec per non imputationem haberet justitiam, aut peccati remissionem, nisi antecederet, vel Dei voluntas gratiam conferens, vel eademmet voluntas eidem applicata per modum remissionis. Unde non imputatio non est remissiva, quia extrinseca sit peccatori, sed quia sub his terminis non consideratur, ut efficaciter applicata ad talem effectum.



QUÆSTIO X.

Unum peccatum mortale possit remitti sine alio in eodem impio, & simul existentibus? Ubi de aliis dubiis, quæ sunt propria hujus tractatus.

278. **P**rimò ergo circa præsens tenemus, nec de potentia Dei absoluta posse unum peccatum remitti quoad culpam, & malitiam suam alio non remisso, & est ratio: Peccati remissio affert secum necessario Dei gratiam, & amicitiam vel intrinsecè, vel extrinsecus habitam; sed hæc incompatibilis est cum peccato: Ergo nequit verè remitti unum per cuius remissionem restituitur Dei gratia, alio non remisso, in quo conservaretur Dei amicitia. Ad summum posset Deus, sua utendo infinita virtute, homini impio, qui pluribus esset irretitus peccatis, remittere pœnas pro pluribus debitas, aliis non dimissis; licet numquam eam condignitatem ad æternam, quæ essentialitèr sequitur ad mortale peccati, superare valeat; siquidem esset, & non esset talis; esset, ut supponitur; non esset, quatenus in eo casu non esset æterna pœna dignum, contra propriam essentiam ipsius peccati.

279. Secundò quaritur: Num peccatum mortale remissum, per subsequens commissum possit reviviscere? Quæstio est R. in 4. dist. 15. q. 3. in cuius resolutione varias proponit antiquorum sententias, & specialitèr Canonistarum ex adverso sententiâ in præsentem, quas omnes explicat cum D. Thom. 3. p. q. 88. in hunc modum dicens: Quod illa peccata, quæ erant dimissa non redeunt, neque ut peccatum habet rationem macule, neque ut habet rationem reatus pœ-

næ æternæ; quia opus Dei per opus hominis irritari non potest; remissio est opus Dei, peccatum sequens est unice opus hominis: Ex quibus hæc concluditur ratio: Peccatum posset redire remissum propter ingratitude ipsius peccatoris; sed non quoad culpam, quia remissa est, neque quoad pœnam, quia illa de æterna mutata est in temporalem: Ergo solum modo posset reviviscere, quatenus velletur majori quadam gravitate, orta tamen ex ingratitude, & veluti contemptu peccatoris; & hoc erit non idem peccatum dimissum, sed circumstantia noviter commissi, & ex recidivatione, & consuetudine peccati.

280. Tertio quaritur: Utrum ad justificationem impii adulti requiratur motus liberi arbitrii? Tota ratio dubitandi sistit in efficacia, & virtute gratiæ justificationis, quam Deus, ut Dominus, & Author illius, cuique impio adulto communicare potest adhuc dormienti, ipsaque sanctitatem, & emundationem à peccatis largiretur absque aliqua ipsius propria dispositione, & nullo habito motu suæ voluntatis: Pro contraria sententiâ, quæ hujus, aut illius D. est; habetur fundamentum in constitutione peccati, & justificationis; illud trahit secum aversionem à Deo, hæc verò ut oppositè procedat, conversionem ipsam; sed conversio ad Deum, per quam peccatum remittitur, est opus liberi arbitrii: Ergo sine hoc opere nec est justitia, nec sanctitas.

281. Circa quæsitum cum communi tenemus, posse Deum de posse absoluto adultum impium justificare sine propriis actibus, etsi ordinariè, & secundum legem, & statutum Dei, aliter fiat; tum propter textus sacros, & Concilia; tum quia est modus congruentior recto ordini naturæ rerum, ut qui propriis operibus à Deo recessimus, propriis etiam actibus ad ipsum convertamur. Probatumque assumptum principale: Deus potest dormienti peccatori gratiam infundere: Ergo ipsum justum faceret dormientem: atqui sine propriis actibus, quia in illo statu expertorum est: Ergo sic posset illum justificare, & peccata remittere. Patet hæc consequentia:

tia: Nam per infusionem gratiæ habetur peccatorum remissio, & cum ea implicent coexistere. Antecedens etiam constat; siquidem Gratia, ut quædam forma spiritualis est, non dependet essentialitèr in suo fieri, & esse à nostris dispositionibus, sicut nec alia quæcumque forma: Ergo sine illis infundi posset. Solutio dubitationis contrariorum sufficienter habetur per habitalem Gratiam conversionem ad Deum, quæ eminentiori modo continet quemlibet alium actualè motum ad ipsam: de hoc supra in hoc tract. speciali q.

282. Quartò quaritur: An justificatio impii, & remissio peccati sit maximum, imò & miraculosum opus divinæ omnipotentia? Ad utramque partem dubii dicamus cum communi, nimirum ad primum: Quod inter omnia opera divinæ omnipotentia nullum aliud ita resplendet sicut remissio, & condonatio injuriæ, & offensæ suæ: sic enim canit Ecclesia: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas*: Et ratio potest esse hæc: Terminus hujus divinæ miserationis est inter omnes offensa infinita, quia Deus quantum offendibilis est, offenditur: Ergo justificatio, & remissio, saltem ex parte aliquâ, respicit hanc infinitatem; sed inter res omnes à Deo factas, non sic apparet infinitas: Ergo maximum erit beneficium hoc scilicet, justificationis impii, & peccati remissionis.

283. Ad aliud, quod quæsitum continet, respondent communiter cum D. Thom. hic q. 9. quod justificatio quæ decursu temporis fiat, & juxta regularem auctorum modum suæ dispositionis, miraculosa non est; ea vero, quæ in instanti, sive momento perficitur, ut Latronis, Pauli, & aliorum, continet speciem quandam miraculi, non quia uterque modus justificationis non iis concludatur terminis, dispositionis scilicet, & formæ infusæ, sed quatenus una regularior sit, & communis, alia verò rara, & singularis. In his nec immoror, quia parum habent difficultatis, pro quacumque via accipiantur: Libenterque accedimus eidem resolutioni, quia communis, & quia Patronos habet majoris notæ.

284. Ad calcem hujus tractatus agitur de fide ad justificationem necessaria, & propter hæreticos Novatores maxime, male de nostra sanctificatione sentientes conveniunt enim communiter cum Catholicis in hoc, quod fides divina sit essentialis ad justitiam, & remissionem peccatorum; differunt vero in substantia, & modo, quo fides ista desideratur: Nos enim asserimus, & credimus, ut articulus religionis, fidem esse basam, & initium nostræ justificationis, ut declamatur in Trident. ex textibus sacris, ita quod impossibile dicant divinam placationem sine fide divina. Illi vero sic fidem extollunt, ut eam teneant sufficere ad justitiam, & remissionem peccatorum, quodquam falsum est, & ab eadem fide alienum, prædicat Jacobus in sua Epistola Canonica, præter alia loca sacra, in quibus ea veritas firmatur.

285. Insuper fidem istam dividunt in Historiarum, qua creduntur Historiæ sacrae revelata; miraculorum, qua assentitur divinæ virtuti omnia potenti; ac denique promissionum, & per istam fidem divina promissa expectantur, & hanc esse fidem justificativam, cum qua unice asserunt, gratiam Dei haberi, & peccata dimitti: Quomodo hoc fiat, est punctum apud eos controversum; nam quidam dicunt, fidem istam promissionum esse fiduciam quandam divinæ misericordiæ, qua confidimus firmitèr, peccata nostra esse remissa, & hoc præcisè habito, ecce in promptu est justificatio impii, & suorum peccatorum remissio; unde in horum placito fides ista non est habitus intellectus, sed voluntatis; ideòque cæca erit simul, & obscura; & hoc etiam est valde alienum à fide, ut suo loco videbimus, ubi de fidei essentia loquamur.

286. Alii alio modo circa fidem hujusmodi delirant, sic nimirum, quod doceant, quod tunc impio justitia Dei imputatur, & remittuntur debita, quando certa fide tenet, & credit, sibi esse remissa peccata: Solemne delirium! Cui & quando Deus ita revelat ejusmodi remissionem, ut certò credere quis posset remissa sibi esse peccata? Nos ergo, qui

unum Deum, unumque Baptisma, unam fidem tenemus, non renuimus concedere illam triplicem fidem, quasi una esset, diversa tamen objecta materialia unius fidei divinæ habentem; hancque credimus, requiri ad nostram justiciam, ut illius initium, quæ nisi charitate, & Sacramentis formeretur, nil nobis prodest, quamvis tantam fidem habeamus promissionum, & miraculorum, ut montes transferre possimus, per quam fidem cognoscimus offensiones nostras, Deum offensum paratum remittere peccata, & gratiam suam verè penitentibus infundere.

QUEST. ULTIM.

De remissione peccati venialis.

287. **D**E remissione peccati venialis in hoc tractatu agitur à DD. quatenus nulla alia via aptior inveniri potest ad hoc, quam ea, quam de mortalibus assignarunt, saltem quodam generali ratione. Remittuntur enim mortalia per actus proprios peccatoris, jam ex opere ipsius operantis, jam ex opere operato, & in vi Sacramentorum: Ad hunc modum discurrere convenit de remissione venialium; abstrahendo pro nunc à Sacramentalibus, quibus fideles devotè utuntur, quæ ad nil aliud valent, nisi ad excitandam devotionem, vel ut pena pro eis debita minor fiat; vel per modum satisfactionis applicata. In hoc ergo convenire est necessarium cum mortalibus, cum non appareat alia via, qua condonari possint, & remitti, & quæ clavibus Ecclesiæ non subit; semper enim deveniendum erit ad Sacramenta ejus, vel in re suscepta, vel in voto suscipienda.

288. Et præviè ad nostram resolutionem aliqua certa præsupponenda sunt ut ex illis rationes dubitandi propona-

mus; unde ut certum tenemus, quod venialia peccata nec cum gratia, Sacramentis, aut actibus charitatis, & contritionis opponantur, quapropter nec ab istis expelli possunt, alia via, & ratione nisi vel per divinam legem, aut per modum cujusdam meriti, de quo nihil nobis constat, nec adhuc adest ratio cogens, remitti petunt: deducitur assumptum, ex eo quod peccata venialia coexistere possunt, & de facto coexistunt gratiæ, & Sacramentis, & illis actibus, quidquid sit de privilegio Baptismi, & martyrio, de quo est concursus DD. sententia: Igitur nec cum eis opponuntur, nec ab illis possunt, cum istud sit proprium contritorum, expelli. Est præterea certum, peccata venialia remitti non posse, mortalibus non remissis, aliter est à contrariis; possunt namque mortalia remitti, nullo veniali peccato condonato.

289. Ex quo nunc oritur dubitandi ratio: Si namque gratia, Dona, & virtutes supernæ, immò nec Sacramenta cum venialibus pugnant, & aliunde unumquodque à suo contrario expellatur, à quonam peccata hujusmodi expelluntur? Et per quam formam remittuntur, cum æquè certum sit, quod sicut verè, & propriè insunt peccatori, verè, & propriè, & intrinsecus deberent remitti; sed nullum aliud quid intrinsecum in hujusmodi peccatore reperimus præter assignata, vicijus illa peccata remittantur: Ergo si nullum horum est, tenemur ad assignandam formam intrinsecam suæ remissionis; cum ad hæc non sufficiat extrinseca, & maxime in questione de facto, quam præmanibus habemus; ideò investiganda erit, quæ connaturalior sit, & ordini naturæ conformior.

290. Conclusio prima: Peccata venialia de facto remittuntur per aliquid peccatori intrinsecum moraliter tantum, etsi connotata physica, & reali forma, etiam eidem intrinseca. Conclusio fundatur in eo, quod peccatum veniale in se, & ex sua ratione nil reale ponit, aut aufert ab anima peccatoris; ergo ut remittatur, non requirit pro recto, & ex se formam aliquam intrinsecam. Antecedens

dens probatur: Peccatum non privat forma aliqua reali, nec actu transacto, & non retractato aliud relinquit præter respectum ad illud; sed horum neutrum est quid reale, sed purè morale, vel rationis: Ergo istud erit, quod permaneat in tali peccatore, eo veniali peccato commisso: Ergo ut ea macula deleatur, & remittatur, solum per se desideratur formalitas alia hujusmodi, nempe moralis, & simul ad summam respectus quidam rationis ad terminum eidem actui peccati oppositum.

291. Probatur secundum, quod continet conclusio: Non potest peccatum veniale ex lege, & forte ex ipsa rei natura, remitti, nisi hominibus Gratia existenti, & præterea propriis actibus adjuto: Ergo saltem præsuppositivè desideratur forma physica, & realis, etsi non per se, ad remissionem peccati venialis: Consequentia sequitur, & antecedens, conclusione sequenti probabitur: Dum pro nunc viam aperimus rationi dubitandi initio adductæ, enodaturque per hoc, quod bene componitur secundum immediatè dicta, quod peccata venialia non opponantur Gratia, & actibus peccatoris, & quod hæc gratia, & actus isti requirantur ad eorum remissionem; siquidem non per se, & formaliter, sed solum veluti per accidens, & tanquam quid conditionaliter tantum conducens prædestinantur, ita quod sine ipsis adaptari nequeat talis remissio, ut indispensabile fundamentum, in quo innectatur respectus ille moralis, qui tanquam forma remissiva reputari deberet, pro quo sit

292. Conclusio secunda: Per illud, per quod remittitur mortale sive ex opere operato, sive ex opere operantis, per id ipsum remittuntur venialia, addita tamen expressa horum retractione; conclusio habetur ex communibus doctrinis, & probatur quoad primum: Non est aliud medium excogitatum, eoque utuntur fideles omnes specialiter in vera confessione venialium, ex quibus & aliis rebus propriis penitentia conficitur verum Sacramentum: Ergo quia per istud venialia remitti tenet Ecclesiæ; & idem sentiendum erit de actibus ipsius operantis, ordinatis tamen ad idem Sacramentum: Er-


go & ex opere operato, & operantis eodem medio remittuntur utraque peccata. Secundum etiam convincitur ex eo quod nisi ista venialia contrahantur, & efficaciter retractentur, non erit de eis remissio, nec fideles aliter senserunt: Igitur per hanc specialem retractionem additam tamen actibus penitentis, aut Gratia justificationis, verè remittuntur venialia; sed hic respectus est moralis: Ergo hæc erit forma talis remissionis.

293. Primò arguitur contra primam conclusionem: Peccatum veniale relinquit talem maculam in anima, quæ quadam ratione sit privatio alicujus forme physica, & realis in ea existentis: Ergo remitti est necessarium per formam ejusdem rationis, semel quod intrinsecè remittatur: Antecedens probatur per R. in 1. dist. 48. ubi tenet, & est commune, quod peccatum veniale solum minuit fervorem charitatis, saltem ex divina ordinatione; sed hic fervor, quo privat, aliquid reale est: Ergo realis est forma, quam privat veniale peccatum. Respondetur, concedendo, peccatum veniale tali fervore privare animam, sed fervor iste non est, ut sonat, aliqua realis entitas, sed tantum non progressum in exercitio charitatis, quatenus, scilicet, actus ille peccaminosus non est ordinabilis ad finem charitatis: Unde consideramus peccatum istud, ut obex quoddam, & impedimentum animæ justæ, ne dum peccat, taliter exerceri possit in actibus charitatis; atqui fervor sic acceptus potius quid negativum est, quam forma positiva: Ergo nullius forma privatio erit.

294. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Homo existens in gratia, & venialibus irretitus, si eliceret actum perfectæ attritionis, quo venialia ea detestaretur, ab eis proculdubio esset absolutus, & ipsa remissa manerent: Ergo non eodem modo ac mortalia delentur; & insuper aliud deducitur nimirum: Quod in tali casu per formam intrinsecam realem, quæ esset actus ille, stare præfata remissio. Respondeo admittendo casum attritionis supernaturalis, quod non est adeo certum; tuncque remissio illa habita per illam attritionem, non haberetur so-

lum per eam; sed simul ut adjuncta est Gratia præhabita; sed nec à gratia illa oriretur remissio formalis venialis; nec item ab attritione, nisi tantum præsuppositivè, & tanquam necessaria conditio sine qua non; retractatio verò, & detestatio talium venialium esset forma ex aquo pugnans cum eis, eaque expellens, & ideo illi tribuenda est forma-

liter remissio; & per hoc patet solutio ad utrumque; manumque ultimam huic tractatui imponimus. O! Cedat in Dei, & suæ Sanctissimæ Matris gloriam, & honorem, cui debitas gratias reddimus pro inestimabili beneficio suæ munificæ largitatis.
Amen.



THEO-



THEOLOGICÆ
BACCONICÆ
SPECULI
TRACT. XIV.
DE MERITO JUSTI.
PROOEMIUM.



POSTQUAM DE GRATIA, AC JUSTIFICATIONE IMPII, & remissione peccatorum egimus tanquam veluti primariis Gratia prædictæ effectibus, nunc recto ordine, & juxta præassumptam methodum, de justorum meritis tractandum venit. Sunt enim justorum merita fulgetræ quædam; & quasi scintillationes hujus Divinæ formæ: Namque Stella differt ab Stella in claritate, & alia est claritas Solis, & alia Lunæ, aliæque Stellarum; unde micanti luci jure optimo justorum merita belle adaptantur: In hoc ergo splendenti Baconii speculo lucem istam in lumine illius videbimus; si Pater lumen, & qui est vera lux, omnia illuminans, mentem nostram illuminare dignetur; ab eo est omne donum optimum, & perfectum; Sol est, Luna, & Stella; ac sine macula speculum Imago illa divinæ bonitatis, lumenque de lumine natum; & Verbum interius loquens, & de tenebris ignorantie faciens veram lucem splendescere, ipsi instantè rogemus: *Domine ut videam*

lumen,
Aa

QUE.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit meritum?

NON est undè aliquid adiciamus supra communes doctrinas de meriti quidditate, & quidditate, & ejus partibus loquendo; & ante id ut certa apud omnes, adhuc hæreticos, existentia meriti supponenda est; omnes namque etiam ethnici cognoscere tenentur in humanis operibus excellentiam quandam, vi cujus unum præ aliò aestimetur, & dignum fiat remuneratione aliqua: hoc ratio naturalis dicitur, præscindendo ab eo, quod retribuitur per modum præmii, quid sit, & quanti habeatur, immò & apud quem sit ordinabile; quis Author sit, & talis meredis Deminus? Insuperque stabilienda est; ut certa inter Theologos ratio meriti supernaturalis apud Deum gratiæ Authorem; quidquid latent hæretici, & novatores, falsa, ut solent, ruminantes de justorum meritoriiis operibus.

2. Fundatur hæc doctrina repetitis in locis sacris, & textibus utriusque paginæ, ubi non modo de justorum operibus agitur, tanquam si sint digna præmiis, coronis, mercedibus, braviiis; verum, & terminis expressis, meritoria dicantur supernaturalis præmii: Igitur deside est opera nostra libera, & humana, ac in altiori ordine constituta meritoria esse supernæ mercedis. Nec contra hoc obviat speciale aliquod fundamentum Hæreticorum, cui satisfacere teneamur; cum in hoc puncto sit eis pro ratione voluntas; solum enim quasdam invenerunt evasiones pro locis sacris contra eos cogentibus, in quibus veluti stabili, quidam ex iis absolutè negant, & delere tentant nomen adhuc meriti bonis nostris operibus respondentis, alii verò mitiores, etsi aliquale meritum autement, non tamen ordinatum ad superna; ac denique non

desunt, qui concedentes meritum, ut par est, illud negant dignitati nostrorum operum, & unice divinæ misericordiæ adaptant.

3. Circa veram quidditatem meriti justorum conveniunt in unum scholastici omnes antiqui, & recentiores, licet aliquantulum differant in ejus definitione concinnanda, à cujus varietate pro nunc abstinemus, & cum communi hanc esse formalem definitionem meriti tenemus: *Opus bonum supernum, & libere elicitum in Dei obsequium.* Per istam definitionem, per quam optimè comprehenduntur merita Angelorum, & hominum, essentia meriti explicatur, daturque locus divisioni meriti de condigno, & de congruo, ac nihil de ratione meriti ultra eam restat explicandum, & præter hoc non invenimus, quid illi deficiat ad categoricam definitionem constituendam; in eaque, si speculatur, videre licet suum genus, suamque differentiam, qua sint partes illius essentielles.

4. Ulterius ad aliam partem questionis accedendo, dicimus, quod meritum ex genere suo unice dividitur per meritum de congruo, & de condigno; hoc est meritum perfectum, & est tale simpliciter illud verò imperfectum, & secundum quid: In illo, opus meritorium non adequatur præmio; ceterum in alio servatur aequalitas mercedis, & meriti; unde apud aliquos Theologos invenitur in hoc modo strictæ justitiæ commutativa (de nostro sensu intra suo loco) ita quod tantum valet dignitas meriti per se talis, quarta est corona mercedis, & præmii: Utrumque meritum communiter asseritur esse verè tale; etsi ratio communis utriusque sit analogica, quatenus, scilicet, induunt proportionalitatem quandam intrinsicam, sicut sentitur apud Philosophos de ratione entis comparati ad substantiam, & accidens; hoc enim est verè, & intrinsicè ens, etsi sit talè secundum quid, & ad substantiã comparatũ; idè dicunt de merito, ut ad condignum, & congruè relatum.

5. Divisio ista non ita est generaliter recepta in ordine ad supernaturale præmii, ut non desint Theologi eam renuentes, quidam enim negant operibus creditis rationem meriti de condigno, ut

Du.

Durand. Alii ab opposito respiciunt meritum de congruo cum Soto: Unde in horum modo dicendi meritum supernum non rectè dividitur per condignum, & congruum, cum apud eosdem utrumque in sua propria acceptione negetur. Ceterum quidquid sit de his placitis, cogimur ad communes doctrinas amplectendas, & quia R. D. unam, & aliam rationem meriti cognovit, & aprobavit variis in locis, de quibus infra; ideòque libenter tenemus, meritum supernaturalium operum, & in ordine ad præmii similitèr gratiæ, & gloriæ dividi per meritum de condigno, & congruo; & hæc est mea conclusio:

6. Conclusionem probò per istam rationem, quæ erit à posteriori, à priori namque non est dabilis; & sit primò de merito de condigno: Opera nostra principaliter ex charitate elicitur, respiciunt gloriã, tanquam mercedem, & coronam: Ergo de condigno. Antecedens est de fide, fundaturque in textibus utriusque testamenti, & consequentia probatur: Quando præmii confertur per modum mercedis, & coronæ proportionatur, & suo modo adequatur merito; sed hoc est, mereri de condigno: Ergo ita est in prædictis operibus. Minor patet secundum datam doctrinam, & major probatur: Si quidem si meritum deficeret ab ea proportionem, & aequalitate cum præmio illo, non merces diceretur, aut corona, sed purè, & unice gratia, & misericordia, vel liberalitas, &c. Ergo si sic se habet, ut bravium dicatur, erit ortum ex merito de condigno.

7. Eo modo probatur conclusio quoad meritum de congruo: haberi deberet meritum de congruo in iis operibus bonis, quæ ex alicujus defectu præmio non adequantur; ut legimus in PP. de aliquibus impetratoriis supernaturalibus, imò, & Theologi docent de prima gratia respectu actus charitatis; nam contritio prima, nec actus primus charitatis gratiæ primæ justificanti adequantur, ut ex se patet: Ergo meritum hujusmodi deficit à condignitate. Quod verò sit propriè meritum conveniunt rationes PP. sic hujusmodi meritum extollentium, ut sine restrictione aliqua talimò,

Tom. IV.

do ab eis nuncupentur. Argumenta, quæ contra hoc faciunt, suis peculiaribus locis dabuntur, & solventur.

8. De conditionibus ad meritum requiritis plura dispersa in decursu hujus tractatus dabuntur, per prius ea summam hic opere præmii referre censuimus. Procedimus signatè de merito supernaturali, ideòque condignum, & congruum comprehendimus. Prima conditio ad meritum est, libertas in opere meritorio; non ea requiritur, quæ sit æsthenis quædam indifference ad bonum, & malum, sed sufficit essentialis, imò & immutabilitatis, ut sentimus de Christi Domini, Angelorum, & confirmatorum in gratia libertate. Alia conditio solet assignari, nempe quod opus hujusmodi non solum sit bonum, hoc est enim de essentia meriti, sed insuper quod sit boni; at quia sublimè est, num bonitas merentis sit necessaria ad meritum de congruo? ab ea susperfedemus, ut illi quæstioni detur locus. Desideratur denique, quod merens sit viator; siquidem in termino cessat meritum, vel ex pacto, & lege Dei, ut quidam tenent, vel ut alii, ex naturæ status, ex defectu nimirum libertatis.

9. Quaritur præterea: Num ad merendum apud Deum requiratur status justitiæ, & sanctitatis? De merito de condigno nulli dubium est requiri gratiam ad sic merendum; siquidem ad meritum de condigno indispensabiliter requiritur condignitas in opere, & laudabilitas ejus; sed nullum opus peccatoris potest sic Deo placere, etsi bonum, & supernaturale sit, ut pote elicitum ab homine Deo ipso exorsò, & inimicò: Ergo nullum tale opus poterit esse condigne meritorium. Major est difficultas de merito de congruo, & certè ex PP. plures videntur sentire, quod actus specialiter fidei, & spei subinduant quandam rationem meriti de congruo ad uberiora gratiæ auxilia, quibus tandem ad gratiam justificationis pertingant; & licet persona talis sit inimicà, & inacceptata, opus tamen est bonum supernaturale, & aliquantulum proportionatum: Igitur poterit esse de congruo meritum.

10. Non renuò accedere huic opinioni, & licet D. R. in 4. dist. 14. q. 1. art. 2.

art. ubi de operibus factis in peccato mortali quaerit, an jubent ad bonum, alius est ejus processus ab eo, quem nunc tractamus. Procedit enim de merito horum operum adhuc per fidem factorum, si valeant ad diminutionem aeternae poenae, vel ad quid aliud post hujus vitae cursum? Ubi sentit, quod tantum deserviant per accidens ad hoc, quatenus, scilicet, peccator dum talia opera elicit, à peccando abstinere, minusque incidit in peccato, & hoc solum modo juvare docet, ut mitius in inferno torqueatur, cum quo potest componi, quod istud idem opus esset aliunde de congruo meritorium alicujus praemii veluti vialis; nimirum gratiae actualis uberioris, ut supra dicebamus: Igitur doctrina haec non obest, ut praefatum meritum peccatori concedamus.

QUESTIO II.

Utrum iustus possit de condigno mereri apud Deum? Et quomodo? An ex iustitia ipsi debeatur praemium aeternae gloriae? Ac denique qua specie iustitiae?

¶ **P**ura hic sub uno titulo quaerimus: Et quia omnia ad unum quid ordinantur, & maxime, ut brevitati studentes, de iis compendiosè tractamus. Et in primis non est cur immoremur circa meritum condignum nostrorum operum, & maxime, respectu aeternae gloriae, cum sententia haec sit ita recepta apud Theologos antiquos, & recentiores, ut vix inveniatur, qui contrarium tentet asserere: Inter citatos est Valdens. Nost. lib. 3. de Sacramental. sed hic Author vindicatur, & à propriis, & praeterea ab extraneis. Videatur Lez.

Carmelit. tract. 8. de Grat. q. 3. Suarez, lib. 12. de merit. cap. 1. Vazq. 1. 2. q. 114. disp. 213. à cap. 3.

12. Veritas hujus suppositionis, & asserti fundatur primò, & principaliter in textibus sacris utriusque testamenti, ubi nomine mercedis, coronae, bravii, & praemii, nobis vita aeterna proponitur, & quod magis est, à Deo iusto iudice ex iustitia similiter nobis reddenda: sed hoc indicat, & satis clarè probat in nostris bonis operibus adesse veram rationem meriti, quae alia esse non potest nisi de condigno: Ergo de facto datur tale meritum in nostris operibus. Ad probationem majoris unum vel alterum locum sacrum proponam, & sit primus illud Genes. 17. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*: Et illud sapient. 5. *Iusti autem in perpetuum vivunt, & apud Dominum est merces eorum*: Et omnis aliis specialius illud 2. Paul. ad Thimot. 4. *Superest mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*: Ergo ex his textibus convincitur vera ratio meriti; sed verum meritum est condignum: Ergo hoc erit in nostris bonis supernis operibus.

13. Ratio est R. in 2. dist. 17. deducta ex textu isto Pauli, in quo innititur, fundatur in eo, quod nil citra Deum esse potest praemium de condigno virtuti Deificae, qualis est charitas, sive gratia; & per hoc adstruit in bonis operibus nostris praefatum meritum; siquidem gratia ista magna dignitas est, & utique proportionata, & condigna aeternae mercedi: Ergo nil eidem deficit ad verum praemium, immò & condignum. Huc alludit definitum in Trident. sess. 6. cap. 16. Can. 32. ubi satis clare exprimitur nostris bonis operibus, verè, & propriè promereri; sed licet sacrum Conc. non utatur verbis terminantibus de condigno; loquitur tamen in sensu proprio, & formali, & de per se, de merito, & quatenus supponit pro principali analogato: Igitur intelligi debet de merito de condigno.

14. Sed contra factam suppositionem arguunt aliqui DD. Catholici, ut Durand. in 2. dist. 27. Marfilii. eodem 2. hoc loco satis specioso Rom. 8. *Non sunt*

condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Cui consonat Paul. 2. ad Corinth. 4. dicens: *Quod momentaneum est, & leve tribulationis nostrae, aeternae gloriae pondus operatur in nobis*: Ex quibus sic arguunt: Passiones nostrae, tribulationes, & alia quaecumque opera, quibus meritum gloriae afficitur, non sunt condignae, & conformatae illi gloriae, quae eas sic superat, & superexcedit, sicut aeternum pondus id, quod leve est, & momentaneum: Igitur actiones, & passiones humanae, quae leves utique sunt, & momentaneae, numquam condignae essent, & ita meritoria aeternae gloriae.

15. Videtur fortius urgere fundamentum sententiae contrariae, & maxime in nixum terminis terminantibus quaestionis de condigno, ut puta *non sunt condignae*; sed licet hoc sit ita apparens, non tamen est adeò concludens, cum illi expressioni adaptentur ex adverso, & pro communi Theologorum, textus, & Trident. ubi satis expressè loquuntur de ista condignitate humanorum meritorum; videlicet, *merces, corona, veritas eorum immo & dignitas alium meritorum ad aeternam gloriam remunerationem*: Quibus instantibus, respondemus etiam cum communi; quod ibidem, & in utroque loco sacri scriptores loquuntur de passionibus, & humanis actionibus, quatenus leves, momentaneae, & pure naturales sunt, & sub isto sensu non sunt condignae ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.

16. Sed instabis: Actiones, & passiones humanae, ut naturales sunt, non possunt operari ullomodo aeternum gloriae pondus, ut ait Apost. Ergo de his debent intelligi, in quantum supernae, & ad gloriam conducentes: Ergo non ut pure naturales quia ut sic nullomodo ad gloriam faciunt. Ad replicam respondetur, quod in secundo loco asert Paul. rationem pro iis, quae in primò stabiliedis, afferuntur: Unde haec est paraphrasis illorum textuum: Passiones humanae pure acceptae non sunt condignae ad futuram gloriam, quia levitas earum nequit facere ad aeternum illud pondus, quod in Coelis revelatum est; sed ulterius requiritur gratia Dei, & charitas in illis, cujus

ratione proportionatae fiant, & condignae ad illam gloriam aeternam promovendam.

17. Circa secundum, quod in titulo quaerimus, supponenda est doctrina superius data, de divisione meriti in congruum, & condignum, & insuper sententia sacre communis Theologorum asseverans meritum iusti, de quo agimus, esse condignum ad aeternae gloriae coronam, & ex ista stabilita doctrina emergit alia non levis difficultas: Num condignitas meritorum iusti sit intrinseca, & veluti connaturalis eisdem operibus supernis meritorum? Vel habeatur in illis ratione alicujus pacti, ordinationis, aut divinae promissionis? Sicut de Gratia sanctificante superius innuimus privata quaestione, ubi ex R. dedimus non ex ipsa rei natura, sed aliunde habere formam sanctitatis, & iustitiae: Consequenter ad quod est scopus hujus dubii investigare, an sicut per Dei ordinationem forma haec Deifica habet sanctificari, simul & ipsi competat esse principium meriti? Videlicet, ex eo quod sit forma sanctificans illi absque alia promissione, vel pacto conveniat esse principium meriti.

18. Duo hic praeculis habemus, nimirum condignitatem operum iusti, & rationem meriti, quae in illis concipitur: de primò non est major difficultas: nam sacre omnes conveniunt in condignitate praefata, quae ex natura talium operum inest eis; & tota quaestio devolvitur metaphysicè ad rationem meriti eorum; unde fortè dicet aliquis, quod potius de nomine meriti erit tota praedicta dissertatio: Si namque DD. concertantes in hoc uno conveniunt, quod ea opera habent ex ipsa eorum natura, & omni pacto secluso, condignitatem ad praemium aeternae gloriae, solum differunt in adstruenda ratione meriti in talibus operibus, videtur quod his tota sistit in meriti quidditate disquirenda. Sed quidquid sit de hoc, de quo non curo, de utraque per duas conclusiones sensum R. aperiam.

19. Conclusio prima: Opera superna iusti, quae ab aliis meritoria sunt aeternae gloriae, habent ex ipsa eorum natura esse condignae aeternae mercedis. Haec, ut jacet, videtur esse communis inter D. Thom. ex-

positores, de quibus supra 1. 2. q. 114. dicit non eo modo procedant in suis placitis, propter ea, quæ habet art. 1. & 3. hujus q. quæ favere videntur A.A. diversa opinantibus. Pro contraria itat D. Subr. in 1. dist. 17. q. 2. & alii. Et antea, ut sensus conclusionis aperiat, supponimus hic nos præscindere à specie eorum operum, quæ meritoria sunt vitæ æternæ, de quibus intra; solumque loquimur de illis quæcumque sint, dummodo ab homine justo eliciantur, & de istis tenemus, quod gloria æternæ condigna sunt ex sua natura, secluso quocumque pacto, acceptance, & promissione Dei.

20. Primòque probatur per doctrinas expressas D. R. in 1. dist. 17. q. 1. art. 1. circa finem §. 3. ubi postquam probaverat, nihil dignum circa Deum posse gratiæ Dei correspondere, similiter & charitati, ut ipsius præmium, sic vers. *secundò dico*, prosequitur: *Acceptatio enim hæc est gratia illa gratum faciens, magna dignitas est, quod autem aliquis habens aliquam dignitatem, non sit dignus aliquo premio, est oppositum in adjecto, sicut habere albedinem, & non esse album.* Ex quibus argumentamur: Habere gratiam, & charitatem, & cum illis, vel ex illis elicere meritoria opera magna dignitas est in operante, ita quod ex suppositione illius dignitatis, opera, ab eo procedent sic digna sunt Deo, ut non possint non esse talia, sicut habens albedinem, & ex suppositione hac, necessario, connaturaliter, & omni alio secluso, sit albus, taliter quod non posset non esse albus; sed hoc est esse tale ex natura rei: Ergo opera justorum, de quibus nunc, sic sunt condigna gloriæ, ut illis conveniat ea dignitas ex eorum natura.

21. Aliter probatur conclusio ratione, quæ ex doctrinis R. deducitur: Actus fidei, & charitatis hominis just, & viatoris, si separetur ab eis omne pactum, & promissio de æterna mercede, adhuc sunt condigni ad visionem ipsius Dei, & ejus perpetuam dilectionem: Ergo condignitas hæc inest eis ex eorum natura, & non ex divina promissione. Antecedens probatur per R. in 4. dist. 1. q. 6. art. 2. ibi ex August. Epist. 49. ad Deo gratias sic ait: *Quod pœna debet esse æterna pro-*

mortali, qui discedens in voluntate mortalis æternam voluit habere peccati fruitionem, si in æternum vixisset. A simili, gloria debet esse æterna, quia discedens in gratia in æternum voluit Deo servisse in gratia, si in æternum vixisset; & sic est proportio rei infinita ad infinitum.

22. Ex quibus duas rationes deducimus: Prima est proportio ea gratiæ, & charitatis viatoris just, cum charitate beati in Patria, nimirum, infiniti ad infinitum: Ergo sic erit condignitas connaturalis eorum operum. Secunda ratio sit: Peccatum mortale habet ex ipsa rei natura condignitatem ad æternam pœnam: Ergo charitas justorum eandem condignitatem habet ad æternam gloriam similiter ex sui natura. Consequentia probatur per similem argumentationem R. ex Div. August. Quia peccatum in affectu peccantis est æternum, ideo pœna correspondens condigna æterna est; sed hoc peccato convenit ex sua natura: Ergo si huic æquiparatur gloria justorum, ut præmium suorum operum, condignitas eorum esset propria eis, & ex sua natura.

23. Secunda conclusio: Opera justorum æternæ gloriæ condigna sunt meritoria ipsius gloriæ ex sua natura signatè, & in actu primò, ut vero sint ejusdem gloriæ meritoria exercitè, & in actu secundo, desideratur pactum, & promissio Dei de illis premiandis, & coronandis. Conclusio, ut jacet, habet duas partes, attamen, quia de prima sufficienter diximus, fundaturque in condignitate operum ad merendum, & in eorum sufficientia ad meritum, ideo ea prætermissa, ad secundam transeundo, dicimus, quod hæc videtur sententia, etsi non expressa eorum DD. de quibus supra, est satis clara R. in 1. citato, cujus hanc unicam dabimus rationem per hoc exemplar, quod affert ibi: *Si aliquis à principio libere accepit munera à Domino, tamen si bene servierit, de jure sibi debentur: (munera, & præmia) dum fidelis est ei.* Ergo servo fideli, cui Deus gratiam contulit, & charitatem cum apposita promissione de premio obtinendo, si bene, scilicet, servierit, debetur de jure eidem præmium: Ergo non ex natura sui operis, sed ex condigno ap-

appositi servitii in Domini sui obsequium.

24. Secundò probatur conclusio ex eodem R. ibi dicenti: *Quod debetur (præmium scilicet acceptato ad gloriam) per modum debiti:: & fecit opere suo quod Deus esset debitor illius; sed Deus nullius potest esse debitor, nisi vi alicujus fidelis promissionis, aut pacti, cum merente inito:* Ergo si merito gloriæ correspondet præmium tale à Deo conferibile, tanquam debitum, ideo esset, quia ad hujusmodi meritum ex opere operantis, quod vocat R. & nos dicimus esse meritum in actu secundo, & exercito, interveniret pactum, & promissio Dei, cujus ratione Deus constitueretur debitor; siquidem omne promissum est debitum. Corroborat dictum suum D. R. per illud Paul. ad Rom. 4. dicentis: *Ei autem, qui operatur, merces non imputabitur secundum debitum:* Sic Gloss. super cap. 6. ad Rom. habet hæc ad intentum: *Gratia glorificationis juste redditur in premio:* Ergo si juste secundum debitum, saltem fidelitatis.

25. Tertiò probatur conclusio: Opera æternæ vitæ meritoria, quatenus talia sunt in actu secundo, & exercito, dicunt constitutive, & essentialiter respectum ad præmium æternæ gloriæ per modum mercedis, & coronæ obtinendum, sed non interveniente pacto, promissione, aut conventionione Dei, nullo modo gloria hæc posset subire talem denominationem: Ergo nec meritum illius exercito actu consideratum, rationem talis meriti. Major videtur certa: Nam meritum, & præmium sunt correlativa duo se mutuo respicientia, & constituentia: meritum est ad præmium, præmium vero respectu meriti concipitur. Minor autem probatur: Gloria æterna non esset corona meritorum, ut corona, & bravium ex natura rei; siquidem gloria est absolute sub Dei dominio, nostraque opera, quantumcumque digna, sunt etiam ipsius Dei; ipsique debentur pluribus titulis: Ergo ut sit eorum merces, & corona, intervenit necessario Dei pactum, & fidelitas.

26. Responderent ad rationem istam DD. contrarii: Quod aliud est condignitas operum just, & eorum meritum, &

aliud gloria ipsa per modum mercedis, & coronæ conferenda; primum habetur in illis actibus gratia Dei dignificatis, secundum verò oritur a pacto Dei, & promissione libera ipsius, qua voluit de facto præfata merita coronare: Unde posset quam optinè stare ea condignitas, & meritum ad illam mercedem, & coronam gloriæ, quin Deus esset obligatus ad eam retribuendam; usque dum ad esset pactum, & sui ipsius promissio, vi cujus teneretur, & velati obligaretur ad illud præmium, & bravium conferendum. Concedant ergo meritum, & præmium correlativa esse, mutuoque extrinsecè specificari, ita quod tale sit meritum, qualis erit gloria, cum quo bene componitur, quod meritum, & gloria si ita talia ex natura rei in se ipsis, ut autem gloria ut corona conferatur, desideratur pactum, & divina promissio.

27. Sed contra solutionem instatur: Gloria justorum, quæ est Dei visio, & possessio ex sua natura, est præmium æquivalens eorum meritis, & hoc ei convenit, non in pacto secluso, ut autem sit stipendium, & corona, ulterius desideratur promissio, & conventio Dei; sed meritum just, in actu secundo, & exercito tendit, & respicit ad istam gloriam, ut corona est, & merces: Ergo ad id intervenire debet pactum, & promissio Dei. Pater major: Tum: quia Denarium diurnum, quod quis operario tribueret, esset sufficiens præmium sui laboris, eorum non posset dici stipendium, aut condigna retributio; pacto non interveniente, & conventionione: Igitur visio Dei, & possessio non diceretur corona justorum, pacto non interveniente de suis operibus coronandis. Nunc probatur ratione: Si Deus in alia providentia se præberet videndum, & amandum adhuc adultis hominibus, eorum operibus bonis non præcedentibus, sicut de facto accidit in parvulis, imò & sine Sacramentis, gloria ea, etsi in actu primo, & quoad sufficientiam esset corona illorum, exercitè tamen non posset dici merces, & bravium: Ergo quia illi gloriæ non convenit ex sua natura, sed ex divino pacto, & institutione, esse talem coronam in actu secundo, & exercito provenit.

28. Primò contrà hanc conclusionem obijci potest per doctrinam conciliorum, & specialiter Trident. maximi habentium, merita justorum in ordine ad æternam gloriam, ex qua istud conficitur argumentum: Si meritum esset tale ratione divinæ promissionis non ex se; & ex suis operibus haberet rationem, & formam merendi; sed à Deo quasi dignificante illa, vel per se immediatè, vel mediè, Christi Domini meritis, incideremusque in novissimam doctrinam hæreticorū nō negantiū nostris operibus viam meritoriam, cæterum dignificatā, & quasi assumptā à Deo ut ea opera meritoria esse possint; & uno verbo: opera ea fidei, scilicet, spei, & charitatis dicerentur meritoria non ex se, sed quatenus à Deo ipsis promittatur æterna gloria quæ videtur esse eorū Novatorū sententia; sed hoc vitare tenemur: Ergo & illud, ex quo sequitur.

29. Duo ad hoc argumentum respondemus: Primum est secundum doctrinam Theologorum pro omni meriti statu requirentium divinam promissionem juxta ea, quæ de gratia ad justificationem dicebamus; nimirum; quod opera illa fidei, spei, & charitatis habent in se dignitatem ad meritum gloriæ, quatenus ortum habent à gratia sanctificationis à Deo justis infusa cum pacto, & ordinatione ad mercedem, vel ut esset in super principium meriti: quid hoc cum doctrina Augustana talibus operibus adhuc sub ista gratia elicitis defraudante veram, & completam rationem meriti?

30. Secundò & conformius ad dicta in hac q. responderetur: Quod bonis operibus fidei, spei, & charitatis non negamus veram, & propriam rationem meriti; ut tenent Theologi; & secundum Trident. verba; cæterum in actu primò, & quasi ad sufficientiam; videlicet, ratione proportionis, & æquivalentiæ, quam habent cum æterna gloria; at cum illis promissa sit per modum coronæ, & stipendii, non posset ad eam in actu secundo, & exercitio pertingere, nisi Deus conveniret cum justis, & veluti pactum iniret de illis operibus coronandis, tuncque & hujus pacti ratione gloria ea corona diceretur, meritaque essent in actu secundo talia, referrenturque merita ad gloriæ coro-

nam, gloria etiam ad ista merita exercitata; ac in nullo hæc doctrina convenire posset cum hæreticorum, cum ante omnia adstruamus in actibus fidei, spei, & charitatis veram, & condignam meriti formam, adhuc non interveniente divina promissione.

31. Secundò obijcitur in hunc modum contra secundam conclusionem: opera justii sunt elicita in virtute divinæ gratiæ, si meritoria sint: Ergo ratione sui, & omni pacto secluso, deberent meritoria esse æternæ gloriæ. Hæc consequentia probatur: Gratia Dei hominem justum constituit, & omni pacto novo secluso, filium Dei, & hæredem gloriæ, & cum jure filiorum ad suam hæreditatem, ut Paul. ad Gal. 4. *Quod si filius, & hæres per Deum*; & idem dicit ad Rom. 8. *si autem filii, & hæredes*; sed filius absque aliqua promissione habet jus ad paternam hæreditatem, eamque adire potest sine novo pacto adveniente: Igitur justus ex practica ratione gratiæ, & sanctitatis adire poterit æternam gloriæ hæreditatem per hoc jus, quod in illo inest in vi divinæ adoptionis.

32. Respondetur: Quod gloria æterna non solum confertur justis per modum hæreditatis, sed ulterius, ut corona, & merces suorum operum, ideòque justus habet per gratiam jus ad istam gloriæ, & ratione operum ad eandem, ut corona, & vrabium, utrumque jus inest eis ex natura gratiæ semel infusa, & ex natura operum, seclusa nova promissione, & peccato; quia prædicta opera ex gratia facta habent non modo illud jus, verum & proportionem, & condignitatem ad eam gloriæ, ut hæreditas, & ut corona est: Jus verò istud ut in actu exercitio, & secundo ponatur, & exerceatur, desideratur Dei pactum, & promissio; vi cujus gloria ipsa conferatur, indeditas; & meritum alias Deo aliis titulis debitum, fundet ad illam jus actuale, & exercitum: per quod verificatur, quod gratia ut sanctificans fundat jus connaturale ad gloriæ ex sua natura; ut verò hoc jus exerceatur, & per opera meritoria in actu secundo ponatur, adhuc desideratur promissio, determinatio, & conventio Dei, Fundatur doctrina in re, peti-

petitis conditionalibus; quæ in utroque testamento leguntur; ubi satis clarè innuitur conventionalis ista divinæ promissio.

33. Denique obijci potest contra præfatam conclusionem: Eadem est ratio meriti in actu primò, & in secundo considerati; sed in actu primò, & secundum suam essentiam concipitur verè meritum, & omni promissione seclusa: Ergo ita erit in actu exercitio, & secundo. Patet assumptum: Nam quodlibet idem est in actu; & potentia; potentia, & actus non variant speciem: Facile ad hoc dicimus: Quod in quidditate, & essentia meriti operis, & secundum ejus naturam eadem est ratio actus primò, & secundi; sicut eadem est ratio entis in actu; & potentias, si tamen attendatur ea, quæ actum exercitum rerum necessario comitantur, in his variari est necessum; aliamque, & aliud esse utriusque actus rationem asserere; in hunc modum discurremus in præfati: Meritum æternæ gloriæ ut actu exercitio compleatur, & eidem gloria ista per modum coronæ correspondeat; ultra condignitatem operis, expectat divinam voluntatem eidem applicantem præfatam gloriæ, & hoc est, velle illa justum coronare tanquam merces, & ipsius stipendium: Et ecce promissio; pactum, & Dei conventio: Totum hoc est extra quidditatem meriti, si metaphysicè consideretur; pertinetque ad circumstantias, & conditiones, quæ necessario actum secundum, & exercitum sequuntur. Hæc est communis doctrina Philosophorum, & satis trita pro actibus primis, & secundis constituendis, & de-

finiendis.



QUÆSTIO III.

Utrum Corona gloriæ justis retribuatur à Deo ex toto rigore justitiæ.

34. **D**EO inesse veram rationem justitiæ; ut quædam virtus est; & peculiare attributum suæ voluntatis, & quatenus perfectio est simpliciter simplex depurabilis ab imperfectionibus; quibus inter hominis maculari solet; dedimus supra tom. 2. tract. 7. q. 19. ibique remissimus ad q. præsentem, ubi demerito justii ageremus, tractandum diffusius; quæ; qualis; & in qua materia ista divina justitiæ exerceri posset? Et pro nunc præscindimus à punitiva, & vindicativa; quæ non sunt hujus instituti, & solum de distributiva, & commutativa sermo erit; cum utraq; sit pars subjectiva; & actualis propria; & strictæ justitiæ. Sigilatur hic doctrina de his justitiæ speciebus, quia nisi fallor in sacris litteris solum circa justorum meritum; incipiendo à suo capite Christo, scilicet Dominò; ac Redemptore, ejus virtus concipi; & considerari solet; ut Deum verum remuneratorem ostendant. De membris nunc; suo loco de capite:

35. Quærimus ergo pro attributo justitiæ, ut ad creaturas respicit; sicut de omnipotentia, & de aliis attributis ad extra respectivis; nunc sit ita formaliter de Deo prædicabilis; & sub eadem formali ratione; sicut omnipotentia v. g. sic quod ista sit formalis & vera prædicatio: *In Deo est justitiæ*, eo jure; quo ista: *In Deo est omnipotentia*. Et ante omnia non habemus pro inconvenienti, Deo concedere fidelitatem; & gratitudinem; eo modo; quo ipsi non dedecent; sed assumpta fidelitate pure pro veracitate in promissis; gratitudine verò pro benefica retributione juxta acceptum honorem;

ab his superfedemus, cum unice animum intendere velimus circa suam justitiam in premiis supernaturalibus conferendis: Iterum, si justitiam principaliter dividimus cum Philosophis moralibus per distributivam, & commutativam, de utraque differendum erit.

36. Circa quod varii sunt DD. antiqui, & cum eis recentiores in suis placitis; & in primis D. Thom. in 2. dist. 27. sentire videtur; Deum justis sua conferre premia ex propria justitia, ut sacri textus decantant, non ea, quæ commutativa dicitur, sed alia, quæ supremi Principis est propriissima, & distributiva vocatur. Hujus sensus videlicet aliquos Thomistas Sanctum Doctorem aliter repetitis in locis allegantibus, in quibus satis de ista specie distributivæ enunciatur; sed nulli clarius, quam in hoc 2. à R. D. citato in eodem 2. & in eadem dist. 27. id ipsum in 1. part. q. citat. supra: B. Ægid. hic art. 4. in idem conspirat, licet enim quandam condignitatem meritis justorum respectu æternæ gloriæ cognosceret; hanc asseruit esse quantum ad rem, non secundum quantitatem; & ideo communiter dicitur, quod non erit ibi æqualitas quantitatis, sed proportionis. Verba sunt utriusque Doct. ex quibus fumitur sufficiens fundamentum ad eam solam distributivam justitiam asserendam in Deo in premiis sanctorum conferendis.

37. P. Vazquez, Lorca, & alii absolute negant, Deo inesse veram rationem justitiæ, ideoque nec modum propriæ distributivæ, aut commutativæ servare, de hoc latissime disp. 215. reproducens doctrinas, quas 85. & 86. de hoc dederat: Contrarium asserit, & tenet Suarez cum aliis disp. 7. de merito justii, ubi etiam diffusè concludit non modo formalem rationem justitiæ de Deo prædicabilem, sed ulterius, hanc servare, jura distributivæ, & communicativæ asseruerit. In hoc puncto, & controversia singularem habemus mentem, & sententiam R. D. in 2. dist. 27. & de qua sane maior quod DD. ad eo avidi, & ferè omnium antiquitatum scrutatores, nullam de eo fecissent mentionem, & maxime cum Sole clarior sit ejus sensus, & fun-

damenta, quibus sistit; solidissimam De quibus immediatè nunc agemus per varias conclusiones, posteaque ad argumenta hic inde grassantia animum intendemus. Et sit:

38. Prima conclusio: Justitia ea, qua Deus præmiat justorum merita, distributiva est, ceterum non formaliter, sed eminenti quadam ratione. Non est expressa positivè in D. R. verum eam asserit ex D. Thom. non oppugnatam, cui superaddimus secundam partem, ut eam concordare possimus cum ejus doctrina ex professo tradita. Primòque probatur prima pars conclusionis. Redditio gloriæ pro meritis est à Deo talis juxta proportionem meritorum, sic quod habenti duo talenta, duo alia conferantur in gloria, sicut quinque habenti alia quinque; sed hujusmodi præmiorum distributio pertinet ex sua ratione ad justitiam distributivam, in qua servatur unice æqualitas proportionum, & non rerum, sive proportionalitas Geometrica, ut ab Arithmetica præscindens: Ergo hæc justitia non incongrue de Deo suo modo dici potest in retributione meritorum. Minor videtur Arist. 5. ethicor, quod non renevit D. R. art. 2. distinctione citata.

39. Secunda pars conclusionis præterea probatur: Justitia hæc distributiva de Deo dici non potest formaliter in justis præmiandis: Ergo solùm eminenti quodam modo, secundum aliquid sui, vel depurata imperfectione propria illius. Antecedens probatur: Justitia hæc dicit quidditative, & essentialiter plurimum jus ad unum vel plura præmia divisibilia, quæque conferri possint juxta proportionem meritorum, cui unum, unum, & cui duo, duo, &c. & in hoc verificatur munus hujus justitiæ, ut ab aliis distincta; sed hic modus distribuendi de Deo non dicitur formaliter; primò: Quia per accidens se habet ad gloriæ collationem, quod sit unum, vel plura præmia; tum: Quia præmium essentielle idem est in omnibus; tum: Quia nec divisibile est; immò & uno solùm existente justo, Deus illum coronaret corona ista justitiæ; sed tunc non esset formaliter, sed solùm eminenter, vel ad minus secundum quid distributiva: Ergo præfata justitia di-

distributiva, quæ de Deo hic dicitur, non est talis formaliter, & quidditative. Ad hunc modum discurrimus in præsentibus, ac in Certaminibus, Palestinis &c. ubi de præmiorum retributione, ut in Cathedralis, Præbendis, brabiis Agonothea, seu justus distributor, potius de commutativa, quam de distributiva justitia pertesgerit, & de ea rationem reddit.

40. Conclusio secunda. In justis præmiandis non consideratur in Deo ea justitia commutativa, quæ stricta est, & versatur inter datum, & acceptum, ut in commutationibus emptionis, & alis hujusmodi reperitur. Resolutio, ut jacet, videtur D. R. ibi, rationeque ipsius primò probatur: Ut formalitas hujus justitiæ commutativæ verificetur, requiritur, quod bona utilia sint communia, & quod illud quod datur, sit dantis proprium, ut sibi approprietur, quod pro commutatione acceperit, & per hoc stabilitur hinc inde jus strictum cum Arithmetica æqualitate dati, & accepti; sed sicut gloria, sic & merita sunt Dei propria; ad quod alludit illud Joann. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia super quod Aug. Cum præmium immortalitatis tribuit post meritum, dona sua coronat, non merita tua, non enim de tuo promeruisti*: Ergo huic justitiæ commutativæ, quæ est propria dati, & accepti, non concordatur ea, qua Deus coronat justorum merita. Utraque conclusio magis fundabitur inter argumenta solvenda.

41. Conclusio tertia: Actus, quo Deus æternaliter coronat merita justorum, est propriæ justitiæ commutativæ, ut præcisè respicit jus depositarii, & deponentis. Est R. expressa, & antequam probetur, supponendum censemus, ut scitu dignum ad assumptum præsens: Quod inter jura propriæ commutativæ justitiæ habetur in utroque canone jus deponentis, & depositarii, ita strictè, ut depositum conservari, vel restitui debet secundum se, & ut est, juxta conventionem, & contractum deponentis, & depositarii: sic dist. p. cap. *Jus naturale*: Et in decretalibus lib. 3. titulus *de deposito*: Unde depositum sumptum pro contractu bonæ fidei fundat strictum jus propriissimum commutativæ justitiæ, ut est communis.

Tom. IV.

Contractus iste alius est judicialis, qui & vocatur *sequestrum*, aut *sequestratio*, alius verò *privatum*, & fit privata partium auctoritate. De hoc etenim procedit hic D. R. concludens eo art. *Sic jure privato (scilicet, depositionis mea à Deo sub jure depositi acceptata) habeo jus in corona gloriæ, & ad coronam gloriæ.*

42. Nunc primò probatur conclusio per D. R. loco citato: Deus in corona gloriæ justis tanquam merces, & bravium suorum meritorum reddenda se habet ut justus judex, justitiæque propriæ rationem servat; sed alia locum non habet in Deo circa hoc, quam ea, quæ est juris depositarii propria: Ergo per hanc coronat Deus merita justorum. Major supponitur certa propter dicta suo loco; & quia aliunde de divina justitia lapsissimè in sacris litteris, quæ locutio non ita facile ad sensum improprium detorquenda est. Minor, præterquam quod, per duas antecedentes conclusiones sufficienter convincimus, non posse formaliter Deo in esse justitiam distributivam secundum eam rationem sibi propriam, sicut nec aliam speciem commutativæ, quæ versatur in datis, & acceptis, & est commutationum rerum creatarum, à sufficienti partium enumeratione concluditur.

43. Et ulterius primò probatur per textum Paul. ad Tim. 1. & 4. in quibus fidei R. & est totum illius fundamentum ad hanc stabilendam conclusionem: Sic enim ait 1. *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem justus judex*. Super quæ verba Chris. Teophil. Grot. & alii ex expositioribus *Per hoc depositum significare potest S. Paul.::: remunerationem, quam in altera vita præstolatur::: certò sciens omnia sibi fideliter esse remittenda, ubi novissimo die cum illo apparebit*. Conformiter ad hæc Thimoteum exhortatur. *Thimothæe bonum depositum custodi*: Concordant cum his, quæ cap. 4. adjunxerat: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*: Ex quibus tria concludit R. primum, quod retributio præmiorum in altera vita habetur in divina acceptatione tanquam depositum fideliter reddendum; secundum, quod istud depositum justis debetur ex justitia per modum coronæ suo-

Bb 2

rum;

rum laborum tertium denique quod non modo a Deo retribuatur ut fideli, & misericordiam Domino, verum & ut iusto iudice.

44. Secundò probatur conclusio discutendo per singula ea, quæ ex D. R. deducimus, & quantum ad primum non adest alia cogens ratio, quam illa, quæ ex locis Paul. adduci potest; ubi satis clarè post cursum laborum consummatum sibi coronam gloriæ promittit, quam Deus per modum depositi acceraverat, & servaverat definito tempore reddendam; sed iura depositi privati nil aliud petunt ex se, & ex sua ratione, ut in utroque Canone habetur: Ergo depositum istud Paul. sic est verè, & propriè, & ex iustitia depositum, & maxime cum ex ista proprietate verborum nullum sequatur inconveniens. Quod autem depositum istud iustis in capite Paul. ex iustitia debeat, & tanquam corona meritum futurum, ipsa natura depositi ita esse debere declamat, simulque expressa littera 4. satis convincit: *Reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* Unde utrumque concluditur; & quod gloria sit depositum ex iustitia reddendum, & præterea tanquam corona laborum; taliter enim Deus accepit depositum servare iustorum. De ultimò R. non est ambigendi locus; cum tam asseveranter dicat Paul. *In illum diem iuris iudex.*

45. Tertio probari potest conclusio: Ideo merita iustorum fundare nequeunt jus strictum ad coronam gloriæ aliquo modo ex propriis iustitiis; quia Filius ad Patrem, nec servi ad Dominum, est propria iustitia; sed licet hoc locum teneat in aliis speciebus strictæ iustitiæ, tamen non repugnat in iure depositorio, privato sit, aut iudiciale: Ergo et si Deus sit Pater, & Dominus teneri potest ex iustitia illa scilicet depositoria ad merita iustorum sic, vel sic coronanda. Minor probatur: In Pupillis, & minorensis, ubi Pater constitutus depositarius Maternæ hereditatis ex iustitia tenetur eam reddere tempore à legibus, vel Magistratibus præfinito: Ergo hic non obstat, ut filius ex iustitia obliget Patrem, & Pater teneatur ad filium iure depositarii: Ergo Pater ille cœlestis, qui nostra bona opera meritoria accepit loco depositi

si servare tempore à se præfinito, sibi libere imposuit debitum quoddam ea reddendi ut corona iustitiæ, & gloriæ, quin hoc suæ offenderet Majestati.

46. Denique probari potest conclusio: Depositum, quod quis accepit ut meum, & mihi reddendum, est tale meum, & ad illud jus strictum habeo, depositariusque tenetur de iustitia mihi in illo deposito; sed corona gloriæ pro meritis est tale depositum à Deo tanquam meum acceptatum, & reddendum: Ergo retributio hæc, & redditio coronæ gloriæ est talis ex propria iustitia. Major satis constat in promissis, & Donatis, ubi jus strictum fundat ad ea promissarius, & donatarius præcisè ratione acceptationis, & determinationis liberæ, & Donantis, & promittentis; at si præterea Donans, vel promittens acceptare vellet tanquam depositum ea donata, ulterius teneretur iure privato depositarii, & ex iustitia obligaretur ad depositum tempore definito reddendum, quantum magis in deposito coronæ gloriæ, ubi ratione meritum iusti de suo aliquid apposuerunt, ut R. dedit in 1. dist. 17. Minor vero satis probata manet per textus, cum alia ratio adhuc congruentiæ assignabilis non sit, Consequentia verò sequitur.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

47. PRIMO arguitur contra primam conclusionem: Ratio formalis propriæ iustitiæ distributiæ non dicit ex sua natura imperfectionem, à qua depurari possit: Ergo non est cur Deo negetur formalitas huius iustitiæ. Antecedens probatur: Non dicit imperfectionem ex conceptu propriæ iustitiæ, quia hæc est Dei attributum: Ergo neque quia distributiæ sit. Probatur hæc consequentia: Non dicit imperfectionem ex sua ratione formali commutativa iustitiæ ut talis; siquidem hæc de Deo dicitur, non modo eminenti quodammodo, verum etiam formaliter, ut superius dicebamus de ea iustitia, quæ oritur ex acceptatione depositi, quæ quidem verè commutativa est, quatenus dicit, & petit æqualitatem rerum, ita quod ea ipsissima

fit res in depositum tradita; quæ à depositario tribui debeat deponenti: Ergo si hæc commutativa nulla admiscetur imperfectione, nec alia distributiæ.

48. Respondetur ad argumentum libenter concedendo, ut debemus, formalitatem iustitiæ nullam dicere imperfectionem in se, ideoque de Deo esse verè prædicabilem; ac similiter inter species propriæ iustitiæ solum à Deo relegatur illa, quæ vocatur legalis, quatenus hic summus Dominus nullis suæ communitatis subdi potest legibus; de aliis verò duabus speciebus, ut puta, distributiæ, & commutativa non renuimus tenere, & asserere, esse perfectiones simpliciter simplices, & ex sua ratione quidditati nulla dicere imperfectionem; cum quò adhuc concordamus, quod in subiecta materia, videlicet, in coronatione meritum neutra iustitia exerceatur, non quia imperfectæ sunt, sed quia materia nostrorum meritum in ordine ad gloriam non est talis, ut circa eam verteretur hæc duplex iustitia in sua propria quidditate. Vel dicendum erit, quod utraque iustitia in actu primò considerata de Deo dicitur formaliter propter rationem argumenti, non verò in actu exercito sui; ex defectu termini, in quo haberet exercitium licet dicuntur plures de divina omnipotentia ad extra productiva, qua suam infinitudinem in actu exercito non ponit; non ex defectu sui, sed purè quia terminus illius deficit.

49. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Ratio eadem, qua convincimur ad hoc, ut de Deo dicamus veram, & propriam iustitiam; ipsissima intervenit, ut hæc in iustis præmiandis, debeat esse stricta commutativa: Ergo ab hac est illa corona iustitiæ; de qua Apost. Antecedens probatur: tenemur ad veram, & propriam iustitiam in Deo concipiendam ratione textuum; & PP. sententias; sed similibus locis concluditur, hanc iustitiam eam esse, quæ commutativa sit, ut in datis, & acceptis, ac quæ in commutationibus reperitur: Ergo si in sensu proprio accipiuntur textus sacri, ut debet esse, utrumque probatur ex eis, & stricta iustitia, & vera commutativa. Minor probatur per unum, aut al-

terum textum, quem dabimus, & sit primus 1. ad Corinth. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet;* ubi nomine mercedis regnum Cœlorum vocatur hic, & repetitis in locis, quod & venundatur, à iustis amittitur prætio suorum laborum. Alius in idè coincidit Jerem., *Et est mercus operum tuorum;* sed in his Cœlum venale proponitur, simulque vera commutatio stabilitur, in qua pro æternis temporalia commutantur cum arithmetica earum rerum æqualitate: Ergo & vera iustitia commutativa Deus utitur in præmii æterni retributione.

50. Minor, quod secundum, quod continet, probatur: Præmium, quò amittitur merx æternæ gloriæ, & pro quo gloria ea commutatur, sunt fides, & spes charitate formata; sed inter has, & res commutatas est æqualitas arithmetica: Ergo totum verificatur hic, quod in stricta iustitia commutativa elucet; nimirum vera rerum commutatio; & præterea earum rerum arithmetica æqualitas. Major est Trident. & minor probatur: In corona iustitiæ, & æterna beatitudine reperimus Dei visionem, quæ fidei respondet, perpetuam Dei dilectionem, gaudium, & ipsius possessionem, quæ spei, & charitati; sed huiusmodi actus omnes sunt æquè liberi, humani, vitales, & superni, solumque veluti accidentaliter differunt: Ergo in eorum entitate est æqualitas arithmetica: Ergo si inter eos est præterea vera, & propria commutatio in gloriæ corona, est insuper in eis vera iustitiæ commutativa species conceptibilis, nullo habito inconvenienti.

51. Respondetur ad argumentum; & per prius ad ea, quæ ex textibus sacris deducuntur; dicimus: Quod locutiones eæ, quæ denotant, gloriam iustorum esse mercedem, sic debent intelligi in sensu proprio, ut ea, quæ significant, vera sint, sicut cum Dominus dicit Joan. 15. *Ego sum vitis vera;* non verò taliter, quod sensum grammaticalem, & veluti litteralem denotent: Est enim gloria merces operi nostro; tum, quia eo promeretur, est, que etiam tanquam ipsius operis, seu laboris stipendium; dicitur insuper Cœlum venale, sicut nos empti sumus prætio sanguinis Jesu Christi, & ad modum quo

quo gratis venundati fuimus per peccatum: quin in horum verborum proprietate apprehendere valeamus illam strictam & magis propriam, quam in humanis commerciis, & communicationibus habet suum locum, quæ est vera justitia communitativa, & hanc esse illam, quam à Deo relegare tentamus: Non sic discutere licet de divina justitia, ut in sacris litteris, quia hæc est specialis Dei nota, & ejus æquitatem manifestat, & aliis encomiis digna censetur; unde non est cur cum deterioribus denominationibus comparatur & loquutionibus, quales sunt emptio, venditio, &c.

52. Ad rationem in argumento allatam, dicimus, vera esse ea omnia, quæ ibi afferantur, cæterum iis omnibus computatis, adhuc non habemus veram justitiam commutativam in retributione gloriæ æternæ; fundamentum hujus est, quod habemus in R. hic art. 2. ait enim: *Gloria, & merces à Deo, & gratia est meritum à Deo; & sic ex utraque parte totum attribuitur Deo; sed Deus sibi ipsi æquatur aequalitate rei: Igitur in commutatione, qua redditur gratia pro gratia est aequalitas rei: Quibus licet stantibus, cum præterea hic deit proprietatem, & dominium ad veram commutativam justitiam requisitum, quamvis cætera profint, negatur à D. R. illa strictissima justitia, quæ propria est commutationum. Consonat D. Thom. 2. 2. q. 61. art. 1. ubi docet ad 5. pertinere ad hanc commutativam jus istud Dominii, & proprietatis utrimque. Fundatur in L. *meorum*, & leg. *Id apud* 143. ff. de Verb. signif. & alibi. Consequenterque licet fides, spes, charitas sequentur actibus beatitudinis, & hæc sit vera remuneratio illorum, non servatur adhuc vera justitia commutativa in eo, ex defectu Dominii, & proprietatis utrobique: idèoque alio respicere deberet justitia divina in corona meritorum, quam ad strictam commutativam, de qua hic, & communiter.*

53. Tertio arguitur contra tertiam conclusionem: Arist. 5. Ethic. ubi satis de justitia inter homines, loquendo de Diis, sic prosequitur: *Ridiculi sanè viderentur, si commercia facerent, & deposita redde-*

rentur, ex quibus argumentari licet: Reddere deposita, & ad hæc obligari, est idem, ac depositarium constitui; sed hoc ridiculum visum fuit Arist. respectu Dei, & Dominorum: Ergo quod Gentili non placuit, non decet quod verò Deo tribuamus. Ad argumentum responderi potest de deposito, quod non caderet sub dominium depositarii. & hoc Deo repugnat, cum sit Dominus omnium. Aliter dici potest: Quod esse depositarium in voluntarium, seu judiciale, sive sequestratorem est Deo indecorosum, & suæ majestati non quadrat, alium modum depositarii, nimirum voluntarii, & privati, possumus Deo attribueri; nam tale depositum ex se nullam dicit imperfectionem, nec cum suo Dominio pugnat, oriturque à sua voluntate, quia liberè voluit hoc depositum servare in illum diem; & de hoc procedit resolutio N. Baconii.

54. Quarto arguitur: R. hic ad suum assertum itabiliendum, assert textum cap. *Jus naturale*, cum glossa hujusmodi: *Scio, quia tibi mea commendavi*, cum quibus argumentum conficitur: Ex his glossæ verbis, sicut legitime probatur jus depositi, & justitia deponentis, sic etiam convincitur supile jus depositarium respectu nostrorum operum Deo repugnare: Ergo ita est. Antecedens Probatur: Ad veram rationem depositi requirit glossa, quod res deposita sit propria deponentis, & ex eo sequitur, quod non sit depositarii; & est ratio, quod hic contractus bonæ fidei, & lucrativus est talis conditionis, ut per illum dominum rei depositæ, quod erat deponentis, non transfertur in depositarium, idèoque si res deposita perit, non depositatio, sed deponenti perit, & ad hæc alludit gloss. *Scio quia tibi mea commendavi* sed Deo, tali jure, depositarium constitui repugnat, & suo dominio non decet: Ergo ex illis iisdem verbis, quibus R. probat assertum, potius contrarium concluditur.

55. Hoc argumentum est, quod unice urgere potest R. & ejus sententiam, & maxime cum sistat in regula generali contractuum, à qua nulla ratione deviare possumus, nisi velimus hujusmodi quidditates pro nutu explicare, & cum placuerit

cuerit ad sensum nostrum detorquere; sed quidquid de hoc sit; semper debet esse certum, quod ad rationem veri depositi requiritur, quod deponens habeat dominium rei depositæ; unde in casu nostræ resolutionis, Deus non constitueretur depositarius coronæ gloriæ justorum, quin justii haberent jus aliquod, & dominium in coronæ gloriæ, & ad coronam gloriæ; ut hic circa finem asseverat R. Quomodo ergo componi possit jus istud, & dominium justorum cum summa, & suprema proprietate Dei supra gloriam, & beatitudinem nostram, est opus, & labor, & ita concordatur.

56. Et ante omnia, certissimum est, incompatibile non esse Dei supremum dominium in aliquas res creatas simul cum dominio proprio, & directo creaturæ in res easdem: Patet assumptum in actibus liberis purè moralibus respectu quorum duplex exercetur dominium proprium, & directum, & Dei ut causæ primæ, & creatæ voluntatis simul; ex quo deducitur hæc necessaria consequentia: Igitur ex hoc, quod Deus sit Dominus supremus gloriæ justorum, non benè sequitur, quod justii adhuc nullum habeant jus proprietatis, & Dominii in hac gloriæ corona; sicut ex supremo Dei Dominio in illos liberos actus morales, non negatur particulare, & proprium dominium creatæ voluntatis. Argumentatio satis efficax est, etsi materia diversa sit utrobique. Actus enim nostræ beatitudinis, & gloriæ justorum sunt Dei, & proxime à sua gratia orti, quod non habent alii mere morales; cum purè naturales sint, & respectu eorum solum generalem influxum Deus exerceat.

57. Unde ut ab his expediatur, & arguimento fiat satis necesse, habemus explicare, qua ratione justis comperat jus ad coronam gloriæ, ac proinde gloria ea sit sua, ut cadere possit in Dei depositum, Deusque esset verè depositarius justorum, ac ad eos teneatur ex specie ista justitiæ depositorum, quæ commutativa, sua ratione, est: Enim verò ad gloriam jus habent justii omnes fundatum in divina promissione, & pacto sapienter in sacris litteris revelato, sit justitiæ, sit fidelitatis; hoc pactum est iisdem justis

onerosum; nam sic est eis concessa proprietas gloriæ ad minus moralis usque ad possessionem illius, dicente Apost. Rom. 8. *si lumen compatimur, ut & conglorificabimur*; Præterea inest justis dominium proprietatis, & operationis, quatenus, scilicet, ea ipsa gloriæ, & beatitudo integratur visione creatæ, & voluntaria fruitione Dei, quæ quidem cadunt sub spheram, & causalitatem intellectus, & voluntatis creatæ, est divinis adjutoriis fulciantur: Ecce tituli proprietatis, & dominii creaturæ in actibus, quibus corona gloriæ constituitur; sufficientesque ut materia depositi esse possint; cui Deus voluit superaddere novum pactum, quo constitutus fuit ulterius depositarius talis gloriæ in die æternitatis servandæ, & reddendæ ex ea justitia, quæ pro talibus depositariis propria est.

58. Vides, quomodo omnia rectè cohæreant, primo: Dei supremum Dominium in coronam gloriæ, & creaturæ simul jus proprietatis ad illam; tum; ratione promissionis, & pacti; tum; ratione principii proprii, & proximi eorum operum, quæ gloriam istam constituunt; secundo: Quod Deus acceptaret gloriam istam, & coronam in depositum servare, ut verus illius depositarius constitueretur; sicut per Paul. revelavit, quin ipsi Deo deficiat aliquid ad hoc officium; nec ad gloriæ creatæ coronam desit jus illud proprietatis sufficiens, ut ea propria dicatur res deposita, & creatura sit deponens. Et ut omnia concludamus, contractus iste depositarius est bonæ fidei divinæ, & creaturæ deponenti lucrativus; & quoad translationem Dominii sciri debet: Quod contractus iste petit non transferre Dominium; sicut alii hujusmodi, cæterum perimit utrimque Dominium supra rem depositam, ut superius de Materna legitima dicebamus; unde huic contractui non obest, quod Deus sit Dominus gloriæ justorum, & simul quod justii habeant jus aliquod, & tale quale Dominium in eandem gloriæ.

59. Sed contra: Adhuc non assignatur discrimen inter jura commutativæ justitiæ; cur, scilicet, species illa commutationum Deo repugnet, non verò illa, quæ est propria contractus depositi? Ergo nul-

nulla est solutio. Antecedens probatur: Ad utramque speciem commutativæ justitiæ solum desideratur proprietas, & dominium rei, saltem aliquale; sed in corona gloriæ respectu Dei, & justorum hæc ratio reperitur: Ergo nullum est discrimen, ut Deo neque mutationem propriæ commutativæ, quæ non sit specialis juris depositarii. Per responsum clarificet instantia: Dicimus namque, quod ad eam propriam justitiæ, quæ est communis pro commutationibus; ita desideratur proprietas, & dominium rei in contractibus, ut in vi contractus transferatur utrinque dominium; ut videtur in emptionibus, & venditionibus; ideo hujusmodi contractus afferunt communem utilitatem, quod totum Deitati dedecet, & repugnat. Ad alios vero contractus, & in quibus rei non transferatur dominium, ac tantum in unius cedant commodum; sufficit aliquale rei dominium in contrahentibus, & hoc convincit, non debere esse in eis utilitatem communem. Ecce notabile discrimen; & omnium maximum sit locus expressus Pauli citatus pro jure depositarii, qui non habetur clarior pro alia specie justitiæ commutativæ.

60. Ultimo arguitur: Jus depositarii, & depositarii, adhuc privati affert secum aliquas imperfectiones Deo repugnantes: Ergo Deo nequit proprie convenire illa species justitiæ. Antecedens probatur; primo: Quia depositarium subdi tenetur voluntati deponentis, & semel habito contractu depositarii sit depositarius deponentis, & ad rem depositam obligatus; sed hic apparet, quam indecorosum sit Deo, sic constringi, & obligari: Ergo. Secundo: Siquidem jus depositarii constituit æqualitatem inter ipsum, & deponentem; sicut quodlibet aliud justitiæ strictæ; de cujus munere est, talem æqualitatem ponere; sic videlicet, quod sicut deponens suo jure possessorio privatur per depositum, ita depositarius eo privatur ad nutum deponentis; sed æqualitas Dei ad creaturam omni rationi repugnat: Ergo & talia jura servare.

61. Responderetur ad argumenti

primam probationem; quod Deus nullo modo subderetur voluntati creaturæ; sed solum quia libere accepit in depositum servare pro justorum meritis gloriæ coronam; hæc eadem suo tempore ab eo retribuitur, & redditur, quatenus ad id obligatus fuerat in vi sui pacti, & veluti contractus, quia ex eo aliquid dedecoris ipsi obveniret, cum à se ipso, & sua potentissima voluntate sic determinavit, esse, & fieri; in quo non solum manifestaret suam piissimam misericordiam, præterea fidelitatem in promissis, sed ulterius æquitatem, & justitiam in reddendis depositis. Ad secundum denique dicimus; quod justitia omnis constituit, & ponit æqualitatem in rebus; de quibus contrahitur, ceterum non inter personas, entitates, & dignitates contrahentium; unde hæc æqualitas ut verificetur, & salvetur, arithmetica ea proportio solum desideratur sic, quod res se habeat sicut per contractum conventum fuerit, servata æqualitate rei ad rem suo jure, & ordine.



QUÆ

QUÆSTIO IV.

Utrum opera omnia justorum bona, & deliberata sint æternæ gloriæ meritoria à charitate præcisè?

62. **T**Ractamus nunc de virtutibus moralibus, & quia in eis quædam sunt infusæ, & ad ordinem supernaturalem pertinent, aliæ vero acquisitæ, & parè naturales sunt, de utrisque potest esse difficultas, & de illis resolutio. Et per prius sciendum, quod nunquam de his virtutibus nude sumptis, & ut à charitate sunt separatæ, dubitare debemus, cum sit adeo certum, non existente gratia, & charitate, nullum adesse meritum; unde tota lis, & DD. dissertatio sistit in modo, quo charitas cum eis se habere debeat, ut actus taliter virtuosus evadat simul æternæ vitæ meritorius. Præterea idem inquirendum venit de fide, & spe, quæ quamvis Theologicae sint, & fortè per se, & proprius supernæ, quoad meritum eadem est ratio in eis, ac in reliquis virtutibus, quamvis deterioris sint conditionis, & dignitatis, ut infra constabit.

63. Charitas enim cum reliquis virtutibus, adhuc Theologicalibus, potest considerari, ut materialiter, concomitanter, seu habitualiter coexistens cum illis, ut quando quis in gratia constitutus, in his, vel aliis virtutibus exerceatur, nil desine, & objecto charitatis curando, nec actu, nec virtute; potest insuper concipi charitas ad alias virtutes, & suos actus formaliori, & proximiori modo, auxiliè, scilicet, ut quando elemosinam quis largitur propter Dei amorem; vel virtualiter, ut puta, cum in principio

Tom. IV.

diei v. g. intendat omnia opera virtuosæ, quæ casu in ea exerceret in divinam charitatem referre, vi cujus generalis intentionis virtualiter imperatur ab actu charitatis quilibet actus virtuosus illius dici, quatenus existit, etsi non actu, in virtute tamen illius intentionis non retractata, aut aliquo ipsi contrario non impedita, seu irritata.

64. Proprius ad intentum accedendo, supponimus, vera fide tenendum, dari in justis opera virtuosæ meritoria æternæ gloriæ, & inter eos sua differentia meritorum, contra Hæreticos Novatores, qui ut homines à virtutibus relegarent, omnes æquales esse in sanctitate automarunt; contrarium docente Sancta Matthe Ecclesia ex sacris litteris, homines pios, & justos ad profectum spirituales invitante. Supponimus etiam contra Bajum in omnibus actibus charitatis viatorum, verum meritum gloriæ, & augmentum gratiæ reperiri, insuperque tenere, & credere debemus sine ista charitate nullum adesse posse meritum hujusmodi propriè tale. Prætereaque præter actus charitatis dari actus plurium aliarum virtutum, qui etiam sint ejusdem gloriæ meritorii Sanctum Trident. declamat juxta utriusque testamenti litteras, & textus. Quibus innixi DD. quidam non bene senserunt de iis, qui hujusmodi virtutibus negant rationem meriti ad præmium essentialis gloriæ, licet non à charitate imperentur.

65. Nunc declarare possumus sensum propositæ difficultatis in hunc modum: Si namque virtutes omnes Theologicae præter charitatem, simulque morales, acquisitæ sunt, vel infusæ sunt æternæ gloriæ meritoria in homine justo, & Deo charo existentes, est tota ratio difficultatis, inquirere, num ad rationem merendi, quæ his virtutibus competit, sufficiat coexistentia habitualis, & materialis charitatis? Vel an ulterius desideretur imperium hujus majoris virtutis actuale, sive virtuale? Ac denique si adstruenda sit differentia aliqua quoad hoc inter eas infusæ, & acquisitæ? A quibus, ut expediamur, variæ proponuntur sententiæ Theologorum antiquorum, & recentiorum, ut ex his quid nos te-

Cc nere

nere debeamus, per varias etiam conclusiones resolvamus.

66. Et in primis N. R. repetitis in locis agit de merito iusti, ut in 1. dist. 17. in 4. dist. 14. q. 1. & lib. quolib. q. 8. ponit insuper differentiam virtutum in 3. dist. 34. & signatè loquendo de presenti dubio nil expressum reperio; supponit ergo, ut patet, extollentiam charitatis, & damindispensabilem ad meritum declarat; nec quoad hoc aliquid specialiter resolvit circa virtutes infusas, ut ab aliis distinguuntur, cæterum hoc sic stante, quantum valeamus ejusdem doctrinæ in nostra stabilienda adhærendum, debemus. Circa Doct. Ang. scio repetitis in locis, tum in sententiaris, tum in summa Theologiæ, ac in disputatis de hac materia tractare, & ibi præbere solidissimum fundamentum, ut quis ex suis discipulis suam adstruat conclusionem, & maxime in hac q. art. 4. Non vidi expressum quid in aliis DD. antiquioribus, & propterea sic, vel sic ad nutum à recentioribus citantur, D. Subt. in 2. dist. 27. B. Egid. ibi, & dist. 41.

67. Sententiæ, autem, quæ isto tempore inter DD. circumferuntur, alia tenet, virtutes omnes morales suo modo infusæ, adhuc & acquisitæ simul cum fide, & spe, esse æternæ gloriæ meritorias, supposito imperio charitatis actualiter, vel ad minus virtualiter coexistenti illarum actibus. Hæc videtur fuisse D. Thom. specialiter q. ista, & satis clare, ut patet in art. 4. fronte, ubi quærit: *Utrum Gratia sit principium meriti principaliter per charitatem, quam per reliquas virtutes?* Et in corpore sentit modum istam dicendi. Sequuntur Thomistæ, recentiores Belarm. Lorca, & plures, qui Bonavent. in 2. dist. 37. pro se citant.

68. Secunda sententia indefinitè de omni virtute superna, infusa, sicut & acquisita, tenet earum actus, si ab homine iusto, & grato eliciantur, esse æternæ gloriæ meritorios, etsi nec actu, nec virtualiter a charitate impetentur, ad quod sufficere asserunt illius Patroni coexistentiam charitatis præfatæ tempore eorum elicientiæ. Hæc est Vazq. hic disp. 117. cap. 2. citans DD. aliquos antiquos, ut puta, D. Thom. Cajet. Capreol. eam-

que esse conformiorem textibus sacris docet. De tertia videri potest Suarez, loco supra citato, qui cum aliis viam mediam eligens non de omnibus actibus bonis, sed solum de supernaturalibus, & ad ordinem gratiæ expectantibus, ut sunt fidei, & spei, & infusarum virtutum, præfatam secundam sententiam sustinendam judicat: omittimus sententiam eam, quæ soli fidei actibus tribuit rationem meriti, & aliam similiter, quæ soli charitati merendi facultatem respectu præmii essentialis concedit; cum utraque, etsi sua probabilitatè non careat, non benè recepta est apud Theologos utriusque doctrinæ ratio. Viam mediam eligendam proponimus per sequentes conclusiones.

69. Conclusio prima: Actus solius charitatis, nec fidei similiter solius, unicè, & per aliarum virtutum actuum exclusionem non possunt esse sic æternæ gloriæ meritorii. Conclusio hæc est communis, & aded sacris litteris conformis, primòque probatur per Trident. sess. 6. cap. 16. per totum, ubi tractans de fructu justificationis, de merito bonorum operum, de què ipse meriti ratione, expressissimè complectitur totius legis observantiam, omnium bonorum actuum cumulum, si in Deo sint facti, ex quibus integratur tota meriti ratio, & maxime ad ista verba: *Nihil ipsis justificatis amplius de esse credendum est, quo minus planè illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hoc quidem statu satis fecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse, censeantur*: Igitur non modo per charitatem, & fidem verè gloriam promerentur, sed etiam per actus præcepti, & Consilii aliarum virtutum, quibus tota lex adimpletur, & observatur.

70. Conclusio secunda: Actus virtutum, qui purè naturales sint, & non sub sint imperio charitatis, non sunt præmii essentialis meritorii. Hæc est plurimorum DD. & credo, eam esse R. licet, ut supra dicebamus, nil expressum circa hoc reliquerit ex instituto, cæterum mens ejus satis constat in 3. dist. 20. art. 3. ubi tenet, nullum dari meritum sine charitate afferens ad hoc statuendum locum Paul. 1.

ad

ad Cor. 13. quæ sapius dedimus supra hic. Videturque conformior sacris litteris, & Trident. Primòque probatur per textus ex quibus unum, vel alterum proponimus, sit primus Joan. 15. *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo hæc fert fructum multum.* Alius sit Luc. 9. *Quicumque susceperit talem in nomine meo me suscipit.* Omittimus alios, quia non ita directè faciunt pro proposita conclusione negativa, & pro omnibus asserimus Trident. loco supra ejus citato in cap. 16. sess. 6. *Cum enim ipse Christus Jesus tanquam ca, ut in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter influat, quæ virtus bonorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis, amplius de esse credendum est, quo minus vitam æternam promeruisse censeantur.*

71. Nunc ratio nostræ conclusionis ex his deducta: Ut actus aliquis virtuosus sit æternæ gloriæ meritorius, debet aliquam saltem proportionem habere cum illo præmio; sed actus virtutis acquisitæ quicumquæ sit, secluso charitatis imperio, sive actuali, vel ad minus virtuali, nullam dicit proportionem cum gloria sanctorum: Ergo nec illius meritorius potest esse. Minor probatur: Actus hujusmodi purè naturalis est, & solum ea bonitate bonus, quæ sit de naturæ ordine, & nullo modo ad spheram gratiæ pertinens: Ergo cum illa gloria improporionatus. Patet hæc consequentia; si quidem, ea, quæ gratiæ non sunt, nec gloriæ possunt eoaptari. Antecedens verò probatur: Actus talis virtutis ex nullo capite ad ordinem, & lineam gratiæ pertinet: Ergo ex omni principio est purè naturalis.

72. Antecedens probatur quo ad principia extrinseca: Deus in primis est illius causa prima, ut author naturæ est, quia videlicet sua elementa sunt purè naturalia: præterea; objectum illius, & finis sunt quid naturale; ut puta, in elemosina, alienæ miseriæ subleatio; aliàs: Supponimus non fieri, & elici propter Deum, & ex amore, & imperio charitatis: Ergo naturalis erit talis actus virtutis acquisitæ, si attendantur principia illius extrinseca. Quoad principia illius intrin-

Tom. IV.

seca sic probatur illud antecedens in istum modum: Principium hoc deberet esse gratia Dei per Christum, concomitans, antecedens, & subsequens; sed gratiam istam non expectat actus virtutis acquisitæ ad sui elicientiam: Ergo nec ex hoc capite haberet, quod non sit purè naturalis.

73. Major est citat. cap. Trident. & minor probatur: Actus hujusmodi virtutis acquisitæ non superat vires creatæ facultatis; præterea; in talem actum Christus Dominus non influit, sicut caput in membra, vel sicut vitis in palmites; cum sine tali influxu elici possent; ac denique: Gratia ea, quæ est per Christum Dominum in preveniens, & concomitans, de qua Trident. & quæ erat Scopus August. cum Pelagianis est præcisè desiderata ab actibus supernis, & salutaribus, aliàs in vanum cederet tota illa controversia; sed actus virtutis acquisitæ, quam præ manibus habemus, non est illius rationis, nec objectum August. in puncto gratiæ per Christum desideratæ: Ergo hæc non debet expectari ab actibus virtutis acquisitæ, & naturalis, inspecta, & considerata sub ea ratione, de qua Trident. Aliæ probationes videri possunt apud AA. majoris notæ.

74. Conclusio tertia: Actus omnes virtutum infusarum, quæ ab homine iusto eliciantur, sunt vitæ æternæ meritorii, adhuc non expectato actuali, vel virtuali imperio charitatis, sufficeret tamen, si habituale esset. Conclusio assumitur, ut conformior textibus Sacris, ubi tantopere commendatur cumulus harum virtutum, quibus integratur civilitas Christianæ vitæ, ut ad æternam conducens, & ordinatur, cuique tanquam merces, corona, & præmium proponitur. Concordaturque optime cum doctrinis supra datis tract. 12. q. 13. ex R. in dist. 36. ubi brevibus concludit diversitatem inter virtutes infusas, & acquisitas repertam. Videturque esse plurimum antiquorum Theologorum, quos referunt DD. supracitati: Et licet aliqui adhuc ad has infusas virtutes meritorie exercendas imperium charitatis exigant, ad ultimum contenti videntur habituali, & concomitante.

Cc 2

73. Pri-

75. Primò probatur hæc conclusio pluribus, & repetitis locis sacris, ubi exercitium omnium virtutum commendatur tanquam meritum æternæ remunerationis; sed non debent accipi pro naturalibus, & adquiretis: Ergo de infusis, & supernis. Major probari potest variis textibus, qui obvii sunt apud omnes; minor verò patet per rationes præcedentis conclusionis, & consequentia, ut jacet, & præmissa, ut debet, ab omni imperio charitatis, probatur primò: Virtutes eam infusse, quas q. 12. citata statuimus, regulari debent in suis actibus, & functionibus supernaturali prudentia innaxæ, & fidei lumine fundatæ: Ergo actus talium virtutum meritorii sunt æternæ gloriæ. Antecedens constat: Nam ejusmodi virtutes, & actus sunt proprii Christianæ vitæ, & ut in plurimum, & alio lumine superiori ad rationis regulari debent, ut ita expediantur.

76. Prima hæc consequentia probatur ratione, quæ & est simul secunda probatio illius principalis consequentiæ: Actus virtutum, qui prudentia, & fide supernaturali regulantur, sunt condigni gloria sanctorum ex se, & secundum suam propriam essentialiam considerati: Ergo si supponatur Dei promissio, sunt ejus gloriæ meritorii, adhuc secluso, vel non interveniente imperio charitatis. Antecedens probatur: Actus supernaturalis virtutis, si gratia, & charitate formentur, sunt proportionati, & coaptati ad gloriam sanctorum, adhuc quod non imperentur, vel ordinentur ad finem immediatum charitatis: Ergo ex se considerati, & secundum suam essentialiam sunt digni gloria sanctorum. Probatur antecedens; tum quia sacri textus, qui de talibus actibus virtutum loquuntur, & illis gloriæ ut mercedem, & coronam promittunt, nullam de imperio charitatis mentionem faciunt: Ergo quia eis nudè sumptis correspondet ea gloria ut condignum præmium.

77. Tum etiam probatur idem antecedens: Actus illi sunt laudabiles; Deo acceptabiles, & honore digni, quamvis non imperentur, vel ordinentur per charitatem; sed in hoc consistit condignitas ad gloriæ mercedem; ergo non præ intel-

cto imperio charitatis istam subeunt condignitatem ad gloriam. Minor cum consequentia tenent, & probatur major: Imperium charitatis solum tribuit illis actibus taliter virtutis perfectiorem condignitatem, extrinsecus tamen, & per modum circumstantiæ finalis: Ergo quia supponitur in eis intrinseca, ut sic dicamus, condignitas ad gloriam, tum ratione dignitate personæ per gratiam, tum præterea, ex propria bonitate objecti, tum denique quia eliciti sint in commune bonum Christianæ vitæ, quæ in suis functionibus prudentia Cœli, non mundi, & fide divina regulantur: Igitur de primò ad ultimum habent ex se eam condignitatem sufficientem ad æternæ gloriæ mercedem. Omittimus hic textus ad litteram, & PP. auctoritates, quia aliqua ex iis, quæ inter argumenta dabuntur convincere possunt intentum nostrum.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

78. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Et in primis de Altitodorenf. Sententia argumentum parum urgere potest, cum nulla appareat in textibus, quos pro se citat, ratio convincens, & loquendo de fide, solum illi, qui eidem tribuunt totam vim ad nostræ salutis assequutionem proponuntur, ut est Math. 9. ubi Christus, mulieri, quæ fluxum sanguinis patiebatur dixerat, sanitati restituta: *Fides tua te salvam fecit*: & ad hunc modum possemus alios adducere; omittimus enim fundamentum Altitod. ut à Patre Vazquez affertur, quia nec nos capere possumus, unde urgeat illud Paul. 1. ad Chor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major horum est charitas; nec in quo videatur sistere modus ille dicendi.* Fundamentum pro sententia illa, quæ actui charitatis unice tribuit rationem meriti in ordine ad præmium essentiali gloriæ accipitur ex eodem Paul. ita charitatem extollente; ut ad Colossens. 3. *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis*: & ad Ephes. 3. *in charitate radicati, & fundati, ut possitis comprehendere*

prehendere: Clarius Joan. 14. *Siquis diliget me, diligetur à Patre meo, & Ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*

79. Ex quibus locis istud conficitur argumentum: Sola charitas taliter est vinculum perfectionis, ut in ea radicati, & fundati, Deum Patrem diligamus, ab eo que diligamur, ipseque trinè personatus se nobis manifestet, & usque quo eum comprehendamus, hoc est, ut in se est, clarè cognoscamus; sed hoc est præmium essentiali sanctorum: Ergo unica, & soli charitati debitum: Urgetur: Inter virtutes supernas, omnibus evacuatis, charitas verè manet, nam iustum in Patria committatur, ut est germanus sensus Theologorum: Ergo solum ea adæquari, & proportionari valet præmio essentiali gloriæ; cætera verò, accidentali, & secundario. Patet assumptum: Nam reliquæ virtutes idè evacuantur in gloria, quia sunt inferioris ordinis, vel ad minus conditionis: Ergo non ita proportionatæ cum illa, sicut est charitas.

80. Respondetur ad argumentum, & primò ad textus, qui pro parte fidei allegantur, dicimus: Quod ea ratione, qua ad iustitiam faciunt, conducunt ad præsentem, unde æqualiter debent hic, & ibi solvi, accepta videlicet fide, ut per dilectionem Dei operatur in vitam æternam, sicut per textus alios concluditur. Ad illud verò speciosum, si aliquid dicere valeamus, maxime quod concludit intentum nostrum: Si namque nunc manent tria illa, ad quid? Nisi ut per ea fructus uberrimos, faciamus qui nunquam marcescant: Ac denique illorum trium major sit charitas, majorè etiam, & copiosior per illam habebimus abundantiam meritorum. Ex quo ad summum colligi potest, quod simul cum charitate, & non sola charitas, reliqua duo fructificent ad gloriam. Ad aliud de charitate infra non pauca dabimus, pro nunc sufficiat, quod in his locis, & ubicumque de illa agatur, intelligi debent de habitu illius præsentem in anima iusti ad vinculum perfectionis, & Dei faciem visionem assequendam, ut præmium essentiali, & merces suorum operum.

81. Ad rationem ex textibus de

promptam concedimus charitati præfata omnia, taliter quod ea unice sit forma omnium virtutum, & radix totius meriti; itemque quod sit ea sola dignitas personæ, cui præmium debeat; & in hoc nulla est dubitatio; cæterum cum adhuc dentur præter illam actus laudabiles, & superni virtutum aliarum, his etiam debetur præmium idem condignum, & ulterius promissum tanquam illarum merces, & corona; unde charitati debetur, & aliis operibus virtutis etiam ut debitum, præmium essentiali gloriæ; charitati ut formæ dignificantis reliquis verò ut dignificantis; charitati, principaliter; aliis, minus principaliter; his ratione illius; illi per se, sed non unica, & soli, omnibus vero de condigno.

82. Sed contra: Charitati sic debetur præmium essentiali gloriæ, ut in illa sola resideat, & verificetur condignitas ad hoc præmium: Ergo illa unice est æternæ gloriæ meritoria. Antecedens probatur: Sola charitas est forma dignificans personam merentem, & ejus actus laudabiles: Ergo ea sola meretur de condigno præmium essentiali. Antecedens videtur certum, & constat ex dictis, consequentia probatur: Condignitas ad præmium fundatur in dignitate personæ merentis; sed unice est à charitate dignitas ea: Ergo & tota condignitas ad præmium. Minor est doctrina expressa R. in 1. dist. 17. art. 5. §. 3. *Verf. Dico primò: Ubi docet, quod solus Deus est dignum correspondens virtuti Deificæ, quæ vocatur charitas.*

83. Ad instantiam respondetur, distinguendo antecedens: In sola charitate residet condignitas ad præmium gloriæ, per se, & primo, concedo; ita quod actus aliarum virtutum excludantur ab ista condignitate, per accidens, & ratione charitatis, nego antecedens. Laborat instantia sua fallacia: In charitate etenim residet dignitas ad præmium gloriæ, & ea sola est principium, & radix huius, & totius condignitatis meritorie, alia verò virtutes supernæ, & infusæ eadem gaudent condignitate, cæterum non æquo jure, nam charitati per se, aliis verò per illam: Ad modum quo in analogatis intrinsecis videmus. Deus solus, & unicus est

est eas à se, & à quo reliqua sunt entia, & propriè, omnibusque convenit illa ratio entis, sed ea notata differentia: Sic de charitate, & reliquis virtutibus discurremus: omnes sunt præmi gloria condignæ; charitas per se, & ratione sui, reliqua ratione charitatis.

84. Secundo arguitur contra secundam conclusionem: Actus cujuscumque virtutis infusa sit, aut acquisita, dummodo eliciatur ab homine pio, & justo est gloriae condignus, digna persona, laudabilis, & honorabilis, proportionatus cum eo præmio; sed hæc sunt requisiti ad meritum de condigno: Ergo taliter sunt meritorii aeternæ gloriae tales actus. Major probatur quoad ultimum, in quo est tota difficultas. Tales actus non possunt elici à nuda potentia creati arbitrii, nisi adjuti viribus gratiæ supernæ, ejusque auxilio muniti; sed actus virtuosus, & honestus, ab homine justo elicitus in vi gratiæ supernaturalis, & ejus auxilii, est gloriae proportionatus: Ergo Minor patet: Nam auxilium gratiæ est proportionativum actus cum gloria, eumque elevat ad eundem ordinem.

85. Major vero, ut probetur, primò possent reproduci eæ omnes rationes, quas dedimus tract. 12. q. 4. & nunc omitimus, quia in isto tom. continentur. Unde alio tendit illius majoris probatio: Si actus omnes formaliter virtuosus non essent cum gloria Sanctotum proportionati, fortè plures essent actus hujusmodi hominis justii indifferentes; nempe nec meritorii, nec demeritorii, ut puta, frequentes eleemosinæ divitis eleemosinarij, quæ indefinenter solent exhiberi pauperibus ad stipem rogantibus, & alij actus misericordiæ, & pietatis, qui similiter eliciantur, nil de Dei amore charitativo curando; sed hoc videtur incongrue dictum, siquidem valde atenuaret divinam largitatem, & qualifigaret, cum tot opera impremiata manerent; & maxime cum ex amore virtutis fierent: Ergo ut istud videretur inconveniens, eligendum est extremum aliud, quod sententia hæc prætulit.

86. Respondetur ad argumentum, & ad primum bene ibi q. 4. citat. & ad secundum inter plura, quæ occurrunt, eligi-

mus concedendos illos actus virtuosos indifferentes inter meritum, & demeritum, ceterum nec tot, nec tales, ut ponderat argumentum; tum, quia ejusmodi actus, ut in plurimum, sunt virtutum infusarum proprii, & infomentum rei publicæ Christianæ elicit, & hi sine dubio omnes sunt meritorii aeternæ felicitatis: Sin autem non ita eliciantur, sed purè propter honestatem naturalem virtutis; ut est illud Domini: *Si diligeritis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis.* Matth. 5. idem Christus nulla mercede dignos reputare videtur; idèdque indifferentes reputat: & quid hæc indifferentia contra divinam largitatem? Cum illis deficiat regulatio prudentiæ supernaturalis, quæ est ratio agendorum in vitam aeternam.

87. Tertio arguitur contra tertiam conclusionem, & ante omnia fit per illud 1. ad Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem non habuero, nihil mihi prodest; & rationem reddens, ait: Charitas benigna est, patiens est, non agit peperam, non amulatur, &c.* Ex quo, & similibus formatur argumentum: Virtutes adhuc infusæ sunt proficiæ, & meritorie ratione charitatis, & sine illa non profunt; sed loquutio hæc, quæ est Pauli intelligi debet in sensu formali, ut urgeat: Ergo ut ita sint, desideratur imperium charitatis. Assumpta probatur: Si tantum sufficeret habitualis præsentia charitatis in homine taliter virtuoso, solum deserviret charitas materialiter, & non per se ad tales actus, ut est communis solatio ad præsens; sed ad hoc non sufficit; quatenus idem Paul. prædicat, quod est omnia, *benigna scilicet; patiens, &c.* quas denominationes non sortiretur, nisi de per se se haberet in his actibus, ut proficerent; siquidem alias nil prodesse: Ergo ut profint, desideratu, ejus imperium.

88. Respondetur ad argumentum, & ad textum Paul. & ad alios quoscumque ejusdem rationis; dicimus: Quod cum charitas sit primum in linea, & ordine superiorum, imperiumque eorum, nullus esse potest actus hujus ordinis gratiæ, qui faciat ad gloriam, & non sit in charitate fundatus, siquidem est omnia, & in omnibus hujusmodi; ceterum non requi-

ri-

ritur, quod in omnibus sit actualiter exercita, sed sufficit esse habitualiter, ita quod ad hoc ut actus quilibet bonus conducatur ad aeternam vitam, satis est, esse hominis pii, justii, & chari: Hucusque nostra doctrina. Nunc autem ad imbibitam instantiam: Duobus modis charitas comitatur tales actus supernos, vel eos imperando; vel dignificando, & sanctificando personam merentem, utrumque sufficit ad meritum, utrumque etiam deservit ad illud per modum formæ: Ergo utrumque formaliter deservit, ut opus virtuosum meritorium sit, aliter tamen, & aliter, & pro munere utriusque clarus dicemus ad instantiam: Quod habitualis præsentia charitatis, et si quasi materialiter se habeat in imperando actus aliarum virtutum, formaliter tamen concurrat ad dignificandum virtuosum, & hoc sufficit, ut ejus actus evadant aeternæ gloriae meritorii.

89. Quarto arguitur: Ad meritum de condigno, de quo tractamus, requiritur proportio aequalitatis illius cum præmio, quæ & arithmetica dicitur; sed actus omnes virtutum infusarum non dicunt talem aequalitatis proportionem cum gloriae mercede; nisi à charitate imperentur, & ad summum, si meritorii sint, non essentialis, sed accidentalis gloriae coronam mereri possent: Ergo. Major videtur certa, & minor probatur; talium virtutum actus sunt deterioris naturæ, & conditionis; & cum peccato compatibles, deficiuntque à vera ratione justitiæ, & sanctitatis: Ergo non gaudent ea proportionem cum gloriae corona; quæ equidem est sanctitas perfecta, & consummata; imò præter fidei, & spei, alij omnes non sunt sic superni in suis essentialibus, sicut charitas viæ, & Patriæ: Igitur non proportionantur ad meritum de condigno.

90. Quinto: Felicitas aeterna, & gloria corona listit in possessione summi boni: Ergo hæc non assequitur actus virtutis infusæ, qui vel charitas non sit, vel ad minus à charitate non imperetur. Consequentia probatur: Tales actus virtuosus non tendit in bonum illud summum, nec illud respicit tanquam objectum, sed honestatem propriam suæ materiæ, si

præscindatur ab imperio charitatis; sed ut esset talis finis assecutivus; cum eoque proportionatus, deberet tendere ad idem objectum, & finem, alias deficeret ab ejus ratione: Ergo nisi esset actus virtutis infusæ aliquomodo summi boni prosecutivus, nec esset gloriae proportionatus, nec illius de condigno meritorius.

91. Sexto denique per illud Joan. 14. *Siquis diligit me, diligitur à Patre meo: & Diliges Dominum Deum tuum: & proximum: In his duobus universa lex pendet, & Prophetæ:* Ergo tota lex sistit in dilectione ista, ita quod ea dilectio unice sit meritoria divinæ dilectionis, & amoris Dei. Probatur: Ubi est tota legis adimpletio, naturalis, scilicet, & supernæ, est totius meriti consummatio; atqui in hoc amore Dei, & proximi est totius legis observatio: Ergo ibi stat omne meritum: Ergo in cumulo aliarum virtutum; adhuc infusarum; si non interveniret hæc dilectio, quamvis esset alicujus legis observatio, non tamen totius, nec verum meritum: Ergo ubicumque reperiat, requiritur hæc dilectio charitatis, vel actualiter, vel virtualiter, eliciens, aut imperans.

92. Respondetur ad quartum argumentum, permitendo eam aequalitatem arithmeticam, quam R. vocat rei ad rem; requirit ad meritum de condigno, eo jure, quo sustineri potest illa major, & minorem distinguimus: Actus virtutum infusarum non dicunt talem proportionem, nisi à charitate imperentur, actu, vel habitu, concedo; actualiter vel virtualiter, nego minorem; & ad ejus probationem similiter dicimus: quod actus virtutis infusæ, si secundum se contederentur, & ex suo objecto, & materia, nec dicunt eam proportionem cum gloria; ipsaque sunt deterioris conditionis, nec sunt denique præmi essentialis meritorii; at verò si elicit sunt ab homine justo, charo, & sancto habent dignitatem eam in persona ipsa merente, quæ sufficit, ut prædictos actus faciat tali modo perfectos, ut gloriae proportionentur, ac fiant cum peccato incompatibiles, & ejusdem gloriae meritorii, non ergo sunt in eodem gradu supernaturalitatis actus harum virtutum cum Theologalibus quia ita

illa sunt tales per se, illi verò ratione fidei, à qua, & prudentia Cælidiriguntur. Exemplum habemus clarum in operibus meritoris, & satisfactoris Christi Domini, quibus dignitas divinæ Personæ merentis, & satisfaciens tribuit valorem illum, quem ex propria materia, & obiecto non haberent.

93. Ad quintum respondetur, distinguendo eodem modo consequens, & ad ejus probationem distinguitur major: Talis actus virtuosus non tendit actualiter, vel virtualiter in summum bonum, concedo; non tendit in habitu, & attenda persona operante, nego majorem; & eo modo distincta minori, dicimus: Quod actus illi, de quibus nunc, & quatenus verè Religioni, misericordiæ Christianæ, pietati, &c. deservunt, elicit verò ab homine iusto, sancto, & Deo charo, est actus solum respiciant objectum propriæ virtutis, habitu tamen ordinantur ad summum illud bonum; suntque via ad illud, ipsaque persona illos eliciens est sufficientissimè dignificata, ut sit talis boni ex se affectiva, & æquo jure de condigno meritoria gloriæ coronæ.

94. Ad sextum, ut respondeamus, dicere possumus: Quod locus ille primus non debet intelligi in sensu præcisivo, hoc est, sic Deus diligit sui dilectores, ut solum diligat eos, qui illum diligunt; sed in sensu positivo; ita quod verissimum sit, Deum diligere eos, qui sui dilectores sunt. Aliter dicendum, quod in Dei dilectione, cum tota lex compleatur, & Prophetarum dicta concludantur, ut habemus in secundo loco, eos omnes, qui Deum diligunt, Deus diligit, & bonis omnibus gratiæ, & gloriæ replet; at cum dilectio ista charitativa vel esse possit in actu specioso sui, vel in habituali permanentia in anima justæ, etiam Deus diligit eos, qui illum diligunt in habitu, sicut dilectores in actu unde qui habitu Deum diligit, si aliunde Deo obsequitur in aliarum virtutum exercitio, in hoc præterea à Deo diligitur, & ratione harum virtutum, & maxime propter charitatem, qua dignificatus, & decoratus exitit.



QUÆSTIO V.

Utrum possit dari meritum æternæ Gloriæ, in quo non sit charitas infusa?

95. **D**E hoc puncto R. in primam dist. 17. & 1. quodlibet. q. 8. expresse suam mentem proponit & declarat, de quo etiam nos hic breviter, quatenus tom. 1. tract. 3. q. 7. & tract. 4. q. 11. & in hoc tom. tract. 1. qq. 5. & 8. satis latè, videatur ibi, dum nos in præsentem novum aliquid adjicimus; pro quo supponimus, hic pro charitate infusa præcisè intelligenda venit habitualis, & permanens, quæ & simul sit gratia Dei justificans, & sanctificans impium, nam de actuali, & cito transeunte non est pro nunc quæstio: Tractamus etiam de ea secundum Dei potentiam absolutam, cum de facto, & secundum legem ordinariam habeamur textus in clementina, ad nostrum de Hæreticis: & de fide, & summa Trinitate; & præterea cap. Majores de Baptismo, ubi satis clarè Ecclesia determinat ad sanctificationem, & meritum requiri charitatem habituales infusam, & de quo nos supra tract. 12.

96. Cumque dubium emergat etiam circa ipsam potentiam voluntatis, inquirendum erit, an de ipsa sit sermo, ut modo est de facto, an secundum suam absolutam potentiam considerata? Et de utroque resolvit R. cum quo & nos. Insuper scire est necessarium, quod meritum gloriæ sanctorum potest in actu primo, & in actu secundo considerari: hoc accipitur, quando arbitrium creatum per proprios actus de facto meretur; illud verò, quando taliter est constituta persona merens in statu divinæ acceptabilitatis, ut possit per proprios actus, si forte eos elicere, mereri ejusdem gloriæ premium. De his statibus

po.

potentia, scilicet, & actus secundi, similiter resolvendum erit, quid cum eodem D. tenere debeamus. Ac denique ut cum communibus doctrinis æquo pede curramus, stabilienda est sententia ferè omnium Theologorum contra Magist. asserens, & docens, charitatem esse formam quandam, & entitatem realem ab Spiritu Sancto communicatam, & ab ipso realiter distinctam, ut suo modo est fides, & spes supernaturalis accipienda.

97. Pro parte affirmativa; necessario stare debet Mag. in 1. dist. 17. cum ibi teneat, talem charitatem infusam de facto non dari, sed per influxum immediatum Sancti Spiritus, omnia, quæ ad Christum ipsum faciunt, fieri; quidquid sit de antiquioribus DD. qui Mag. vindicare tentent ab isto modo dicendi, à quo abstinemus. De aliis authoribus, credo eos omnes, qui gratiæ effectus supleri posse asserunt, per divinam potentiam extrinsecus assistentem, sic, vel sic, de his certum est, quod utique teneant partem affirmativam in disputatione ista: Contrarium tenentibus DD. iis, qui D. Thomæ sequuntur, quiquidem ex præfatis est pro negativa, licet R. eam in aliquo ad suum sensum conducente pro se citet; omittimus eos nominatim exprimere, quia de iis satis supra: & quia multifariam de hoc tractamus, nostrum modum dicendi repetitis etiam conclusionibus dabimus.

98. Conclusio prima: Potest Deus sua absoluta potentia, & secundum non connaturalem creatæ voluntatis, hanc constituere in actu meriti supernaturalis, nulla præcedente charitate habituali infusa, aut motione aliqua extrinseca, aut intrinseca Dei, sive Spiritus Sancti illapsus. Conclusio, ut jacet, est R. loco citato 1. quodlib. 8. & probatur per ipsius rationes: Stante natura voluntatis, præcisè attentis suis prædicatis essentialibus, & non pensato suo connaturali operandi modo, possit Deus, sua utendo absoluta potentia, in ea producere actum talem, qui esset gloriæ sanctorum condigne meritorium; sed hoc faceret secundum absolutam potentiam voluntatis creatæ, & absque infusione charitatis, aut alterius actualis auxilii extrinseci, vel intrinseci:

Tom. IV.

Ergo possit Deus facere secundum suam potentiam absolutam, quod esset propriè meritum in creatæ voluntate omni auxilio destituta habituali, & actuali, extrinseco, & intrinseco.

99. Major, in qua est tota difficultas, probatur, primò. Actus hujusmodi, qui de condigno esset meritorius æternæ gloriæ, esset necessario actus charitatis; sed possit Deus de sua absoluta potentia causare in voluntate creatæ, præcisè à suo connaturali modo operandi, talem actum charitatis, nullo præhabito in ea habitu, aut auxilio de sua linea supernaturali: Ergo & possit in illa producere ejusmodi actum meritorium. Minor probatur: Actus charitatis est quædam entitas absoluta supernaturalis sicut est gratia, & charitas habitualis: Ergo sicut hæc à Deo causatur in anima secundum potentiam ordinatam, & veluti connaturalem, possit & illum actum producere secundum potentiam absolutam. Ratio etiam non videatur convincens, simul cum aliis, quas idem R. affert, faciunt magnam probabilitatem, ita quod non apparet improbabilis hæc R. sententia, ut ipse ibi art. 3. §. 1.

100. Secundò probatur illa major variis exemplaribus, ut sunt, quæ sequuntur: Potuit Deus, & de facto facit, esse corpus Christi Domini actu subtile, ita quod non semel se penetraret cum aliis sine habituali dote subtilitatis, quæ propria est corporis gloriosi, & corpori adhuc mortali, & passibili non conveniens: Ergo possit per absolutam potentiam producere charitatem in voluntate non præventa ejusdem charitatis habitu, vel auxilio. Præterea: In Sacramento Eucharistiæ habetur non leve argumentum ad idem faciens: Plus est accidens quantitativum producere sine proprio subiecto, quam qualitatem in subiecto aliquo, etiam illi deficiat connaturalitas in existendo; sed primum videmus in quantitate specierum Eucharistiæ: Ergo, secundum non implicat in qualitate actus charitatis à Deo in voluntate producta immediate, & nulla supposita dispositione, cujus ratione existeret connaturaliter. Alias rationes habes in D. quas omittimus, quia in idem conspirant.

101. Ad has, & omnes dicerent, & Dd rio

cogenter; contrariis, quod quaestio, & conclusio intelligi debent de actu meritorio proprio illius voluntatis possibili; sed in hypothese, quod Deus illum causaret per suam potentiam absolutam in illa voluntate; non esset talis voluntatis proprius actus sed solius Dei: Ergo nec per illum mereretur, nec digna fieret laude, & condignitate ad gloriam non gauderet. Minor probatur; tum! Quia ille actus non esset elicitus ab ea voluntate, sed pure receptus; tum! Quia per illum non viveret; cum esset a principio non intrinseco productus: Tum denique quia in eo actu sic a Deo producto, nulla esset libertas actualis; orta ab ea voluntate possibili, & consequenter, nihil de suo opponeret, cuius ratione digna Deo evaderet: Ergo dato; quod Deus talem actum produceret, esset qualitas quadam absoluta; ut bene notat ratio probativa conclusio- nis; ceterum nec vitalis, nec libera, nec in super actu meritoria erit.

102. Sed contra has responsiones instatur: Actus ii, qui de facto sunt meritorii aeternae vitae, sunt proprii voluntatis creatae; liberi, & vitales; sed his non obstat, quod forma; qua eliciuntur ab extrinseco voluntati creatae adveniat; & praeter ea non sit in huius potestate! Ergo licet actus nostrae hypothese ab extrinseco voluntati adveniret; adhuc voluntas ea esset libera; & vitalis per illum actum; & tanquam illius proprius reputaretur. Consequentia probatur: Ideo voluntas de facto libera; & vitalis est in exercitio charitatis, actusque iste illius proprius est; quia habitus charitatis sic a Deo infunditur; ut intrinsecetur eidem; & tanquam forma operandi meritoria reputetur; sed actus a Deo creatus in nostro casu intrinsecatur, & recipitur in voluntate illa; quae a Deo dabilis esset in alia providentia: Ergo eadem est utrobique ratio: Ergo actus meritorius a Deo creatus; esset proprius talis possibilis voluntatis: Ergo liber, & vitalis, sicut liber est, & vitalis habitus charitatis nunc; & vitales similiter sunt species intelligibiles objectorum.

103. Clarius dicimus, respondendo ad instantias: Quod actus a Deo in illa providentia creatus aeternae gloriae meritorius, in primis esset proprius talis vo-

luntatis, cui infunderetur; nam quamvis a Deo sit; & producat; in ea tamen intrinsece recipitur, sicut de facto in habitibus, & auxiliis gratiae accidit, quae quidem sunt propria creatae potentiae, quatenus in illa insunt; etsi a Deo infundantur: Ergo qui in illa hypothese actu mereretur per illum actum a Deo sic creatum; per proprium actum mereretur, sicut nunc. Ex quo deducitur vitalitas, & libertas in tali actu a Deo producto; vitalitas, quia intrinsecatur voluntati; libertas, ut pure receptus in potentia essentiter libera; concludimus de primo ad ultimum, quod esset proprius, vitalis, & meritorius ille actus nostrae hypothese.

104. Quomodo hoc sit intelligendum, sufficienter explicat R. loco citato immediatè: ponit enim differentiam inter activos, & passivos, & in utrorumque sensu responderet; at quia sentitur communiter inter Theologos, voluntatem esse potentiam activam; ideo secundum istum modum dicit; quod in casu; quo a Deo crearetur actus meritorius; infundaturque in creatam voluntatem; ista non solum passivè se haberet talem actum recipiendo, verum, & active se ipsam movendo motione praevia objectiva habita ab Spiritu Sancto, ut complaceret se; & in se recipiendo illum actum; & consentiret in illius exercitio; unde duo actus inessent in illo casu tali voluntati possibili, unus a Deo creatus, & infusus; alius elicitus a voluntate; primus per potentiam obedientialem receptus in ea; secundus elicitus ratione motionis objectivae Spiritus Sancti de qua infra: ad modum illarum duarum intellectuum matutinae, & vespertinae beatorum; & utriusque receptione, & elicientia coalesceret unum principium actualè meriti; omni seclusa charitate in voluntate possibile creati a Deo.

105. Conclusio secunda: Potest Deus per suam absolutam potentiam hominem constituere in statu meriti, hoc est, expeditum, & in actu primo potentem mereri vitam aeternam, nulla praevenitum habituali, aut actuali gratia; sed solum per suam extrinsecam acceptationem ad gloriam. Est expressa in R. ut supra, eamque tenere debent omnes, quotquot di-

vinae

vinae potentiae tribuunt virtutem ad splendendum per se, quidquid mediis formis ejusmodi de facto facit. Probaturque ratione; nam auctoritates non faciunt communiter ad quaestiones de possibili: Hominem constitui in statu merendi, est esse proxime a Deo acceptabilem ad vitam aeternam, & ea dignus; sed potest Deus sua absoluta potentia per se ipsum, & nulla usus forma inhaerente, & infusa hominem taliter acceptabilem, & dignum constituere in statu merendi, ut puta, puerum, & dormientem. Major est communis, & minor probatur: Homo Deo gratus, & amicus sic esset acceptabilis, & dignus; sed potest Deus per illam potentiam, extrinsecus pure, hominem gratum constituere: Ergo & acceptabilem sibi, & gloria dignum. De majori, & minori latissime tract. 13. qq. 5. & 8.


106. Secundò probari potest conclusio: Esse Deo acceptabile, & gratum est donum, & beneficium ipsius Dei: Ergo poterit per se ipsum, & omni alio secluso homini sic benefacere. Antecedens est certum; & de illo Aug. ut supra, dixerat; *Quod Deus cum coronat merita nostra, sua dona coronat.* Et consequentia probatur: Si Deus, ut servet connaturalem rerum ordinem, mediis aliquibus formis creatis, & infusis, dona ea hominibus contulit, haec eadem faceret per se ipsum: Ergo eo jure hominem faceret dignum se, & ad gloriam acceptabilem. Antecedens: Non est minoris potestatis Deus ut hominem dignum constituat nulla praehabita forma: Ergo istud potest. Antecedens probatur; & praevinitur tacita responsio: ex parte hominis non est repugna via: Ergo non est Deus minoris efficaciae sine habitibus, aut auxiliis ad istam dignitatem homini conferendam. Antecedens patet per ferè infinita exemplaria, & miracula potentiae obedientialis, quae Deus facit sine creaturae repugnantia, de quibus plura dedimus, & nunc omittimus, ut non in vacuum repetantur.

107. Conclusio tertia: Ut homo constituatur in actuali merito; sufficit motio actualis cito transiens, qua excitetur sua voluntas ad supernaturaliter operandam. Est R. ibi, & probatur ipsius ra-

Tom. IV.

tionem. Actus quicumque supernaturalis est a Deo non solum ut causa universalis prima, verum & ut causa proxima illius ad modum quo Sol est proxima causa corporum viventium; sed huiusmodi causa aliquid ponere debet in effectu: Ergo ad minus eam excitationem motionem. Aliter probatur: Non est operatio meritoria, nisi circa objectum divinum vel supernum: Ergo ad talem actum meritoriam praevit, & antecedit motio aliqua orta ab illo objecto, qua excitatur, & movetur potentia, ut illud respiciat; sed haec suprema motio erit, & propria Spiritus Sancti: Ergo de primo ad ultimum talis motio praevia necessaria est. Primum antecedens probatur per rationem generalem, quae in omnibus actibus maxima vitalibus reperitur, in quibus non prorumperet potentia in operationem, nisi praeveneretur excitatione passione a suo objecto causata.

108. Secundò probatur conclusio, & simul declarantur officia hujus excitationis passionis praeviae ad actuale meritum; & in primis: Praedicta motio praevia objectiva est taliter connaturalis objectis, semel quod suas respectivè potentias excitent ad actuale exercitium sui, ut nec potentia exiret in actum, quin moveretur a suo objecto, nec objectum eam moveret, nisi in illa causaret talem excitationem passionem cito transeuntem; postea: Haec excitatio passio est de ordine, & natura objectorum; si naturalis, naturalis, si verò superni, supernaturalis erit; ac denique in casu hujus supernae perfectionis, non modo potentiam creatam excitaret, & moveret, verum & perficeret, elevaret, & auxiliaretur ad supernam, & meritoriam operationem: Ergo praedicta excitatio passio a Spiritu Sancto causata ratione objecti supernaturalis in creatam potentiam requiritur, & ad minus sufficit ad actuale meritum. Assumptum probatum manet variis in locis, reliqua dabitur inter argumenta, & pauca, ne eadem pluries repetamus.



PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

109. **P**rimò arguitur contra secundam conclusionem, nam contra primam suprafatis: Hominem constitutum in statu merendi, est, quantum atinet ad actum primum, esse Deo acceptabilem, & dignum gloria; sed hoc haberi non potest sine omni omnino forma charitatis: Ergo nec in tali statu constitui sine forma charitatis. Minor probatur: Homo destitutus omni gratia est pure constitutus in ordine naturæ; sed in hoc ordine non est, nec potest esse gloria dignus: Ergo nec erit in statu merendi sine omni gratia. Major patet: siquidem ratione gratiæ homo extrahitur ab ordine naturalis; & minor probatur: Homo constitutus intra naturæ ordinem non est gloriæ proportionatus ullomodo: Ergo nec ea dignus.

110. Respondetur ad argumentum per distinctionem minoris: Sine omni gratia facti extrinsecus communicata non esset homo gloria dignus, concedo; per modum formæ intrinsecæ infusæ, nego minore: Hic sistit tota vis rationis nostræ, in qua innititur: Gratia enim potest intrinsecè infundi, & de facto sic est, & per eam homo constituitur Deo gratus, & acceptabilis, & gloria dignus; in autem in alia providentia Deus, ut potest, & sua utendo absoluta virtute, faceret per se ipsum id ipsum, quod nunc facit media forma sua Deificæ, quæ charitas est; homines constitueret acceptabiles sua unica voluntate, & sibi gratos, gloria dignos, eosque extrinsecus extraheret ab ordine naturali; & poneret in superno, faceret in hypothesi illa voluntas omnipotentissima Dei liberè hominibus applicata, quod nunc facit mediis habitibus, & auxiliis.

111. Secundò arguitur: Homo dormiens à Deo acceptus omni Gratia, & charitate destitutus, si fortè moriatur; ipsi non deberetur gloria corona per modum præmii: Ergo nec in illo esset status merendi; verificareturque potentia ad

merendum suo actu spoliata, cum posset illum habere. Antecedens probatur: In illo casu nil apponeret de suo, cujus ratione gloria ipsi corresponderet per modum præmii: Ergo si fortè moriatur, ipsi gloria non deberetur. Argumentum parum præmit: distinguit enim D. R. ibi inter meritum ex opere operato, & meritum ex opere operantis, primum habetur quando Deus sua libera voluntate hominem acceptaret, imò & transferret ad gloriam; omnipotens est, & ipsius gloriæ Dominus; & hic est casus argumentis un: de etsi illi dormienti non conferatur gloria ut præmium ex opere operantis, quia nihil de suo appossuisse, daretur tamen ut corona ex opere operato, & juxta id, quod Deus in illo operatus fuerat. Aliiter sentitur de facto, ut in parvulis, de quo non est argumentum ad quæstionem de possibili.

112. Tertiò arguitur contra tertiam conclusionem: Homo potest constitui in statu merendi sine omni prævia forma habituali, & actuali de ordine charitatis: Ergo hoc idem posset, ut actu mereatur, & exercitè. Consequentia probatur: Ideò ad meritum in actu primò non desideratur essentialiter forma aliqua intrinsecæ de linea charitatis, quia Deus per se ipsum faceret, quod ea forma mediis; sed idem argumentum facere possemus de actuali merito: Ergo illa prævia motio Spiritus Sancti, vel aliud quodcumque intrinsecum non spectatur ad hoc actuale meritum. Præfatum argumentum iterum in medium adducimus, ut pateat quid circa mentem R. in hoc puncto sentiamus; ideòque.

113. Respondetur: Quod R. D. multipliciter de ista quæstione resolvit, & procedit; primò: Si non solum loquatur de absoluta potentia Dei, sed etiam secundum absolutam potentiam voluntatis, vel in quantum operatura esset, non modo proprio, & connaturali; & sub isto sensu supra conclus. 1. hujus quæstionis dedimus, quod Deus posset creare actum meritorium in homine, cujus ratione ipsi adaptaret gloriæ coronam; vel aliter: Spiritus Sanctus posset eidem homini illabi, & veluti intrinsecari per hunc internum illapsum, & sub isto modo dicendi,

di, alio tendit probabilitas R. in actu merendi, ut pote consideratur natura voluntatis alio modo, ac nunc est. In nostra verò, conclus. præfenti concipimus naturam eam, ut modo suo operativa; cumque ad hoc concurrat, & Spiritus Sanctus ut causa proxima universalis, & per modum objecti meriti actualis, ab isto ordine, & processu est inseparabilis illa prævia motio causata à tali objecto, & à principio universali, & proximo: Ecce differentia inter actum primum, & secundum merendi. De hoc plura habemus dispersa, quæ pro nunc omittuntur, ne idem pluries repetamus.

QUÆSTIO VI.

Utrum prima Gratia, & remissio peccatorum alterius cadat sub merito de condigno, sive ad minus de congruo?

114. **N**on querimus nunc pro merito primæ gratiæ propriæ, nam certum est, nullum posse illam sibi mereri de condigno, sicut nec reparationem post lapsum; tum; quia si prima gratia caderet sub merito in propria persona habenda, principium meriti, quale est gratia, caderet sub merito, quod incongruum, & veluti implicatorium videtur. Tum; quia ante primam gratiam vel est nuda natura, vel peccato inquinata; sed per naturalia gratia non posset mereri; vel si afficiatur aliquibus donis supernis, & in peccato jaceat est Deo exosa, & inimica; in eoque meriti propriè talis indigna: Igitur locum non tenet quæstio circa propriam hanc gratiam, & pro tanto querimus pro merito unius respectu gratiæ alteri conferenda: & in hoc duplici via ordiri potest solutio; & de merito de condigno, & de congruo, insuper de potentia ordinariæ Dei, vel de ejus absolutâ potentia.

115. Pro quo supponimus: Bonorum communicationem inter homines, cui ratione charitatis tenemur, & eorum mutuam participationem, quatenus scilicet, per orationes, deprecationes, &c. spiritalia, & temporalia ad ista conductia impetrantur, ut cuique sibi profint, & simul alteri conferantur pro modo, & conditione impetrantis, & juxta dispositionem recipientis, aliud esse ab hac ratione meriti, de qua tractamus; primò; quia hujusmodi charitativa bonorum communicatio est pure liberalis, & gratiosa, unicèque fundatur in præcepto charitatis, juxta illud: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: In præfenti enim agimus de merito proprio unius respectu primæ gratiæ alterius, & hoc aliquale jus, seu iustitiam fundat, quidquid sit de condigno, aut de congruo. Secundò: Quia meritum ultra condignitatem operis, & ejus supernaturalitatem requirit Dei specialem ordinationem ad præmium correspondentem; impetratio verò ex se dicit realem respectum ad bonum consequendum, ut alteri confereatur; constat in ipsa ratione impetrationis, quæ nullo alio superaddito hujusmodi ordinationem dicit suis in terminis.

116. Tertiò: Quia ad rationem impetrationis, sive ad hoc exercitium charitativum non requiritur ex genere suo Dei gratia sanctificans, quia præcepto huic adstringimur, adhuc in mortali constituti; non sic ad propriè merendum: Ut etenim superius dicebamus, expers totius meriti est homo Deo inimicus, & ingratus adhuc de congruo, dummodo meritum tale sit propriè dictum: Unde credo, quod tota controversia eorum DD. qui de hoc disputant, in eo sistit præcisè, quod ii, qui hominem existentem in peccato reuuant concedere facultatem ad merendum per actus fidei, & spei, & aliarum virtutum, ideò est, quia meritum istud congruum vocant proprium meritum cum peccato non cohærens; non sic alii, qui ex opposito concedant eas dispositiones remotas ad Gratiam esse illius de congruo meritorias: Nam isti, tale meritum asserunt, esse proprium, etsi cum addito diminvente: Concludamus quæstionem esse de nomine, nostro sen-

su, quapropter eam quasi pertransennam tangimus.

117. His expeditis, & supposito, quod ad verum meritum desideretur in persona merente statum gratiæ, est tota quaestio præfens de homine in eadem constituto, num videlicet possit nec alteri homini primam sui gratiam promereri? Exemplum sit illud commune D. Stephani ad Sanctum Paulum, ad quem principaliter directæ fuerat eius oratio pro lapidantibus exhibita; si nimirum fuisset meritoria ut cumque primæ vocationis efficacis Pauli; similiter, & suæ justificationis? Et idem de quolibet alio iusto respectu primæ sanctitatis alterius? De hoc varias dabimus resolutiones, pro quibus sit.

118. Prima conclusio: Nullus purus homo quantumvis sanctus potest alteri primam gratiam de condigno mereri, si de potentia Dei ordinata, & de actuali, & exercito merito loquamur. De hoc sicut & de pluribus aliis dubiis, quæ his temporibus circumferuntur, nil habemus expressum in R. fortassis, quia non fuissent apud eum majoris momenti; cæterum ex eius doctrinis ratio conjici potest. Habetur in D. Thom. q. 114. art. 6. & est ibi expressa, citantur à N. Lezana pro ea AA. aliqui Carmelitæ; licet de hoc concisso calamo, ita tenet. tract. 7. de Gratia. Superfedemus à ratione meriti de condigno signatè, & in actu primo considerato; tum; quia de hoc non tractatur apud AA. omnes enim loquuntur de isto merito in actuali exercitio illius; tum; quia meritum in actu primo essentiali, & signato solum attendit operis condignitatem, & proportionem cum præmio; sed quoad essentialiam in idem conspiciant gloria, & gratia omnium iustorum: Ergo non est locus quaestioni, si de hoc loquamur; siquidem sub ista consideratione eadem est essentialiter gratia propria cum gratia alterius loquendo præcisive à peccato, & eius remissione, ac pro ejusdem satisfactione; nam de hoc est longe diversa ratio; ut latius tract. 16. q. 17.

119. Primòque probatur conclusio ratione, quæ ex D. R. deducitur in 4. dist. 2. ibi enim pro eodem usurpans me-

ritum de condigno cum jure propriae justitiæ ad coronam gloriæ, ista habet circa finem: *Per opus meritorium, quod feci, non habeo jus ad coronam gloriæ: tamen quatenus Deus propter opus meritorium, quod feci, accepit mihi coronam gloriæ: habeo jus in corona gloriæ, & ad coronam gloriæ.* Quo posito, argumentor sic: totum meritum de condigno, & veluti ex justitia devolvit R. ad divinam acceptationem operis taliter meritorii; atqui nullius accipit Deus opus, ut alteri condigne meritorium, siue gratiæ primæ, siue gloriæ: Ergo respectu alterius gratiæ, aut gloriæ nullum in aliquo datur meritum de justitia, vel de condigno apud Deum. Major est R. & minor constat satis clarè ex variis textibus, & locis sacris, ubi cuique propria destinatur merces proprio labori debita, & correspondens, nullusque accipere valet coronam gloriæ, vel gratiæ, quam non suis meritis prosequatur, & consequatur.

120. Secundò probatur conclusio: Ad meritum de condigno gratiæ, vel gloriæ in actu secundo exercito, requiritur præter operis meritorii condignitatem, Dei ordinationem, siue acceptationem; sed nullius iusti, excepto Christo Domino, operis talis est sui operis ordinationem, & acceptationem, ut alteri necessario, & efficaciter primam gratiam possit promereri: Ergo nullum est tale meritum de condigno, & in actu secundo ad alteri gratiam primam obtinendam. Major supra à nobis stabilita manet in hoc tract. & minor non potest aliunde probari cogenti alia ratione, nisi per textus, & doctrinas sacras, quibus instrumur, solius Christi Domini opera acceptata, & ordinata esse ad omnium hominum gratiam, & gloriam promerendam, quia omnium capax est, & Redemptor; quorundam in actu primo, & signatè; aliorum in actu secundo & exercito; illorum, ad quos, scilicet, efficacia redemptionis non pervenit, sed solum sufficientia proximè, & expedite; horum, actu, & exercite. De hoc iterum potea hic.

121. Conclusio secunda: Potest quis de posse Dei absoluto alteri primam gratiam promereri de condigno, & exercite,

si de prima ea gratia intelligatur resolutio, quæ lapsum in peccatum non supponat quomodolibet; ac de injuria satisfacta, vel libere à Deo condonata simul. Coligitur ex doctrinis R. hac dist. 17. & 1. quodlibet. 8. Probaturque ratione ab ejus doctrina deprompta: Potest quis constitui in statu merendi, & ex opere operato, sola divina acceptatione, & ordinatione, nullaque gratia in eo præcedente, siue per modum habitus, vel auxilii: Ergo multò magis poterit hic Dei gratia præventus alteri primam gratiam de condigno actu pro mereri, ea Dei ordinatione possibili, & ejusdem applicatæ acceptatione. Antecedens est doctrina R. ibi; & consequentia probatur, primo: Quia Deus sicut Christum constituit caput aliorum, & cum tali ordinatione suæ gratiæ ad alterius gratiæ meritum, poterit hoc communicare puro homini, etsi alia longè inferiori ratione meriti, de quo infra tract. 16. suo loco: Ergo. Secundò: Minus est hominem iustum, & in quo supponatur condignitas ad præmium ejus meritum ad alterius gratiam ordinare, & acceptare, quam si huic nudo, immo dormienti fieri possibilis Dei ipsius acceptatio, & gratitudo, & ad præmium ejusdem gloriæ ordinatio; sed hoc Deus de sua absoluta potentia potest: Ergo & magis illud.

122. Conclusio tertia: Potest purus homo iustus, & de facto potest, alteri primam gratiam de congruo mereri: Est communis inter recentiores, & antiquos, habet singularem Patronum D. Thom. q. 114. art. 6. expressè in R. circa hoc nil habemus, unde conclusio probanda erit communibus rationibus: Primà ex facto communi Ecclesiæ, pro peccatoribus orans, & ex hoc quandoque sequitur divina acceptatio, ordinatio; ut dicebamus de Stephano ad Paulum. Secunda ratio, quæ est D. Thomæ ibi sit: *Quia enim homo in gratia Dei constituitur; implet Dei voluntatem; congruum est, ut Deus impleat voluntatem hominis in salvatione alterius; sed ad impletio voluntatis hominis est hujus meritum congruum, si eidem possit offerri impedimentum, ad differentiam meriti de condigno, cui nullum obijci potest impedimentum: Ergo si hoc congruit,*

ut verbis D. Thom. utar, & congruum erit meritum unius ad alterius gratiæ primæ, & salvationis.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

123. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Opera cujusvis hominis iusti, si supernaturalia sint, & ex genere suo gratiæ, & gloriæ meritoria, possunt, si ab eodem ordinentur, & Deo offerantur in alterius justificationem, esse primæ gratiæ illius de condigno meritoria per se, & omni alio secluso: Ergo sic essent de facto. Antecedens probatur: Talia opera sic sunt proportionata cum alterius primæ gratiæ, sicut cum augmento propriæ, & talem habent dignitatem in merente, & veluti æqualitatem sufficientem ad condignum meritum: Ergo sicut de facto sunt de condigno meritoria propriæ, gratiæ augmenti, sic & primæ cujusvis. Assumptum patet: Nam condignitas in merito fundatur in dignitate, & proportionem operis cum præmio: Ergo hoc stante in opere cujusvis iusti, semel quod ab eodem Deo offeratur, & ordinetur ad alterius hominis justificationem, poterit eidem primam gratiam promereri de condigno.

124. Respondetur ad argumentum per distinctionem inter meritum de condigno in actu primo, & secundo, & abstrahendo pro nunc ab actu primo, siquidem non negamus cuilibet operi superno proportionem, ut à Deo in actu exercito assumatur, & acceptetur in alterius justificationem; quoad actum secundum dicimus: Quod supposito in opere tali eam condignitatem, & adhuc oblationem operis in alterius meritum, superest, ut à Deo ordinetur pro condigno merito ejusmodi; quod etsi secundum potentiam absolutam possit facere, non secundum suam legem ordinariam secundum quam legimus, & scimus, quod unicuique reddat juxta proprium laborem, & sic eum acceptet, & ordinet, vel ad

ad gratiam, vel ad gloriam consequendam: hoc est proprium meriti ex sui natura, quod scilicet, cuius est opus, illius sit meritum per se tale, & condignum, quodque fundat jus iustitiæ juxta modum præscriptum.

125. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Meritum propriæ operationis per nullam potentiam potest alteri de condigno tanquam proprium veluti applicari: Ergo nec de posse Dei absoluto valeret homo iustus alteri de condigno primam gratiam mereri. Antecedens: Meritum propriæ operationis est tale, & ex opere operato, in quantum, scilicet, Deus confert & gratiam, qua eliciatur, & simul eam ad hoc acceptat, & ordinat; ac præterea dicitur meritum ex opere operantis, quatenus operans aliquid de suo apponit in obsequium Dei; atqui per nullam potentiam potest hoc totum alteri applicari: Ergo nec meritum de condigno, quod sit propriæ operationis. Minor probatur: Nam per nullam potentiam potest facere, quod meritum unius operantis sit proprium alterius ex eodem opere operantis, aliàs esset, & non esset operans, esset, ut supponitur; & non esset operans in tale meritum, ut pote alterius operationem mereretur: Ergo.

126. Respondetur primò ad argumentum: Quod dummodo unus homo iustus possit per divinam potentiam alteri primam gratiam mereri, vel sit ex opere operantis, vel ex opere operato, habemus intentum: Secundò, & fortè proprius, dicimus ad argumentum: Quod laborat æquivocatione; quando enim quis alteri meretur, meritum illius non appropriatur alio, sed solam effectus & præmium; unde si per propriam operationem sit, & acceptetur, erit ex opere operato, & operantis, ut argumentum notat; nunquamque verificabitur, quod ille, cui ordinetur, vel acceptetur, dicatur tali merito mereri activè, sed solum veluti passivè, in quantum, videlicet, ipsi deserviat, ut sua, propria alterius operatio; & in hoc nulla est illa apparens contradictio, cum hic nec re ex opere operantis, nec ex operato meretur, sed aliis ipsi.

126. Tertio arguitur: Meritum de

congruo, etsi in ratione meriti imperfectum sit, est tamen vere, & propriè meriti; sed nullus potest vere, & propriè alteri primam gratiam mereri, sive sit de congruo, aut aliter: Ergo tale meritum adhuc de congruo non potest teneri in ordine ad alterius præmium. Major est doctrina nostra, & minor probatur: In vero, & proprio merito de congruo fundatur aliquale jus ad præmium obtinendum; sed nullus fundare potest jus istud in alterius opere merito: Ergo nullus potest alteri suo proprio merito mereri gratiam primam. Ad summum concedere possemus impetrationem, & piam orationem, cujus ratione Deus alicuiatur, ut huic conferat eam gratiam alterius deprecationibus adeptam.

128. Respondetur ad argumentum libenter concedendo, quod meritum de congruo fundet jus aliquod, licet etiam imperfectum, ad præmium gratiæ, vel gloriæ propriæ; vel alterius; hoc enim jus dicitur aliquale, quia nec efficax est, nec necessario connexum cum præmio, ad differentiam alterius meriti, quod de condigno vocatur; ex quibus nullum habemus inconveniens, ut quis prædictum jus fundet in alterius meritoria operatione in ordine ad primam gratiam propriam; tum etiam, quia Deus, qui illius Dominus est, sic accepit, & promissit; ecce quot titulis non solum quis potest pro alterius justificatione deprecari, verum, & propriè mereri, non merito simpliciter, sed secundum quid tali, quia hucusque nobis non innotuit, quid valeat iustus ad alterius iustitiam; de

hoc ulterius immediatè
nunc.



QUÆ:

QUÆSTIO VII.

Quid requiratur ad meritum de congruo? Et ad quæ se extendat? Ac denique in quibus?

129. **A**liqua supra dedimus de merito hoc, quod de congruo vocatur, & alia impræsentiarum addendum proposuimus, ut integra de merito iusti noticia habeatur: Tenemus igitur cum communi Theologorum à D. Thom. q. 14. citat. de merito, & nomine isto denominatum, quidquid hic, aut ille sentire videantur: In hoc conspirat R. de quo infra, etsi non ita expresse: & ut a principio tituli procedamus, requiri ad hoc meritum asserimus, primò: libertas, & bonitas in opere, & quod sit elicium ab homine viatore, & Deo ablatum, ipsique acceptum ad tale quale præmium: De his breviter expediemus, ut ad ultimum de puncto majoris difficultatis per aliquas conclusiones tractemus.

130. Unde habito, quod meritum de congruo, etsi non simpliciter, est propriè, & non metaphoricè meritum, omnia ea, quæ essentialitèr desiderantur ad meritum de condigno in præcisa, & communi sui ratione, hæc eadem ad meritum de congruo requiri est necessum, stante inter ea differentia veluti specifica, orta ex proportione illius cum præmio, & hujus distantia, improportione, vel inæqualitate; & consequenter illæ eadem assignatæ conditiones, quæ ad meritum de condigno assignantur; ipsæmet desiderari debent ad meritum de congruo. Quoad libertatem verò, Dei ordinationem, seu acceptionem, sicut etiam statum viæ hominis iusti merentis, nulla se offert difficultas, & in hoc conveniunt DD. qui de hoc merito de congruo agunt;

10r. IV.

tota namque difficultas devolvitur ad supernaturalitatem operis meritorii, bonitatem illius, & sanctitatem merentis; pro quibus sit ex illis, quas supra offerimus

131. Conclusio prima: Sic requiritur bonitas in opere de congruo meritorio, ut aliqua ratione sit de ordine supernaturali: hæc colligitur ex iis; quæ R. habet in 1. dist. 14. q. 1. & est communis in eo sensu, quo nos prædictum meritum tractamus, probaturque: Meritum de congruo, ut se habet in ordine ad Deum præmiantem; nam de alterius generis merito non agitur apud Theologos, est verum, & strictum meritum; sed ad proprium meritum apud Deum requiritur bonitas operis meritorii, & in eo sua, quæcumque sit, supernaturalitas: Ergo istud desideratur ad meritum de congruo. Major supponitur; præterquam quod constat ex eo, quod meritum congruum fundatur in amabili adimplerione divinæ voluntatis, vel in assiduitate orationis, & deprecationis in alterius spirituale commodum; si præstatum meritum ad alterum referatur; ut PP. ex textibus sacris proclamant; sin autem meritum proprii laboris ad se quis referat, in eo quæ deficiat efficacia, & condignitas ad præmium, erit congruum, cæterum propriè tale; ut tali labori responderet id, quod Trident. sess. 6. pro stricto merito constituendo declarat.

132. Minor verò probatur: Meritum operis apud Deum præmiantem requirit in eo opere aliqualem saltem proportionem cum præmio; sed nullum esse potest Dei præmium, quod non sit aliquomodo conducens, vel pertinens ad ordinem supernaturalem: Ergo nullum esse potest meritum, quod aliquomodo non vestiatur quadam supernaturali bonitate, vel formalitèr, ut præhabita in merente. Aliter probatur illa minor: Meritum, quanvis de congruo, est in ordine ad Deum Authorem gratiæ, & eorum Donorum largitorem, quæ ad eam faciunt; sed non respicitur Deus sub ista acceptione, nisi per actus aliquomodo supernos: Ergo nisi per eos, & in eis sic consideratis non reperitur proprium meritum: Major probatur: Siquidem ad Deum naturæ

Ee con-

conditorem præcisè non ordinantur orationes, deprecationes, & alia opera, quibus integratur meritum congruum; nec à Deo dona naturæ nudà implorantur, ut dicemus postea: Ergo in isto stricto merito solum Deus Gratiæ author attenditur.

133. Conclusio secunda: Non improbabile censemus; fidem in persona merente sufficere ad meritum de congruo sive in ordine ad se, vel respectu gratiæ alteri obtinendæ, simul cum aliis actibus virtutum infusarum: Est aliquorum Theologorum, licet sufficienter sit stabilita, & magnam habeat probabilitatem sententia ea; quæ ulterius ad meritum hoc requirit iusticiam, & sanctitatem in persona merente; de quo inter argumenta. Videantur PP. Suarez, & Vazquez citati, qui alios citant, & referunt, dum nos primò probamus conclusionem per aliquos textus sacros, qui indifferenter charitati, & fidei tribuant hujus meriti rationem: Nam Jacob. ultim. dicitur: *Quod multum valet oratio iusti assidua, &c.* scilicet, ad meritum charitatis: Et Luc. 5. *Videns Jesus fidem illorum; dixit paralitico: confide filii remittuntur tibi peccata:* Nunc Ambrosius: *Magnus Dominus; qui aliorum merito ignoscit aliis &c.* sed hoc meritum in ore Christi est fidei: Ergo non solum charitate, sed fide stabilitur tale meritum.

134. Secundò probatur per Trident. citat. ubi ex 1. ad Corinth. 15. convincens ad exercitium meritum, in medium adducit locum istum: *Abundante in omni opere bono; scientes, quod labor vester non est inanis in Domino:* Igitur omne opus bonum de linea superna non est inane in Domino: Ergo saltem aliquo modo meritum; atque operationes fidelis, quibus Deus exoratur cum fiducia, & spe profectus in ordine ad propriam, vel alienam salutem, sunt bonæ, & supernæ; Deoque placentes, ipsiusque rationabile obsequium: Ergo nec sunt in Domino inanes, sed suo modo propriè meritoria: Unde idem Conc. prosequitur ex 10. ad Hebræos: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem; sed confidentia pertinet ad fidem, & spem:* Ergo virtutum harum actus magnam habent remunerationem; sed non condignam ex

se, nisi eliciantur à persona grata, & sancta: Ergo ad minus de congruo.

135. Conclusio tertia: Non potest dari meritum de congruo, quod sit verè tale respectu bonorum temporalium in se, bene verò ut ad spirituales profectum ordinentur. Est communis cum D. Thom. hic, convinciturque infinitis sacre locis sacris, ubi docemur, temporalia contemnerè, & caelestia semper inquirere, & per hoc concluditur prima pars conclusionis; & est unica ratio, caducitas, & corruptibilitas totius temporalis boni; sed quod tale est, non cadit sub meritum; quòd ad æterna, & perpetua tendit: Ergo. Secunda pars similiter probari potest pluribus textibus, & unus pro omnibus sufficiat, quem supra dedimus ex Jacob. ult. *Elias homo erat: & rursum oravit, & Cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum:* Ecclesia insuper orat pro bonis temporalibus: Igitur hæc exorari possunt; sed non ut sunt talia: Ergo ut conducentia ad spirituales profectum, sub qua ratione dicunt quandam supernaturalitatem, vi cuius cadunt sub meritum, de quo tractamus.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

136. Arguitur primò contra primam conclusionem: bonitas operis, quæcumque sit, sufficit ad meritum: Ergo non requiritur supernaturalitas in eo ad meritum adhuc de congruo. Antecedens probatur, primò: ex sacris litteris, ubi promissam legimus mercedem, & coronam gloriæ operibus misericordiæ, & pietatis, quæ ex genere suo solum habent bonitatem moralem; & supposita ordinatione ad Deum, extrinsecè supernam; quæ nec ad meritum de condigno requiritur; quanto minus ad congruum, vel de congruo. Secundò: Ad meritum de congruo non desideratur proportio æqualis cum præmio, sufficit tantum aliqualis, Geometrica, & quasi generalis: Ergo sufficeret ad præmium gratiæ, & gloriæ, quod me-

merito isti de congruo responderet bonitas moralis, quæ aliqualem dicit proportionem ad gratiam, & gloriam, saltem in generica ratione boni. Assumptum convincitur, per differentiam, quæ debet intervenire inter utramque rationem meriti; & per differentiam meriti de congruo ad meritum simpliciter.

137. Responderetur ad argumentum, negando antecedentes, & ad ejus primam provocationem ex locis sacris; ita esse credimus; & quod talibus actibus misericordiæ sit gloriæ corona promissa, & quod sint ex suo genere boni solum bonitatis moralis; cæterum non sufficit esse tales ea bonitate, quæ est propria naturæ rationalis, sed ulterius, quæ ordinat ut ad bonum reipublicæ Christianæ, quæ quidem supra fidem in actu, vel habitu fundetur, dicant qualem qualem supernaturalitatem, sufficientem tamen ad meritum adhuc de condigno. Ad secundam illius antecedentis probationem dicimus fere idem; quod, scilicet, bonitas præ naturæ; nullam dicit proportionem; nec Geometricam, ad præmium gratiæ, & gloriæ, nisi forte sitalis qualis desideratur in opere, ut sit deserviens Christianorum politicæ, quæ & propter sæpius dictum, est quid supra naturam saltem præsuppositivè, in quantum suum habet fundamentum in nostra fide; & de his procedimus, cum præfatos actus bonos misericordiæ asserimus esse meritorios de condigno, sive de congruo.

138. Secundò arguitur, & ex hoc sumi potest instantia argumenti facti: Si ad meritum de congruo requiritur non modo bonitas in opere, verum & supernaturalitas, confunderetur utrumque meritum; sed hoc dici nequit: Ergo nec aliud. Major probatur: Ad meritum de condigno sufficit condignitas in opere meritorio, quæ sufficienter haberetur in actu quomodolibet superno, ut de actibus misericordiæ dicebamus: Ergo id ipsum quod ad meritum de condigno requiritur, desiderari asserimus ad de congruo.

139. Responderetur ad argumentum, quod supra ea, quæ ad meritum de congruo requiruntur, addimus, ad meritum

de condigno desiderari dignitatem perfectam personæ merentis, quæ in sanctitate, & gratia fundatur. Præterquam quod in eadem persona, & eodem opere meritorio, quoad speciem, est diversus in individuo, potest unum esse de condigno, & aliud de congruo; nimirum ex defectu alicujus circumstantiæ operis, vel operantis etiam; quia non gaudent æquali efficacia in ordinatione, cujus ratione unum deficeret à proportionè arithmetica cum præmio, & non aliud; & idè unum esset de condigno, & aliud de congruo meritum: Ac denique posset esse diversitas, & in æqualitas orta ex divino ordine stante eodem operante; & identitate veluti specifica in operibus, atque defectu aliquorum ex dictis, posset stare diversitas in ratione meriti in eis.

140. Tertio arguitur contra secundam conclusionem: Sanctitas, & gratia requiritur ad quodlibet meritum: Ergo non sufficit ad hoc fides in persona merente. Antecedens probatur: Homo impius, & peccator existens non est sufficiens ad merendum sibi, vel aliis ullomodo, imò nec ad impetrandum quid à Deo: Ergo ad merendum verè, & propriè, de quo tractamus, desideratur sanctitas, & gratia, qua peccatores iusti fiant. Antecedens probatur, primò ex locis sacris quam plurimis in utroque testamento expressis, ubi de peccatoribus dicitur, à Deo odio haberi, & ipsi esse abominabiles, suaque oblata sacrificia: Deo non placere, ipsos non exaudire, ut Tecuitis Davidem obsecrans pro Absalom dixerat 2. Regum: *Scimus, quia Deus peccatores non audit,* quæ veritas sacris in Trident. sess. 6. cap. 16. adumbratur, cum dicat: *Dei Dona esse nostra merita, quæ gratia sint, & sine penitentia data:* Ergo.

141. Secundò probari potest illud antecedens, & quartò fortiter arguere contra eam conclusionem per R. in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. per totum: ibi etenim quaerit, si opera bona, sicut javant ad bonum, possint penas inferni minuere? Et supposito, quod bonum ad quod javant præfata opera facta in mortali, his verbis; qui de penitentia dist. *Falsis penitentias habentur in Glossa; continentur:*

*Quæ cum mortali fiunt, tibi dant bona terræ
Cor quoque perlastrant, minuunt tormenta
geberunt.*

Quorum explicationem habemus in de
consecrat. dist. 3. *Non regenerantur, in hoc
etiam Verfu.*

*Affiduo, ut bonis, & clementi criminis ob-
stat.*

142. Nunc videtur urgens argumen-
tum R. juxta illud Paul. *si charitatem non
habuerit nihil mihi prodest: Et: Fides sine ope-
ribus mortua est.* Ex Jacob. concludit: *Quod
unus solus modus habetur in Scriptura, in re-
medium contra omne peccatum, & omne pecca-
tum, & omnem penam peccati, & contra om-
nem gradum pæne, scilicet Gratia Christi, &c.*
ut dicitur indefinitè ad Rom. 6. per ferè
totum capitulum: Ergo nisi Gratia Dei,
per Jesum Christum interveniat, nec
ullum meritum, aut impetratio possit lo-
cum habere in quolibet, vel ad alium, aut
pro se. Consequentia hæc probatur: Im-
petratio, aut meritum reputantur in re-
medium peccatoris, & peccati, & ad
illud ordinari debet: sed unus est modus
hujus remedi, videlicet, gratia Dei per
Jesum Christum: Ergo nisi hæc interve-
niat, non daretur in quolibet meritum,
aut impetratio, vel pro se, sive ad
alium.

143. Tertio probatur idem primum
antecedens, & à ratione argumentamur
quinto contra conclusionem: Meritum
de congruo sic à DD. antiquis stabilitur,
cum quibus & nos, ut in tantum operatio
quædam bona, & superna reputatur tali-
ter meritória, quia congruit divini æqui-
tati, aliquid conferre illi per modum
præmii; sed contrarium congruit bonis
illis operibus, si mortua sint per pecca-
tum: Ergo. Major est certa, & minor
probatur: Præmiu tale debet esse in res-
pectu ad æternam beatitudinem; sed res-
pectu talium operum mortuorum non
congruit ordo talis; siquidem essent elici-
ta ab homine à Deo averfo, & actu, vel
habitu ad bonum commutabile inclinatio,
quod equidem est contrarium bono illi,
quo beatitudo constituitur: Ergo licet
æ operationes bonæ sint, & supernæ, si

tamen mortuæ sunt, non videntur con-
gruam eas ad tale præmium ordinare.

144. Respondetur ad argumentum
negando antecedens, & ad ejus probatio-
nem, negatur antecedens, & ad hujus
primam probationem ex locis sacris, &
Trident. dicitur: Quod Deus ejus pec-
catoris orationes non acceptat, & sacri-
ficia non accipiet si eidem non offeran-
tur animo, voluntate, & intentione ob-
secrandi; vel denique & fortè melius:
Quod preces, orationes, sacrificia, &
orationes hominis peccatoris Deo non
exaudiuntur, & acceptantur, ut condi-
gnæ, & efficaciter meritória, & impetra-
toriæ boni spiritualis, & superni ex defe-
ctu dignitatis, & bonitatis perfectæ per-
sonæ orantis, oferentis, & impetrantis;
cum quo comparatur Dei illa misericordia,
pia, & benigna erga nos generalis
charitas, ut si in pauca, & debili fideles
simus, nimirum in fide, spe, & reliquis
virtutibus, supra multa gratiæ, & gloriæ
nos constituat, & acceptet, & hoc totum
est illud meritum congruum, de quo tra-
stabamus. Idem dicimus ad Trident. ci-
tatum per distinctionem inter meritum de
condigno, & de congruo.

145. Ad rationem R. respondetur:
Quod totum intentum R. in citato art.
erat, convincere contra aliquos antiquos
docentes, per orationes peccatorum mi-
nui pænas in inferno luendas, alias pos-
semas pro damnatis orate, ut ipse ibi ait;
ideò tenet cum Ecclesia, quod solum vir-
tute charitatis, quæ sui ratione, & in vi
Pœnitentiæ Sacramenti commutat æter-
nam cum temporali pæna, potest obtine-
ri remedium aliquod pro hac pæna dimi-
nuenda, non vero fides informis, sed illa,
quæ per dilectionem operatur, & hæc est
Dei gratia; unde in toto sistematè nil ad
nostrum faciens, vel contra illud assertur
à D. R. & licet ex ibi dictis aliquod sumat-
ur argumentum, est parum convincens;
sic ad formam ejus dicimus: Meritum de
condigno ordinatur in remedium pecca-
ti; concedo; meritum de congruo, sub-
distinguo illam majorem: Meritum de
congruo ordinatur, veluti ineffaciter,
concedo, efficaciter, nego majorem.

146. Ecce rota ratio doctrinæ secun-
dum R. unus est enim modus in reme-
dium

dium pæne peccati, gratia Dei videlicet;
cæterum hoc est necessarium, efficac, &
certum ratione cujus æterna pæna pecca-
to debita transmutatur in temporalem;
præter hoc datur aliud, non necessarium,
nec certum, sed ineffac, ut fides, spes,
actus etiam aliarum virtutum, ut eleemo-
sina, jejunium, &c. quod juvat, movet,
& Deum allicit, etsi non necessario, ali-
qualiter tamen, ut dona tribuat salutis,
& dicitur meritum de congruo, funda-
tum in quadam proportione cum præ-
mio, & maxime in divina largitate, in
divinis revelationibus expressum satis:
Contra hoc nil in R. ibi: versus namquè
illi, qui de talibus actibus virtutis lo-
quantur, non debent intelligi præcitive,
sed positive; sic nimirum, quod inter
bona ea, quæ haberemus per exercitium
virtutum, adhuc quod in peccatis sumus,
numerari potest & assiduitas in bonis,
& non addere peccatum ad peccata, &
supra hoc oratio, deprecatio, & cætera,
quæ facerent ad meritum secundum quid,
Ad textus sacros bene, & sufficienter hinc.

147. Ultimo arguitur, & simul inita-
tur solutio: Hæc omnia supra dicta, etsi
faciant ad gratiam, & gloriam per mo-
dum cujusdam dispositionis remotæ, &
tanquam alliciens quoddam, ut commu-
niter dici solet de bonis purè moralibus,
non tamen inde addere possumus, quod
habeant rationem meriti proprii, & quod
tale est congruum, de quo in presentia:
Ergo illis dictis veris stantibus, adhuc
opera ea superna elicitia ab homine
peccatore, non obtinerent rationem me-
riti de congruo respectu gratiæ, & glo-
riæ, licet sint harum dispositiones. An-
tecedens probatur: Meritum proprium
dicit constitutive jus quoddam ad præ-
mium, fundatum tamen in fædere amica-
bili inter merentem, & præmiantem; sed
nullum fædus, seu jus dari potest homi-
nis insensibili ad Deum infinite per
illum offensum; quæ enim societas luci ad
tenebras, aut quæ conventio Dei ad Be-
lial? Ergo ad summum homo talis in pec-
cato existens, se posset ad gratiam præ-
parare, & disponere per ejusmodi actus,
non verò gloriam, aut de congruo me-
reri.

148. Respondetur ad argumentum,

& instantiam, ut certissimum tenendo,
quod actus illi impii, quibus ad justitiam,
& sanctitatem preparatur, & de quibus
Trident. Sess. 6. cap. 5. suo ordine agit,
esse veras dispositiones, etsi remotas ad
gratiam justificationis, cum quo item
conjugimus, & addimus, esse præterea
meritorios illius, & gloriæ de congruo,
in quantum tale quale jus ad hanc fun-
dant in Dei promissionibus stabilitum, ac
proportione quadam inchoative saltem
amicabili, quæ proportio, seu amicabile
fædus sub ista restrictione cum peccato
compatibile, nec est alienum ab eodem
Conc. nec dissonum rationi Theologica:
Sic enim ait ibi: *Dum peccatores se esse intel-
ligentes à divina justitia timore, quo inutiliter
concutiuntur, ad considerandam Dei misericor-
diam se convertendo, in spem eriguntur, fiden-
tes Deum sibi propter Christum propitium fore::*
Ecce actus omnes, de quibus in q.
præfenti: concludit: *Illumque tanquam om-
nis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

149. Vides in impio initium dilectio-
nis Dei simul cum aliis actibus fidei, spei,
& pœnitentiæ conjungi? Igitur talis in-
choata amicabile dispositio erit simul &
gratiæ secundum quid meritória. Ratio
horum erit: Quod hæc inchoata amici-
tia non est propria charitatis, nec illius
actus, sed alterius virtutis, spei nimirum,
cujus est simplex dilectio, seu Dei com-
placentia, vel ad minus cum ea conjun-
cta: Ergo homini impio, & Deo offenso,
bene verò ab ipso moto, preparato, &
vocato ad gratiam, & suæ redemptionis
fructum, non repugnat, & cum ejus sta-
tu nec implicat nec per illam sicut &
disponi, mereri de congruo &
gratiam & gloriam.



QUÆSTIO VIII.

An perseverantia Donum cadat
sub merito iusti?

150. **D**E perseverantia munere acturi necesse habemus, communibus doctrinis acquiescere in iis, quæ Theologica disputationi sub sunt, suppositis, & maxime in Trident. sess. 6. cap. 13. & Canon. 16. & 21. ubi satis expressè declaratur, perseverantiam finalem esse Dei specialissimum beneficium, & maximum Donum à Dei Gratia, & reliquis donis diversum; & de hoc Aug. per librum integram, D. Thom. sæpè, & specialiter hic art. 9. & antequam præsentis q. manum imponamus, scire debemus perseverantiam esse durationem, seu continuationem non interruptam in gratia, & amicitia Dei; & hoc est, quod quotidie, & frequentissimè petimus, & Dominus ipse Jesus petere nos docuit per illud: *Et ne nos inducas in tentationem*: Perseverantia alia est continuatio in gratia, quæ quandoque per peccatum interruptitur; alia est finalis, de qua Conc. ibi juxta quod scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Hæc enim est strictè talis, & de qua loquitur Trident. & quam à Deo exoramus salutem nostram operantes cum timore, & tremore in laboribus, & vigiliis, in jejuniis, in orationibus, & oblationibus, in elemosinis, in castitate, & cæteris, formidantes, quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sumus: alia enim perseverantiæ species est etiam beneficium Dei, sed non ita magnum, à quo hic supersedent Theologi, & solum de isto instituunt quæstionem.

151. Pro qua item supponimus: Donum illud perseverantiæ finalis non esse

qualitatem de specie habitus permanentis, aut de specie dispositionis, & auxilii cito transeuntis distinctum re, & entitate à Gratia & reliquis Donis, quæ necessario eam comitantur, seu simul infunduntur, sed esse extrinsecam Dei voluntatem, & efficaciam sui decretum, quo statuit hominem iustum, aut in gratia confirmare, aut in ea manutere usque ad mortem, connotatis tamen illis Donis, & auxiliis, quibus Deus connaturaliter utitur ad talis gratiæ infusionem, & continuationem suæ amicitia pro modo arbitrii creati, & sine libertatis læsione: & de hoc quærimus, num cadat sub merito iusti conservatio ista, sicut augmentum illius, imò & gloriæ corona, ad quam tendit, & in qua sistit, & deficit è vivis?

152. Ac per prius quam ad alia transeamus, necesse habemus explicare, quomodo stare potest, decretum de conferendo Dono finalis perseverantiæ, efficax, & determinatum, quodque nil novum in creatura, sive in illa aliquid producat, vi cuius passivè perseveret, & quid ulterius correspondeat illi efficaci voluntati Dei ad extra productivæ, & effectivæ; quod aliter componere primò aspectu non valeamus, nisi statuendo Donum illud tanquam forma quadam habitualis, vel actualis, ad modum gratiæ gratum facientis, & auxiliantis, ab hisque distinctum; quatenus, scilicet, decretum efficaciarum harum gratiarum collativum, aliud est, & distinctum ab alio terminato ad perseverantiæ Donum: Igitur hoc erit quid reale productum, & à reliquis gratiis distinctum, ut pote à Trident. vocatum specialissimum: Igitur donum perseverantiæ non erit nuda Dei voluntas sic statuens, & volens hominem diu in gratia perseverare, & adhuc finaliter; sed ulterius quod in vi hujus decreti Donum aliquod reale producat, quod animæ inhæreat, distinctumque à reliquis communibus de ordine gratiæ sit.

153. His non obstantibus, insistimus in facta suppositione; cuius oppositi rationi sufficienter satis fieri potest, primò; quia decretum efficaciarum, quo Deus statuit aliquem finaliter perseverare, habet pro termino gratiam sanctitatis, & cumulum auxiliorum ad hoc conducendam, non ut

ut denuo producta; quia istud erat proprium alterius voluntatis gratiæ scilicet, productiva, sed ut in finem usque duratura: Ecce diversitas decretorum, quibus & gratia producitur, & ulterius conservatur; secundò: Quia decretum hoc efficaciarum reducitur ad speciem causæ conservativæ, & verè sic est; sed in isto genere causæ non desideratur novus effectus productus, cum potius reducat ad activa hæc conservatio ad genus causæ formalis, ut Tom. 1. tract. 2. q. 19. dicebamus: Ergo. Tertio: Dicere possumus, quod decretum illud efficaciarum de manutentia gratiæ in homine usque ad mortem, non est formaliter effectivum, sed virtualiter tantum; juxta quod ex Arist. 5. & 9. meth. cum R. in 1. q. 2. prol. diximus tom. 2. tract. 7. q. 22. ibi videbitur genus causæ efficientis sine termino aliquo de novo producto: Immo per innumera exemplaria in Theologis, & Philosophis comprobari posset.

154. De merito congruo non habemus majorem rationem dubitandi; nam sicut à Deo petimus Dona hujusmodi, & quandoque impetrantur, etsi sine Dei speciali revelatione sciri nequeat, orationibus instantibus, & continuis fletibus, & deprecationibus, sic congruum existimatur, quod eam gratiam perpetuam promeremur aliquali jure debitam prædictis laboribus; unde solum superest, ut ad meritum de condigno quæstio deolvatur. Hoc namque meritum, ut superius dicebamus, potest in actu primo, & in actu secundo considerari, & de utroque sic

155. Conclusio: Habemus pro inconvenienti, quod opera ea facta in gratia, & ex genere suo meritoria, sint talia de condigno in actu secundo respectu continuationis gratiæ, & perseverantiæ finalis: Sententia hæc videtur sufficienter fundata, tum in auctoritatibus DD. tum in rationibus probativis; primòque probatur ex eo, quod de tali merito nil nobis constat in sacris litteris, imò potius cura proponitur frequentissima; ut qui stat, videat, ne cadat; ex qua sequatur ista in gratia Dei perseverantia; quæ ratio, & argumentum, etsi negativum sit, non parum convincit: Nam de merito gratiæ,

& gloriæ plura habemus scripta in sacris litteris: Ergo id ipsum habere, cum de finali perseverantia loquantur; sed nihil de merito, sed de timore, & tremore amittendæ gratiæ legitur: Ergo quia gratia, & gloria cadunt sub merito arbitrii, non verò perseverantiæ finalis gratiæ.

156. Secundò, & ad hoc idem conformiter, probatur conclusio: Ad meritum de condigno requiritur Dei pactum, & promissio de premio conferendo; sed nullibi habetur, aut legitur promissio hæc, sive pactum de institutione perseverantiæ finalis, ut præmium correspondens aliquibus, vel pluribus operibus meritoris: Ergo nec quod ista sint ullomodo de condigno meritoria finalis perseverantiæ. Major est doctrina nostra supra sapius repetita; & minor per se constat: Unde superest, ut consequentia probetur: siquidem in talibus assumptis primum argumentum sumi debet ex principiis revelatis, & tota ratio ad hoc devolvenda est; non enim apparet cogens aliud principium probativum: Ergo si de merito circa finalem perseverantiam nil legimus in sacris litteris, certum videtur tale non esse.

157. Tertio probatio conclusio ratione, quæ contra meritum de condigno in actu secundo convincit, & videtur esse D. Thom. citati, juxta ideam Cajet. & Vazquez: Cadit sub merito de condigno, quod est sub arbitrio creato, ut augmentum gratiæ; & gloria ipsa; & hæc, quia suo jure subsunt arbitrio nostro, cadunt sub nostro merito, & ut merces nostrarum operationum comparari possunt; sed non sic se habet finalis perseverantia, quæ unice dependet à libera Dei, & munificæ voluntate, taliter statuente hominem iustum usque ad mortem in gratia perseverare, ad quod nil faciunt, aut concurrunt opera quantumvis sancta, sed purè deprecatoriæ: Ergo talis perseverantia finalis nec potest ullomodo de condigno mereri, nec aliquis aliquando eam de facto, & in actu exercito promeruit ita perseverare finaliter in gratia.

PRO:

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

158. **P**rimò arguitur: Finalis perseverantia non excedit valorem operum eorum, quæ sub gratia sanctitatis fiunt: Ergo potest cadere sub eorum meritum de condigno: Antecedens patet: Nam donum perseverantia finalis est cumulus omnis auxilii efficacis, & specialis Dei manutentiæ usque ad mortem; sed hoc non excedit valorem talium operum: Ergo: Minor probatur, primò: Aggregatum totius auxilii gratiæ non est quid supra ordinem habitualem, & ut sic dicamus supra spheram operum gratiæ; aliàs ordo actualium gratiarum excederet habitualem gratiam; tuncque hæc non esset prima, & radix, sive natura totius lineæ supernaturalis: Deveniendum est ergo ad hoc, quod totius ordo auxiliorum usque ad mortem communicatorum non excedit valorem eorum operum, quæ sub gratia sanctitatis fiunt.

159. **S**ecundò probatur illa minor, tum ex parte incrementi gratiæ, quæ frequentissime subest merito de condigno; tum, & maxime; ex ipsa gloria inamissibiliter possessa; & in quam tendit tanquam in finem suæ perfectionis illa perseverantia finalis, de qua nunc tractamus; sed gratia consummata, & gloria ipsa reputantur ut corona, merces, & præmium correspondens nostris bonis operibus sub gratia elicitis: Ergo non est cur istud negetur finali perseverantia in illa gratia: Assumptum convincitur, & redit probatio: Gloria iustorum est in æternum duratura, & plusquam finalis penitentia perseverantia; sed illa ab homine iusto meretur de condigno: Ergo & ista posset sic mereri absque præiudicio quidditatis ipsius finalis perseverantia.

160. **R**esponderetur ad argumentum, permissa totius primæ, & secundæ probationis ratione; libenter enim concedimus donum finalis perseverantia, ut passivè se habet in homine iusto, non excedere valorem operum illius, & quæ sub gratia fiunt propter fundamenta, quæ

in argumento afferuntur; nec propterea cadere possunt sub illius meritum, & est ratio, quam pro conclusione probanda dedimus: quod illud donum perseverantia, adhuc passivè acceptum, & in quantum diceret omnium auxiliorum, quæ efficaciter facerent ad perseverandum, collationem; non subsunt libertati, & arbitrio creato, idèdque nequeunt sub alicujus meritum cadere solum etenim meremur ea; quæ nostris operibus comparare possemus; & propter rationem eandem gloria reputari debet ut corona, & merces, & non aliter, nisi prout nostris bonis operationibus promeretur: Ecce differentia inter gloriam æternam, & Donum illud perseverantia, sit vel non ad eam inferius, & per hoc utraque probatio soluta.

161. **S**ed contra: Homo iustus potest alteri mereri primam gratiam, & adhuc de condigno; sed prima gratia unius non cauit subalterius libertate, & arbitrio: Ergo non requiritur hoc in merito de condigno, sed solum condignitas in opere, proportio cum præmio, & ad illud ordinatio. Major est doctrina nostra supra data, & reliqua constant: Respondetur ad replicam, quod unus alteri sic de condigno mereri potest primam gratiam, si loquamur de potentia Dei absoluta, in qua etiam hypothese nullum habemus inconveniens; ut quis mereatur eo modo finalem perseverantiam; in presenti namque procedimus de posse ordinario, idèdque solum eorum, quæ subsunt nostro arbitrio, & secundum legem ordinatam possunt opera nostra habere rationem meriti condigni.

162. **S**ecundò arguitur: Perseverantia Donum non meremur, quia non cadit sub nostra potestate, & arbitrio; sed hæc non est adæquata ratio: Ergo: Minor probatur: Donum perseverantia aliquo jure subditur nostro arbitrio: Ergo illa non est adæquata ratio, vel non est adæquatè vera. Antecedens probatur, primò: Quia subest nostris orationibus, jejuniis, elemosinis, &c. de quibus Trident. ut supra: Ergo aliquo jure subest nostræ potestati: secundo: Siquidem perseveramus usque ad finem, bene operantes; Ergo perseverantia ista nostris

Quæst. VIII. An perseverantia Donum cadat sub merito iusti: 225

stris bonis operibus obtinetur. Tertio: Ideo non subderetur libertati humanæ perseverantia ea, quia est Donum Dei; Trident. proclamat, quod Dei Dona sunt nostra merita, & in nostra sint potestate: Ergo quod Donum illud sit tale, nil obest, ut sit in nostro arbitrio ejus assequutio.

163. **R**esponderetur ad argumentum, negando minorem, ad ejus probationem negatur antecedens, & ad hujus primam probationem concedimus, Donum illud à nobis quandoque impetrari, quod est in sensu S. Aug. de congruo promereri, & ad hoc non requiritur, sicut ad meritum de condigno, quod nostræ subsit libertati; & est ratio: quod ad ea, quæ sic meremur, jus adæquatum habemus, supposita tamen Dei promissione; sed non esset sic à Deo ordinatum, & promissum, si opus meritorium, sicut & præmium, nostræ non subessent libertati, ut tale jus fundaremus: Igitur est sufficiens utrimque diversitas. Ad secundam respondemus, quod operantes perseveramus merito operum, sed unice Dei largitate. Ad tertiam dicimus, quod Dona Dei, quibus utimur in vitam æternam, fiunt merita nostra, non ita se habet Donum perseverantia finalis, cum illius virtute non operemur, sed ratione gratiæ, & aliorum Donorum istud à Deo nobis conferatur, ut æternaliter regnemus.

164. **T**ertio arguitur: Si Deus acceptaret, vel ordinaret bona opera iustorum ad præmium perseverantia finalis; tunc per illa mereretur Donum ejusdem perseverantia de condigno; sed hoc non posset esse, quin in talibus operibus esset condignitas, & ut sic dicamus, ratio talis meriti in actu primò: Ergo ita est. Major patet: Nam idem dicimus de merito unius respectu alterius hominis præmii; & minor probatur: Ideo Deus si ordinasset opus unius pro merito alterius, tale meritum esset condignum propter veteram proportionem operis meritorii: Ergo hæc stante, ut est, inter opera nostra, & finalem per perseverantiam, simul cum Dei ordinatione, stare ad illam meritum de condigno.

Tort. IV.

165. **R**esponderetur ad argumentum, distinguendo majorem: si Deus ordinasset talia opera, & acceptasset secundum suam absolutam potentiam, mererentur de condigno, permitto; de posse ordinario, nego majorem. Idem dicimus in usò; atque in altero eventu; numquam tamen esset in illis operibus ratio meriti adhuc in actu primò ad sua respectivè præmia; nam ad hoc non sufficit solum condignitas operis meritorii, sed ulterius desideratur, quod præmium sit sit libertati, & arbitrio merentis aliquo jure, & potestate; unde præter condignitatem, & divinam ordinationem istud desideratur, si conaturaliter debeat esse taliter meritorium de condigno: Aliter possemus loqui de potentia Dei absoluta, à quo abstinemus, immò & non improbaliter sustinere meritum in actu primò de condigno, ex quo nil contra asseram conclusio.

nem.



Et

QUA

QUÆSTIO IX.

Quomodo meritum Christi Domini faciat ad merita iustorum hominum?

166. **D**UO, quæ hic tractanda veniunt, alia duo supponunt certa fide tenenda; primum scilicet, quod Christus Dominus à Deo constitutus caput omnium hominum juxta illud, quod ante David præmiserat Psal. 2. *Ego constitutus sum Rex ab eo: Postula à me, & dabo tibi gentes in hereditatem*; non modo est finalis causa gratiæ, & omnium Donorum hominibus collatorum, & meriti totius, quod per totam vitam habituri sint, cum propter ipsum, ipsiusque honorem, & gloriâ obtineantur; verum & efficiens causa suo modo, & ut sic dicamus, physice influens, saltim instrumentaliter, in prædicta; principalisque inesse morali, & meritorio, de quo in sacris Evangeliiis, specialiter in Pauli textibus, in Trident. sess. 6. cap. 16. declaratum habemus: Ibi que exprimitur, Gratiam Dei sui que gloriam, velut merces nostrorum operum, nobis esse, contendam misericorditer tanquam filiis per Jesum Christum promissam, & in eodem acceptam, cuius nos membra sumus, ipseque caput verè influens tanquam vitis in palmites: Secundum fide eadem stabilendum supponimus, merita Christi sic esse nostri meritum, sicut Dei gratia, est etiam, & dicitur gratia nostra, cum taliter sit Dei, quatenus per divinam misericordiam in nobis inhaeret ea illa gratia à Deo descendens, & nobis infusa, & ditusa per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; & eo jure, & ratione eadem Christi meritum taliter nobis promeruit gratiam, & Dei Dona, quibus operaremur in vitam æternam, ut merita nostra sint pro-

priè nostra, quatenus à nobis eliciantur, & propria Christi, in quantum ea media, quibus eliciantur, nobis promeruit.

167. Ex quibus duobus suppositis, hæc alia duo inquirenda supersunt; primum est: Num præter gratiam, & Dona, quæ Christus nobis promeruit, ulterius, & quali per novum favorem huic superadditum meruisset nostrarum earum operationum bonarum acceptationem ad præmium æternæ gloriæ? Ratio dubitandi pro parte negativa est: Quod Christus Dominus nobis promeruit gratiam, & dona, sicut & ea omnia alia auxilia, quibus ad vitam pervenitur æternam, & per hoc, & sine alio novo favore in nos infuit, & operatur sicut caput in membra, & sicut vitis in palmites, & aliud quocumque supersuit, ut verè dicamur illius membra, nostraque merita ab eo descendere, sicut vita palmitum à vite, immo & opponi videtur contrarium litteræ Trident. citat. cum dicat ibi; quod præter gratiam illam, & dona, & auxilia præcedentia, concomitantia, & subsequenti ad merendum, & rectè operandum requisita: *Nihil ipsis iustificatis deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus: verè promeruisse censeantur.*

168. Pro sententia contraria fortius nostro videri occurrit argumentum, & ratio (omittimus AA. hinc inde contententes, qui de hoc quasi per transennam tractaturi tentamus) & per prius supponendum erit ex superius dictis, quod sicut in gratia habituali concipimus & naturam ipsius secundum suam prædicatam physica essentialia, & insuper ex divina ordinatione, & promissione eadem gratia consideratur ut forma sanctificans impium, constituens filium Dei, & amicum, sic etiam eodem Dei pacto, & institutione ista divina gratia impio infunditur, & communicatur, ut per illam mereri posset & augmentum in via, & in Patria gloriæ coronam, & hoc est, eam Deus conferre ut sit principium meriti. Ecce triplex hujus gratiæ inter sese præscindibilis, potest enim gratia à Deo infundi, ut est solum forma superna, & suorum actuum principium; posset etiam super hunc conceptum aliter infundi, ut sanctificans est; ac de iis; ut sit merendi principium, pri-

mus concessus potest esse sine secundo, & tertio, primus, & secundus sine tertio, ceterum non è contra. Ex quibus suppositis sit nostra resolutio, & prima

169. Conclusio: Gratia Dei sub hæc triplici consideratione homini infunditur in vi meritorum Christi Domini, quæ de facto, & juxta legem ordinariam accipiuntur per modum unius favoris. Est conformis nostris superius datis doctrinis, sicque probatur: Gratia Dei, de qua hic, de facto infunditur impio, empra illo magno pacto redemptionis, & sanguinis Jesu Christi, ut illum emundet à peccato filium, & heredem sui constituat, & ut fructificet in vitam æternam; sed hic in sacris litteris reputatur, & exprimitur per modum unius, & inseparabilis favoris, ita quod simul, & semel pro peccatis mortuus, & iustus pro injustis, ut nos offerret Deo, esset nobis sanctificatio, & meritum: Igitur de facto, & secundum legem ordinariam non sunt multiplicandæ applicationes meritorum Christi, & illorum favores in gratia infusione, ut sanctitas animæ est, & merendi principium, sed per unicam applicationem illa omnia præstantur.

170. Conclusio secunda: Si attentè Dei omnipotentia, triplex gratia formalitas supradicta separatim homini communicaretur, esset utique per novum, & distinctum favorem, & applicationem meritorum Christi, stante, ut nunc est, infusione gratiæ in anima iusti. Probatur: Omnia Dona hominibus collata de facto, in vi meritorum Christi conferuntur: Ergo in casu, quo per aliquam Dei potentiam, seu in alia providentiâ separatim homini communicaretur gratia Dei, ut est in sua natura; & in quantum sanctitas, & principium meriti est, toties reperetur applicatio meritorum Christi, quoties novum donum, vel nova ratio rei comunicatæ appareret noviter infusa. Assumptum probatur: Nam semper ac de novo aliquis effectus, vel in linea physica, vel morali invenitur, nova applicatio causæ relucere debet; sed merita Christi sunt causa totius boni nobis comunicati: Ergo pro novo beneficio communicato no-

va applicatio meritorum Christi concipienda erit.

171. Ad rationem dubitandi in principio positam respondeamus: Quod quamvis in Gratia Dei illa plura conderentur de quibus immediate, & ea omnia conferantur hominibus in vi meritorum Christi Domini, cum per modum unius infundantur & acceptentur sic, non requiritur tot esse applicationes meritorum Christi, quot sunt Dona ea, quæ in divina Gratia simul conferuntur, sed sicut per unicam infusionem homo ista omnia recipit, nimirum esse gratum, filium, heredem Dei, ac posse crescere in hoc, & perficere, hoc est, mereri, sic per unam Christi applicationem suorum meritorum simul etiam illa omnia promerentur, quin ex multiplicitate beneficiorum sequatur pluralitas applicationis, & favoris Christi. Vel aliter diceremus, unum esse favorem in se, & formaliter, multiplex verò in virtute, & in effectu præstito per illum, & communicato.

172. Secunda, quæ hic suboriri potest difficultas est, num merita nostra habeant majorem dignitatem, & præstantiam ex eo, quod à nobis sint, & nobis præstent, & à nobis eliciantur in vi meritorum Christi? Et casu, quo Adam per prius ad peccatum meruisset, meritum illius, qui certe non esset tale per Christi meritum, esset deterioris conditionis ad merita, quæ in virtute Christi eliciuntur? Non est æqualis huic dubietati responsio, sed contenti erimus, si distinguamus per meritum in actu primo, & secundo consideratum: Merita ea in actu primo, & secundum sua essentialia æqualis sunt dignitatis utrobique; si tamen in actu secundo, & exercitio considerentur, & in quantum vestita sunt circumstantiis illis, quibus hic, & nunc fiunt, harum ratione sortiuntur dignitatem quandam, quæ primo, & per se, ex meritis Christi ortum haberent. De hoc latius infra tract. 16.

ubi de merito Christi.



QUÆSTIO ULTIM.

Et Appendix de revivifcentia meritorum?

173. **A**D calcem hujus tractatus, & veluti illius appendix, de meritorum nostrorum revivifcentia agere tractamus, ut pote hujus magis propria, & ei accommodata. Loquitur de illis meritis à primò incipièdo, quæ hominis viatoris sunt propria, & cum illo à prima luce rationis incipunt post Baptifmum in re, vel in voto fufcepto, & quæ poftea per peccatum mortale, & amiffionem gratiæ fuerunt mortificata, iterum quali rediviva sunt per pœnitentiam, & revivifcentia dicuntur: Quoad ultimum hoc nulli dubium effe poterit; cum exiis nil cadat in terram, nec unquam merita æternæ vitæ in faculum pœnitentiæ miffa fint, dicente Domino, quod nec potum aquæ frigidæ, qui in nomine ejus fit diftributum, fua merce, de cariturum fore; quanto magis alia opéra fuperna, imo & hæroica. Sententia eft communiffima inter Theologos, & textibus, & Conciliis munita, licet non ita expreffè declarata, ideòque de illa duo nobis hic difputanda veniunt; primum, qua ratione probetur revivifcentia illa meritorum per peccatum mortificatorum? Secundum, quomodo revivifcant? De utroque per varias conclufiones; nunc

174. Conclufio prima: Merita vitæ æternæ, quæ per peccatum mortificata sunt, eo remiffio per pœnitentiam, & gratiæ infufionem, revivifcere, hoc eft, quoad jus, & valorem ad præmium iterum vivere. Conclufio non eft defide, fed eft communiffima inter omnes Theologos à Mag. in 4. diff. 14. incipièdo; ideòque ab aliquibus vocatur sententia

piæ, unde contraria, fi fortè fit, quam nunquam audi vi, impia dicenda erit, & hac cenfura digna. Primòque probatur ex illo Paul. ad Hæbre. 6. *Non enim injufus eft Deus, ut oblivifcatur operis voftri & dilectio nis, quam oftendiftis in nomine ipfius, qui ministratis fanctis, & ministrastis.* Ubi per illi ministratis denotantur antiqua merita; per illud ministrastis, præfentia: Ergo nullo modo Deus oblivifcitur, cum injufus non fit. Confonat Trident. feff. 6. cap. 16. citans textum hunc Paul. ad Hæbreos, & alium ejufdem ad Chor. 13. *Abundate in omni opere bono, fcientes, quod labor vefter non eft inanis in Domino.*

175. Probatur præterea conclufio ratione. Merita iufiorum sub quacumque acceptione, hoc eft, vel confiderata fecundum id, quod habent ex natura rei, fcilicet, in actu primò, & fignatè, vel juxta ea, quæ dicunt ex Dei lege, & ordinatione, ac in actu fecundo, & exercitio, sunt verè, & propriè æternæ vitæ meritoria, & æterna mercede digna: Ergo quamvis per peccatum mortificentur, eo fublato per pœnitentiam, redeunt ad vitam priftinam, & revivifcunt. Antecedens patet: Nam in primis, merita iufiorum fecundum fuam quidditatem accepta, fundantur in fide, & charitate, faltem habitualiter, quibus unicè poffet pro præmio, & vratio gloria & vifio Dei correfpondere; fed vifio, & tentio Dei quacumque ex fua natura æterna, & immutabilis eft: Ergo. Quod verò meritum iufiorum, & in actu fecundo dicat ordinem ad æternum præmium, non aliunde fortius probari poteft, quam ex pluribus textibus proclamantibus æternitatem gloriæ, & coronæ iufiorum, de quibus fupra aliquos dedimus

176. Nunc prima confequentia probatur: Merita, quæ ex genere fuo, vel ex Dei lege fiant æternæ gloriæ, & mercedis meritoria, etfi peccato mortificentur, hoc deleto, revivifcere debent: Ergo fi talia fiant merita iufiorum, taliter etiam revivifcunt per pœnitentiam. Antecedens probatur ab aliquibus: Si ea merita mortificata non redirent ad vitam, & revivifcentiam, eo remiffio, & extincto, ea etiam extinguerentur per peccatum, fed merita iufiorum per peccatum non extinguntur;

guuntur; fed unicè mortificantur: Ergo vivunt femel quod peccatum per pœnitentiam deletur. Probatio hæc non urget, aut convincit; cum hoc opus fit, & labor, nam licet gratia extinguit peccatum, etiam peccatum merita gratiæ delet, & aboleat, & nil eorum fupertit poft illud commiffum, de quo intra inter argumenta:

177. Dum aliter probatur idem antecedens: Non effet meritum iufi æterna mercede dignum, fi non rediret, extincto peccato: Ergo fi ita eft, eo jure revivifcere debet. Antecedens probatur: Non effet dignitas æterna, fi poffet deficere, & corrumpi; quia contra id, quod æternum eft, vel æternitate dignum, fi nullum, fit ob ex, aut impedimentum, nil poteft prævalere, vel fuo jure, ut curfu connaturali priveretur; fed fic fiant iufiorum merita æternitate gloriæ digna: Ergo ablato obice, & impedimento peccati, & reftituito homine ad Dei gratiam, & amicitiam, non eft, unde privati poffet jure illo quæfito, quod per antiqua merita eidem obvenerat.

178. Sed contra: Peccatum mortale eft æterna pœna dignum, & ita constituit peccantem; fed femel extincto per pœnitentiam, quamvis iterum peccator adjiciat ad peccandum, non redit dignitas pœnæ, & jus illud interrumpitur: Ergo æternitas in merito, nil facit ad hoc, ut revivifcat, fi iterum homo rediret ad gratiam. Respondetur pro nunc ad inftantiam: Quod pœna æterna, qua dignus constituitur peccator per peccatum, fic definit effe per pœnitentiam, ut per hanc convertatur in temporalem, ideòque iufus adjiciens ad peccandum nil peccati antiqui, & deleri fecum trahit per illud, quod denuò commiffit; aliter fentitur de merito iufiorum refpectu peccati, à quo nec in minimo leditur, nec in illud aliquid operatur, fed folum ponit obje in anima repellens gratiam, fcilicet, & eam incompatibilem cum merito constituens, quo fublato, rediret iterum præfatum meritum, ut potè adhuc vivum vel incorporè Ecclefia, aut in capite, vel in divina acceptione, & depofito, vel forte in toto ifto aggregato.

179. Conclufio fecunda: Non revivifcunt merita per pœnitentiam fecundum illud effe phyficum, quod in illis præfuerat ante peccatum. Est conformis doctriinis noltris: Et antea quam probeatur, declaranda erit, & adhuc fupponendum: Quod in meritis non folum concipimus jus illud, & divinam acceptionem ad gloriam ut mercedem, & ad majorem, & majorem gloriæ intentionem, verum & illam phyficam, & realem entitatem gratiæ, hæc vel illa intentione graduum pollentem, & ex his omnibus coalefcit dignitas meritorum in quocumque ftatu confiderentur; quo fupposito, ut certum ftatuendum eft, quod ea illa gratia, & ejus gradus entitativi, quotquot fint, femel per peccatum corrupti, nunquam revivifcere poffent, reftituito peccatore ad Dei amicitiam; quia aliàs de privatione ad habitum effet regressus, & eadem forma bis produceretur, vel effet naturaliter reproducibilis; hucusque fententia eft communis, & propria fanæ phylofophiæ.

180. Devolvit debet ad aliud, quod eft majoris difficultatis apud Theologos de hoc tractantes; nimirum ad æquivalentiam gratiæ denuò per pœnitentiam recuperatæ ad gradus illos per peccatum amiffos, & corruptos: & hæc æquivalentia poteft effe actualis, aut virtualis; prima concipitur, quando gratia denuò infunditur non folum intenfæ fecundum illos gradus propriæ difpofitionis, fed ulterius juxta illos antiquos, quibus gaudebat ante peccatum, & ad quos revivifcit per pœnitentiam: Virtualis æquivalentia erit, quando Gratia illa noviter producta poft peccatum, actu eft intenfæ fecundum gradus propriæ difpofitionis, virtute tamen intenfius effet ufque ad illos, qui præfuerunt ad peccatum. Primi modi dicendi AA. tenent, de facto revivifcere merita ad totam intentionem gratiæ per pœnitentiam acceptæ; aliis fententibus, quod non pro nunc, fed in ingreffu gloriæ conferendi fiant gradus omnes gratiæ per peccatum amiffi fimu novis cum aliis coronandi. De utroque procedit conclufio negativa. S. Thom. 3. p. q. 89. art. 5. Mag. in 4. diff. 14. ibidem D. Subt. uterque Sotus, Suárez, Vazquez difp. 221. & plu;

plures de hoc tractantes, unusquisque pro suo velle, & sensu. Denique de hoc R. D. in 4. dist. 14. circa finem.

181. Quo supposito, conclusio probatur quoad primum, quod asserit: Si merita per peccatum mortificata, reviviscerent ad totam intensiorem eorum graduum gratiæ, quam actu præhaverunt ad peccatum, posset quis per penitentiam resurgere ad majorem gratiæ intentionem, & augmentum, quam propria exigeret dispositio, ut puta, quando esset ut duo dispositus ad penitentiam, & in ipso præfuit ad peccatum gratia cum intentione graduale ut quatuor: In quo casu, si conclusio affirmativa vera esset, resurgere deberet in gratia sex gradibus actu intensa, & veluti augm. supra propriam illius dispositionem; sed hoc de facto esse non potest, quidquid sit in alia providentia: Igitur homo de facto resurgens à peccato eos solos habet actu gradus intensiōnis in gratia, ad quos prævie dispositus exiterat ad penitentiam. Minor, quæ est rotius difficultatis assumptum, videtur expressa in Trident. sess. 6. cap. 7. & alia probatione non indiget: *Justitiam* (inquit) *in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*: Ergo gratia justificationis, quæ per penitentiam recuperatur, secundum tot eos gradus intensa recipitur in anima, ad quos penitens disponatur, & quibus cooperetur: Ergo non alios physice recipit, ad quos etiam resurgit, & quidenuo vivunt, si loquamur de illis ut actu existentes, & secundum propriam veluti formam.

182. Solum superest, ut probetur secundum, quod conclusio asseverat; nimirum, quod gratia ea noviter per penitentiam infusa sit in sua entitate, & reali virtute æquivalens gradibus illis entitativis, qui præfuerunt ad peccatum; & in hunc modum instituitur resolutio negativa: forma in virtute æquivalens aliis debet esse ad illos superior, non solum gradualiter, sed ulterius dignitate, & præstantia propriæ essentia, & quidditatis; sed gratia, ad quam resurgit peccator, non est talis respectu illius, quæ præfuerat ad peccatum: Ergo Major probatur: Nam ad

hoc ut una forma virtutem aliam, vel alias contineat, non solum debet actu dicere, quæ sunt propria suæ perfectionis, sed quæ aliarum; sed nisi superior esset, & veluti æquivoca ad illas, ad hoc non pertinere: Ergo Major est certa, & minor etiam liquet: Cum proprios actus, & perfectiones, & quæ aliarum formarum sunt, contineret: Ergo physice, & realiter loquendo, forma gratiæ, quæ per penitentiam recuperatur, non potest virtute continere gradus illos gratiæ, quæ ad peccatum præfuerunt.

183. Conclusio tertia: Merita per peccatum mortificata, reviviscunt, & redeunt moraliter per penitentiam, & quantum ad jus, quod dicunt ad æternam gloriæ mercedem, & secundum totum, quod ipsis corresponderet, si mortificata non essent. Conclusio habet notissimos Patronos antiquos, & recentiores, de quibus supra, & est R. citat, & præterea convincitur ratione, quæ est propria illius in 4. dist. 1. q. 5. art. 2. Merita omnia justorum à Deo acceptantur, & loco depositi reservantur in divino thesauro ut habemus in Doctrina Paul. 2. ad Thim. 4. in R. reddenda per modum coronæ in gloria; sed hic merita omnia indiscriminatum referantur loco privati depositi: Ergo semel quod homo peccator resurgit, in eo, & reviviscit jus illud, quod habebat in suis meritis ad sua merita; atqui hoc non potest esse physicum quid, & reale, cum gradus illi gratiæ, supra quos fundabatur, corrupti fuerunt per peccatum: Ergo morale, denuo tamen fundatum super gratiam, & justitiam, quæ per penitentiam peccatori fuerat infusa.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

184. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Merita ut reviviscere dicamus, aliquo fundamento à sacris litteris accepto debet asseri; sed ea, quæ afferuntur in conclusione parum, aut nil convincunt: Ergo sine ratione asseritur. Major debet esse certa, maxime cum non apparat ratio cogens; & minor probatur: Textus ii, & alii, qui

passim leguntur, solum probant condignitatem meritorum ad præmium, & æternam mercedem; non autem quod ij illa gaudere debeant perpetuitate ad reviviscenciam eorum requisita: Ergo non bene assumuntur ad hoc supracitati textus. Præterea: Idem quod dicunt de meritorum condignitate, legitur etiam de pæna debita pro culpa mortali, & hæc tamen non reviviscit extincta per penitentiam; & maxime flante aqua oppositione gratiæ cum peccato, sicut peccati ad gratiam, quod etiam alias urgere potest contra præstatam conclusionem: Ergo ex hinc similiter apparet, non esse sufficienter fundatam eam reviviscenciam meritorum.

185. Respondetur ad argumentum, quod in textibus allatis, & aliis non exprimitur certa ea meritorum reviviscencia, imò, nec in Trident. ubi ita prolixius de Gratia Dei tractabatur, cum quo DD. qui ante, & post scripsere, ita pie de divina largitate, & meritorum præstantia senserunt, ut uno ore in eandem conspirent: Igitur bene instructi talibus sacris locis, ex illis, quantum fas est, sequitur, merita numquam mori, æternaque esse, & æterna mercede digna; et licet ex dignitate præmii non inferatur perpetuitas meriti in suis terminis, sequitur tamen ex aliis adjunctis, & confæderatis, quæ ibidem leguntur, ubi non solum videmus, merita esse condigna tali mercede æterna, verum quod ea non erit inanis apud Deum, hoc est, quod ad actum perpetuæ possessionis devenienda forent.

186. Adeamus nunc ad probationem ex antithesi peccati, in qua duæ instantiæ repertiuntur; prima est etiam de æternitate pænae debita pro reatu culpæ, & tamen ex ista condignitate ad æternam pænam non inferatur peccatorum reviviscencia; cæterum de hoc satis supra q. ista. Secunda instantia est magis generalis, & in hoc comprehenditur, quomodo scilicet, cum mutuo opponantur gratia, & peccatum, gratia mori non potest per illud, sed rediit; non sic peccatum per gratiam, quod omnino corrumpitur, & quamvis homo redeat ad vomitum, non reviviscit antiqua macula peccati: De hoc plura apud AA. quod esset longissimum referre, Ex antiquis Canonistis, quos citat

ta Baconius, ut supra, non desuerunt adstruere reviviscenciam peccatorum; male audit hoc apud Theologos omnes, quasi quod impie discurrant, ponendo æquam virtutem in peccato respectu gratiæ, ac est gratiæ contra peccatum; idèdque isto non admisso, & insuper omnis variis disparitatibus.

187. Dicimus cum R. in 4. dist. 1. q. 5. ibi, quod est maxima, & notabilis differentia gratiæ ad peccatum, quam è contr. verso; tum quia gratia immediatè privat, & expellit illud tanquam illius corruptiva, & veluti annihilativa, peccatum verò, & culpa medio aliquo actu, seu omissione, qui cum gratia non sit componibilis, & ad hoc sequitur gratiæ privatio; unde peccatum non erit quid per modum actus gratiæ destructivum; non sic gratia, ut jam dicebamus. Nunc ratio potior R. Gratia est opus Dei; peccatum verò est solius hominis opus; opera Dei potentiora, & activiora sunt hominum operibus; idèdque gratia penitus destruit peccatum, ita ut ea infusa nil peccati remaneat reviviscendum: at peccatum, cum ex se, & de se solum sit impedimentum, & obex gratiæ, & aliis debilioris virtutis, nec gratiam destruit in totum, nec ejus merita ita corrumpit, ne iterum redeant.

188. Secundò arguitur contra secundam conclusionem, & urgetur contradictam doctrinam: Gratia si reviviscit in suis meritis, debet necessario reviviscere ad aliquos, vel omnes intensiōnis physicos gradus denuo, videlicet, productos per penitentiam ad productionem illius; vel illorum, quibus peccator resurgit: Ergo reviviscunt merita mortificata secundum aliquod sui reale, & physicum. Antecedens probatur: Gradus illi sunt verè merita adhuc secundum suum esse physicum: Ergo si merita reviviscunt, etiam gradus illi physici secundum totum suum esse. Præter quam quod: Si peccatum gratiam non destruit, quia illa potentior, & activior est, manet gratia, & omnes ejus gradus reales entitativi solum mortificati, non verò mortui: Ergo semel quod obex peccati de medio tollatur, redeunt gradus illi reales, & entitativi, saltem æquivalenter.

189. Respondetur ad argumentum, ne;

regando antecedens, ad cuius probationem dicimus: Quod aliud est gratiam reviviscere ad suam entitatem, & aliud ad propria merita, sicut aliud est gratia, aliud merita eius; numquam dicimus, quod redeat gratia in sua entitate, & gradibus intentionis, nam hæc solum redibit coronata in illum diem aternitatis; redeunt, & reviviscunt merita, hoc est, jus illud, & condignitas ad præmium, & mercedem, quod in Dei Thesauo erat depositum suo die coronandum; ideoque peccatore redivivo per pænitentiam solum decoratur gratia propria, & graduata solum per suam præparationem, cum iure tamen ad antiqua merita, quæ per peccatum mortificata fuerant. Nec dicimus: quod per peccatum non corrumpatur gratia secundum esse physicum; alias totum, vel aliquid reale gratiæ remaneret, sed asserimus, quod non est talis activitatis, ut aboleat omnia jura gratiæ, sicut dicitur de pænitentia gratia, quæ taliter potentior est, ut extinguat aternam pænā debitam pro peccato, & pro tanto reddere nequibit.

190. Tertio arguitur contra ultimam conclusionem: Merita, quæ solum reviviscant ad suam moralem dignitatem, simulque fundent jus ad præmium, debent correspondere præparationi, qua peccator resurgat per pænitentiam: Ergo reviviscere non possunt secundum totum illud jus, quod in illis præfuit ad mercedem gloriæ. Patet consequentia: Nam accidere potest, quod inferior sit præfens præparatio ad antiqua merita; & antecedens probatur: Merita ea debent correspondere gratiæ infusæ, non solum secundum esse physicum, sed adhuc secundum esse morale; sed utrumque datur ad mensuram propriæ cōoperationis: Ergo gratia noviter infusa per penitentiam, ad istam mensuram confertur: Ergo cum eo iure, & dignitate meritis antiquis correspondentibus.



191. Hoc argumentum est totum continens hujus quæstionis, ideoque dicimus, respondendo: Verum esse quod ad mensuram propriæ cōoperationis Spiritus Sanctus se difundit in anima pænitentis per gratiam, & secundum realem eius entitatem, & quoad jura, & merita ipsius, cum quibus componitur, quod hujus gratiæ taliter infusæ ulterius adveniat jus aliud propriæ cōoperationi superadditum, quod erat propriis meritis antiquis debitum, reservatum tamen in corpore Ecclesiæ, & singulariter loco depositum in Dei acceptance custoditum, totum reddendum tempore ab ipso Deo definito, quo se obligavit, & usque quo se privatum depositarium constituit. Unde vides, quod componi potest, & quod homo cum gratia illa nova resurgat ad illos gradus physicos & morales suæ cōoperationis, & in super, quod ex divina acceptance eidem accrescant reliqui antiqui per modum juris cuiusdam, & condignitatis. Tota hæc reviviscencia erit ex Dei gratia, & benignissima misericordia, & simul ex iustitia ea, qua ut iustus iudex sua Dona coronat tanquam merita nostra, verus, & fidelis depositarius liberè constitutus: Ipsi sit virtus, honor, gloria, & laus, & in eius perpetuam gratitudinem, & obsequium perenne sit noster exiguus labor, quo his gratiæ tractatibus insudavimus: Si quid autem aliquid dixerimus, quod sit minus Ecclesiæ Sanctæ consonum, ex nunc pro semper retractamus, & tanquam non dictum reputamus: Imploramusque nostræ Amantissimæ Mariæ B. V. Mariæ de Monte Carmelo protectionem, & Sancti Sponsi Joseph, omniumque Sanctorum deprecationes, ut non sit inanis in Domino hic noster labor: In eorumque gloriam cedat.

THEO.



THEOLOGIÆ
BACCONICÆ
SPECULI
TRACT. XV.
DE FIDE, SPE,
ET CHARITATE.
PROOEMIUM.



UB UNO TRACTATU COMPREHENDERE TENTAMUS satis arduam materiam trium supernarum virtutum fidei videlicet, spei, & charitatis, quas & Theologicales Christianismus vocat, quatenus Deum Optimum Maximum sua quaque ratione, & altiori quodammodo, ut proprium subiectum respiciunt: de his Trident. describens nostræ justificationis mysterium per susceptionem gratiæ, & Donorum: *Et quia hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inserimur, Fidem, Spem, & Charitatem.* De eis ergo simul agere proposuimus sub hoc uno tractatu, ista ducti analogia, & quia in hoc nostro speculo compendiosa methodo studemus; in eo enim maxima, quæ Deus donavit, in minimo adunata resplendent, ut luceant clarius, ardeant, & inflamment.

62

QUÆ

QUÆSTIO I.

Quid sit fides Theologica?

1. **D**E fide, & aliis virtutibus supernis D. Thom. 2. 2. q. 1. & deinceps, & signate de fide D. R. pluribus in locis ut in q. 1. prolog. 1. in 2. dist. 22. & in 4. q. prolog. & expresso in 3. dist. 2. ubi & Mag. & cum eo antiquiores Theologi qui ejusdem Mag. sententias exposuerunt: Horum Tantorum Doctorum Magisterio instructi de hac fide primitus tractate agredimur; D. R. quantum possumus, mentem, & sensum ostendendo.

2. Et antea quam de fide ista, ut est una, & prima de Theologicalibus agamus, & est proposita q. assumptum, varias fidei vulgares acceptiones in medium adducimus, quia aliqualem analogiam ad veram fidem dicunt, & ideo ad ejus notitiam aliquo modo similiter deserviunt; sunt enim pænè innumeræ, quæ apud P. & DD. leguntur, unde communioribus contenti erimus. Fides ergo aliquando sumitur pro fiducia, & fidelitate, & hoc modo ad voluntatem pertinet; aliquando vero pro assensu, & credulitate; & hic assensus potest esse firmus, ut is qui sequitur demonstrationem, vel infallibilem veritatem dicentis vel testificantis; sive formi dolosus, & non plene certus, ut assensus, qui sit proprius opinionis, de quo R. in 3. cit. cum Arist. ibi ab eod. m. adducto: ideoque fidei species ista generalis sic potest definiri per D. Aug. de prædest. cap. 2. *Credere est cum assensu cogitare.*

3. Sumitur præterea fides pro veritate, hoc est, pro quadam pronitate, seu inclinatione ad vera dicenda, & verus quomodo vocatur testis fidelis, qui hujusmodi est, & fide dignus æstimatur, & dicitur: adhuc modum, qui promissa complet,

fidem servat in factis, & qui dicta exequitur in munere sibi commissio, fidelis etiam nuncupatur. De hoc extant textus in utraque pagina; at quia in illis obvios habemus Hæreticos, & maxime Novatores non bene sentientes de illa fide, quæ est nostræ justificationis initium, & fundamentum, ideo ab eis supersedemus nunc, ut postea suo loco proponantur. Denique fides accipitur pro conscientia recta, in quantum firmis conjecturis, & auctoritate firmatur, quomodo in jure vocantur homines bonæ, vel malæ fidei; & ad hoc reduci possunt tituli illi in jure annotati de fide instrumentorum.

4. Deveniendum est ad communem acceptionem fidei generaliter acceptæ, ut post de Theologica loquamur: fides ergo communiter, & in vulgari usu sumitur pro assensu firmo, & certo ex abstractiva cognitione, confusa, obscura, & inevidenti, sive rei non visæ ortum habenti, fundato, & stabilito in auctoritate dicentis, sive in autorizzato testimonio. Dividitur per humanam, & divinam; illa hominum dictis, & authenticis sistit, hæc in divinis revelationibus, & testimoniis, ita infalibilibus, ut eis per nullam potentiam posset falsum subesse; est enim Deus verax; omnis homo mendax. Fides divina sub dividi potest adhuc in generalem, quæ scilicet fundatur in Dei revelatione, dictis, & testimoniis ejus per Ecclesiam expressis, & Catholica proclamatur; alia particularis fides dari potest, quæ nempe subit divinæ revelationi particulariter alicui factæ, & per quam certo teneatur credere, Deum sibi esse loquutum. Ad hanc reducitur Theologica.

5. Hæc Theologica fides, quæ est totius edificii spiritualis, & status gratiæ fundamentum, sic vulnerata est apud Hæreticos Novatores, ut vix illius quiddam vestigium reliquerint pro suis falsis dogmatibus, immò, & libertate, fingendis. Tenent enim, & ut in plurimum asserunt, fidem justificantem, quæ certè eadem esse debet cum Catholica Theologica pertinere ad voluntatem, esseque hujus potentia actum, quatenus scilicet nil aliud est, quam fiducia certa, & infalibilis, qua divina promissa, quæ manu

aprehendimus; Deique Justitiæ nobis per eam sic applicari credimus, ac nostra non imputari peccata: Et ecce totius nostræ sanctitatis, & remissionis peccatorum initium, & finis: quidquid ut de alia specie fidei, quam historiatem vocant, vel alterius, quæ est miraculorum, & impertinens est ad gratiam sanctitatis. Nunc subsumunt: sed fiducia, quæ est firma spes de promissis, est proprius actus voluntatis: Ergo ad hanc potentiam pertinet fides Theologica, quæ per se est nostræ justificationis causa, & initium.

6. Placitum hoc, ut sonat, est nota hæresis dignum, & ut tale ab Ecclesia proscriptum, in quantum procedit, & loquitur de fide stricta, & Theologica, & quæ nostræ justitiæ est initium, & fundamentum: cum quo adhuc datur locus; ut inter Catholicos probabilis sit alia species fidei, quæ propria sit voluntatis, & ejus actus, ut est ea, quæ in sacris litteris legitur, & profudicia, & fidelitate usurpatur: hæc ergo nomine fidei insignitur, non quia talis sit proprie, & in rigore suæ definitionis, sed quia, ut infra dicemus, habet sibi adjunctam aliqualem fidei rationem, vi cujus sic denominetur: ceterum nec erit illa fides, quæ est propria, & Theologica, nec nostræ justitiæ fundamentum. Ut autem de hoc præsupposito plenior demus notitiam, & nostro munere satisfaciamus pro modo assumptæ methodi, dabimus textus aliquos, quibus hæretici fidunt; ut eorum sensus germanus declaretur, & simul pro controversia inter Catholicos breviter nostras partes agamus.

7. At cum fides, ut supra innuimus, sumi possit, & pro fidelitate, & infudicia, & maxime pro credulitate fixa, & immobili, ut constat specialiter in sacris litteris; quæ omnia ista concludunt, ut ex iis appareat, quisnam sit verior Ecclesiæ sensus, & quænam probabilior Theologorum sententia? Et in primis in lib. Levit. sic legitur: *Anima::: quæ::: negaverit depositum fidei suæ, commissum::: red-det.* Et Eccles. 17. *Qui revelat arcana, fidem perdit.* Et Paul. variis in Epist. suis de hac fide loquitur, tanquam de virtute quædam superiori; & Christus antea docet;

ut videre est in Evangel. ut Matth. 25. *Euge serve bone, & fidelis.* Et Luc. 19. & ad Thimor. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ecce fides, quæ unice accipitur pro fidelitate, & veracitate, & quæ moralis virtus est, & de qua nullus Theologus dubitavit, ad voluntatem pertinere, immò nec in illa pedem fixum faciunt hæretici pro suo dogmate stabiliendo; ideoque omissa acceptione ista.

8. Secundò fides sumi potest, ut dicebamus, pro fiducia certa, & firma divinæ promissionis; sic Matth. 13. ad illa verba de Petro naufrago: *Cum vidisset venturum validum, &c.* Christi Domini increpatio hæc fuit: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Et Luc. 17. *si habueritis fidem per analogiam ad granum sinapis.* Et Paul. 1. ad Thimor. 3. *Qui bene ministraverint gradum bonum sibi adquirent, & fiduciam in fide;* his concordant Petrus 1. cap. 5. *cui resistite fortes infide.* Et Jacobus 1. *infide nihil habitans.* His, & aliis hujusmodi textibus fidem Novatores, ut mordicus teneant fidem justificantem ad voluntatem pertinere, & ad sensum istum trahunt omnes alios, qui propriissime docent, & instruunt Catholicam doctrinam, & de vera fide Theologica loquantur, quos nunc immediate dabimus.

9. Innumeri sunt, de quibus non omnes proponimus, sed eos solum, qui apud DD. obvios habemus; ut Paul. ad Hebræos 11. *Est autem fides sperandarum substantiarum, argumentum non apparentum.* Concordatque cum à se antea dictis, cap. 10. *Justus ex fide vivit: Et insuper eodem 11. fide intelligimus aprata esse sæcula: Postea: sine fide enim impossibile est placere Deo.* Et ideo ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Sed in his, & aliis clare exprimitur fidem istam ad intellectum pertinere: Ergo ad intellectum pertinet fides ea, quæ est nostræ justitiæ initium. Patet antecedens: Nam argumentum est idem ac ratio, sicut credentia est assensus, quæ sunt intellectus propria: Ergo propriissime sunt actus intellectus, credere, assentire, argumentari, &c. Prima consequentia etiam liquet: quia fides ea, quæ ad nostram justitiæ pertinet, est, quæ*

in sacris litteris declaratur, quod talis sit; sed fides, quæ est argumentum non apparentium, & per quam assentimur, & credimus revelationibus divinis, est basis nostræ justificationis: Ergo hæc ad intellectum pertinet.

10. Nec hæreticis negamus fidem illam profudicia usurpatam ad voluntatem pertinere, admodum quo ad eandem potentiam attinet alia species fidei quæ fidelitatem significat; ceterum asserimus, tum; quod huiusmodi fides non est propriè talis, quia ipsi non convenit fidei ratio, quam per Philosophos, & PP. habemus; tum: quod magis accedit ad spem, & confidentiam, immò, quod proprius dicatur spes, quam fides; tum & maximè: quia ista fiducia, quæ ab illis dicitur, fides Theologica, & est sanctitatis origo, non potest esse basis, & initium gratiæ, & ejusmodi status; nam cum sit spes quædam, actusque voluntatis firmus, alium debet supponere intellectus, qui aequè firmus esset, & infallibilis; & à quo ea infallibilitas? A Deo unice, dicente, loquente, dicente, revelante; manifestante: Ecce fides orthodoxa.

11. Ab his expediti, brevibus etiam à dubitandi ratione Theologorum expediemur: Tenent enim aliqui, quod fides, quæ in sacris textibus exprimitur, est Catholica, & Theologica, quamvis alias fiduciam, & fidelitatem significet; horum ratio ea est: quod ubicumque in Scriptura Verbum fidei habetur, etiam fiducia, si ve fidelitas, quæ principaliter ibidem significantur, semper tamen habetur in eis adiuncta fides illa, quæ est propriè credulitas, seu assensus intellectus, qui que prærequiritur ad veram fidelitatem, & fiduciam in divinis promissis: Aliis opinantibus fiduciam, & fidelitatem, quæ nomine fidei decorantur, esse morales virtutes à Theologica fide discretas; & hoc nec inconvenit, nec aliquid habet commune cum Novatoribus; quorum ratio unica est; verba ipsa sacra taliter nominantia præfatas fidelitatem, veracitatem, & fiduciam. Nos vero in hoc puncto non decidimus, sed utrisque placitis adhaeremus, nam ad ea sufficiunt hinc inde fundamenta. Videantur DD. apud Suarez hic.

12. Circa finem harum resolutionum ex industria reservavimus triplicem aliam fidei Theologicæ acceptionem; nimirum fidei divinæ objective consideratæ; & de hac varii intelliguntur textus sacri, qui nec de habitu, nec de actu fidei loquuntur, sed sicut de huius virtutis objecto, & materia accipi possunt; ut ad Ephes. 4. *Unus Deus, una fides, unum Baptisma*: Et Apocalipf. 2. *Non negasti fidem meam*, & alii quæ plurimi, qui de doctrina fidei procedunt. Sumitur etiam fides pro ipso actu credendi, & sic vocatur fides actualis; ut illud Math. 4. *secundum fidem vestram fiat vobis*. A. denique pro ipsa fide in habitu, & quæ est illa propria virtus, quæ nobis cum gratia infunditur, & in nobis manet, & denotat illud Paul. 1. ad Corint. *Nunc autem manent tria hæc, fides spes, charitas*. &c.

13. In his tribus divinæ, & supernaturalis fidei acceptionibus compleri videmus totam huius virtutis notitiam, & ideo suo ordine tractabuntur; primòque de objecto fidei, postea de ejus actibus, ut denique de habituali, & infusa tumus actum. Ac per prius, ut proposito titulo fiat satis, & quid est fidei, vel ejus quidditas declaretur, superest, ut teneamus, & stemus in eo, quod fides ista est illa universalis, & Catholica, de qua dicitur: *Nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non possit*, sub qua comprehendendi est necessitas fidei miraculorum, & divinarum historiarum, quatenus subsunt eidem rationi formali, ac pertinent ad eandem materiam, & objectum: nec in minimo cum novatoribus conveniamus.

14. Unde locum non relinquimus pro nunc, & in præfata ad illam fidei divisionem panes generalem, & particularem illa, quæ præscindat ab enigmatica, & obscura; hæc, quæ sua essentia dicat, esse de objecto non viso, & in evidenti, utraq; tamen fundata in testimonio, & autoritate dicentis: Asserimus namque, & insistimus cum R. in 3. dist. 24. q. 1. unam esse rationem fidei tenendam, & hic peragendam, quæque sistat eidem formali constitutivo, & definitioni, ut ipse ait §. secundò *per te, &c.* & licet in hac doctrina loquatur præcisivè à fide divina, & hu-

ma-

mana, nos autem eam contrahimus ad divinam, sub qua non cognovimus aliam generalem, aliam specialem fidei naturam, & essentiam, sed unam esse asserimus à nobis definiendam, & explicandam, in quo Scripturam sacram pro regula prima habentes cum D. R. loco & §. citato sic fidem istam definimus: *Fides est certa ad verum adhaesio propter solam auctoritatem dicentis*.

15. Definitio per prius explicatur, quod sit conformis regulis dialecticis; convenit enim cum aliis notitiis evidentibus, & demonstrativis, si ve demonstratis per esse certam adhaesionem; & assensum; differt vero in motivo, & ratione sub qua, quæ in fide est præcise auctoritas, & testimonium dicentis; est ergo fides Theologica firma, & certa adhaesio intellectus ad verum illud revelatum, supponens necessario motum voluntatis; ejusque firmum assensum, quatenus voluntas in nostræ fidei exercitio habet suas partes, ita quod divinis revelationibus non minus intellectus, quam voluntas suam præbeant assensum, unaqueque potentia suo munere, & ordine: Sic D. R. loco citato, & alibi ubi promiscue loquitur de assensu firmiter intellectus, & voluntatis, ut necessario ad fidem constituendam pertinente: Et clarius videtur assumptum in his damnatis ab Innoc. XI. *Voluntas non potest esse ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium* 19. :: Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. 20.

16. Hoc modo nostræ fidei concinnata definitio probari, seu potius corroborari potest: primo quia R. loco citato eam docet esse bonam fidei definitionem ad hæc verba quæ q. 1. habet: *secundò per te, & Damascenum, fides nunquam ita generaliter accipietur; quin dicat adhaesionem propter solam auctoritatem dicentis*. Præterea concluditur, hanc fidei definitionem desumpsisse R. imò, & ferè omnes DD. ex illis locis D. Paul. 1. ad Corinth. 13. *Videmus per speculum; & in enigmate*. Et expressivè ad Hebræos 11. *Fides est sperandarum substantiarum argumentum non apparentium*: Cum in idem conspirent

ratio, & notitia certarum rerum non apparentium; & adhaesio firma propter dicentis auctoritatem, & testimonium. Rationem huius habes in R. in hoc 3. & alibi per Aristot. Nam rei notitia aliter haberi non potest; quam per demonstrationem, opinionem, vel dictum sapientum; sed respectu inapparentis nec demonstratio, aut topicus syllogismus haberi potest: Ergo hæc alia notitia erit per auctoritatem sapientum; ut ait Philosophus: Ergo notitia ea rei inapparentis, quæ certa sit, & firma adhaesio; ut est fidei nostræ Theologicæ, aliter haberi nequit nisi per testimonium Dei loquentis, & dicentis; cui unice tribui est necessarium infallibilitas in dictis, & restitatis. Alias rationes omittimus; & maximè quia præfata eas omnes comprehendit, sic enim dixerat quidam in R. quod forte in sacra Scriptura non invenitur alia fidei definitio: Objectiones, quæ contra hæc se offerunt infra inde cursu aliarum qq. dabantur, & solventur.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit fidei Theologicae objectum?

17.

Quod sumi debet tota ratio potentiae; scientiae habitus ex quidditate; & natura objecti, à quo est species; & cum quo commensuratur, ita quod nec excedat; nec excedatur ab illo; est doctrina R. q. 3. prolog: in 1. ubi latissime cum Philosophis de essentia agit; & officio objectorum, & qualiter se habeant cum suis respectivè potentiis; & habitibus; quapropter opere præteritum duximus hic de fidei

di-

divinæ objecto pertractare, quia in illius declaratione tota fidei nostræ notitia completur, & veluti comprehenditur. Et ut non recedamus ab stylo communi recolendum est, quid de objecto in generali non semel indecursum hujus operis dederimus. In primis vocatur objectum potentiarum, & habituum; quidquid eisdem objicitur, vel proponitur inspicendum, & considerandum; quod & dicitur subjectum scientiarum, quia de ipso predicantur ea omnia quæ in scientia peraguntur; & in quantum hæc illi insunt itidem denominatur materia.

18. Hoc objectum, ut clarius procedamus, aliud debet esse principale, attributionis, primum, ac denique formale, & specificativum scientiæ, vel potentiæ, & in quod omnia ab his quomodolibet attingibilia reducuntur, & ordinantur; semper enim ac quodlibet ex minus principalibus objectis attingitur, est inter ventu principalioris; quasi si dicamus, semel determinatis potentia, aut habitu ad propria objecta materialia, & secundaria, sive resultativa; determinari est necessarium ad suum primum formale, & principale objectum: Ecce concissa divisio objecti sic patet primum, & secundum, materiale, & formale, principale, & minus principale, sub qua bene perpenſis aliis subdivisionibus, & considerationibus objectorum, omnes prædictæ continentur. De hoc sufficiat, ut acquirendam rationem objecti formalis, & principalis fidei accedamus. De materiali vero nulla aparere potest ratio dubitandi, cum omne quodlibet, quod creditibile sit fidei divina, vel quod fidei tali sublit juxta Ecclesiæ declarationem, sit objectum quod & materia illius.

19. Ac cum initium nostræ confessionis Catholicæ sit credere in Deum Patrem Omnipotentem, primamque in quolibet genere, & ordine sit cæterorum mensura, hoc inter omnia alia creditibilia ista divina fidei erit principale attributionis, formale, & specificativum habitus fidei & jam præmanibus habemus objectum illud, quod inquirimus: hoc, inquam, non modo est primum quod credimus, sed primum quod speramus, primum diligimus, primum quod scimus, & pri-

imum quod tenere, & possidere in æterna vita confidimus; unde erit fidei, spei, & charitatis, visionis & Dei scientiæ beatorum in patria, & viatorum in via objectum principale, & specificans; cumque habitus sint distincti in suis speciebus, talisque distinctio à suo objecto habeatur, à quo esse debet, quidditas, & mensura, ideò in hoc Deo, qui primus est ad habitus præfatos debemus considerare, & simul distinguere suas respective distinctas rationes formales objectivas, vi quæ in suis distinctis speciebus constituantur.

20. Respectu fidei prima esse poterit ratio divini entis concretivè accepta, vel Deitas ipsa in abstracto, sed quia divinum hoc ens, et Deitas est objectum commune prædictis virtutibus, nulla ratione sub hac communi acceptione posset formaliter habitum fidei determinare in sua propria specie. Nec contra assertum istud pugnantur videtur dicta DD. qui cum D. Thomæ hic, & in aliis locis tenent, Deum sub ratione absoluta Deitatis esse fidei divinæ formale objectum; nam laudati AA. loquuntur, & procedunt non de ratione formali specifica ejusmodi objecti, sed de alia remotiori, quæ formalis dicitur, & quia prima est, & cum specifica valde conjuncta, & illa vocatur apud omnes ratio, quæ & objectum formale quod, cui et nos annuimus; et ab ea nunc superſedemus, unice quærendo pro illa specialiori formali ratione sub qua, et à quo sumitur objectiva qualibet species.

21. Alia ratio objectiva fidei poterit esse veritas divina, cum sit de linea intellectiva; sed adhuc hæc formalitas veri, ita communis aliis habitibus intellectus, nequit esse peculiaris fidei; propter quod distinguimus in fide triplicem acceptionem veritatis; nimirum in essendo, in cognoscendo, & in dicendo: Prima veritas non est ad rem specialis, quia transcendens est, & prima passio entis, & ab ea nulla ratio peculiaris; & quidditativa sumi potest: Veritas in cognoscendo est, quæ subjectivè se habet, & ex parte intellectus, vera ut sunt cognoscentis, & à qua Deus dicitur, & est infallibilis in suis cognitis; in quantum scilicet est veritas cognitiva, quæ per nullam potentiam falli potest: veritas denique in dicendo, signate loquendo.

quando de divina alia est ad intra, ad extra alias de prima non agimus in præfati, de ea fusius tract. 5. 6. 10. sed de secunda, & in quantum consistit in divina veritate, & testificatione, aut testimonio Dei ad extra loquentis, & revelantis occulta quadam, & non per se nota, & evidentiæ lumine creato naturali, sistit, & fundatur.

22. Devolvitur tota resolutio præfata ad divinam veritatem incognoscendo; non item quæritur, nec est ad rem quænam earum sit potior in se, seu prima per analogiam, ad creatas, quomodo de divinis conceptos, & formamus nostros in adæquatos conceptus; sed quæ formalior sit, & veluti proximior ad habitum fidei specificandum? Et per prius, ut certum relinquatur, quod utraque veritas per se deideretur, & pro formali ad hujus fidei objectum; siquidem nullus loquitur vere vera nisi sit verus in cognoscendo veritatem: cæterum connexio hujusmodi veritatum non est talis ex natura rei, sed præcisè in Dei veritate tantum essentialiter reperitur; quapropter homo vera sciens, multoties non vera loquitur; & à contrario; solet quandoque vera loqui, cum ignoret ea, quæ loquitur: His ergo suppositis sit hæc unica

23. Conclusio: Objectum formale specificum fidei divinæ, quæcumque sit, est divinum testimonium dictum revelatum; est præterea, Deus ipse, ut loquitur secreta sua, & totum hoc est divina veritas formaliter, & subjective accepta, non sub ea ratione, qua cognitiva est, sed in quantum dicit, & revelat Dei abscondita; & terminis communibus; veritas divina in dicendo: his ergo & sub hac expressione non utimur, quia R. numquam de illis fecit mentionem; quamvis alias sentiamus pro eodem formaliter usurpari divinum dictum, Dei testimonium, & revelatio, ac divina veritas in dicendo: Et forte illis præ aliis terminis processisse D. R. quia conformiores sunt iis; quos in sacris litteris legimus huic materiæ accommodatos, immo & Philosophus iisdem utebatur pro fidei firmitate stabilienda, & declaranda.

24. Resolutio est communis DD. licet aliqui aliter sentire videantur, ma-

ximè de veritate Dei incognoscendo; non tamen, ut eam excludat à ratione formali objectiva fidei de hoc inter argumenta nostra solvenda. Certum igitur est esse R. variis in locis supra in principio citatis, unum dabimus ex 4. dist. 1. q. 1. art. 1. ubi pro solutione 3. & 4. argumenti, quæ faciunt contra inevidentiæ, & inapparentiam objecti fidei, notat, quæ sequuntur: *Est intelligendum, quod fides, seu credere quandoque sequitur opinionem ex Arist. 3. de anima. Text. com. 5. :: quandoque sequitur testimonium sapientis :: quandoque sequitur demonstrationem; 1. Posterior. Text. com. 5. :: Fides de qua Apost. est, ad quam sequitur credere medio modo (hoc est per testimonium sapientis.) scilicet per testimonium legis Dei, & prophetarum sed fides, de qua Apost. est fides divina Theologica, & de qua agimus: Ergo sistit in testimonio Dei, & prophetarum tanquam in proprio subjecto: Ergo istud divinum testimonium est ultimum, in quo tota fides divina devolvitur, & primum, à quo est illius quidditas, & species.*

25. Sumpsisset certe R. fundamentum in sacra Scriptura, ubi satis expressis verbis prædictum divinum testimonium adducitur à prophetis tanquam principale motivum nostræ fidei, & divinæ credibilitatis; & unus pro omnibus sit psalm. 118. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ex quo, & ex aliis concludimus divinum testimonium esse totius fidei divinæ motivum. Nunc ad communem modum loquendi accedendo, subsumamus: sed in idem conspirant formalissime divinum testimonium, Dei testificatio, & revelatio, cum infallibili veritate dicente, vel in dicendo: Ergo hæc Dei veritas erit formale objectum, & specificum divinæ fidei. Patet assumptum: veritas Dei loquens dicens, testificans, & revelans eadem gaudet ratione, & quidditativo conceptu ad nostram credentiam comparata; semper enim ac Deus ad extra testificat, & revelat, vera dicit, & infallibilia loquitur.

26. Secundo probari potest conclusio ratione: Habitus fidei Theologalis debet immediate respicere Deum, ut subjectum proprium specificum, non tamen sub ratione communi ad alios habitus pariter Theologicos, nec sub ratione propria aliorum; sed præcisè sub aliqua eidem

peculiaris, & ab aliis distinctiva, quæque esset de linea veritatis objectiva, & formalis, cum hujusmodi habitus fidei sit de linea intellectiva, cujus materia est veritas; atqui nil accommodatius pro nostra fide, quam illa divina veritas, quæ nobis dicat, revelet; & testificetur de occultis mysteriis credendis: Ergo hæc erit veritas objectiva, cui innititur fides divina, ad quam adstringimur. Minor est adhuc sine dubitatione, & clare expressa in sacris litteris in se, quod vero sit fidei specificum objectum constat: siquidem inter istam veritatem, & fidem nulla alia ratio formalis mediat: Ergo ea erit sub qua Dei revelata à nobis per fidem attinguntur: Ergo & formale objectum, & specificum fidei.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

27. **P**rimò arguitur: Fides juxta Apost. ad Heb. 11. est sperandarum rerum substantia, fundamentum, & earum argumentum sive Græce ratio: Ergo non veritatem, & divinum testimonium haberet pro materia, & objecto, sed res illas sperandas, quarum ratio est, & argumentum. Antecedens est doctrina infallibilis, & consequentia probatur: Res sperande, est Deus, ut in se est, quoniam videbimus eum, sicuti est: Ergo non modo ea divina veritas dicens, & loquens, sed Deus sub omni ratione, & ut in se est, erit objectum divinæ fidei. Respondetur ad hoc argumentum, quod facere potest contra omnes quoscunque habitus similiter Theologales; omnes namque Deum, ut in se est, respiciunt, & ab eo speciem sumunt, sed non æque, & sub eadem ratione; sic totus Deus speratur, & sicuti est, videbitur, & hæc est fidei divinæ ratio, & substantia; ratio vero sub qua est hujus fidei objectum proprium est Deus ipse dicens, testificans, & revelans occulta sapientiæ suæ, & sub ista sua revelatione, totus Deus creditur, & est talis credentiæ objectum adhuc principale, & quod per se immediate pertinet ad fidem; materiale tamen si ad rationem im-

mediatorem comparatur, qualis est præfata revelatio; formale vero comparatum ad remotiora credita qualia sunt mysteria creata nostræ fidei, & per istas diversas formalitates habitus Theologales non constanduntur.

28. Secundò arguitur: Objectum specificum, & formale talis est conditionis, ut omnia quæ per habitum, quem specificat, attinguntur, illius ratione attingantur; sed plura creduntur, quæ non mediâ hac divinâ revelatione, & testimonio, sive per divinam veritatem dicentem credantur; ut videre est in mysteriis creditis per rudes, & idiotas, qui, quid sit Dei dictum, percipere nequeunt, & credant fidei divinæ ipsi cum gratia infusa: Ergo. Præterea idem argumentum fieri potest de Judæo, Pagano, & in fide Cathecumeno, qui in Christum credit, & adhuc Jesus non se credit ei, hoc est, certe credit, cæterum non eo ductus infallibili motivo fidei divinæ: Ergo dari potest fides quin Deus dixerit; & revelasset: Ergo potest quis credere res proprias fidei à Dei revelatione præscindens.

29. Respondetur ad argumentum, negando minorem, ad cujus probationem desumptam ex fidei rudi, & Idiota, negamus, quod mysteria divina quæ credit, non sit, medio eo indispensabili testimonio Dei, quod etsi, non attingatur reflexe, & ut à peritis creditur, directe tamen ad illud determinatur, sicut qui videret album, attingeret etiam colorem directe tamen, non vero reflexe, quia hæc potentia non est ex se reflexiva, sic de Idiota non reflexivo supra suos actus ratione suæ imperitiæ dicendum venit: Credit ergo divinū testimonium, & quod Deus est summa veritas in dicendo, credit, cæterum supra hoc non reflectitur. Ad illud de infideli similiter dicimus, quod fides illa, qua incipiunt credere, & adhuc Jesus non se credit eis, non est Theologalis, sed humana, fundata tamen improbabilibus rationibus, quæ usque dum firmiter innitatur divino testimonio, jactis prius fundamentis solidissimæ veritatis per Ecclesiam revelantem, & docentem mysteria Dei credibilia, nec Jesus se credit ei; nec divina fidei Theologica, & infusa credit hæc mysteria Dei,

ac

ac sumpto motivo à suo infallibili testimonio, & veritate in dicendo, & testificando.

30. Tertio arguitur Dei testimonium, & revelatio sunt fidei Theologalis motivum, quatenus dicunt infallibilem veritatem intestificatione sua; sed hujusmodi infallibilitas constitutive haberi, & concipi debet ratione divinæ veritatis incognoscendo, & dicendo: Ergo hæc utraque veritas pertinet constitutive ad motivam essentiali fidei Theologica: Minor probatur: infallibilitas in dictis petit necessario sicut nec fallere, ita nec posse falli; sed ad hoc utrumque desideratur summa veritas in dicendo, & incognoscendo: Ergo hæc utraque veritas necessario requiritur ad constituendam infallibilitatem divini testimonii. Pater assumptum argumenti: Nam quomodo Deus fallere non posset, si per prius, & principaliter non esset ita infinite cognitivus, ut in suis cognitis non fieret erroris, & fallentiæ incapax? Ergo ad strictam, & perfectam infallibilitatem testificationis, videtur constitutive utrumque pertinere: Ergo idem quod prius.

31. Respondetur ad argumentum distinguendo minorem. Infallibilitas divini testimonii quoad se, patit formaliter, & constitutive utramque divinam veritatem, omitto; in respectu ad extra, nego minorem. Certum est, quod assumitur in argumento, nimirum, quod ad infallibilitatem utraque veritas constitutive desideretur; loquimur de divino testimonio, & ejus ad extra infallibilitate, ad hæc enim requiritur Dei certissima cognitio de testificandis ad extra, cæterum non formaliter, & constitutive; siquidem hac data infallibili cognitione, adhuc posset Deus nil ad extra testificari de cognitis: Ergo cognitio hæc, quæ est idem ac veritas Dei in cognoscendo, solum præsuppositivè, etsi per se, & necessario, exigitur ad infallibilitatem divini testimonii: Deveniamus ad hoc ultimum, & concludamus assumptum nostrum panes formaliter, & constitutive exigitur ad infallibilitatem divini testimonii Dei veritatem in dicendo, etsi hæc per se, & necessario aliâ supponat incognoscendo: hæc ergo licet potior sit, & principalior in Deo, quasi ad intra, illa

Tom. IV.

tamen est formalior respectu divinæ testificationis, ut ad extra relata.

QUÆSTIO III.

Utrum fidei divinæ possit subesse falsum, non obstante hac sui objecti infallibilitate?

32. **S**pecialiter hanc peragimus quaestionem, ut sensus aliquorum textuum, qui contra divinam veritatem facere videntur, aperiatur, & declaratur; & antea ejusmodi explicationem, primò supponendum est; humanam rationem, etiam prævie, & quasi præsuppositivè, requiri videatur ad fidei assensum, in quantum videlicet, cognoscit saltem apprehensive ea, quæ credenda proponuntur, & ostendit esse prudenter credibilia sive non repugnata esse nec impossibilitate, diceret loquendo tamè juxta congruentem, & connaturalem modum exercitiū nostræ divinæ fidei; nam aliter posset esse per aliam potentiam; in hac ergo ratione sistere non potest divina fides, in cujus obsequium captivare intellectum jubemur, & expectare divinam revelationem, cui credamus, & hoc etiam est eadem fide tenendum: Imò si oculos injiciamus ad principaliora nostræ fidei mysteria, pura personarum Trinitatis in unitate essentialis Divini Verbi Incarnationis, Eucharistiæ, &c. potius contrariæ, quam rationi apparere convincitur: Concludimus, quod ad divinam revelationem devolvenda est summa totius Christianæ fidei, & de ea quarimus, num illi possit, sub aliquo respectu, aut formalitate, falsum aliquod subesse?

33. Ut quaesito respondeamus, supponi debet, ut certum, etsi contradicant hæretici aliqui, quod lumine naturæ notum est, Deum esse summe veracem, sicut sic est fidelis in promissis, cui consonat,

Hæc

ta:

taliter esse sapientem, propter quod nec fallere potest, nec falli, quæ omnia ad Dei primum in essendo, & operando naturaliter necessario sequuntur: Unde de Deo disputare nefas est, num directe, & ex intentione fallere in suis dictis possit, vel falli in suis cognitis. Tota ergo hæc difficultas devolvi debet ad duo; primum est, si possit à mendacio præscindi obliquitas, & defectus moralis? Et in eo casu locum haberet ratio dubitandi in hunc modum: Semel quod à mendatio separatur moralitas, & malitia, non est in eo, caput deformitatis, vi cuius Deo dedecet, fallere, vel falli, vel repugnat, vel assignetur. Secundum est: Plura namque facit Deus per alium, quæ non faceret per se ipsum, immò nec possit: ex quo sequitur dubium hoc: possit hoc modo per alios falli, aut fallere nec ne? De his sit

34. Conclusio prima: Deus absolute loquendo mentiri, & falsum dicere non potest. Est de fide, constat pluribus textibus, & sacris decisionibus in illo num. 23. *Non est Deus, ut est homo, ut mentiatur.* Consonat Paul. ad Heb. 6. *Impossibile est mentiri Deum, &c.* de quo plura habemus in sacra pagina: Ratio generalis est defectus naturalis, & moralis falsitatis, & mendacii; sed in Deo nec cadit, nec cadere potest defectus huiusmodi; aliàs Deus non esset, si deficeret à vera rectitudine physica, vel morali, siquidem nec esset omnium perfectionum cumulus, & pelagus totius sanctitatis: Igitur quomodolibet falsitatem, & mendacium accipere velis, nec Deo est decens, aut possibile esse potest; deficit enim à rectitudine rationis.

35. Conclusio secunda: Deus nec per alios potest falsum dicere, siue mentiri. Stabilitur hæc resolutio fortassis contra Priscilianistas tenentes Deum posse, & de facto falsa promississet, & communicasset per Prophetas suos: sed quam male sentirent, convincitur, primo; per communem regulam: quod, qui per alios facit, per semetipsum facere censetur; & ita, quæ non licent faciendæ per se, nec per alium fieri possunt: fundatur in hoc: quod ille alius per quem fit aliquid, agit nomine, & in verbo alterius: Ergo huius proprium est ita, ac si per se illud fa-

ceret. Textibus sacris, & exemplis Prophetarum convincitur: Nam sæpe, & regulariter cum nomine Dei loquuntur, & annunciant aliqua, Deum ipsum loqui dicitur per se, & immediatè sic enim in iis apparitionibus, & loquutionibus, quæ certè per Angelos tanquam Dei ministros exerceantur; fortè Deum ipsum loqui, & apparere perhibetur; & hoc ideo est; quia in idem conveniunt, & conspirant, Deum per se, vel per alium loqui, & apparere: Ergo sicut impossibile est Deum falsum dicere per se, eodem jure per alium non possit.

36. Conclusio tertia: Impossibile est Deum falsum dicere, quia in adjecto implicatoria est hypothesi assumpta; nimirum quod obliquitas præscindibilis esset amendacio. Est contra aliquos Theologos asserentes huiusmodi præscindibilitatem, consequenterque tenentes possibile esse Deo falsum dicere, ea supposita hypothesi; sed quam male sonat convincitur, primò: quia non bene loquitur de divina veracitate, & veritate, qui taliter sentit de mendacio, vel qui mendacium, utpote contrarium Dei veritati, ab obliquitate, & defectu præscinderet; siquidem in illa præscissione non esset, unde contrarietur, aut opponatur cum divina veritate: Ergo nec illi esset oppositum; sed non bene sentit de divina veritate, qui mendacium sub aliqua ratione assereret, illi non esse contrarium, & oppositum: Ergo ne hoc dicatur, nostra substituenda est conclusio, & hypothesi abolenda.

37. Præterea probatur conclusio: Mendacium sub ratione omni est malum, dissonum humanæ societati, & cui cumque naturæ intellectuali, & à Deo indispensabile: Ergo sub nulla ratione Deo competere potest. Antecedens probatur: Mendacium est sub omni consideratione oppositum veritati, quæ est rationis primus actus essentialis in se, & ex rei naturæ, & ab hoc, ut pote essentiali ipsi, impræscindibile, sicut homo à rationalitate; sed quod veritati per se, ac intrinsecè, & essentialiter opponitur, contrariatur naturæ intellectuali, & ut suæ naturalis perfectionis destructivum: Ergo sic est mendacium, & falsitas ex ipsa rei natura.

Ergo quomodolibet mendacium consideres Deo inimicum, & suæ naturæ contrarium sustinere teneberis; & hoc implicat, & nefas videtur.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

38. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Deus aliquando falsum dixerat, tum comminando, tum promittendo, tum etiam asserendo; sed hoc est mentiri: Ergo potest, etsi non ut defectuosum quid est, & malum, mentiri sed præcisè, ut quidam actus indifferens, siue non malus, falsum dicere. Probat major: primò per, comminationem Ninivitarum non impletam, ut constat ex Jon. 2. *Adhuc quadragesima dies, & Ninive subvertetur.* Secundò: Probat per promissionem, quam Abraham fecerat pueris suis circa Moriam de reversione illud cum Isaac, quod non intenderat in mente, ut pote eum ad sacrificium duceret: *Ego & puer revertentur ad vos.* Genes. 27. Denique asserendo contra suam mentem Jacob se simulans Esau; Isaac primogenitum esse dicebat: *Ego sum filius tuus primogenitus.* G. 27. sed in his locis Deus vere loquitur, & non vera: Ergo falsa, suo saltim modo, & ab imperfectionibus separata.

39. Aliter probari potest illa major: Falsum, quod sit tale, non formaliter, sed pure materialiter, nullam dicit cum divina veritate oppositionem: Ergo non est unde Deo repugnet. Probat antecedens: Falsum dictum ex ignorantia invincibili, ut verum; nullam talem dicit ad divinam veritatem oppositionem; sed hoc erit tale mendacium materiale: Ergo istud eum divina veritate non repugnat. Major probatur: Dictum falsum invincibiliter cognitum, ut verum potest iuramento firmari, ita quod in illius comprobationem Deus assumatur in testem absque macula perjurii; immò, & potest aliquando præcipi, ac Deus ipse ad illius elicientiam positivè concurrat; sed hæc

Tom. IV.

in illo dicto falso materialiter non verificarentur, si cum divina veritate dicerent oppositionem: Ergo idem quod antea.

40. Respondetur ad argumentum, & prius ad ea, quæ in sacris litteris dissuadentur solvenda, scire convenit, quod in plerisque revelatis promissionibus, & comminationibus, latent quædam imbitæ conditiones; quæ nobis non innotescunt, quare etsi non eveniant, non ideo vana sunt, quatenus scilicet, connotant, dicuntque conditionem non purificatam, & ob hoc cursu temporis non impleantur: Sic de everfione Ninivitarum sentimus, quæ civitas utique comminata fuit, dependenter tamen ab eorum excæcatione, & impenitentia: Ergo. Idem dicendum venit de reversione Abraham, & Isaac ad suos, quæ utique promissa fuerat, quasi si Deus aliud sacrificium expectaret in Monte, & in hoc verificata fuerat promissio, fundata, & stabilita in eo, quod in spem contra spem crediderat. Idem ferme acciderè potest in divinis assertionibus, ut puta, quod sub uno sensu eveniant longe à sensu vulgari, & communi disito, & diverso. Jacob ergo asseruit esse primogenitum Isaac; non natura, sed electione, non nativitate, sed præstantia, & dignitate, etiam jure naturalis contractus venditionis, & emptionis acquisita. Alii alia dicunt, quæ nunc omittimus.

41. Ut ad rationem argumenti respondeamus, dicimus, quod mendacium illud siue falsum materialiter, & invincibiliter dictum locum habet in creaturis; quæ cum falli possunt, possint & aliquomodo fallere, etsi esset falsitas hæc eisdem non imputabilis careret malitia, & de formitate mendacii, cuius rationi oppositionem diceret cum divina veritate, & propterea Deus verè in illud dictum ageret; absque eo, quod in aliquod malum operetur. Hoc ad divinam intellectum comparatum summe malum esset; cui nec nova sententia, nec cogitatio advenire potest; nec in suis cognitis falli, nec in dictis ullomodo fallere. Nunc ad formam distinguitur antecedens, & etiam major prima: Falsum dictum materialiter, & invincibiliter nullam dicit oppositionem.

Hæc

Pris

privativam cum divina veritate, concedo; nullam negativam, nego.

42. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Dicere falsum per alium non est proprie mentiri seu contra mentem ire; sed isto modo, & non mentiendò, Deus per alium posset falsum dicere: Ergo hoc non repugnat. Major patet ex variis locis sacris, ubi satis clare dicitur, Deum falsa aliqua nuntiasse, & predixisse, ut ex lib. Job habemus: *Principes decepisse*; & expressius 3. Reg. 22. cum Deus quereret, quis deciperet prophetam, dedit Deus Spiritum mendacem in ore omnium prophetarum; sed hoc aliter fieri nequit, nisi Deus per alium falsa diceret absque macula suæ infinitæ veritatis: Ergo istud non dedecet Deo. Assumptum probatur: Nam modus iste fallendi non dicitur per se de Deo, sed per alium, hoc est, quasi per accidens, & objective: Ergo salva veritate divina per se tali, posset Deus per alium falsa nuntiare. Præterea: In casu illo supra tacto, quo quis invincibiliter falsa pro veris diceret, Deus per illum, & in illo esset causa talis mendaciis quatenus, scilicet, vere influeret in illud, quin ullam diceret deformitatem Deo repugnantem; sed per hunc influxum in dictum falsum verificaretur de Deo, quòd fient agere in falsitatem per se, sic & per alium utique valeret falsa dicere: Ergo eest hoc non repugnat.

43. Respondetur ad argumentum, & in primis, ut certum tenendum est, quod in usu Scripturæ sacræ, derelictiones Dei, permissiones, & alia huiusmodi, quæ Deus nunc & olim in pœnam peccatorum hominibus infligit, sunt verè, & proprie negationes auxilii congrui, sic, vel sic, ac passim in eisdem litteris sacris leguntur, ut positivæ inflictiones pœnarum, & excæcationes, indurationes, perditiones, &c. cum sint tales, in quantum Deus sua auxilia subtrahens hominem sibi relictum obliviscitur, & in suo arbitrio, usque dum induretur, excæcetur, & ad ultimum perdat, constituit: in hunc modum intelligimus, Deum decipere Principes per manus Job; mittere spiritum mendacem in os omnium prophetarum; & hominem tenderè in spiritum mendacii; in quantum ista permittendo fieri juxta sup-

rum auxiliorum denegationem, quasi se ea positivè vellet, consideretur; & manifestetur sua justa indignatio, & vindicta in ejusmodi permissionibus, & auxiliorum denegationibus erga obstinatos peccatores.

44. Ad rationem primam, & secundam solvendam per prius supponimus: quod quis potest per alium loqui dupliciter: primò per se, & in quantum suo nomine jubeat illum sua dicta nuntiare; quo modo, quæ per alium dicuntur, quasi per se dicta asserant debent. Est textus in utroque jure: Et subilta acceptione, Deum per alium falsa dicere est aded impossibile, sicut per se mentiri. Alio modo quis per alium loquitur, non ut missum, & veluti per procuratorem, & nec nomine suo loquentem, & quia hoc potest esse, vel per se, vel per accidens, & quasi materialiter, ided de utroque dicimus; quod hoc ultimum Deo repugnat, quia nil non intentatum potest eidem accidere; nec etiam primum: Nam si Dei nuntius, ut nomine suo loquatur falsa diceret ex se, tribueretur Deo falsitas ista saltem virtualiter, quia esse author Nuntii mendacii. Ecce non leve inconveniens, quare nec hoc modo posset Deus per alium falsa dicere.

45. Nec secunda ratio urget; concedimus enim libenter Deum positive influere, & agere in falsum dictum illud per ignorantiam invincibilem, ceterum ex hoc sequi non potest, Deum sic falsa dicere, sicut nec ex eo, quod Deus agat positive in hominis generationem non licet inferre, Deum homines generare horum ratio est, quod Deus hic operatur, & influit, ut causa universalis est, cui solum ratio entis respondet, ut omnia subista consideratione producenti: Etenim in tale dictum falsum influeret, ceterum non falleret, nec falsum diceret, immò nec loqueretur, sed tantum ageret, & operaretur, influeretque in illud sub sua generali ratione entis: Unde non verificatur assumptum argumenti.

46. Tertio contra tertiam conclusionem arguitur: Mendacium, esse prohibitum, quid malum non est de prima linea

nea prohibitorum, jure naturæ, ut sunt aliqua Dei præcepta; quæ & indispensabilia dicuntur: Ergo sicut Deus posset dispensare in hoc, quod mendacium non esset prohibitum, sic facere posset, quod non esset aded malum, ut suæ repugnaret veritati; sed in hoc eventu posset falsum dicere: Ergo illi per omnem potentiam non repugnat. Respondetur breviter; permittendo, quod possit à Deo dispensari mendacium; ceterum taliter, quod per mutationem materiæ amitteret deformitatem mendacii; hoc autem quoad homines, in quibus hæc vicissitudines locum habent, accidere posset; in Deo autem repugnat, idedque falsum ex se, & semel tale, semper esset apud ipsum falsum, de forme, imperfectum; ecce, consequenter repugnans.

QUÆSTIO IV.

Utrum fides essentialiter sit de inapparentibus, & non visis? Vel aliter: An obscuritas, & involuntaria sit essentia fidei infusæ?

47. **D**uplicem fidem cognoverunt quidam antiqui Theologi, unam generalem, specialem aliam; de prima senserunt esse assensum dictis, & testificatis, præscindendo ab obscuritate, & evidentia rei dictæ, & testificatæ, ut in his quæ fide humana creduntur, quandoque videtur: Alia fides specialis, & de qua sacri textus utitur quæ testamenti, sistit unicè in divino testimonio, & Dei revelatione innititur, in idque ultimo resolvitur totum, quod ea fide creditur, & hæc est infusæ; & Theologica, & de ista tractat R. & nos enim eo supra dist. 24. & 25. 2. lib. SSi ubi querit, sit ne obscuritas, enigma, & involuntaria de es-

sentia illius, vel ad minus quid à prædicta fide inseparabile?

48. Hucusque R. in propriis terminis, ceterum Theologica disquisitio longe, lateque diffusa plura alia super his adjiciens scrutabilia, signate de evidentia rerum earum, quæ ad Theologicam fidem desideratur, loquendo; proponit disputanda, quædam quæ adhuc minutim tractata magnâ rem faciunt ad apicem nostræ fidei percingendum. Concurrent etenim ad speciosum Theologicæ fidei actum, & exercitium; primò, Deus testificans, & sua secreta revelans Patriarchis, Prophetis ab Adam usque ad Christum, illis immèditè, & filiis per ipsos; novissime Deus loquutus est Ecclesiæ per Christum, postmodum per Apostolos, & Doctores universitatis fidelium per Ecclesiam ea omnia, quæ divina fide credenda jubentur. Insuper, & ordine naturæ considerandum est divinum testimonium quòd est Dei revelatio quasi subjective concepta; quæ & potest esse immèdiata, & mediata, hoc est, Pastoribus immèditè facta, & his mediantibus totius Ecclesiæ gregi, secundum temporum, & Ecclesiæ præfate necessitatem.

49. Postea ad istud sequuntur mysteria illa, arcana, & secreta, quæ Deus testificari vult, & revelare; ad quæ accedere debet sufficiens promulgatio, & propositio talis ut fiant sufficientissimè credibilia; & ad hæc congruo modo assensum præstandum intercedere debet iudicium speculativum, & practicum, tum de veritate revelationis divinæ, tum de prudentissima credibilitate illius. De his omnibus est ratio dubitandi proposita: num, scilicet, possit esse evidens notitia divini attestantis, & cum ea fides Theologica componi? An etiã fides componatur evidentiam divinæ revelationis? Utrum mysteria ipsa in se in evidentia sint evidenter credibilia? Ac denique, quænam sit certitudo iudicii intellectus, quod necessario antecedere debet firmum illum assensum rebus revelatis præstandum? Ecce tot dubia emergentia in præsentibus, de quibus hic aliqua dabimus per varias conclusiones, aliis pro sequentibus relictis.

50. *Et antea sciendum est: Quod*

divinum testificans, & attestans, sicut & ipsum Dei testimonium, seu revelatio sunt etiam materia fidei Theologica, sicut & sunt ea res, quæ revelantur, & quas credere tenemur, unde non solum est huius fidei objectum quod Deus unus trine personatus, sed præterea eadem fide credere debemus, Deum ipsum esse huius veritatis testatorem, ac ipsius circa hoc esse verum testimonium; sic in Deum credimus, & in Spiritum Sanctum, qui loquutus est per Prophetas, & in unam sanctam Ecclesiam Catholicam, quæque est totius veritatis revelata firmissima columna. De credulitate insuper, & iudicio illius ad fidei assensum præsuppositis, postea, his pro nunc contenti; num videlicet taliter sit fides Theologica, obscura, & enigmatica? Et adhuc hic resolvemus, an hæc obscuritas sit compatibilis cum evidentia, in & de attestante Deo; vel cum divinæ revelationis clara notitia; ac denique, si valeat componi evidens notitia mysterii revelati, cum assensu fidei respectu illius? Postea.

51. At quia de evidentia aucti sumus hic, & q. sequenti: quinam sit? Brevibus explicabimus. Est ergo evidentia notitia certa, & clara rei alicujus; quæ potest esse naturalis, & superna; naturalis est de objecto naturali unde quæque certa, & clara notitia; & ista si sit beatorum, & in patria, quam vespertinam cognitionem vocamus, frequentius habetur per redundantiam eorum, quæ in verbo videntur, & supra phantasmata solet quandoque haberi; evidentia supernaturalis viatorum connaturalis habetur communiter ex eis, quæ sensibus percipimus: et si aliter fieri possit per extra ordinarium cursum, & processum potentiarum immmanentium. Utraque evidentia dividitur per immediatam, & mediatam; illa est notitia principiorum in se; alia est eorum, quæ ex his principiiis necessario deducuntur; & ista in naturalibus dicitur scientia, vel sapientia utcumque; insuperis vero scientia infusa, sive beata. Nunc ad intentum sit.

52. Conclusio prima: Fides est certa notitia, & firmus assensus intellectus essentialiter enigmatica, & obscura; atque a sua ratione evidentiam excludens,

Est communis inter Theologos antiquos & recentiores, eam saepe docuit D. Thom. & D. R. expresse in 3. dist. 24. & 25. citat Primòque probari potest conclusio per textus illos sacros, qui descriptionem fidei Theologica comprehendunt, & specialiter Paul. ad Hab. 11. ubi satisclare denotatur, fidem nostram esse obscuram, enigmatica, & de non apparentibus certam notitiam, & ulterius ex eo convincitur, quia videtur incompatible, quod datur spes firma promissi, quod jam possidetur, & tenetur; siquidem quod videtur quis; quid sperat? Igitur talis natura est fides Theologica nostra, ut sit essentialiter obscura, & non visis, & de tentis.

53. Caterum, cum hic, & alibi textus sacri procedant de iis, quæ de facto, & congruo modo eveniunt, & sunt, ideoque dici potest, quod ita est iuxta leges ordinariæ providentiæ, in qua sic determinatur fidei nostræ certitudo; & firmitas, ut sit argumentum, & substantia rei non visæ, nec apparentis; & aliter posset loqui de ista fide ex ipsa rei natura, & quidditate sua, & præcisæ ea providentiæ secundum quam textus sacri loquuntur; ut videtur huiusmodi esugium adhuc ex ipsis locis sumenda est ratio pro nostra conclusione in terminis quidditativis nostræ fidei acceptæ ad in hunc modum: Fides ex ipsa rei natura sistit, & fundatur in testimonio, & authoritate dicentis, & loquentis, sive revelantis; sed quæ sic fundantur, obscura sunt, & non apparentia, ac eorum notitia est enigmatica, & inevidens: Ergo sic est fidei nostræ Theologica notitia.

54. Major est Arist. Plat. & assertur a R. hic generaliter loquendo de fide prout solum ad humanam extenditur, & quia solum in dictis hominum innitatur, inter probabiles, & topicas probationes annumeratur: quæ ad divinam ascendens plusquam demonstrativam ingerit probationem, cum in divinæ veritatis, & veracitatis infallibilitate fundetur, quæ maxima inter omnes certitudines, certitudo est. Minor vero probatur: Ea, quæ non habent veritatem aliam, nisi quia dicta, revelata, vel testificata sunt, nec apparentia, nec evidentia, sed obscura, & enigmatica sunt, sicut & talis est revelatio, & testificatio eorum; sed sic se habent,

bent, quæ fide nostra divina credimus: Ergo ex natura rei obscura sunt, & enigmatica cognita, & non evidenter. Major probatur: quæ sic se habent, nec per se nota sunt, quia non videntur in se, nec ex aliis demonstrata; siquidem eorum veritas solum est, & tali modo cognita, quia revelata est; sed omnem evidentiam excludit, quod nec per se notum est, nec per aliud: Ergo veritas ejusmodi obscura est, & enigmatica: Ergo textus ii, qui de fide divina loquuntur, sic debent intelligi respectu suæ inevidentiæ, & obscuritatis, ut hæc illi competat ex ipsa rei natura, & ex propria talis fidei quidditate.

55. Secundò probatur conclusio per rationem R. in 2. dist. 24. q. 2. §. 2. & est terminis ipsius. Illud est de per se, & formali significato alicujus, quo primò, & per se distinguitur à quolibet alio; sed per inevidentiam, & obscuritatem, supposita in omnibus infallibili veritate, & certitudine, fides Theologica distinguitur ab omni alia notitia naturali, & superna: Ergo hæc inevidentia est propriissima, & inseparabilis à fide: Ergo fides hæc est de objecto non viso, & obscuro, & enigmatica: Ergo saltem inevidentia erit ab ista fide inseparabilis. Assumptum probatur: Scientia beata, & infusa superna, & naturalis, sicut & fides Theologica sunt de certis, & necessariis; sed hæc ab illis distingui nequit, nisi ratione enigmatis, & obscuritatis, quæ sibi propriissima est, & aliæ ab illa per claritatem, & evidentiam distinguuntur: Ergo formæ huiusmodi alia via non distinguuntur, nisi per evidentiam, & inevidentiam.

56. Conclusio secunda: Fides mysterii revelati compatibilis est cum evidentia divini testantis, & ejus testimonii. De hoc nil vidi in D. R. ideoque, & quia præsens resolutio procedit non secundum providentiam connaturalem, & juxta ea, quæ congruenter discurramus, sed unice rerum natura, & quidditate perpensa, & quatenus non repugnare concipimus obscuritatem mysterii revelati cum evidenti notitia Dei loquentis, & illud revelantis; & aliis, quæ latissime habet idem D. hic dist. 35. istam dedimus resolutionem. Variant DD. specialiter recentiores, propter diversum modum intelligendi D.

Thom. & ejus immediatos expositores, Cajet. & Ferrariens. Videatur Suarez. N. Lez. Zag. Gonetii hoc tract. de fide. Et Lumb. Carmelit. singulariter de ista materia agendo.

57. Et ut clarius de conclusione ista discurremus, sciri convenit, quod hic non loquimur de illa evidentia metaphysica, quæ faciet rem esse in se clare, & distincte cognitam, hæc enim modo solum beati Deum loquentem, & testantem clare, & evidenter cognoscere. Procedimus de alia evidenti certitudine, cujus ratione ita res cognoscatur, & certe, ut ejus notitia æquivaleret intuitivæ visioni, sicut sic clare, & evidenter cognoscimus Romam esse: quæ etiam non sit, ut sic dicamus, facialis intuitio, est tamen clara, & non enigmatica cognitio, & de hac asserimus in prædicta conclusione esse cum fide compatibilem, relicta pro nunc alia, quæ cum ea coincidere videtur; qualis est coexistentia fidei Theologica cum lumine gloriæ.

58. Ex qua primò posset probari præsens conclusio: Non implicat ex mente R. hæc fides cum lumine gloriæ, & visione Dei, nec cum scientia opinio: Ergo nec cum fide de misterio revelato clara, & evidens cognitio, evidentia saltem moralis Dei ipsius illud testantis, & revelantis. De antecedenti infra, & consequentia probatur: Non minus opponuntur intuitio objecti cum enigmatica illius cognitione, quam clara cognitio Dei revelantis cum ejusmodi objecti revelati obscura cognitione; tum & maxime, quia talis obscura, & clara cognitio non versantur circa idem objectum, quod non verificatur in hypothesis antecedentis; siquidem evidens cognitio est respectu subiecti revelantis, & testificantis, enigmatica vero ad objectum testificatum, & revelatum terminatur: Ergo si in antecedenti non adveniret repugnantiam D. R. ut infra videbimus, minus, & in consequenti.

56. Si verò ad hoc dicatur, quod eadem est utrobique ratio dubitandi: nam Deus ut revelans, & testificans, sua ipsius revelatio, ejusque testimonium sunt fidei Theologica materia, sicut & res ea dicta, & revelata: Ergo utrobique eadem est ratio

tio repugnantia. Responderè debemus quod in hypothetico conclusionis, supponimus ita esse, omniaque præfata obscure, & enigmatically cognosci, cæterum in casu quo per aliquam extraordinariam Dei potentiam, Deus testificans, & ejus testimonium clarè, & evidenter per aliquam scientiam supernaturalem, & infusam daretur cognosci, est nostra conclusio, & præposita resolutio, quod cum hoc adhuc componeretur: fides Theologica de mysteriis revelatis, & testificatis, distincta tamen ab ea cognitione scientiali superna, qua Deus ut revelans, & loquens attingeretur clarè, & evidenter juxta illam hypothèsim. Hoc non accidit ordinariè, etsi per aliam providentiam possit aliter evenire.

60. Secundò probatur conclusio: Evidens notitia Dei revelantis, & loquentis non repugnat cognitioni obscuræ & enigmatically rei revelatæ (loquimur de ea evidenti cognitione Dei loquentis, & ejus revelationis, quæ habeatur vi alicujus luminis supernaturalis, & supra quam fundari possit fidei Theologicæ certitudo; nam de alia notitia, quæ de Deo loquente, & attestante haberi posset ex naturalibus, ut puta ea, quam Dæmones haberint de Christi divinitate, vel forte alia, qua cognoscatur sua summa veritas, & veracitas similiter lumine quodam naturali, nulla esse potest difficultas, cum hujusmodi evidentia concomitantur se habeat ad assensum fidei supernaturalis) igitur nec ista, nec alia notitia evidens divini attestantis, & sui testimonii incompatibilis est cum obscuritate fidei circa mysterium revelatum.

61. Antecedens probari potest primo ex non improbabilibus doctrinis aliquorum cum Cæsar. hic ex D. Thom. quibus statuitur, congruum esse tenere, quod primi Patres, Patriarchæ, & Prophetæ hujusmodi notitiam evidentem habuissent de Deo loquente, & testificante, ut per eos ad corpus Ecclesiæ sufficiente promulgarentur mysteria à Deo ipso revelata. At quia modis iste dicendi, quem non imitamus sub judice est, & in textibus sacris non habemus regulam, cui innitamur; idèo aliter probatur antecedens illud: Deum esse loquutum, immo &

summè veracem esse in suis testimoniis solum convincit, mentiri, & falsum dicere non posse verumque esse dictum illius, non vero clarum, vel obscurum, evidens, sive enigmaticum; salvatur etenim veritas adhuc evidens divini testimonii per infallibilem certitudinem mysterii revelati: Ergo evidens notitia divini attestantis secum compatitur certitudinem obscuram, & enigmaticam rei revelatæ.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

62. PRIMO arguitur contra primam conclusionem: Obscuritas, & enigma est solum conditio fidei divinæ, qua peregrinamur à Domino, & juxta præsentem providentiam est quid cum ea conjunctum, ut pote de objecto absenti, & nondum apparenti, quia cum apparuerit, videbimus illud sicuti est: Ergo non est de essentia fidei hujus invidentia, & obscuritas. Pater hæc consequentia: Nam si solum tali fidei convenit, est ut mera conditio, & ratione status, ac vi alicujus congruentiæ: Ergo non ex natura, & quidditate sua, & pro omni statu. Antecedens verò probatur ex Pauli qui præbuit nostræ conclusionis fundamentum, sic enim habet i. ad corinth. 13. *Cum venerit, quod perfectum est, evaquabitur, quod ex parte est, &c.* ubi per Luce ex parte intelligunt omnes glossæ fidem Theologicam viatorum, & concordat cum dicendis ab ipso: *Videmus nunc per speculum, & in enigmate, &c.* His adjungunt D. R. contrarii, quæ ibidem dixerat Apost. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, &c.* Et cum essem parvulus sapiebam ut parvulus: cum sui vir evacuavi, quæ erant parvuli.

63. Ex quibus deducitur ratio probativa antecedentis: obscuritas, & enigma pertinent ad imperfectionem fidei, & sunt ab ea essentialiter quid separabile: Ergo solum se habent ut conditio hujus status, & effectus præsentis providentiæ. Antecedens probatur primo: Quia secundum textum Pauli quod evaquabitur de fide in gloria est solum, quod pertinet ad illius hæc imperfectionem; sed hoc est solum obscuritas, & invidentia: Ergo hæc solum sunt imperfectio quadam, & veluti conditio viæ, quæ fidem hujus status comitantur, ut puræ conditiones illius. Secundo: dicit Apost. Fidem evaquari, sicut Donum scientiæ, & prophetiæ, & Linguarum; sed ex his solum imperfectio evaquatur, remanente eo, quod est propriè essentialiter horum Donorum, ut videntur in Christo Domino: Ergo quod evaquatur de fide est imperfectio, & conditio; & illud erit obscuritas, & invidentia. Denique: Apost. comparat actus invidentes fidei viatorum & actus evidentes Patriaræ erati parvuli; sed hujusmodi actus solum differunt panes imperfectionem, & perfectionem conditionis status parvuli, & viri: Ergo & sic pertinent invidentia, & evidentia ad fidem, & claræ visionem: Ergo non quidditative, & essentialiter: Ergo.

64. Argumentum cum suis probationibus effertur à R. dist. citat. q. 2. & licet de illius solutione nullam expressam mentionem faciat, dicendum nihilominus ad illud censemus, & respondendum, negando antecedens, & ad probationem dabitur pulchram doctrinam R. ibi: distinguit enim inter imperfectionem, quæ est propter ipsius speciem, & generis privationem; & imperfectionem aliam, per quam distinguitur species minus perfecta à perfectiori: Exemplum ponit de irrationalitate, quæ etsi in imperfecto sit respectu Assini, est tamen eidem essentialis, quatenus per illam distinguitur specificè à rationalitate; non sic turpitas, & stoliditas, quæ ejus naturam comitantur, ut illius conditio. Dicamus idem de invidentia, & obscuritate, & enigmate fidei; imperfectionem enim sunt, si ad evidentiam Luminis gloriæ comparantur; cæterum quia etiam distinctivum quid sunt ejusdem fidei; idèo ad illam constituendam, essentialiter faciunt, quatenus scilicet per istam invidentiam specie differat à claritate gloriæ: hujusmodi imperfectionem non. Nunc ad primum ex Pauli. textu relato responderetur, quod totum in contrarium de quo nihil deducitur, concedendo: videlicet, quod fidei habitus Theol.

65. Argumentum cum suis probationibus effertur à R. dist. citat. q. 2. & licet de illius solutione nullam expressam mentionem faciat, dicendum nihilominus ad illud censemus, & respondendum, negando antecedens, & ad probationem dabitur pulchram doctrinam R. ibi: distinguit enim inter imperfectionem, quæ est propter ipsius speciem, & generis privationem; & imperfectionem aliam, per quam distinguitur species minus perfecta à perfectiori: Exemplum ponit de irrationalitate, quæ etsi in imperfecto sit respectu Assini, est tamen eidem essentialis, quatenus per illam distinguitur specificè à rationalitate; non sic turpitas, & stoliditas, quæ ejus naturam comitantur, ut illius conditio. Dicamus idem de invidentia, & obscuritate, & enigmate fidei; imperfectionem enim sunt, si ad evidentiam Luminis gloriæ comparantur; cæterum quia etiam distinctivum quid sunt ejusdem fidei; idèo ad illam constituendam, essentialiter faciunt, quatenus scilicet per istam invidentiam specie differat à claritate gloriæ: hujusmodi imperfectionem non. Nunc ad primum ex Pauli. textu relato responderetur, quod totum in contrarium de quo nihil deducitur, concedendo: videlicet, quod fidei habitus Theol.

logice evaquabitur in gloria imperfectio ea invidentiæ, & obscuritatis; cumque hujusmodi imperfectio sit essentialiter distinctivum fidei à lumine gloriæ, & à qualibet alia specie opposita, & disparata; si ab ea istud separatur, totum esse hujus fidei evaquabitur in gloria, si verum est dictum Philos. quod species sunt sicut numeri, &c. Dicamus ad secundum, quod Donum scientiæ, & linguarum, sicut & Prophetiæ, quod est viatorum proprium, panis evaquatur in gloria, & solum remanent eminenti quodammodo, & ut sequela quadam luminis gloriæ. Applicata ad Christum Dominum, qui simul, & viator, & comprehensor extiterat. Ad ultimum posset dici: Paul. non ad rem istam loqui. Vel aliter: Paradoxa quadam similitudinaria, absque præjudicio tamen quidditatis fidei, & luminis gloriæ.

66. Secundò arguitur: Sicut evidentia supponit præsentiam objecti, sic invidentia exigit illius absentiam; sed fides abstrahit à præsentia, & absentia: Ergo ab evidentia, & obscuritate: Ergo invidentia non est de essentia fidei. Minor: solum fides respicit in objecto, quod sit verum dictum: Ergo abstrahit, &c. Aliter probatur illa minor. Actus intellectus ab omni habitu nudus, & maxime à fide, naturaliter dicit invidentiæ quadam, & obscuritatem, & aliquando fortassis diceret claritatem: Ergo nec evidentia, nec invidentiæ sunt quidditas fidei. Denique sic se habet invidentiæ ad fidem, sicut formido ad opinionem; sed formido supervenit opinionis liquidem formido videtur actus reflexus opinantis, quatenus incertitudo cognita facit de objecto formidare: Ergo invidentiæ videtur eo jure fidei supervenire.

67. Ad hæc argumenta respondet R. ibi art. 2. §. 3. quod illud, quo probaverant principale assumptum, est diminute assumptum; cujus ratio ad primum hæc esse potest: quod fides non abstrahit ab evidentia, & invidentia, sicut à præsentia, & absentia objecti; nam absentia, & præsentia faciunt ad abstractionem, & visionem, ad quas disparatè se habet fidei assensus, qui unice sistit in testimonio dicentis; unde quod objectum sit absens, sive præsens, quodammodo ejus veritas sit unice, revelata, & testificata parit invidentiæ.

dentiam illius notitia, quæ fides vocatur. Nunc R. *Illud quod est creditum, est tale, quod cessante omni ratione mundi crederetur propter testimonium.* Ad illud de inevidentia actus intellectus nude sumpti respondeamus; talem inevidentiam sumi negative, & in sensu talis præcisionis, admodum quo irrationabilia dicuntur omnia, quæ rationabilia non sunt; & hac ratione non pertinet inevidentia ad fidem, sed constitutive, & privative, quatenus, scilicet, dicit carentiam claritatis, & evidentiam in creditis, sub qua etiam ratione, inevidentia fidei est lumen quoddam, si firmum sit, & certissimum, nec est fidei Theologica. Ultimum supponit fallum: nam formido est essentialis opinioni, sicut obscuritas fidei, est enim assensus unius partis cum formidine alterius.

68. Tertio arguitur contra secundam conclusionem: Evidens notitia Dei revelantis, & ipsiusmet revelationis implicat ex terminis cum obscuritate fidei: Ergo per nullam potentiam potest stare obscuritas fidei cum evidenti notitia in attestante. Assumptum probatur: Nam Deum esse, qui loquitur, evidenter cognoscere, & simul scire eo modo, quæ loquitur, & revelat, exprimit claram implicationem cum notitia obscura mysterii illius, quod per talem locutionem revelatur. Alio modo probant aliqui idem antecedens: Notitia evidens Dei loquentis vel est in se, & Dei immediata, & hæc est visio, & intuitio, quæ præter quam quod est Patriæ, & non ambulantium per fidem, implicat etiam cum ejus fidei inevidentia, vel erit talis cognitio Dei clara non in se, sed abstractiva per effectus, aut signa; at qui hujus cognitio Dei loquentis, & testimonii ipsius nullum habet fundamentum: Ergo.

69. Hoc argumentum, quoad primum, quod affert, parum nos præmit, si ea quæ q. sequenti dicturi sumus in præsentem demus; ibi enim videbimus non implicare claram Dei visionem, & notitiam obscuram fidei respectu unius, & ejusdem objecti, quanto magis respectu diversorum; qualia sunt Deus testificans, & revelans, & mysterium testificatum, & revelatum. Præter quam quod sicut inter homines evidenter cognoscere

possumus & hominem loquentem, & ipsam suam locutionem, quin hoc implicet cum obscura notitia objecti per talem loquelam dicti, cur respectu Dei istud locum non haberet? Contra quod non obest secundum argumenti; tum, quia in hypothese notitiæ claræ Dei loquentis, procedimus in conclusione, sit possibilis, vel non: tum, quia hæc poterit esse notitia ejusdem scientiæ ab ipso Deo infusa, quæque non esset immediate, & in se, & veluti visio, & intuitio divinitatis, sed aut per effectus, signa, &c. vel in vi alicujus speciei immixtæ a Deo, cujus ratione immediate cognosceretur, & clare, ut tom. 1. tract. 3. q. 13. in quibus eventibus haberetur à Deo hæc evidens cognitio compatibilis cum obscuritate objecti per illam revelati.

70. Quarto arguitur: Evidentia in attestante, & loquente facit notitiam rei revelatæ non esse libere præstatam, & habitam; sed hoc verum non est, immò & contra proscriptum ab Ecclesia, & damnatum specialiter per Innoc. 1. prop. 49. ubi satis clare convincitur, assensum fidei liberum debere esse: Ergo incompatibilis est cum evidenti attestantionis divinæ. Major probatur intellectus motus notitia evidenti Dei loquentis, insuperque convictus ipsius summa veracitate, quod & per se notum est sicut esse unum, & infinitum, cogeret, & necessitaretur ad sua dicta credenda: Ergo non libere. Aliter: Ex principiis evidenter notis non potest non cognosci evidenter, & necessario, quod ex illis deducitur: Ergo si hæc principia; scilicet, Deus loquitur, verax est, istud loquitur, sunt evidenter cognita; & ea, quæ per hæc revelantur ita sunt cognoscibilia.

71. Respondetur ad argumentum, primo, quod in hypothese conclusionis non habemus pro inconvenienti, quod necessitetur intellectus ad assentiendum mysterio revelato: Ecclesia namque determinat assensum fidei Theologica debere esse liberum de facto, & secundum præsentem providentiam; quidquid sit de possibili, & in alia providentia, juxta quam nunc agimus. Secundo ad rationem in argumento allatam primò loco dicimus, quod aliud est notitiam esse evi-

Quæst. IV. Utrum fides essentialiter sit de inapparentibus, &c. 251

dentem de aliquo antecedenti, & aliud necessitare intellectum ad consequens quomodolibet; si namque antecedens cognoscatur ut illativum evidentiam consequentis, certum est, quod eodem modo, & consequens cognosceretur; si verò tantum concomitanter se haberet, & quasi per accidens notitia evidens antecedentis ad cognitionem consequentis, tunc alio tenderet ratio; ut in nostro casu, ubi ad notitiam mysterii obscuri, & nondum visi, per accidens se habet, quod Deus illud revelans clare, & evidenter cognoscatur, ut eam testificans, & revelans. Ad aliud patet ex dictis; & expressius q. sequenti.

QUÆSTIO V.

Utrum possint esse simul fides, & lumen gloriæ? Sive actus credendi, & visio clara Dei in eodem intellectu?

72. **P**raescindimus nunc ab ea difficultate, de qua late R. in 2. dist. 20. q. 1. Num, scilicet, hic actus, pura credendi, & videndi, simul coexistere possint in eodem intellectu respectu ejusdem objecti, præcisè quia plures sunt? Nam de hoc ibi: Limitamus etenim questionem ad terminos, quibus R. in 3. dist. 25. ubi per totam q. 1. eam concludit, nimirum repugnantia, vel compatibilitatis utrorumque, attentis quidditatibus, & conditionibus suorum objectorum; ideo locum tenet quæsitum de habitu fidei, cum lumine gloriæ, & similiter de actu credendi cum actu videndi Deum, & denique de habitu cum actu claræ visionis Dei, vel lumine gloriæ cum uno aut altero actu fidei Theologica, & divina.

73. Ad hæc & similia solvenda præsupponenda sunt propria rerum essentialia,

& natura, ut sic hujusmodi hypotheses locum teneant, & non sint sui ipsarum destructivæ: unde relinquenda est infide obscuritas actualis, vel habitualis, & in lumine gloriæ claritas simili modo habitata, & in hoc evidenti, in alia, inevidenti, & enigma; ac in utrisque firma certitudo, & veritas; nam firma certitudo est de essentialia utriusque, sicut fidei inevidentiæ, & gloriæ luminis claritas. Consequenterque tota lis præfens consistit in investigando, si in evidenti striatè contrarietur evidentiæ, mutuoque propria oppositione incompatiantur, necne? De coexistentia habitus cum actu, ut fidei, & claræ Dei visionis aliqua dedimus tom. 1. tract. 3. q. 25. ubi de rapru, & visione Paul. & aliorum, quibus nunc aliqua alia forte adjicimus.

74. De inevidentiæ, & obscuritate fidei non omnes æque sentiunt, nam quidam tenent, objectum fidei debere esse inevidens, & veluti enigmaticum non absolute, & sub omni acceptione, sed præcisè ex munere, & natura fidei, in quantum, scilicet, sistit, & innititur sua veritas in autoritate dicentis, & non in alia ratione, ideoque hac stante formalitate non est unde tali objecto adveniat inevidentiæ: Caterum si hoc idem objectum, v. g. *Existentiæ Dei unius*, consideretur ut substat aliunde rationibus demonstrativis suæ essentialis veritatis, sub ista consideratione eidem non repugnat evidentiæ: Ecce idem objectum fidei inevidens quatenus præcisè revelatum, & evidens respectu suæ demonstrabilitatis; Igitur inevidentiæ, et si propria, & essentialis sit respectu objecti fidei, non absolute hoc tenendum est, sed limitatione quadam; nimirum in respectu ad loquutionem, & revelationem suæ veritatis. Cum hoc modo discurrendi, quæ frequens est apud graves DD. satis compatitur præfens dubium, an videlicet idem objectum revelatum per fidem, posset aliunde esse evidenter cognitum per aliam aliquam scientiam insuffam & maxime beatam?

75. Ab isto modo discurrendi non videtur recedere R. tum, quia cum eo concordat ejus sensus, & resolutio ad præfens, tum quia ad tuam rem nil facit oppositum, ideoque nos eidem deferimus, & maxime

ut locum habeat proposita difficultas, ad quam solvendam ulterius supponendum est, & in medium adducenda quadam specialis doctrina R. hic: Duobus enim modis possunt inesse actus, & habitus in suis respective potentis, vel pure receptibiliter, vel insuper perceptibiliter; scilicet aut simul intendendo in sua respective objecta, vel ab isto quasi connatu præscindendo; à quibus in præsentem abtrahendum censet D. & solum circa præcipientiam coexistentiam luminis gloriæ, & fidei disquirendum asserit, pro alio loco relicta coexistentia, & similitate eorundem in actuali sui objecti perceptione: & hoc coincidit cum similitate illa plarium intellectuum, & quatenus ad plura, ut plura pertingant; vel aliter: de coexistentia formarum entitative, vel formaliter acceptam.

76. Circa principale sunt, qui teneant lumen gloriæ, & habitum fidei sic opponi, ut tam in se, quam in suis actibus videndi Deum, & credendi per nullam potentiam simul eidem intellectui inesse possunt, idem dicere solent de scientia, & opinione inter se, immò & de istis cum visione Dei, & cum eadem fide Theologica. Videatur de hoc Suarez hic. N. Lez. Lumb. Zag. pro quo citat. R. Dar. Joann. de Puli, & alios DD. Antiquos de D. Thom. sententia varie discurrunt ejus discipuli, & asserunt juxta modum loquendi S. Doct. tam hic in 1. 2. q. 1. in sententiis, & alibi. R. est clarè mens, & de qua nulla est ratio incoartaria, idèdque pronobis sit.

77. Conclusio: Fides Theologica potest simul existere in eodem intellectu cum visione Dei, & lumine gloriæ de potestate Dei absolute, non vero connaturaliter, & juxta præsentem providentiam. De hac R. in 1. dist. 24. q. unic. per tot. & ante ejus probationem statimenda est doctrina quadam ejusdem D. R. ibi, quam asserit exhibitam ex Philo. 9. meth. com. 3. post principium, ubi loquendo de privativis docet; quod duplex est privatio una; quæ omnino privat, sicut cæcitas visus; & alia, quæ quidem privat non omnino, sed tantum secundum quid, & hæc est privatio perfectionis, cujus exem-

plū est, turpitudine pedum, quæ non privat pedes omnino, & ut non sint, sed solum ut non sint pulchri. Ex his prima dicit contradictionem, & consequenter incompatibilitatem inter sic privative opposita, veluti ea, quæ inter esse, & nō esse reperitur.

78. Alia vero privativa, scilicet, secundum perfectam, & imperfectam, vel possunt esse in eodem, & secundum idem, vel disparate se habere; primo modo sunt incompatibilia, quia dicunt directam oppositionem; & sic pedes iidem non possunt simul esse turpes, & pulchri, nec eadem res in potentia, & in actu: Si vero hæc privativa non omnino privativa disparata sint, ut perfectus calor naturalis carnis, & imperfectus aeris v. g. possunt in eodem subjecto coexistere, quia etiam dicant oppositionem quandam, non directè, sed mere disparate opponuntur. Ad istud genus privationis secundum quid, & non omnino privantis reducit D. R. eam, quæ est inevidentiæ in fide respectu evidentiæ luminis gloriæ, & secundum illam.

79. Primò probatur conclusio in sui prima parte expressa doctrina R. citato loco: Quæ non implicat, nec ex sui positione inesse sequitur contradictio ea, quæ est inter esse, & non esse, possunt à Dei omnipotentia absoluta fieri; sed fides divina non implicat cum lumine gloriæ, nec ex eo quod coexistent, sequeretur contradictio ea assignata: Ergo talis coexistentia potest à Deo poni per suam absolutam potentiam: syllogismus est communis probatio ad præsens, & solum potest in minori peccare, quæ sic probatur: Fides divina non privat lumine gloriæ, nec hoc lumen negat illam fidem: Ergo non est unde oritur repugnantia, & contradictio coexistentiæ, & simultatis eorum. Antecedens probatur: lumen fidei, & gloriæ arguunt certissimam cognitionem, & adhesionem firmam ad suum objectum, & solum differunt penes claritatem, & obscuritatem in suis respective actibus, differuntque precise per minorem, & majorem perfectionem in firmiter adhærendo suo objecto cognito; sed hoc non arguit privationem, & contradictionem, sicut est ea, quæ

quæ versatur inter absolute esse, & non esse: Ergo non sic se privant lumina illa fidei, & gloriæ. Totum reducitur ad suppositionem factam ex Arist. supra de privativis omnino, vel non omnino privativibus.

80. Secundò probatur conclusio, immò & assumpta ratio roboratur: Illa, quæ nullo genere oppositionis opponuntur, possunt per aliquam Dei potentiam simul existere; sed fides, & lumen gloriæ, sicut & horum actus nulla oppositione opponuntur: Ergo non repugnat eorum coexistentia divinæ absolute potentia. Major est communis, & minorem probat R. discurrendo per singulas: Fides enim, etsi dicat essentialiter inevidentiæ, sicut visio, & scientia evidentiæ, tamen harum ratione non opponuntur, sed solum habitui erroneo fides opponitur, & eidem contrariatur, sicut & lumen gloriæ, ad quem unice est oppositio fidei, visionis, & scientiæ: Ergo hi inter se nō opponuntur, nec inevidentiæ aut evidentiæ esse possunt ratio formalis oppositionis eorum, & contrarietatis, quæ maxime versari debet inter duo extrema, ut docet Phil. 10. meth. quorum unum obtineat esse perfectissimum, & aliud vilissimum: Ergo oppositio, & contrarietas ad fidem, si esse posset, non per lumen gloriæ, aut scientiæ alicujus, sed per aliquem habitum erroneum, ut est infidelitatis.

81. Sic assumptum probat R. ibi consequenter ad dicta: Fides divina non contrariatur visioni, & scientiæ per modum medii versantis inter eas: Ergo nec isto genere oppositionis contrariantur. Antecedens probatur: Non ut medium per participationem extremorum, nec per utriusque extremi abnegationem: Ergo nullo modo ut medium. Antecedens probatur quoad primum: Fides non mediat sic inter visionem, & scientiam cum de evidentiæ, quæ his extremis essentialis est, nil participet: Et quoad secundum probatur: Nam in primis medium per abnegationem versatur inter duas malitias, ut liberalitas inter prodigalitatem, & avaritiam; sed hoc deficit in fide: Ergo. Post a probatur idem: Medium per abnegationem debet esse quid positivum, utrumque negans omnino, ut dicebamus

de liberalitate, & cum utroque incompatible; sed non sic est fides ad visionem, & scientiam, cum solum neget positive infidelitatem, errorem, & formidinem, & ad summum disparate se habeant: Ergo nec isto modo fides abnegat visionem, & scientiam, nec cum his opponitur: Ergo possent compati saltem per extraordinariam potentiam.

82. Tertio probatur idem per oppositionem privativam, & contradictoriam, in istum modum: Hujusmodi oppositio est inter esse, & non esse ejusdem, & secundum idem; sed sic non opponuntur fides, & lumen gloriæ, nec mediate: Ergo inter ea non est talis oppositio à Deo insuperabilis. Major est Philo. & minor probatur: Si talis daretur oppositio ibi esset ratione evidentiæ luminis gloriæ, & inevidentiæ fidei, quæ pariunt evidentiæ, & non evidentiæ; sed hoc est, esse, & non esse; quod in tali casu non est ejusdem de eodem, & secundum idem: Ergo nec in tali esset ea oppositio. Minor probatur: in illa hypothesis esset coexistens evidentiæ cum inevidentiæ, ceterum illa privatio, & forma non dicerentur ejusdem, & secundum idem; si quidem evidentiæ esset per lumen gloriæ, non evidentiæ per habitum fidei: Ergo hujusmodi extrema coexisterent, quia nec privativa, nec contradictoria forent.

83. Superest, ut quo ad relativam oppositionem probetur illud antecedens: Relatio opposita talia sunt ratione sui respective fundamenti; si quidem si fundamenta opposita non sunt, nec incompatibilia, eomodo se habent relativa fundata: Sic relativa diversa, dissimilia, & inæqualia simul coexistere nequeunt, quando opposita sunt eorum rationes fundandi; si namque tales non sunt, non opposita, sed disparate dicerentur: Tunc sic ad rem nostram; sed evidentiæ, & inevidentiæ, quæ sunt propriae visionis, & fidei, non fundantur super opposita fundamenta, sed ad summum super disparate: Ergo ipsæ non opposita, sed disparate erunt: Ergo saltem per absolutam potentiam possent simul existere. Probatur minor: fundamenta evidentiæ visionis Dei, & inevidentiæ fidei sunt major, & minor claritas, quæ disparate sunt, sive respectu diversorum

rum consideratæ, vel in se: Ergo non opposita.

84. Probatur secunda pars conclusio- nis; primo: Quia fides facit statum viatoris, & lumen gloriæ comprehensoris; sed status isti sunt incompatibiles permanenter, & habitualiter: Ergo juxta Dei ordinariam providentiā coexistere nequeunt. Major est doctrina Apost. & minor videtur similiter esse; constat utraque in variis Paul. textibus, de quibus supra: Ergo. Secundò probatur per aliam rationem, quæ est R. ibi art. 2. illud non debet fieri de potentia ordinata, quod non congruit fieri; sed non congruit coexistentia visionis Dei cum actu fidei ejusdem: Ergo. Minor probatur: Assensus visionis est firmissimus, & certissimus in ordine supernaturali divinitatis; cæterum evidens, & clarus; sed in hoc ordine non congruit, quod alius ejusdem objecti ita firmus coexistat, cæterum obscurus; siquidem hic superflueret, & non esset cur ibi, & in eodem, intellectu ponatur: Ergo etsi coexistentia hujusmodi non sit impossibilis, attamen nec congruit, nec ordinariè fieri posset.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

85. **P**ro contraria sententia quæ videtur esse D. Thom. hic art. 5. & sequuntur plures recentiores Thomistæ, primò arguitur, ratione tamen deducta ex textibus Paul. 1. ad Cor. 13. ad Heb. 11. ad Rom. 8. in quibus juxta descriptiones, quas affert fidei, & perfectionis claræ Dei visionis, harum incompatibilitatem convincit; & ulterius ex constitutione spei, ejus objecto, statu, & directione fidei, qua regulatur, eadem veritas comprobatur; siquidem spes, quæ videtur, non est spes; sicut quod videt quis, quid sperat? Unde hæc ex dictis sequitur consequentia: Ergo ita vest perfectissima notitia visionis Dei, firmaque illius tentio, & possessio, ut secum non comparatur aliam deteriorem, obscuram, & enigmaticam de suo objecto; sicut nec de illo desiderium anxium spei essentielle;

ideoque cum venerit, quod perfectum est, evaquabitur, quod ex parte est: Et hoc ex ipsa rerū natura, & quidditate beatitudinis, & peregrinationis viæ habetur.

86. Argumenti hujus ratione D. quidam antiquus Hæresis insinulavit sententiam Durand. quæ est R. & aliorum non minoris notæ, quatenus non conformiter ad præfatos textus erat stabilita; sed quicquid de hoc sit, respondeatur ac illud unico verbo cum R. ibi: quod ex locis allatis solum concluditur, quod visione clara Dei evaquetur fides, & spes, ut in argumento notatur; nam cum venerit, quod perfectum est, ad quid imperfectio enigmatum, & anxietatum ideo nec convenit, nec congruit, nec desideratur horum simultas, & coexistentias; cæterum adhuc non probatur impossibilitas, repugnantia, & implicatio hujusmodi, quæ per divinam potentiam vinci nequeat, de quo tractamus, & est assertum nostrum, solumque conclusio nostra procedit de potentia Dei absoluta, non verò secundum præsens decretum; & de ista providentia intelligi debent textus sacri, hic, & alibi.

87. Sed contra: Etsi in vi litteræ textus nudæ non probetur repugnantia visionis cum fide, ex ratione tamen, quæ deducitur, sequitur inter eas contradictio: Ergo bene probant adhuc attentæ Dei absoluta potentia. Antecedens probatur: Fides evaquatur adventente visione, quia obscura, & enigmatica notitia est, alia verò evidens, & clarissima; sed repugnant in eodem intellectu hujusmodi claritas, & obscuritas respectu ejusdem objecti, & in eodem intellectu, siquidem sequeretur contradictio signata per esse, & non esse; esset namque intellectus talis clare videns Deum, & non esset; esset ut supponitur per visionem; & non esset, quia obscure cognosceret Deum per enigma, & quasi per lucernam in caliginoso loco: esset præterea objecti præsentis, & non præsentis; quatenus esset absentis per fidem abstractivam: Esset denique objecti necessario visi; & non necessario, ut pote libere assentitur per illā fidem, quæ libera est in suo assensu; atqui hæc contradictiones sunt rationes fundamentales, quæ in illarū coexistentia adumbratur: Ergo si contradi-

ctorem faciant oppositionem, per omnem potentiam sequatur.

88. Ad instantiam bene in argumento, & ad ejus rationem, etsi sufficienter dictum sit inter probationem, conclusionis, de novo dicimus, quod evidens, & non evidens secundum prædicta, contradictoria sunt, sicut esse, & non esse, cæterum ad hoc essentialiter requiritur, quod sint in eodem, & secundum idem, ut est Philos. doctrina, in illo enim intellectu, in quo esset lumen gloriæ, & visio, esset evidens, & clara Dei notitia, habitualis, & actualis, cæterum si in eodem Deus contervaret fidem etiam, hujus ratione de ipso Deo haberet cognitionem non evidentem, sed obscuram, & enigmaticam: Igitur evidentiā illā, & non evidentiā non oriretur ab eodem, sed à diversis habitibus: Ergo non esset secundum idem.

89. Sed adhuc urgebis, & est R. instantia principalis argumenti: Principia ea, sive habitus, etsi secundum se considerata non repugnent simul existere, ut tamen influunt, & exercite inclinant ad oppositos, actus implicare videntur: Ergo etsi lumen gloriæ, & fidei habitus, attentis suis quidditatibus, possint simul existere in eodem intellectu, ut de facto in Paul. ut tamen inclinant ad actus oppositos visionis claræ, & credendi obscure, quod est idem ac evidens, & non evidens, repugnat hæc eorum simultas: Ergo nil enervat vim implicationis, & repugnantiam inter istos oppositos actus, esse per diversa media, & principia; quod quidem esset esse, & non esse, & non secundum idem. Antecedens probat R. ex Harv. quem impugnat per istud exemplar: Non minus implicat, quod quis videat actu per oculum, & simul actu non videat per interjectum sumum, quam absolute videre simul, & non videre: Ergo quod esse, & non esse habeatur per diversa principia, non obstat eorum contradictioni: Ergo si evidens, & non evidens sic se habent in eodem intellectu, ejus simultas ita repugnat per diversa, sicut per unum principium.

90. Ad replicam faciliter respondet R. ibi: verum esse, quod principia inclinantia ad actus directe oppositos, ut ea, quæ in argumento assumuntur scilicet videre sic, implicatoria sunt, sicut & ipsi

actus; si tamen oppositio, quæ in actibus resultat, sit tantum disparata, ut est evidentiæ, & enigmati, tunc horum actuum non repugnat simul existentia, quia illud esse, & non esse consequutum est secundum diversa, & non secundum idem: Et ecce incontrarium, exempla æquo pedecurrentia: In visione matutina, & vespertina; simul intellectus videt res in verbo, & resultative per matutinam; & immediatè in se ipsis per vespertinam; at quia sic videre in se, & in alio disparata sunt, & ex his oritur videre in se, & non videre ex diversis principiis, & mediis, & non secundum idem, ideo contradictoria non sunt. Aliud exemplum esset, si quis simul aliquem videret in se, & in speculo eidem objecto appenso: Similiter de scientia, & fide respectu existentie Dei. Denique de opinione, & scientia ejusdem materia. His omnibus similis est oppositio ea disparata, quæ versatur inter evidens, & obscurum, quæ privativa sunt non omnino privantia: Ergo æquo modo se habent ad simul existendum.

91. Secundò arguitur: Habitus contrarii simul existere nequeunt, si cum suis actibus respectivis jungantur: Ergo nec quod lumen gloriæ cum habitu fidei simul sic exercentur. Antecedens patet in habitibus vitiis, qui simul in appetitu eodem repugnant, ut temperantiæ, & intemperantiæ; & specialiter in habitu fidei cum habitu, & actibus infidelitatis. Quod verò de habitibus sub ista acceptione, & in respectu ad suos actus loquendum sit, convincitur per essentialitatem habitus, qui non solum est propter perfectionem subjecti, sed insuper propter actum, & operationem. Nunc assumptum probatur, & consequentia: Ita in eodem repugnant actus minus perfectus, & magis, visum, & non visum objectum, felicitas cum anxietate, &c. sicut temperantia cum intemperantia, fides cum infidelitate, album, & nigrum, &c. sed ista per nullam potentiam stant simul: Ergo nec actus illi luminis gloriæ, & fidei, quibus consequitur esse visum, & non visum & alia quæ notantur in argumento.

92. Respondetur ad argumentum, quod in his questionibus de posse absoluto solum tractatur; num expositione quo:

quorum, ut in presenti, visionis, scilicet, Dei, & fidei sequatur implicatio? Unde præcindimus in hoc à positione actuum huiusmodi potentia, & dicimus, quod si per possibile in re ponantur, nulla esset implicatio visi, & non visi, evidētis, & inevidētis cum ista, quia respectu diversorum sint, & aliande disparata, & non omnino privantia, contradictoria non sunt: Non sic se habeat temperantia, fides, & infidelitas, albedo, & nigredo, & alia huiusmodi, quæ etiam oriuntur à diversis mediis, & principiis, cum in se, & sua ratione dicant directam oppositionem, qualis non est inter magis, & minus perfectum, visum, & enigmaticè cognitum, &c. per absolutam Dei potentiam possunt simul existere, alia vero implicant.

93. Instatur data solutio, immò est contra assumptum principale conclusionis: contraria directe opposita non possunt simul existere, adhuc quod essent talia per diversa media, & principia; sed sic opponuntur evidens, & inevidens, ut licet album, & nigrum contrarietur: Ergo evidētia visionis nequit simul existere cum inevidētia fidei. Minor probatur: oppositio inter album, & nigrum est talis directe, quia ad illam sequitur contradictio hæc: album, & non album, nigrum, & non nigrum; sed sic esset innotro casu evidens, & inevidens, nam huic æquivalere debet; evidens, & non evidens, quod sonat contradictionem directam, sicut est visus, & cæcitas: Ergo totum ruit fundamentum solutionis nostræ, & data doctrinæ.

94. Ad replicam respondetur, non esse exemplaria, ad rem; nec evidētia visionis sic opponitur inevidētia fidei, sicut nigredo albedini, visui cæcitas; nam cæcitas omnino privat visu, albedo nigredine, idèdque directe opponuntur; inevidētia verò fidei non omnino privat; sed secundum aliquid de evidētia luminis gloriæ; privat namque perfectione evidētia, quatenus hæc clara est notitia; illa verò obscura; cæterum utraque est certissima, infallibilis, & firma cognitio, & uterque habitus lumen est, gloriæ videlicet, & fidei; numquam tamen in directe lumini lumen opponitur, sed ad summum disparate, & partes magis, &

minus de linea perfectionis, quæ inter visionem Dei, & actum fidei reperitur; & huius ratione possunt per absolutam Dei potentiam simul existere, quatenus nulla ex eo sequeretur contradictio, ut de hac doctrina R. loquitur.

95. Tertio argumentari posset duplici, & opposita via contra conclusionem, quæ ex exemplaribus R. adumbratur, prima: Calor naturalis, & aeris, quia solum sunt disparate oppositi, & secundum magis, & minus, possunt eidem corpori existere simul, ut est Philos. 1. de Generat. Sed ex ista simultate contrarium potius inferimus ad simul existentiam visionis, & fidei: Ergo. Minor probatur: si uterque calor ponatur in summo v. g. Ignis, & aeris, impossibile erit, quod simul existant; sed utraque cognitio est in summo claritatis, & obscuritatis: Ergo etiam lumina sint, simul non possunt coexistere. Minor videtur certa, & major constat: Tum per eundem Arist. ibi, tum experimento; consequentia enim liquet ex paritate.

96. Alia via, & quæ facit contra secundam partem conclusionis sic arguitur: Exemplaria, quæ R. affert potius probant congruentem, & ordinariam coexistentiam gloriæ, & fidei: Ergo nimis. Probatur; primum namque exemplum de Iudeo enatrito inter Christianos, in quo esset fides acquisita, simul cum infusa, si postea Christianus fieret, ut potest, conaturaliter utraque fides coexisteret in eodem nupero Christiano, siquidem si des divina infusa non expelleret à memoria illius acquisitam: aliud est de Philos. qui haberet de Deo demonstrationem simul cum fide divina de ipsius existentia: Præterea tertium de simul existentia matutinæ, & vespertinæ visionis in beatis. Insuper, & est quartum; demonstratio, & scientia de aliquo objecto, de quo quandoque habemus syllogismos topicos, & opinativos, cum quibus scientia præhabita coexistit; cum illi non sint huiusdestructivi. Denique, & est ultimum: creatura ex se est nihil, & simul à Deo existens; sed exemplaria hæc convincunt non absolutam solum, sed & congruentem potentiam, ut simul coexistant lumen gloriæ cum fide: Ergo per quamlibet potentiam hoc fieri posset,

97. Res

97. Respondetur ad argumentum, & ad primum libenter concedimus utrumque calorem in summo coexistere non posse, & est ratio R. ibidem: quod calor, & quælibet alia forma materialis subiecto inherens, sive informans perficit illud intensive, hoc est, nullam in potentia relinquendo capacitatem ad simul perfici, actuari, seu per aliam formam informari; non sic evenit in spiritualibus, quæ tantum intensive adæquant subiecti passivam potentiam, relinquendo adhuc extensivam, ut possent aliunde, & per aliam formam, & aliam, ulterius informari. Huius doctrinæ hic non esset D. R. rationem diversitatis; cæterum colligi potest ex limitatione materialis, & illimitatione spiritualis naturæ; primæ formæ limitatæ sunt in suis essentiis, sicque se habent sua respectivè subiecta ad informari; idèdque sic adæquantur, ut nec una forma aliam simul compatiatur, nec subiectum habeat capacitatem ad eiusmodi simultatem; & istud est informari intensive, & extensive: Non ita asseritur de formis, & subiectis spiritualibus propter utrorumque illimitatam quidditatem.

98. Ad alia argumenta, quæ facere videntur contra secundam partem nostræ conclusionis, similiter respondetur, quod non convincunt per adæquatam proportionabilitatem, sed solum faciunt quandam probationem, quæ dicitur de majori ad minus in hunc modum: si fides acquisita, quæ solum probabilem assensum constituit, vel ad minus non firmissimus, coexistere potest conaturaliter cum infusa, quæ firmissima est, quanto magis per Dei potentiam absolutam, possent coexistere visio Dei, & fides, quamvis hæc esset obscura, illa verò clara cognitio; idem discurremus de scientia, & opinione, & aliis, quæ in argumento adducuntur; ex quibus liquet optimam esse probationem R. per prædicta exemplaria.



Tom. IV.

QUÆSTIO VI.

Utrum mysteria nostræ fidei sint evidenter credibilia?

99. **S**ignanter loquimur in præ-

senti de nostræ fidei mysteriis abstrahendo prout nunc ab aliis objectis, quæ subessent divinæ revelationi particulari, quæ etiam cadunt, vel caderent sub ratione formali fidei, de quibus ut certum tenere debemus non esse evidenter credibilia, quia scilicet, non essent taliter forte circumstantiata, ut facerent suam credibilitatem evidētem. Hæc enim est divisio illa fidei in particularem, & Catholicam, ista supponit universalis Ecclesiæ autoritatem; illa vero aliud peculiare fundamentum, quo fiat certo credibile mysterium illud, quod cuique Deus revelare dignetur: Utraque verò fides nititur divino testimonio, idèdque unius sunt speciei; utraque est infallibilis, & firma ad hæc in revelata objecta; de particulari abstinemus, de illa loquantur expertis hoc unum sentire debemus, quod firmitas, & certitudo talis revelationis in nullo devitari, opponi, aut non conformari catholice, & universali Ecclesiæ valeat, aut possit.

100. Supponendum est ad clariorem resolutionis notitiam ex communibus doctrinis, aliud esse veritatem objecti, & aliud credibilitatem; veritas etenim consistit in conformitate essentialium prædicatorum, & in horum ad intellectum transcendere tali respectu; consequenterque veritas objecti est illi intrinseca, & illius passio ad convertentiam; credibilitas verò sistit in testimonio, & autoritate dicentis, & in circumstantiis talibus rem ita esse confirmetur, quæ omnia extrinseca sunt, & objecto credibili veluti adjacentia; idèdque

KK

103

folet quandoque objectum verum existens non apparere credibile; & à contrariis, talibus veltitur aliquando circumstantiis, & fulcitur testimoniis, quod tanquam verum credatur, quod adeò falsum est: Loquimur de fide in lata acceptione; nam si ad divinam contrahamus, altiora sunt motiva, testimonia, & circumstantiæ, quibus stabilitur rerum revelationum; & ideò nequit ista fide apparere credibile, quod non sit certissimè, & indubitanter verum.

101. Nec hic loquimur de existimata Dei revelatione, sive de mysteriis illis, quæ subsunt ignorantia, quæ invincibilis apparet; ut puta de illis, quæ ad notitiam credentium aliter pervenire non potuerunt, nisi per falsam eorum existimationem; de his etenim, nec est, nec esse potest vera fides divina, sed pure humana: tum quia divina fides sistit, & innititur vero Dei testimonio, & non tantum apparenti, & existimato; tum quia Deus, etsi non teneatur, nequit tamen permittere illam ignorantiam suæ revelationis, veræ cum existimatione apparentis, & quæ veram, & infallibilem fidem, & assensum firmissimum pareret; semper igitur in talibus adesset fides quædam, & assensus formidolosus, timidus, & parum constans, & infirmus ad ea mysteria Dei existimato testimonio revelatas; nam eis deficeret assistentia auxiliorum, quæ sunt fidei divinæ propria, & connaturalia ad credendum, & alia non levis momenti adminicula ad assensum supernaturale.

102. Unde superest, ut tota nostra quæstio de volvatur ad mysteria atholicæ, & universalis Ecclesiæ fidem, & de his quærimus, sint ne evidentur credibilia? Pro quo iterum redit divisio evidentia, in eam scilicet, quæ dicitur methaphysica, & clara notitia essentialis connexionis prædicatorum, vel horum cum suis passionibus; & alterius quæ moralior est; & est certa, firma, clara, & indubitata rei cognitio fundata in objecti, & aliorum comitantium infallibili existentia; & de hac erit sermo noster, in cujus resolutione, denique supponenda est, objecti, & mysterii cre-

dibilis sufficiens propositio, ut ex eâ sequatur, illa evidens credibilitas, quam inquirimus; nam: *Quomodo credent sine prædicante? Et quomodo prædicabunt, nisi invitentur?* Ad Rom. 10. ad quod alludit illud, Eccles. 19. *Qui cito credit, levis est corde.*

103. Conclusio nostra sit: Mysteria nostræ Catholicæ fidei sunt evidenter credibilia. Est communis, & fere certa apud DD. antiquos, & recentiores, quos nunc omittimus, quia in hunc sensum conspirant omnes, qui materiam istam perlustrarunt. De hac D. R. etiam non expressè in q. 7. proleg. 4. art. 2. ubi fidem nostram non modo infallibilem, verum & securissimam adstruit, fundatus tamen in summa Dei veritate, & veracitate, quæ evidentiam præstarent in suis terminationibus. Primòque probatur ex D. Aug. lib. contra quandam Epistol. cap. 4. immò & aliis quam plurimis in locis, ubi ex variis motivis elucidatur evidentia hujus credibilitatis; sumpta tamen ex communi consensu populorum, puritate doctrinæ, &c. Ex quibus dicere ausus fuerat Richard. à Sancto Vicentio lib. 1. de Trinitate cap. 2. *Si error est, quem credimus, à te decepti sumus, concorditer ad quæ R. ibi docet, quod si esset defectus in hac fidei lege, non esset servanti culpa; ratione videlicet suæ evidentissimæ credibilitatis,*

104. Assumptum probatur per veritatem doctrinæ, per sanctitatem eorum mysteriorum, per illorum concordiam, & uniformitatem, per frequentissima miracula, quibus firmanur, per sanguineam tot, & tantorum martirum, quibus rubricantur, per testes majoris exceptionis, Patriarchas, Prophetas, Apostolos DD. & quod majus est, per Jesu Christi Domini miracula, de quibus ipse Dominus Joann. 15. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo hoc est infidelitatis:* Et ex hinc ad nostra usque tempora sedes Divi Petri perseverans in accepto Dominici Gregoris infallibili regimine, Ecclesiæ unitas, extensio, & suorum dogmatum efficacia, ut ad omnem terram, & in finem orbis pertingat Sacri Evangelii Buccina; hæc & alia quam plurima, non modo faciunt credibilia mysteria nostræ fidei, sed certissime, clarissimè, & evidenter credibilia.

PRO-

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

105. **P**rimò arguitur: Evidentia credibilitatis fundatur in divina veritate, & veritate in suis dictis, & revelationibus, stabilita tamen in testimonio certissimo, testibus fide dignioribus, miraculis, & successu temporis longissimi non corrupto, aut interrupto; sed hæc omnia faciunt mysteria nostræ Catholicæ fidei certissimè, & prudentissimè credibilia tantum: Ergo non evidenter. Minor probatur: Prædicta motiva non sunt per se nota, nec ex aliis per se notis deducuntur, immò in aliquibus parere solent formidinem, & anxietatem, quod non faciunt evidentia motiva alicujus credibilitatis, sive illationis, ut puta Sol est: Ergo dies; & alia hujusmodi: Ergo non evidentem, sed prudentissimè certam credibilitatem generant.

106. Respondetur ad argumentum, quod motiva ea credibilitatis mysteriorum fidei nostræ longe certiorum faciunt eorum existentiam, quam illa, quæ credibile faciunt Americam dari; nam hæc sunt humana, naturalia, & infirmiora; illa verò superna, divina, & cogentia, cumque America existentia apud omnes evidenter credibilis sit, ut prudentiæ humanæ satis nota, quanto magis credibilia erunt nostræ fidei mysteria. Evidentia namque rerum cognitatum primò ortum habet à sensibus, in quibus non minus potens est auditus, quam oculus; si namque ex Solis visione evidens mihi suboritur notitia diei, ex ita firmo, & certissimo auditu etiam posset suboriri evidens alterius rei notitia. Quid ergo firmiter, quid certius audiri potest quam divina testimonia, tot rationibus, experimentis, miraculis, confirmata? Nec anxietas scrupulosa, & mericulosa aliquorum urgere potest; siquidem ea provenit, tum ex altitudine mysterii, tum ex defectu nostrarum potentiarum, & maxime, si absit devotio, & applicatio competens ad superna; quod totum officere nequit evidentissimè.

Tom. IV.

mae credibilitati mysteriorum nostræ fidei.

107. Secundò arguitur: Credibilitas mysteriorum fidei est talis credibilitas per respectum, & ordinem ad fidem illam, qua creduntur; sed fidem esse, non est evidens, immò nec esse potest: Ergo nec esse potest evidens credibilitas mysteriorum, quæ per fidem creduntur. Major, & minor videntur certæ, & consequentia convincit: Nam si totum esse fidei est per respectum ad sua credibilia, & hæc dicuntur talia comparata ad istam fidem, quomodo horum credibilitas poterit esse evidens, repugnante præfata fidei existentia evidenti?

108. Respondetur ad argumentum, & in primis libenter concedimus, fidem Theologicam, de qua hic jam habitualis, sive actualis sit, non esse in sua existentia per se notam, nec respectu suæ existentia, aut quiddam posse dari evidentiam, immò nec cujusvis alterius rei, quæ sit de ordine supernaturali: Similiter etiam certum est quod fides ea est talis per respectum ad credibilia, & hæc quendam ordinem saltem intentionalem, dicunt ad fidem, vel formaliter, vel fundamentaliter, quibus suppositis, adhuc nullam vim in argumento concipimus: nam horum mysteriorum credibilitas non dicitur talis formaliter per respectum ad fidem, sed ratione testimonii, & authoritatis, quibus fulcitur, & firmatur, quæ extrinsecus se habent tum ad fidem, tum ad ipsa mysteria, ideòque bene compatitur, quod fides, & mysteria credibilia sint obscura, & adhuc inevidentia, stante eorum credibilitate, non modo certa, verum & notissima, clara, & evidenti.

109. Tertio arguitur: Mysteria nostræ fidei non modo inevidentia sunt, verum nec eorum possibilitas, vel impossibilitas evidenter ullomodo cognosci potest; nimirum nec immediatè, & per se; nec mediatè, & demonstrativè: Ergo minus poterit evidenter cognosci sua credibilitas. Antecedens est verum, & consequentia probatur: Credibile, vel incredibile censetur, quod possibile, aut impossibile judicatur in suo esse, & fieri, experientia teste: Igitur id, de

KK 2

cu

cujus possibilitate, vel impossibilitate non possumus habere evidentiam, nec de eius credibilitate haberetur. Alter fit idem argumentum ab ipso habitu fidei desumptum. Fides namque est unum ex mysteriis credibilibus; sed credibilitas fidei non est ita evidens, cum hæc superna sit, sicut & ipsa fides: Ergo si hæc evidens non est, nec eius credibilitas.

110. Respondetur ad argumentum, ut supra, concessio antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem concedimus libenter, quod id quod credimus, possibile esse, iudicamus; ceterum credibilitas non mensuratur panes possibilitatem, nam hæc fundatur in non repugnantia terminorum; illa vero in testimonio, & testibus bene circumstantiatis; & ideo dari potest, quod ita obscura sit connexio prædicatorum mysterii, ut evidenter sua possibilitas cognosci nequeat, & aliunde talibus testimoniis stabilietur eiusmodi possibilitas, ut sua credibilitas superet omnem formidinem, & obscuritatem; & ecce evidentiæ: hoc enim erit intrinsecum quid tali mysterio possibili; illa vero connexio, & non repugnantia intrinsecum: illud pertinet ad credibilitatem, ista vero ad possibilitatem, & veritatem. Argumentum de fide ipsa in idem facit, & æque solvi est necessum; & addendum, quod credibilitas mysterii cum extrinseca sit mysterio, & fidei, hæc etiam gaudet extrinseca supernaturalitate, cui propter dicta non repugnat evidentiæ; cum hæc fundetur in autoritate dicentis, quæ lumine rationis per se nota est.

111. Ultimo arguitur: Humana libertas læderetur in credendo, si mysteria fidei essent evidenter credibilia; ex quo sequeretur, actus credendi fide divina non esse meritorios, quia sine libertate non est meritum: Ergo talis evidentiæ credibilitatis incongruit. Probatum antecedens: Siquidem per evidentiæ illam credibilitatis cogereetur intellectus ad assentiendum revelatis, & nec ab eo assensu resilire possit voluntas, si talis est evidentiæ credibilitatis mysteriorum fidei, sed hoc pugnat cum libertate meritoria, quæ ideo talis debet esse, ut possit; & non faciat malum: Ergo, &c.

112. Argumentum hoc de libertate parum urget propter varias, & frequentes vias, quibus libertas exerceatur; & in primis à nullo cogitur, aut obligari potest libertas adhuc divina; immo nec ad divinam objectum comparata ratione distinctionis libertatis in essentialem, potentialem, & immutabilitatis, & harum qualibet sufficientissima est ad merendum, ut videmus in Christo Domino. Nunc ad intentum nostrum: Mytheria fidei nostræ ex sua revelatione taliter evidenter credibilia sunt, ut in iis, quibus perfectè, sicut proposita sunt, nullam aliam relinquant libertatem ad credendum præter eam, quæ dicitur immutabilitatis, & hæc in Angelis sanctis, & confirmatis in gratia, & maxime in B. V. Maria reperienda iudicatur, certe cum merito in credendo non incompatibilis: In aliis vero deterioris conditionis, cum talium mysteriorum propositio subjectiva ob illorum defectum, taliter efficax, & potentissima non esset, forte resilire possunt à semel habito assensu; & quamvis credibilitas mysterii in se evidens sit, per accidens, & ex credentium defectu eis non proponitur tali modo evidenter nota, & tunc alia specie libertatis, quæ dicitur potentialitatis moveretur intellectus ad credendum, de qua in argumento. Vel aliter dicamus; sunt etenim evidenter credibilia, sed non ita quoad nos vera, ut obligate possint intellectum ad eorum assensum.

113. Quæres nunc: Quid tenendum sit de credibilitate in superiorum, quæ solum sunt à Deo mediate revelata? Pro quaestri resolutione sciendum est, quod quædam sunt à Deo in se, & immediate revelata, ut Deum esse, unum, trinum, hominem factum, &c. Alia vero non immediate, & in se, sed in aliis revelatis revelantur, tanquam quiddam illis connexum, ut pura proprietates sic dicuntur revelatæ cum sua natura revelata. De hac mediata revelatione loquendo, alia est stricte talis, alia vero lata; hæc invenitur in iis mysteriis, quæ etiam non expressa, & terminis propriis, confusè tamen, actualiter verò & formaliter continentur in immediata revelatione. De hoc est commune exemplum de animali, & ra-

tionali respectu hominis, & de quibusvis aliis partibus definitionis in definito revelato contentis; de alia mediata revelatione, & quæ sit talis proprie, & stricte, ut sunt proprietates rei revelatæ, est tota ratio dubitandi in quaestio proposito.

114. Et primo adest difficultas, num huiusmodi res mediate revelatæ, & quibus assentitur per discursum, & illationem, sint propria fidei objecta, vel ad Theologiam pertineant? In quo est varietas inter DD. ceterum quo ad nos certum est D. R. in prolog. 1. sentire, ad unam Theologiam scientiam pertinere, & est ratio: Nam id quod per demonstrationem scitur ex principiis revelatis est proprium Theologiæ viatorum; sed quod mediate à Deo revelatur, talis conditionis est: Ergo ad Theologiam pertinet, potius quam ad fidem; si quidem illis per discursum assentitur, & non per immediatum assensum; sicut sunt ea, quæ sunt fidei propria. Ex quibus concluditur; quod evidentiæ credibilitatis, quæ sit propria rerum, quæ mediate revelantur, non est in se immediata, sed mediata, & in sua radice evidentiæ alia, quæ in eis apparet; ac est illationis, & consequentiæ; prima est propria fidei, secunda vero Theologiæ. De hoc latius apud AA. majoris notæ.

*



QUÆSTIO VII.

Quot, & qui actus pertineant ad fidem Theologicam actu exercendam?

115. **H**ucusque de fide agimus secundum suas generales rationes præcendendo ab illa immediata differentia, seu divisione actualis, & habitualis, quæ in Theologica sunt illius membra quasi primo dividenda, postea acturi de aliis fidei circumstantiis, illius nimirum effectus, causatum, subjecti, ac denique de regulis, quibus statuitur, seu nobis innoteceat; & ab actuali fide Theologica, quæ est veluti exercitium credendi, & assentiendi revelatis, alia est interior, exterior alia; hæc est actualis præstatio fidei per verba, ritus, signa, & adhuc vestes, quæ & potest ab inferiori imperari, vel non esse illi conformis, ut experientia compertum est in iis lupis, qui ovina pelle se contegunt; interior actualis fides est actus ille intellectus, quo divinis revelationibus assentimur. At cum hic actus intellectus assensus præfati elici ordinate non possit sine aliis præviis actibus intellectus ipsius, & voluntatis, quibus moveatur, & veluti dirigatur, ideo ad fidem actualem pertinent, cognitio abstractiva rerum revelatarum, quæ ex auditu, aut aliter habeatur, iudicium practicum intellectus de harum credibilitate, & motio voluntatis ad huiusmodi assensum præbendum: Sit ne hoc constitutive, sive concomitante, aut dispositive? Non curio; pertinet ad alias materias, de quibus nos cum R. ubi de praxi?

116. Hæc

116. Hæc actualis fides alias patitur divisiones, quæ potius acceptiones illius sunt, ut puta, credere Deo, Deum, & in Deum, & hæc est D. Thom. hic de quo nil vidi in R. sed quia optissima est, optime de illa sentimus: Deo enim credimus revelanti, & dicenti; Deum credimus, ut nostræ fidei objectum quod, & in Deum, ut finem ultimum totius fidei Catholicæ. Præterea fides alia est explicita, implicita alia; hæc est fides veteris testamenti, qua PP. credebant mysteria novi ut Trinitatem personarum, Incarnationem divini verbi, Eucharistiam, & quatenus per enigmata, & visiones illis fuerunt revelatas explicita est assensus expressus, & determinatus horum mysteriorum, quæ revelata facie nobis revelantur, & quibus gloriam Dei speculamur, ut Paul. 2. ad Corinth. 3. hic accedit divisio alia de immediata, & mediata revelatione de qua supra.

117. Et incipiendo à primò actu intellectus, quo fidei nostræ mysteria quadam abstractione innoverunt, vel per prædicationem, vel per fortuitam auditionem eorum, quæri solet, num talis primus actus intellectus sit donum Dei? De hoc variant DD. & æquo fundamento, & rationibus; nam si pro parte negativa afferantur, certum est, quod hic actus ex genere suo non videtur excedere vires naturæ, cum simplex apprehensio sit earum rerum, quæ prædicantur credenda: sed hæc simplex apprehensio nil habet de supernaturalitate, nec in substantia, nec in modo: Ergo non est unde, ut Donum Dei consideretur fortius urgere videtur pro parte affirmativa: Nam hæc prima notitia est divina cogitatio, vel cogitatio de rebus divinis, & non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, ut Paul. nos docuit, & variis locis sacris convincitur, hanc primam notitiam simplicem esse Dei Donum de qua PP. & specialiter Aug. super illud Joann. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ubi de prima tractatione quæ est prima fidei notitia, concludit esse Dei Donum.

118. Nunc ad iudicium intellectus accedendo, quod immediatius accedit ad primam motionem voluntatis, ut firmus

assensus mysteriis revelatis præstatur, & est veluti practica dictatio, & movens quoddam voluntatem quo ad speciem, ut à communibus doctrinis non recedamus: Non prætereundam censeo doctrinam D. R. quam affert. q. 2. prol. lib. 1. art. 3. ut non parum conducentem ad fidei divinæ notitiam, & ut ejus mens circa hoc elucidetur, quarit ergo in ista num ad habendam cognitionem supernaturalem, quæ est propria viatoris, necessario requiratur altius lumen lumine naturali? Et in ea, præ actis, & suppositis quibusdam veluti preliminaribus de officio, & munere intellectus agentis, qui est ad modum lucis injuvando lumen naturale, ad ultimum art. 3. & 4. signanter de fide divina disserit, quod est lux pro cognitione supernaturali viatoris connaturaliter requisita.

119. In isto ergo art. 3. quarit, num fidei lumen requiratur ex parte objecti credibilis? In qua dubitatione supponendum erit ex eodem R. fidem esse habitum intellectualem infusum animæ informativum, perfectivum, & elevativum ad supernaturaliter assentiendum mysteriis revelatis, ideòque ad hæc officia requiritur ex parte potentia ejusdem; quod præterquam, quod est commune DD. & variis in locis legitur in R. videtur in hoc art. circa finem magis expressum ad hæc verba num. *Item: Ergo quantum cumque lumen fidei perficiat animam viatoris, si tamen non attingat objectum credibile, ipsum credibile non credetur necessario: Unde supposito, ut par est, quod fidei lumen sit propter potentiam perficiendam, & elevandam, ulterius ne desideretur, ut lux objecti credibilis, sicut lux intellectus agentis, ad phantasma, vel lux naturalis solis ad vilitabilia? Et hoc qua ratione, & modo?*

120. Pro parte affirmativa R. resolvit dubium, & tenet lumen fidei requiri propter objectum credibile, cujus hanc assertionem: *Articulus credibilis fidei divina, ut in sacris litteris scriptus, vel dictus, etsi in se sit certissimus, solum est in potentia assensibilis, & credibilis, usque dum fiat quoad nos, & in actu assensibilis, & credibilis sed per fidei lumen naturaliter transferatur de potentia hujusmodi ad actum: Ergo ad hoc credibile in actu constituendum*

re-

requiritur lumen fidei. Minor patet: nam non apparet forma alia, cui hoc munus tribuatur; & Major probatur: Articulus fidei prout in sacris litteris expressus, & dictus non est certissimus quo ad nos, dum nobis non constat, quod articulus est articulus, autoritas est autoritas divina, cui falsum subesse non potest; sed istud nobis clarescit per fidei lumen, & non aliunde: Ergo hæc fides est lux, & non solum intellectus, verum ipsius objecti credibilis, & assensibilis.

121. Ecce jam in nostro sumus assumpto constituti: Si igitur iudicium intellectus practicum prærequiritur ad fidei mysteriis assensum præstandum, ne cito credidisse videamur, & levi corde credere; non est minoris difficultatis statuere, si hoc iudicium naturale sit, aut supernum? Vel Si ad illud requiratur lumen fidei, nec ne? Et maxime cum R. doceat, quod lumen fidei, quod ex parte objecti credibilis se habet, constituit illud proximè assensibile, & credibile: Ergo requiritur propter assensum præstandum objecto credibilis atque iudicium practicum intellectus, de quo agimus, præit, & antecedit non modo præfatum assensum, verum & primam motionem voluntatis ad illud: Ergo ad tale iudicium fides divina non desideratur.

122. Sed quidquid sit de hoc, teneo, ut supra, iudicium istud intellectus prudenter desideratum ad assensum firmum præstandum mysteriis fidei, esse quoddammodo supernaturale, & Donum Dei; de hoc, etsi pauci, non desunt DD. idem sentientes, & omnes eodem fundamento ducti, desumpto tamen ex illo citato Paul. 2. ad Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.* linamque cogitandum aliquid, quod ad salutem conducatur, non sumus ex nobis sufficientes, quanto minus erimus ad practice iudicandum de mediis ad salutem istam. Præterquam quod, si initium fidei est Dei donum: Igitur & Donum Dei erit iudicium practicum de credibilibus, quod ita proximus est assensui intellectus. Denique iudicium hoc aliqua gaudere debet supernaturalitate, quatenus, etsi naturali modo tendat in credibilia, ea tamen supra naturam sunt, & superant omnem sensum; sed

actus, qui terminatur ad ejusmodi superna objecta, non potest non sua gaudere supernaturalitate: Ergo ita est.

123. Argumentum, & ratio contrarii sensus & sententia in hunc modum instabatur: Primò: Iudicium illud de credibilitate objecti credibilis, vel est liberum, vel necessarium; liberum esse non potest, quia prius est quam actus voluntatis credendi, in quam tota libertas refunditur: ad hæc ea, quæ est in intellectu, est actus prævium ad hoc iudicium, condentes in voluntate, dabitur in processum in infinitum: nec insuper necessarium potest esse, quia actus necessarius quilibet intellectus evidens est, quæ quidem evidenti non est à quo haberi potest, nisi per naturalem discernitur: Ergo naturale erit præfatum iudicium. Secundò: Iudicium practicum de credibilitate objecti modo naturali habetur, & per medium naturale, sic: omne à Deo revelatum, & propositum sufficienter est credibile, hoc est, signis, miraculis, & cogentibus circumstantiis stabilitum; sed sic se habent ea, quæ credibilia proponit Ecclesia: Igitur sed, subsumo: totum istud modo, & medio naturali exercetur: Ergo ita erit iudicium super tali discursu fundatum.

124. Respondetur ad primum: quod iudicium, regulariter, & connaturaliter, liberum solet esse, ut experientia compertimus in pluribus cathecumenis, qui adhuc non credunt in Christum etsi convicti, & quasi obligati videantur vi, & pondere sufficientis propositionis objecti credibilis: Igitur signum est, quod hujusmodi propositio componatur cum libertate talis iudicii: Quomodo autem, & a quo sit libertas in tali actu, est difficultas communis non solum hujus intenti? Sufficit pro nunc asserere, & tenere, quod sicut voluntas est rationalis per conjunctionem cum intellectu, & mutuam dicit dependentiam in suis actibus, sic erit intellectus liber, quidquid sit de præcedentia eorum. Vide me tom. 2. tract. 5. Ad secundum dico: quod etsi iudicium tale practicum habeatur modo naturali, & adhuc per medium naturale, poterit tamè esse supernaturale eo modo quo Theologia habitus, & actus supernaturales sunt: Vide me tom. 1. tract. proam. q. 3.

For

Forma verò superna quæ ut talis iudicium illud comitatur, non fidei habitus, sed aliud quoddam auxilium ex supernis, & transeuntibus, esse poterit, de quo nunc immediatè

QUÆSTIO VIII.

*An actus aliquis voluntatis
prærequiratur ad
fidem divi-
nam?*

125. **D**ubium hoc suam habet difficultatem, iammodò & ejus resolutio non æquo animo ab omnibus accipitur, etsi non signanter ad præsens, originative tamen, & juxta modum uniuscujusque in assignanda libertate prærequirita pro actibus intellectus, maximè meritorius; & usque quo desideretur, & pertingat imperium voluntatis ad hujusmodi actus intellectus comparatum. Circa hoc non immorabimur, iis contenti, quæ in variis locis in decursu nostri operis dedimus conformiter ad mentem D. R. nuncq; primò recolenda venit propositio Innoc. II. quæ est 19. in qua asseritur, non posse voluntatem facere, quod assensus fidei firmior esset, quam pondus rationis mereatur. Ex quo veluti inferri est necessum, voluntatem concurrere ad assensum, & ad firmiorem assensum fidei.

126. Sed quidquid de hoc sit, variant D. D. & in diversas abeunt sententias. Aliqui enim tenent voluntatis actus connaturaliter requiri ad assensum fidei cujusvis: ex industria dicitur connaturaliter; quia in fære omnium sententia non apparet inconveniens quod aliter eveniret de potentia Dei absoluta, & maximè si ad sen-

suum D. R. attendamus, à quo superfedemus, quia plura, & ardua de hac divina potentia asserta reliquimus in aliis tractatibus. Hæc est D. Thomæ hic, & omnium qui ejus S. ncti Doct. vestigia sectantur. Alii à contrario tenent; non ita requiri actum voluntatis ad fidei assensum, sed per vel actum naturalem moveri intellectum, ad assentiendum mysteriis fidei vel permissivè se habendo, aut aliter; hanc tribuunt D. subt. & aliis quos citat Zagal. N. in hæc sect. disp. 9. pro qua duas dabimus conclusiones.


127. Conclusio prima: Ad fidei divinæ assensum connaturaliter desideratur actus voluntatis, qui communi usu loquendi Theologorum vocatur, pia motio voluntatis, talibusque vocibus decoratur, ut ab actibus spei, & charitatis distinguatur, & in ordine salutari, & ad pietatem conducente collocetur, & quasi constitui videatur. Primòque constat, & probatur conclusio: Fidei assensus est actus liber, meritorius, & laude dignus, sicut ejus privatio ab opposito de meritoria; sed nisi moveatur, & veluti imperetur per actum voluntatis, quem piam motionem vocamus, nil horum haberet: Ergo talis motio voluntatis connaturaliter concurrat nostræ fidei actum. Patet minor: Nam actus intellectus liber dicitur ab extrinseco, & per conjunctionem intransitivam cum voluntatis actibus, & aliud principium, & causa suæ libertatis non apparet: cum fons, & origo totius libertatis sit voluntas.

128. Doctrina data est communis, & expressa R. in dist. 26. q. 1. art. 2. & alibi, unde superest, ut major probetur; primò per textum Sacros Concil. & PP. sic Paul. ad Róm. 10. *Domine quis credidit auditui nostro? : Non omnes obediunt Evangelio: : Cordè creditur ad justitiã, &c.* Ex quibus vides, fidè liberam esse, taliter, quod qui noluerit, non credet; conformiter ad quod Dominus Marc. ultim. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* De hoc Trid. nt. expresse sess. 6. cap. 6. *Dum fidem exauditur concipientes libere moventur in Deum credentes.* Tolet. Conc. decernit; infideles: ogi non posse ad fidem, quia hæc debet esse libera. Doctrinam explicant eodem sensu Aug. Iren.

Iren. & alii, Ex quibus probatum manet id, quod in majori asseribamus.

129. Secundò probatur eodem major, & est simul probatio conclusionis nostræ. Actus quilibet intellectus, qui à suo objecto non necessitatur, liber est; sed objectum credibile necessitare non potest intellectum, ut illi assentiatur: Ergo liber est; quia medium non datur inter necessarium, & liberum. Major est certa, & minor probatur: Objectum necessitans intellectum debet esse evidens, per se notum in se, & respectu intellectus; sed objectum credibile, etsi in se sit notissimum, & certissimum, nulla gaudent evidentiâ, & claritate respectu credentium, sed est valde obscurum, enigmaticum, & apparens, immò & hoc illi competit ex propria essentia, & quidditate: Ergo objectum istud credendum non potest necessitare intellectum ad sibi assensum præstandum.

130. Conclusio secunda: hæc pia motio voluntatis est supernaturalis (quidquid sit de substantia, & modo, quod non est hujus intenti) et primò probatur reproducendo textum Paul. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.* in hunc modum: Hanc piam motionem voluntatis præcedit illa Sancta cogitatio de divinis mysteriis revelatis credendis: Ergo ita à Deo fit, & ideò erit & supernaturalis. Secundò: Talis actus voluntatis movens ultimò intellectum ad assentiendum divinæ revelationi est salutaris, & in superna tendens, nec est viribus naturæ elicitus, ac nec eodem ejusdem naturæ lumine noscibilis; sed hæc omnia simul concludunt esse supernaturalem: Ergo ita est: Major est certa, & minor constat: Siquidem ista pia motio proximior est actui fidei, & in illum veluti agit: Ergo taliter erit salutaris, ut à natura pura nec elicibilis, nec cognoscibilis sit.



Tom. II.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

131. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Motio voluntatis non desideratur, ut intellectus firmiter adhæreat objecto evidenti, & per se noto: Ergo nec ad assensum fidei divinæ præstandum: Antecedens supponitur: Nam tale objectum necessitat intellectum: Ergo non est unde requiratur actum voluntatis ad talem assensum. Prima vero consequentia probatur: objectum fidei divinæ est ita certum, vel magis, sicut est objectum per se notum; sed hoc necessitat intellectum ad assensum, ita quod propositum non indigeat motione voluntatis: Ergo sic erit objectum fidei divinæ. Convincitur assumptum per utriusque objecti infallibilitatem, quæ potior est objecti revelati omni alia quacumque infallibilitate.

132. Huic argumento responderetur per communem solutionem habitam ex diversa necessitate utriusque generis objecti; objectum namque per se notum est evidens, clarum, & ex natura sua assensibile, ideòque semel propositum necessitat intellectum ad ejus assensum, cum nullum appareat in illo impedimentum, aut obex, ut sua claritas non innorescat intelligenti; non ita est articulus fidei, adhuc lumine fidei illuminatus, de cujus ratione est, quod sit inevidens, obscurus, enigmaticus, & inapparens, unde etsi valde infallibilis sit in se; & adhuc certior objecto per se noto, non potest necessitare intellectum ad sibi assensum præstandum ratione suæ obscuritatis, & inevidentiæ; propter quod actum voluntatis connaturaliter expectat, ut simul captivetur intellectus in ejusdem fidei obsequium; & hoc est, esse liberum, & meritorium credendo, & assentiendo revelatis. Totum sistit in enigmate, & inapparentia fidei; articuli sensibus, & rationi non conformi; aliter est sentiendum de objectis per se notis, & evidentibus.

133. Secundò arguitur, & instatur solutio: objectum fidei divinæ in se obscurum, & enigmaticum.

gnaticum est evidenter credibile, & assecurabile, supposito iudicio certo de eo, quod Deus, qui summe verax est, & ipsa veritas, loquutus sit, & illud revelasset, immo & talis circumstantiis miraculorum, &c. Ergo necessitat intellectum ad prafatum assensum, & motionem liberam voluntatis non exigit. Antecedens est certum & consequentia probatur: Assensus huiusmodi est de evidenter credibili articulo; sed ab illa, evidenti cogitur intellectus, & obligatur, sicut & ab objecto intelligibili per se noto: Ergo, &c.

134. Respondetur ad argumentum, & instantiam: quod aliud est, quod articulus fidei sit evidenter verus, & aliud quod sit evidenter credibilis, de quo supra diximus, ab evidenti enim credibilitatis cogi non potest, & obligari intellectus, quia solet quandoque agris oculis odiosam esse lucem, quæ puris est amabilis, ut videtur magis clare in hæreticis: veritatis enim evidenti necessitat intellectum, & illum obligat, ad sui assensum, quia clara est, per se nota, nullamque relinquit libertatem in voluntate, ut aliter prafatum intellectum moveat: *Quid enim fortius est veritas?*

135. Tertio arguitur: Libertas prærequisita ad meritum fidei sufficit esse vel per actum positivum, quo voluntas moveat intellectum ad præstantum assensum articulis fidei, vel per puram omissionem actus oppositi: Ergo non præcisè desideratur illa pia motio voluntatis: Antecedens probatur: Utroque enim modo salvat in fide libertas, & meritum; nam sicut per actum, sic per eius omissionem exercetur libertas. Secundo probatur illud antecedens: ut voluntas in actum defectuosum moraliter determinetur, non indiget, adhuc connaturaliter, practicam motionem intellectus juxta ideam R. in 2. dist. 29. art. 3. & nos eum eo tract. 11. Ergo ut intellectus assentiatur firmiter objecto revelato, illam piam motionem voluntatis non expectat.

136. Respondeatur ad argumentum negando antecedens, quidquid

de pura omissionem libera sit, nam ad intentum non facit; & ad eius primam probationem dicimus: quod omissionem ea, & veluti suspensio actus oppositi, & non repugnantia voluntatis ad assensum huiusmodi positivum ad objecta fidei, libertatem quandam præferat; sed non eam, quæ ex actibus factis accipimus, quæ per actus positivos enunciatur, ut est illud citatum Paul. corde, hoc est voluntate, creditur; sed voluntate credere, non est non repugnantem, sed positive credere, quantum est ex parte voluntatis: Igitur non sufficit ea libertas, de qua argumentum.

137. Ultimo arguitur contra secundam conclusionem: Primus motus salutaris, & supernus debet esse fidei divinæ, quæ est assensus in Dei cognitione fundatus: Ergo actus, sit ipse intellectus, vel quomodolibet voluntatis, quin præcedat istum primum motum salutarem, non habet, à quo accipiat supernaturalitatem: Ergo idem dicendum de hac pia motione, de qua nunc. Antecedens probatur: Actus primus salutaris debet ortum habere ab intellectu; sed nullius Domini potest esse capax, quod sit taliter salutaris, nisi auxilii fidei: Ergo. Respondetur, quod actus ille salutaris primus, qui communiter sic dicitur, est Sancta cogitatio, & notitia simplex de divinis, quæ non est fidei formaliter, sed solum dispositive, & inchoative, ideoque non habitu, sed auxilio quodam ad fidem pertinente elicitur, & ab eo habet supernaturalitatem; & idem proportionaliter de pia motione voluntatis sentiendum.



QUÆST.

QUÆSTIO IX.

De iis quæ pertinent ad actum fidei interiorem?

138. **D**E huius actus fidei interioris constitutione, & quidditate, quantum sufficit dedimus à

principio huius tractatus, ubi de fide divina prout à habituali astrahit, agebamus, unde superest, ut de aliis, quæ ad hoc sequuntur, aliquid adjiciamus, videlicet, num hic actus interior fidei sit necessarius ad salutem, qualisve sit, & quomodo elicendus? An cadat sub præcepto Ecclesiastico, & divino? Deque ipsius merito, & aliquibus aliis veluti conditionibus, quæ ad eum pertinere videantur.

139. Et in primis actum interiorem fidei esse ad salutem necessarium, est eadem fide divina tenendum; constat ex variis textibus Sacris, & Conciliis, Ecclesiæ declarationibus, ut videlicet in damnatis à Sanctissimis Alexand. 7. & Innoc. 11. in quibus satis clare enunciatur, actum fidei divinæ interiorem esse ad salutem necessarium, & taliter esse divina ordinatione præceptum. Assumptum probatur primo ex illo Paul. ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed creditur actu interiori, quando corde creditur ad justitiam: Ergo actus fidei interior, & cordis intrinsecus necessarius est ad salutem, sicut ad justitiam. Idem ex eodem ad Hebræos 11. convincitur per hunc locum: *Sine fide enim impossibile est placere Deo; sed actus, quo quis Deo placet, est interior: Ergo & fides ad illum necessaria.*

140. Hac etiam ratione probatur intentum: firmus assensus intellectus circa ea magna, & sublimia, quæ Deus diligentibus se præparavit, necessario requiritur; sed hoc est salus nostra, ad quam tendi-

Tom. IV.

mus: Ergo ad illam assequendam hic assensus desideratur; atqui talis est actus interior fidei divinæ: Ergo. Probatur assumptum: si deficeret iste assensus firmus intellectus circa divina, non esset fides illa quæ per dilectionem operatur, quæ ad assequenda ea magna promissa tendimus, necessaria: Ergo ne dicamus istud, aliud tenendum est. Antecedens probatur: Fides illa, quæ per dilectionem operatur, debet esse talis, cui falsum subesse non possit, siquidem dilectio ea, quæ ad salutem est, summam illam fidei regulantis certitudinem exigit: Ergo ejusmodi assensus firmus, ac consequenter interior animas desideratur ad salutem ut medium necessarium.

141. Quibus præactis superest, ut quæ sit hæc necessitas, & ad quid? Brevibus resolvamus. Pro eo prælibanda est notitia generalis de duplici necessitate in præfenti materia reperta, & in aliis huiusmodi: Necessarium, scilicet, necessitate mediæ; & aliud necessitate præcepti: Illud est simpliciter necessarium, sine quo finis assequi non potest; hoc vero secundum quid, & ex suppositione præcepti, instituti, vel conditionis: doctrina ad fidem contracta est in hunc modum; si de fide loquatur generaliter, & absolute, est simpliciter necessaria ad salutem; nam sine fide impossibile est placere Deo; si vero expressius, & determinatius, dantur aliqua fide divina credibilia, quorum fides expressa (de qua hic procedimus) nullo modo est ad salutem necessaria, cujus modi sunt omnia in sacris paginis, & divinis traditionibus contenta. Alia vero sunt mysteria fidei divinæ, ad quæ omnes tenentur; & eorum fides est ad salutem necessaria secundum quid, & ex suppositione divini præcepti, & adhuc Ecclesiastici.

142. De fide tenendum est, necessariam esse ad salutem simpliciter fidem expressam Dei unius existentis, remuneratoris; doctrinam accipimus ex citato Paul. ad heb. 11. *Credere autem oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator:* Ad quod accedit, damnatam esse ab Ecclesia propositionem asserentem, sufficere ad salutem fidem Dei, unius, quamvis non sit ut remuneratoris.

Ll 2

Num

Num sit sensus hic positus, vel adhuc exclusivus? Veri potest indubium: Sed ne in hoc immoremur, placitis communibus adhaerentes sentimus, sed in huiusmodi solum esse simpliciter necessariam ad salutem per exclusionem cuiusque alterius credibilis; rationem aliam non habemus praeter communem sensum Theologorum, & quia aliter discurrere non possumus attentis iis, quae in factis litteris leguntur.

143. Signanter hucusque loquebamur de fide divina praescindendo ab omni statu, lege, instituto, aut praeecepto; nunc autem agendum convenit de fide eadem determinata ad statum naturae humanae pro tempore legis naturae, scriptae, & gratiae, pro quibus, ut aliquas resolutiones instituamus, sciendum convenit actum fidei alium esse explicitum, implicitum alium; primus elicitur, quando expresse, & distincte assentitur alicui, vel aliquibus mysteriis à Deo revelatis; alter vero quando in assensu unius articuli, consequenter creditur omne, quod virtualiter, aut formaliter, contulisse tamen, in eo contineatur. Quomodo fere omnes credunt sacra scripta, & divinas traditiones in hoc credibili; *Credo scilicet, in unam sanctam Ecclesiam, &c.* Ad hanc divisionem videtur accedere aliam, nimirum, auctus fidei in mediatum, & immediatum; hic actus tendit in immediate à Deo objectum revelatum; alius autem in illud, quod istud infert necessario; ut quando creditur Christum esse resibilem, ex eo quod credatur esse verum hominem.

144. Quibus statutis, dico primo: Pro omni statu naturae humanae, si absolute, & simpliciter loqui debeamus; solum fides Dei unius, ut remuneratoris, explicita tamen, est necessaria necessitate medii ad salutem, quidquid sit de implicita, per quam salvari possunt textus sacri contrarium asserentes; & probatur: Sine hac fide, & pro nullo tempore, & statu, & hac sola fide, quae per dilectionem operatur, potest adultus consequi salutem temporalem gratiae, & aeternam Beatitudinem: Ergo hac sola est absolute necessaria, alia vero quaecumque, etsi necessaria sit, est praecise conditionanda. Antecedens quoad primam partem supra constat, &

quoad secundam probatur, & specialiter pro tempore legis gratiae, de quo est maior difficultas; & ponamus adultum in eo statu, & ad quem nec umbra Evangelii pervenit, ut potest; hic enim sola fide Dei unius, & remuneratoris consequeretur salutem, si aliunde vixerat secundum rectae rationis regulas, ipsique suffragaretur baptismum fluminis, supposita, ut par est, invincibili ignorantia aliorum: Ergo haec sola fides eidem sufficeret: Ad hoc facit damnata propositio 68. Michalis Baii: *Infidelitas negativa pure, in his, in quibus Christus non est predicatus, peccatum est.*

145. Et si mentem applicemus ad quandam doctrinam Angelicam satis piam, & bene fundatam, dicere possemus, quod, scilicet, adultus taliter vivens caderet sub speciali providentia Dei, qua veluti, tenetur illum instruere in mysteriis fidei, sicut misit Petrum ad Concilium, & Philipum ad Eunuchum Regina Candacis. Et clarius D. R. in 4. q. 6. prolog. art. 4. per totum, hoc solum concluderet, quod ex suppositione huius specialis providentiae, de qua nobis non constat, quod ad omnes fides explicita Christi esset hoc modo necessaria necessitate medii ad salutem; sed hoc non est esse simpliciter, & absolute, & pro omni hypothese necessaria sic: Ergo. Iterum dicimus, quod textus omnes, qui contrarium tenere videantur, vel loquuntur de fide implicita, vel supposita sufficienti promulgatione, & noticia Evangelii.

146. Secundò: In statu legis naturae, & adhuc scriptae solum fides implicita Sanctissimae Trinitatis, & Christi Redemptoris est necessaria ad salutem: Loquimur generaliter, & comprehensive usque ad Adamum, Noë, & Abrahamum, ac reliquos eximie sanctitatis viros illius status, in quibus potior quaedam umbra mysteriorum illuxit, ut somnus Adae Gen. 2. & visiones Abrahamae repetitae: ut in Convalle Mambre 20. ibi. & alias de Christi Redemptore 12. & 22. Gen. Probaturque: Fides illa sanctorum PP. status legis naturae solum concipi debet, secundum quod in factis litteris legimus; sed nullius habemus explicitam notitiam horum mysteriorum: Ergo ea non fuit necessaria pro illo

illo statu. Cumque fides in Christum pro omni statu praedicetur ad salutem necessariam, ut Paul. ad Rom. 3. & ad Galat. etiam 3. & ad Hebraeos. 10. superest, ut implicita sufficeret ad salutem. *In omnes, & super omnes, qui credunt in eum.*

147. Tertio; & est specialis difficultas inter Theologos, pro quo sunt variae sententiae, & modi dicendi, à quo obtinendum censemus; nam sufficiente praehabita promulgatione, & praedicatione, ac noticia Evangelii, & Christi Redemptoris, sit necessaria necessitate medii ad salutem fides explicita huius mysteriis in quo necessario formaliter declaratur Sanctissimae Trinitatis? Et est nostra resolutio: his suppositis, fides explicita Christi Redemptoris est necessaria ad salutem necessitate medii, & sine qua nullus huiusmodi salvari posset. Est R. expressa ibi: probaturque ipsius fundamento: Facta generali promulgatione Evangel. de qua ps. 18. *in omnem terram exivit sonus eorum.* Et Paul. ad Rom. 10. *Et quidem audierunt; quia in omnem terram exivit sonus eorum;* nullus hominum salvaretur sine fide expressa Christi, & Evangel. Ergo quia necessaria est necessitate medii ad salutem talis explicita fides. Antecedens constat ex illo Marc. ult. *Omnes, docete: Baptizantes: qui crediderit: salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et infinita alia fere loca leguntur huiusmodi: Ergo.

148. Ultimum quod in ista quaestione resolvendum venit, pertinet ad praeeptum fidei interioris, de quo tria inquiri solent, primum est, si cadat sub praeepto? Secundum: ad quae mysteria revelata pertingat? Et quos, & quando obliget? De primo certa etiam fide tenemus partem affirmativam contra antiquos, & novos haereticos: constat expresse in utraque pagina, & maxime variis textibus novi testamenti, ubi verbis, & terminis terminantibus jubemur credere ea omnia, quae nobis revelavit credenda. Declaratur in Conciliis, damnatur contrarium ab Ecclesia: unde superest, ut quod de fidei actu interiori praedicta omnia intelligi debeant, convincamus; sic: Textus, Concil. & declarationes Ecclesiae procedunt, & loquuntur de fide absolute, & per se; sed fides sub tali acceptione est propria, &

formalis fides, interiorque, ac firmus assensus intellectus; nam exterior, & pure verbalis non est proprie fides, sed analogice, & secundum quid: Ergo de alia interiori sentire debemus.


149. Obligat praeterea hoc divinum mandatum omnes omnino homines, adhuc eos, qui foris sunt, & extra Ecclesiam, si ad eos perveniret sufficienti illius promulgatione; sicut omnes omnino vult fieri salvos, ad agnitionem veritatis venire, & propterea pro his omnibus descendit de Caelis, mortuus, & sepultus, est: Assertum est etiam de fide, si non immediate, mediate tamen; & probatur: Praeeptum Baptismi obligat omnes homines, de quolibet genere, & status, instatque ejus obligatio, cum primum ad eos perveniret ejus noticia, & promulgatione; est de fide; sed ad Baptismum necessario praecedere debet fides, dicente Domino: *qui crediderit, & Baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo ad eos, ad quos attinet praeeptum Baptismi, illos eodem comprehendit fidei divinae mandatum. Idem concludere possumus per praeeptum de dilectione Dei, quod sine fide ad impleri non potest, & nullus hominum ab hoc praeepto liber centerur: Ergo nec à fidei.

150. Quando nam obliget praeeptum de fide interiori exercenda? Non est facilis resolutionis, contenti erimus, si communibus doctrinis nostram adjiciamus sententiam; & prius supponamus, quod Ecclesia anatematizavit opinionem, & opinantes quod sufficeret ad praeeptum hoc ad implendum, semel in vita actum fidei elicere; idemque videtur dicendum de semel in quinquennio, quatenus illud de praeepto charitatis damnavit, quo supposito dicimus cum DD. singularis notae antiquis, & recentioribus; quod obligat omnes eo tempore, quo primo illustrati fidei doctrinis sufficienter judicant mysteria nostrae fidei esse evidenter credibilia, unusquisque secundum propriam virtutem, ideoque adulti semel quod ad usum perfectae rationis pervenient, & maxime illi, qui inter infideles essent de nostris mysteriis edocti. Secundò quando quis tentet justificari, ad Sacramenta accedere, vel in adepta gratia sanctitatis perseverare, ac quando urget gra-

gravis aliqua tentatio, & maxime contra eandem fidem; vel denique si in articulo mortis conticui vigeat rationis usus, obligat & nostræ fidei exercitium.

151. Hujus quæstio ratio dubitandi oritur ex eo, quod cum præceptum fidei mixtum sit de affirmativo, & negativo; de hoc nulli dubium esse potest, semper, & pro semper obligare, sicut de omnibus aliis mādatis negativis asseritur; alia vero affirmativa cū etiā sua tēpora habeāt ut de jejuniō, & auditiōe missæ, & aliorum tenemus; quod quidem in hēi præcepto non accepimus, ideo standum esse judicamus assertis communibus Theologorum; & hæc est prima ratio nostri dubii supra positi; secunda sit: oētus fidei præcipitur, quatenus necessarius est, & inereit ad salutem, sed valde convenit ad salutem, & ejus perseverantiam in ingressu vitæ rationalis, & ad consummatam in gloria in egressu ab hoc sæculo; sicut in devota Sacramentorum susceptiōe, & administratiōe, ac denique ad vitandos casus in peccata, & præcipue infidelitatis: Ergo in his ocaſionibus tenemus omnes ad fidei eliciētiā.

152. Denique, ad quæ credenda mysteria extendatur? Sua non caret dubitatione; certum esse debet, quod præceptum fidei unius Dei existentis, ut variis, & repetitis locis exhibetur in lib. Moysi; & super hoc ut remuneratoris docemur ex Paul. Verbi divini incarnati, & humani generis Redemptoris in Evang. & sacris Epist. ad hæc mysteria credenda obligamur cum Sanctissimæ ac individuae Trinitatis mysterio, quod est veluti primum inter credibilia post Evang. Quomodo hoc, extenso calamo, declaretur, legantur DD. Moralis Theologiae, & fortè casuistas, quid de symbolo fidei Apost. Nicæn. & Athdoceant: quid de oratione Dominica, notitia decalogi, & Sacramentorum; quid denique de Idiotis rusticis, & bene instructis teneant, dum nos ad speculativa gradum facimus.



QUÆSTIO X.

*Quomodo se habeat in fide
illius intensio,
& remissio?*

153. **S**upponimus tanquam certa fide tenendum, fidem habitualemente Theologice, de qua nunc, esse virtutem, habitum, sive qualitatem, aut quid aliud permanens ex sua natura à Deo in justificatione impil infusum, in nobis acceptum, & à nobis susceptum, sed non nostris actibus genitum, productum, seu comparatum, sicut de aliis habitibus sentitur apud særē omnes: hæc doctrina Catholica habetur expressa in Trident. sess. 6. cap. 7. ad ista verba: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui infertur, fidem, spem, & charitatem, &c.* Ex quibus suppositis solum scire desideramus in præsentia, quam ratione concurrant actus exerciti hujus fidei ad suum habitum, vel denuo infundendum, vel jam infusum intendendum? Cum scriptum sit: *Qui justus est, justificetur adhuc.* Apoc. 22.

154. Nec hic aliquid secundo tractamus de generatione alicujus facilitatis, & promptitudinis, quæ solet, & est naturalis, ex frequentatione quorumcumque actuum generari, nam de hoc supra tom. 1. tract. 4. q. 7. per totam, sed præcisè terminis de fide superna, Theologica virtute nuncupata. De qua hæc inquirimus: primum est; an actus hujusmodi habeant influxum aliquem in prædictos habitus? Quinam sit? Physicus, vel moralis? Qualive ratione fiat intentio talium habitus.

bitum? Et qua ratione, cum certum sit, & de fide, per suos gradus sic, vel sic intendi, eodem jure, num possit remitti? Cum de aliis qualitatibus verificetur utrumque, sumpto fundamento à contrarietate, quæ inter intensiōem, & remissionem versatur, de quibus debet esse eadem ratio.

155. De his dubiis nil in R. videram, in quō ex instituto tractentur, ceterum ex pluribus, quæ dispersa in eo leguntur, est magis Philosophice, quam Theologicè, ut videre est in 1. dist. 16. & alibi; ubi de intensiōe habitus charitatis latissime; aliquas adducemus rationes pro nostris suo loco stabiliendis resolutionibus; nam cum ex Trident. satis constet fidem, spem, & charitatem esse Dona à Deo simul, & æque justis infusa, ideo circa præfens, quod de charitate sentiat, idem de fide, & spe, tenendum erit.

156. Præterea non prætereunda est specialis, & satis communis doctrina R. quam non semel assert, & specialiter in dist. 2. q. 1. §. 2. sumptam tamen ex Arist. 4. Metaph. & 1. Ethic. repetitam: distinguit enim actionem in immanentem à transeuntem per hoc, quod hæc habet terminum productum, & operatum, & à se distinctum, non vero illa; & ut occurrat cuidam gravi difficultati contra dictum emergenti, sic Phyl. explicat: quod scilicet, non est sermo suus præcisivus, sed comparativus, sic asserendo; quod terminus operatus per actionem immanentem non est sicut productus per transeuntem, nam terminus operatus per actionem transeuntem est ab ea principaliter intentus, non autem productus per immanentem; cujus exemplum ponit in habitibus intellectualibus, qui quidem non semper meliores sunt, quam actus intelligendi, cum actus non sit propter habitum; sed à contrario habitus est propter actum eliciendum prompte, faciliter, & delectabiliter, ut alibi docet R.

157. Concatenemus doctrinas istas ad intentum præfens: Non est de ratione actuum immanentium quidditative, & essentialiter habere terminum operatum, & productum similem tamen eis in sua

natura: Ergo actus fidei v. g. non necessario debent generare habitum illam supernaturalem, qui prima virtus est inter Theologales: Ergo Doctrina Concil. Trident. & Eccles. circa hujus habitus infusiōem satis concors est, et si graviore fundamento, doctrina Phyl. & ab eis non aliena: Ergo actus hujusmodi solum dispositive physice, vel moraliter deservire possunt ad talium habituum infusiōem, & eodem modo ad eorum intensiōem. Probatur assumptum: finis per se intentus ab actibus immanentibus non est terminus operatus, cum hic sit veluti secundarius, & minus principalis: Ergo non est quid essentialiter, & quidditative ad actus immanentibus habere terminum operatum.

158. Quibus suppositis, & relictis primis quæstis postea in tract. de charitate solvendis, solum de ultimo hic agendum erit. Prima facie valde difficile captu apparet, quod habitus isti superni sic per suos gradus intenduntur, ut quasi in infinitum pertingat intentio eorum, & ex iis gradibus nec unum adimi, aut deperdi possit, & hoc est remitti, quia totus habitus talis deperdat, & corrumpatur; contra quod videre est in aliis qualitatibus. Assertum ita certum est inter Theologos, ut contrarium tenere, non caret sua temeritate; & est ratio: quod gradus qualitatis deperdi, & corrumpi non potest nisi per formam sibi oppositam; siquidem in quolibet gradu qualitatis tota essentia illius verificari debet; sed qualibet, et si minima forma, fidei contraria totam fidem corrumpit, & perdit; & idem dicendum est de spe, & charitate: Ergo certissimum de fide est has virtutes intendi per suos gradus; & quod sic possent remitti, alienum videtur à veritate.

159. Ratio hujus resolutionis obumbrata manet, & sic explicari adhuc potest ad mentem R. Habitus, & qualitas supernaturalis nullum habet contrarium positivum, sed privativam dicunt oppositionem eam ad sui destructivum; sed quando ita se habet contrarium formæ intentibilis, totam necesse est corrumpi per oppositum sibi contrarium, & non per gradus, sicut videret erit in calore, & frigore, ac in aliis hujusmodi. Ergo. To-

ta ratio hujus asserti sistit præcisè in hoc, quod habitus isti superni nullum habent contrarium positivum. Major est communis; minor etiam constat ex ratione malignantis naturæ, & indivisibilitatis quam negatio secum assert, & maxime respectu talium habituum, quorum negatio apposita aliter haberi non potest, nisi totum habitum corrumpendo: Ergo eorum intentio est possibilis, adhuc quod remissio repugnet.

160. Sed contra dicta objici potest ex R. in 1. dist. 14. q. 1. art. 6. ibi enim satis expresse sentit, charitatem esse qualitatem, & habitum, qui intenditur, & remittitur; legatur per totum articulum & specialiter ad hæc verba: *Vico, quod, sicut qualitates, quæ possunt intendi, & remitti sufficiunt magis, & minus secundum gradus in essentia, sic & charitas, & sic per eundem modum hic, & inde: Ergo ideam dicendum venit de habitu fidei. Consequentia est legitima, & antecedens constat: Nam ibi loquitur R. comparando charitatem cum aliis qualitatibus intensibilibus, & remissibilibus secundum gradus in essentia sua; sed idem sentit utrobique dicendum, ad ista verba: *Per eundem modum hic, & inde: Ergo charitas sic intenditur, & remittitur, sicut aliæ qualitates.**

161. Argumentum primò aspectu difficilis apparet, sed faciliter ad illud respondetur; quod alio sensu longe diverso loquitur R. ibi, ac nos in præsentibus disputamus; procedit ibi R. de charitate secundum speciem accepta, hic verò agitur de ea, sicut de fide in individuo considerata; certum est enim, quod in prima acceptione charitas intenditur, & remittitur in eodem, vel in diverso subjecto, cæterum non eadem ipsissima individualiter, sed alia, & alia; quapropter in diversis subjectis solet esse major, & minor secundum gradus intensiois, & remissionis; imò in eodem nunc est intensior secundum suam dispositionem, postea si corrumpatur, & resurgat impius non ita dispositus, remissor: alio tendit resolutio nostra; cum de eadem numero fide, sicut, & charitate dubitamus; num, scilicet, eadem manens, & perseverans possit remitti in gradibus quasi ad essentialia resistentibus sicut intenditur? Ad

quod est nostra resolutio negativa.

162. Audiatur nunc pulchra doctrina R. ibi: „ Ubi dico, quod charitas potest „ considerari dupliciter: Uno modo „ secundum se, alio modo in habitu- „ ne ad propriam suam operationem: „ Differentia est inter habitus naturales, „ & inter habitus, qui subsunt imperio „ voluntatis; habitus enim naturales „ agunt ex toto impetu, sed qui subsunt „ imperio voluntatis agunt intensius, & „ remissius secundum intensiorem, vel „ remissioem fervorem voluntatis, & „ habens eam potest quandoque inten- „ sius, quandoque remissius uti ea, &c. Ex quibus quid constare videtur, quid R. teneat de intensioe, & maxime de remissione habitus charitatis in individuo accepti, sic nimirum, quod solum remitti possit, etsi non secundum se, & secundum substantiam suam; poterit tamen in habitu ad propriam operationem.

163. Aliter objici potest contra dicta ex eodem R. in 1. dist. 15. art. 3. ubi sic ait: *Intensio charitatis, & lucis, & omnium aliarum formarum non habentium contrarium, sed solum privationem oppositam, similis augmento quantitatis.* Ex quibus duo sequuntur, primum est: quod non solum augetur, sed & diminuitur habitus fidei; Ergo est similes qualitates istæ possunt etiam sicut intensi, ita & remitti. Secundum: Lux non solum intenditur, verum, & remittitur, experientia teste: Ergo idem dicendum erit de fide, & charitate. Probat consequentia, & simul impugnat ratio fundamentalis data: Non obstat remissioni lucis solum habere contrarium negativum: Ergo quamvis habitus isti superni alium contrarium non habeant nisi negativum, possent sicut intendi, etiam & remitti.

164. Respondetur ad primum, quod R. ibi solum quoadmodum intensiois harum qualitatuum procedebat, nil de remissione curando, in quantum sicut quantitas augetur sine corruptionis præcedentis partis quantitatis, sic charitas intenditur ad ultiores gradus sine graduum præcedentium perditione; & hoc convincit; quod unus gradus corrumpi non possit, quin tota hujusmodi qualitas cor-
rum;

rumperetur. Ad secundum de luce dicimus; quod si per oppositum negativum remittatur, idem tenendum erit, sua proportionis, ac de habitibus supernis sentimus, & licet lucem videamus decrescere, & veluti remitti, non est per remissionem lucis propriam, sed per defectum materiæ, & decrementum subjecti, quod afficiebat, unde ex hoc nullum argumentum sumi potest ad qualitates supernas.

QUÆSTIO XI.

Utrum per omne peccatum mortale fides divina amittatur? Vel per quod? Et quo modo?

165. **C**irca habitum fidei non nulla obiter peracta reliquimus in aliis tractatibus, quantum ad ea, quæ propria sunt habituum supernorum; & apud nostros Phylosophos plura alia leguntur ad mentem D. R. de habitus natura, quæ ad sua pertinent respectiva loca sicut pura de unitate, & simplicitate talium habituum, de illorum esse absoluto & relativo: sit ne practicus, vel speculativus; quibus non obstantibus, adhuc superest, quod aliqua alia præmittamus priusquam ad resolutionem quæ propositam viam paremus.

166. Et antea præoculis habenda sunt, quæ in hoc tom. tract. 12. q. 13. in principio dedimus, & iis præintellectis scire, & præsupponere debemus; habitum fidei semper, & in omni statu obtinere debere rationem essentiali virtutis, semperque ac in omni consideratione esse Donum Dei, & infusam qualitatem; rationem hujus secundi habemus acceptam ex Trident. ibi; & quia in nullo eventu, si communicetur simul cum gratia, ut in justificatione impii, si ve-
Tomp. III.

ram fidem amplectitur, omnique deposito errore firmiter adhæret Ecclesiæ, & divinæ revelationi; absque aliorum peccatorum penitentia, nequit non esse Dei Donum, quod nostris actibus comparare non valeamus: Igitur semper, & in omni eventu erit qualitas à Deo infusa.

167. Devolvitur tota difficultas in ius primæ partis præsuppositi ad fidem informem, & mortuam de qua Jacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Et Paul. 1. ad Corinth. 13. *si habueris fidem, ita ut montes transferam, charitatem non habeam, nihil mihi prodest* Et uno verbo, si fides impii, & existentis in mortali peccato obtineat veram, & quidditativam rationem virtutis? De quo non instituius peculiarem quæ quia est pure metaphysica, & ejus resolutio pendet unice à rei prædicatis constitutivis, & cujusque eorum acceptione, & conceptu; sufficiat pro nunc asserere, quod aliud est rem esse in statu perfectio, & aliud in statu essentiali; homo enim claudus non est perfectus, sed irregularis homo, cæterum sic imperfectus non deficit ab essentiali, & adæquata ratione hominis: sic fides peccatoris actualis, deficit à perfecta ratione virtutis, non autem à quidditativa; nam de illa verificatur definitio essentialis virtutis, de quibus lococitato tract. 12.

168. Et quia præmanibus habemus duplicem illam acceptionem fidei, formatæ, scilicet, & informis, vivæ, & mortuæ, prima oritur à charitate, secunda ab hujus carentia, non est abs re scire; quid formæ, & vitæ habeat fides à gratia, & charitate, & quomodo illud aliquid, per quod formatur, accipiat? Nec de hoc desunt opiniones huc illucque sentientes, & ut N. R. adhæreamus, dicendum erit; charitatem esse formam virtutum & physicæ, & moraliter; physicæ, quatenus impium subjective constituit justum, & sanctum, estque primum perfectum in ordine superno, ordinatque in Deum auctorem gratiæ, vel actu vel habitu omnia quæcumque opera virtuosa; ideòque in hac parte charitas, quatenus fidei coexistit, est illius forma physica sicut & aliarum virtutum; est etiam moralis forma fidei eo jure, & modo, quo impium objective sanctificat, & alia munia confert.
Mm de

de quo nos hic tract. 12. q. 5. nunc sit,

169. Conclusio primæ partis q. Non per quodcumque peccatum adhuc lethale fides Theologica amittitur, & perditur. Est de fide expressa, constat ex litteris factis, ut in locis superius citatis Jacob. & Paul. & aliis pluribus in Trident. ut sess. 6. Can. 28. sic: *Siquis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem amitti, aut fidem, quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; Anathema sit.* Conclusio non indiget probatione aliqua, sed congruentia ista, ex eodem Concilio, & modo justificationis impii ab eodem deprompta, probari posset: Impii sic disponuntur ad iustitiam ibi cap. 6. *Deum excitati divina gratia, & adjuvi, fidem ex auditu concipientes, libere moventur, in Deum, &c.* Uti que Deum omnis iustitiæ fontem diligere incipiant, & sua peccata detestantes veram agant penitentiam, fructumque illius, qui Dei sanctificatio est, consequantur: Igitur per prius ad gratiam datur vera fides in peccatore, & hæc congruit, ut cum illius peccato compatiatur, ut connaturaliter resurgat peccator.

170. Secunda conclusio: Solum per peccatum infidelitatis amittitur fides Theologica. Est communis, & eadem fide saltem mediate tenenda; probarique potest illis textibus, quibus præcedens: nam si per aliud peccatum corrumpetur fides, per omne peccatum etiam, non enim est potior ratio in uno peccato mortali, quam in alio; deveniendumque esset ad hoc, ut semper ac quis lethaliter peccaret, amitteret fidem istam; sed hoc est ab Ecclesia damnatum: Ergo & illud ex quo sequitur. Probat. in super fundamento ex Trident. sess. 6. cap. 15. accepto dicente: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur; sed etiam quocumque alio peccato mortali, quamvis non amittatur fides, gratiam amitti.* Ergo tenet Trident. per solam infidelitatem fidem amitti. Denique: solum infidelitas prava, & defectuosa pellit assensum illum firmum, in quo fides innititur; cum sit error incompatibilis cum assensu taliter concepto: Ergo non apparet contrarium aliud, quo amittatur fides, nisi infidelitas.

171. Conclusio tertia: Per quodcumque peccatum infidelitatis amittitur fidei virtus Theologica. Est nunc fare certa, et si non desint aliqui ex antiquioribus Theologis, qui teneant, per unum, aut aliud peccatum infidelitatis non amitti fidei habitum, usque dum non sit talis infidelitas, qua à tota fide recederet peccator; consequenter asserere videntur, manere fidem in hæreticis, & inquisitis, in quibus conservaretur firmiter assensus alicujus articuli credibilis, quia verus est, & à Deo revelatus. Probarique posset primò ex assensu communi Theologorum. Secundò, quia qui unum articulum sufficienter promulgatum negaret, vere diceretur infidelis; sed ex Trident. per infidelitatem indefinite acceptam amittitur fides: Ergo & per errorem culpabilem in quolibet articulo credibili.

172. Probat. denique: Qui non assentitur alicui, vel aliquibus articulis ab Ecclesia propositis, deficit in omnibus aliis à vera fide: Ergo & illam absolute amittit. Antecedens probatur: Qui deficit sic à tali credentia, & assensu, non tenet firmiter, Ecclesiam esse columnam fidei, Magistram veritatis, & ab Spiritu Sancto directam, illustratam, & gubernatam, cum suis dictis possit sub esse falsum, sed hoc stante in eo qui solum unum articulum negaret, nulla esse potest fides; siquidem ultima fidei credibilitas resolvitur in Ecclesie Sanctæ declarationem: Ergo in eo qui unum articulum fidei negat, nulla esset fides divina: Major patet: Nam si Ecclesia deficeret à veritate in uno articulo; quomodo dici posset veritatis Magistra? Minor etiam constat: cum non habeamus aliam visibilem regulam, cui innitiamur.

173. Conclusio quarta tertiæ partis q. Per quemcumque actum infidelitatis tota fides amittitur, non tamen in genere causæ quoquomodo physicæ, sed solum moralis. De hoc nihil habemus in R. cæterum cogor ad conclusionem ex iis, qua tract. 12. repetitis in locis dicebamus de expulsiōe gratiæ per peccatum: si namque in nullo genere causæ efficientis, aut formalis amittitur gratia per peccatum: Ergo idem dicendum venit in præsentibus. Patet consequentia: siquidem et si non sit idem

idem assumptum; eadem tamen est utrobique ratio, & in hunc modum declaratur, & primo de efficiente probatur: causa efficiens physica talis esse debet, quatenus aliquid producat per verum motum ex Arist. lib. 2. phys. & circa præsens, ut esset alterius formæ expulsiō, requiritur quod aliquid reale produceret, quod esset opposita formæ expulsiō; sed nil horum habemus in unico actu infidelitatis, qui sufficiat ad totam fidem divinam evaquandam: Ergo. Minor: Non producit qualitatem contrariam, nec aliam dispositionem: Ergo nihil.

174. Neque in genere causæ formalis, ut ibidem dicebamus de peccato ad gratiam expellendam: Tum quia actus, & habitus non contrariantur: Ergo nec actus erroris expellit virtutem fidei. Tum etiam, & in idem convenit: quia actus tantum est mobilis, & cito transit, virtus est ex natura permanens: Ergo expelli mutuo non possunt formaliter. Deveniendum est ad causalitatem moralem de qua quidam sentiunt esse demeritum speciale, quo infidelitas circumstantiatur, vi cuius fides amittitur, Deusque suspendit concursum illius conservativum. Alii dicunt, quod indisponit subjectum taliter, ut fides amplius illud non afficiat. Credo equidem quod talis amissio virtutis fidei per unum actum infidelitatis ortum habeat à lege, & statuto Dei, sic volentis extollere suum testimonium, & deprimere falsitatem, & mendacium, & quod lex talis supponat demeritum in errore simul conceptum ex ipsius prava dispositione.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

175. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Peccatum mortale quodcumque ponit impium Deo inimicum, sua gratia, & filiatione privatum: Ergo & privat fidei supernaturalem, & divinam. Consequentia probatur, primò: Propter connexionem gratiæ cum Donis, & habitibus superais;

Ergo ea amissa, cætera corrumpuntur. Secundò: quia fides in quocumque statu est quidditative virtus; sed videtur non congruere impio Deo exoso, & inimico, virtuosum esse, virtute ea, quæ est de ordine divino: Ergo. Facili negotio respondetur, & ad primam probationem dicendum: quod gratia dicit muttam connexionem cum Donis supernis, & habitibus si inesse perfecto, & formato considerentur, si tamen aliter, nulla est horum cum gratia unitas, & conformitas, ideò ea amissa & in eo statu imperfectionis perseverant, ut in conclusione dicebamus. Per hoc ad secundam probationem patet; nam virtus informis, & imperfecta non facit subjectum absolute virtuosum, sed imperfecte, ideòque impius posset juxta aliquid dici virtuosum, & esse; quatenus ut peccator non destituitur omnibus gratiæ Donis, sed illis solum, quæ sunt gratiæ propria, & proprietates simpliciter, qualis est charitas, & ea, quæ illa formantur, & per illam ordinantur.

176. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Hæreticus, qui ab uno articulo discedit, nimirum à credentia in Ecclesiam Sanctam Romanam, & firmiter assentitur aliis, quia Deus eos Ecclesie suæ revelavit, & præcepit credendos, vera fide credit, superna, & infallisa: Ergo hæc compatibilis est ad quosdam articulos, cum dissensu ad alium, vel alios. Antecedens probatur: supernaturalis actus accipitur panes objectum, & motivum illis; sed motivum fidei in hæretico quedam mysteria firmiter credentis est supernum, nimirum divina revelatio: Ergo actus evadit supernus, & consequenter elicitus ab habitu fidei infusio.

177. Respondetur ad hoc argumentum per communem solutionem; fidem illius hæretici, et si firma sit, ejusque assensus fundatus in divina revelatione, esse pure naturalem, sicut est ea, de qua Jacob. 2. *Dæmones credunt, & contramiscunt; sæpeque innititur Dei testimonio;* sed non, ut par est; eum apparenter tantum ea talis revelatio sit divina; nam solum propria, & infallibilis est, quæ visibili Ecclesie assensu, & declaratione universaliter firmetur; sed illa qua innituntur

Hæretici non est Ecclesiæ universalis, sanctæ, & unæ, nec Apostolicæ; nam hæc nota Ecclesiæ eorum deficit, quæ veræ Ecclesiæ unicè sunt propriæ, & characteristica: deveniendum est ad hoc, quod eorum fides sit naturalis, in firma, & debilis, & nullo infallibili testimonio fundata.

178. Tertiò arguitur contra ultimam conclusionem: Infidelitas in nullo genere causæ moralis ex assignatis expellit virtutem fidei: Ergo vel phytice, vel assignatur expulsum aliud. Antecedens probatur: Non demeritoriè; quia in hoc conveniret cum aliis peccatis, & forte majoris gravitatis, ut puta odij Dei; nec prævæ dispositionis, quia per quodcumque peccatum impius indisponitur, ut tandem Deus erga illum suspendat suum concursum fidei conservativum, & perveniat ad ultimum excæcationis; sic legimus pluries evenisse: Denique nec constat de tali divina lege statuente per unum peccatum infidelitatis totam fidem penitus amitti; aliasque non apparet ratio majoris congruentiæ: Ergo non est cur ad istud genus causæ moralis reducatur forma fidei expulsi.

179. Respondetur ad argumentum, quod duo ut certa supponere est necessum; primum per infidelitatem fidem expelli, & amitti; hoc communis assensus DD. consolidat; secundum, quod ratio cogens, & sufficienter probans, quomodo ista se gerant, aut textus expressi taliter probativi, nec adducuntur, nec leguntur. Deveniendum est ad ea, quæ in nostra conclusione dicebamus, contra quod non urget objecto facta; nam etsi verum sit, omnia mortalia promereri posse expulsionem fidei, ad ejusque amissionem indisponere peccatorem, non sicut infidelitas, quæ ultra hoc habet immediatè, & ex æquo opponi fidei, & cum ea pugnare. Circa legem, & statutum Dei habemus non paucos textus, ex quibus deducitur intentum, ut est illud Marc. Ulr.

Qui verò non crediderit, condemnabitur; hoc est, & gratiam, & fidem amitteret.



QUÆSTIO XII.

De actu fidei exteriori?

180. **S**upponimus, ut certum actum fidei exteriorem, de quo hic acturi sumus, esse externam fidei confessionem, quæ vel vocibus, vel scriptis, signis, nutibus, & vestibus exprimitur, cadereque sub præceptum divinum, imò & Ecclesiasticum, ut est concursus sensus Theologorum, de quo non est opinio aliqua: Et sicut ad actum fidei interioris duplex datur præceptum, negativum de numquam dissentiendo articulis fidei sufficienter propositis; & positivum, assignandi, videlicet, veritatibus à Deo per Ecclesiam revelatis: sic de actu exteriori fidei duplex hoc præceptum datur, affirmativum de exteriori confitenda fide; & negativum de numquam neganda.

181. Tota hæc doctrina sumpta est ex sacris litteris, ut ex Paul. ad Rom. 20. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et expressius Dominus Mat. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo.* Et Luc. 9. *Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum.* Sic etiam Paul. ad Corint. 4. conformiter ad illud sp. 35. *Credidi propter quod locutus sum:* ait: *Credimus propter quod & loquimur.* Et alia quam plurima, quæ esset longum referre. Ratio etiam ex eodem deducitur: quod debemus Deo offerre, visibilem cultum sacrificia, orationes, adorationes, &c. Tum quia nostra Ecclesia est corpus mysticum visibile, nosque membra visibilia ejus, cujus caput invisibile est Christus Deus noster, quæ omnia sine actibus fidei exterioribus compleri nequeunt, idè subest obligatio hæc divinis præceptis, & adhuc Ecclesiasticis, ut constat jam Ecclesiæ prohibenti contraria, jam statuente praviam fidei confessionem exteriori pro dignitatibus, prælaturis, &c. assequendis.

182. Hoc

182. Hoc ut omni fide certum, supposito; emergunt inter Theologos non leves difficultates, quarum plurimæ originem duxerunt, tum ex mysteriis sacris, tum ex aliis Ecclesiasticis non ignotis; ac per prius ad earum conciliam propositionem, & resolutionem caret omni dubitatione præceptum negativum, ut tale est, semper, & pro semper obligare; quapropter sub nulla amphibologia stricta, aut tergiversatione potest quis expressè veram fidem negare, cujus contrarium habemus ab Ecclesia præscriptum: Similiter de præcepto affirmativo eadem est ratio respectiva pro conditione hujusmodi præcepti, quod, scilicet, in aliqua, vel aliquibus occasionibus temporis, circumstantiis, &c. ad illud teneamur: quando nam? Variant DD. credo equidem, quod semper ac de Sacramentis, & eorum receptione, & administratione agitur; ac de vero cultu Deo exhibendo, ut in sacrificiis, & aliis actibus religionis, pro hora mortis, & quando urget necessitas charitatis proximi in fide firmandi, obligat.

183. Nunc dubia circa hoc: Primum; an liceat simulare fidem Catholicam, & dissimulare se esse Christianum, ob metum gravè mortis, vel jacturæ honorum temporalium? Secundum; an liceat fugere tempore, quo quisquis esset interrogandus de religione? Vel si tacere possit, nulla adhibita responsione ad interrogata? Tertium; an liceat servis suum hærum comitare, & ei obsequium præbere in sacrificiis, vel adorationibus falsa religionis? Denique; si possint Christiani uti vestibus propriis infidelium? Ad horum solutionem habemus in R. super Matth. cap. 10. satis speciosam doctrinam, quam legimus in Zag. N. cui omnem fidem adhibemus, ut vero, & per amanti discipulo ejusdem D.

181. *Quantum ad fidei confessionem (inquit ibi R.) est notandum, quod Deum confiteri, & non parere, est de præcepto necessitatis, & peccatum mortale.* Ecce hujus ratio per hæc verba sua: *Quando, scilicet, ex tacendo tollitur honor Deo debitus, sicut in casu, in quo omnis interrogatus de fide tacendo ingerit alius, quod non sit Christianus, vel quod fides ita sit derisibiliter, quod nullus audeat eam confiteri,*

Et in eodem loquendo de timore mortis, super illud Domini: Mat. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. hæc locutentur: Ex opposito natura refugit, & timet quod est pejus; sed pejus est perdere corpus, & animam perditione pessima, & aeterna, quæ fit nolenti pro fide Dei quidquam pati, quam corpus tantum perditione mala, & temporali.* Alia affert ibi ad idem, quæ cum dictis coincidunt, & idè omittuntur. Nunc sit

185. Conclusio prima: Non licet fidelibus Christianis simulare, aut dissimulare religionem suam, fugere, abscondi, tacere, aut vestibus indui infidelium quorumcumque, si hæc facta, & ommissa absolute, & ut sonant, expectentur. Probatur breviter conclusio ex superius data doctrina R. Præfata omnia ex natura sua, & ut sonant, possunt cedere in dedecus veræ religionis, scandalumque pusillis præbere, vel ansam offerre infidelibus, ut suæ magis ad hæreant infidelitati, nostramque irideant religionem; cum hanc postponere autumatè possint timori vitæ perdendæ, aut aliis naturæ commoditatibus, vel simulando vocibus, signis, & nutibus veram suam fidem, vel aliter dissimulando se Christianum esse tacendo, fugiendo, five ad interrogata non respondendo: Ergo hæc omnia simul cum usu exteriori vestium, quibus infideles utuntur, omnia circumstantia prætermittenda, ex genere suo sunt valde prohibita, & nulli licent Christiano.

186. Conclusio secunda: Non licet simulare veram fidem sub ullo quocumque pretextu, dum modo hoc fiet per usum & exercitium falsa sectæ; bene verò si absit contemptus religionis, & scandalum posset simulati per ceremonias communes, & non speciales ejusmodi falsæ religionis. Pro ista probanda conclusione supponit D. Thom. simulationem esse peccatum, à mendaciorumque distingui in eo, quod hoc verbis, illa rebus, & factis perficitur: Doctrinam temperare videtur Aug. lib. 10. contra mendacium exponendo simulationem Jacob in persona Esau coram Isaac factam, auctore matris Rebecca. Genes. 27. ubi sic ait: *Jacob quod Matre fecit auctore, ut Patrem fallere videretur; si diligenter, & fideliter attendatur, non est mendacium, sed my-*

sterium: : omnes etiam parabola, ac figura significandarum quarumcumque rerum quae non ad proprietatem accipiendae sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicuntur esse mendacia: quod absit omnino.

187. Ex hac PP. doctrina satis clare probatur utraque pars conclusionis: nam si simulatio sit per res, & facta characteristic, & propria falsae sectae, mendacium est, & peccatum, ac contra fidei praeceptum proposita: Ergo nullibi licet, omni quocumque assumpto motivo, aut necessitate cum nulla sit necessitas peccatum excusans: Si verò simulatio fieret per res, & facta, quae potius figurae sint, & parabola, in quibus unum ex alio colligi possit per translationem usurpatae significationem, tunc simulatio ea nec peccatum esset, nec infidelitati exposita; siquidem ea facta non essent propria, & characteristica falsae religionis: simulatione ista usus fuit Iehu non improbabiler 4. Reg. cap. 10. & commendatur ut utilis: Ergo aliquando posset licere: Et idem de Naamano Siro à N. Eliseo curato in thurificatione materialiter cum suo Rege facta dicere possemus.

188. Conclusio tertia: Licet Christianis fugere tempore persecutionis tyrannorum, tacere, ac negare responsa ad interrogata, si absit periculum contra fidem, & maxime si interrogatio fieret per privatam personam, & curiositatis causa. Est communis: sic fugerunt Apostoli, & plures ex sanctis martyribus, & orate caput martyrum non se tradidit voluntati hominum usque ad praefinitum tempus à Patre. Sic D. Athanasius super 10. Mat. Insuper non respondere, & tacere interrogatus fidelis à Regibus, & Principibus potest cedere in dedecus religionis, & singulariter dicente Domino: ibi 9. *Cum steteritis ante Reges, & Praesides: : dabitur vobis in illa hora, quid loquamini: Igitur obligatio ea loquendi, & respondendi coram Regibus, & principibus à Domino intimata, cessare videtur eorum personis privatis, & iis, qui curiositatis gratia, quarunt de nostra fide; ab his absit periculum contemptus, &c. Ergo.*

189. Ultimo perveniamus ad vestes infidelium, & earum usum apud fideles

in eorum Regnis, & Provinciis commorantes, vel transcentes. De hoc DD. variant, & in magno numero hinc inde discurrunt, nosque adhaerentes illo principio R. in limine q. assignato breviter ab ista difficultate expediemur. Et in primis, ut certum relinquatur: Dubium hoc & resolutionem locum tenere, quando urget persecutio infidelium contra orthodoxos, & Christianos, & ex opposito eis obvenire possit mors, dispendium in bonis corporis, & fortunae, gravioribus tamen, & alias urgeret necessitas lustrandi, & peragendi eorum terminos; sin autem ab esset necessitas incidiret voluntarie in periculum, vel subversionem, vel tentandi Deum: ideòque hac interveniente necessitate, & non aliter, procedimus.

190. Et supponimus iterum vestes, de quibus nunc non esse illas politicas, & prophanas, quae communiter in usu sunt apud infideles, ut talares, & capitales in Orientalibus, & aliae in aliis regionibus: de illis credo, quod non sit specialis difficultas; unde de illis, quae in sacrificiis, & actibus ritualibus utuntur, quaeque inseparabiles sunt à significatione sectae falsae, est nostra resolutio: quod nullibi locorum, & quolibet metu occurrente, licet eis uti, cum sint protestativa ex genere suo, ceduntque in dedecus nostrae sanctae fidei, & religionis; sed quando res ita se habent, non est locus alicujus tergiversationis, quo purificari, & bonificari possit usus talium vestium, nisi private, & omni secluso scandalo, ut ad scænas profanas peragendas, ubi eas derisui habendae sunt: Ergo serio, & metu alicujus urgentis mali uti eis non potest,

dicente Domino: *Nolite timere his, qui occidunt corpus, ut supradicamus.*



QUÆST.

QUÆSTIO XIII.

De infidelitate.

191. **P**Lura de infidelitate leguntur apud Theologos, & quae magis ad Canonistas pertinent, de

quibus D. R. non pauca habet in suis sententiariis, quatenus hujus ratione, & quia sacros Canones, & Apostolicas sanctiones ita calluit, ut propterea cognomen *Resoluti* esset adeptus, de quibus aliqua dabimus pro nostra tenuitate; & antea infidelitas, quid sit, est praesupponendum: Est in primis nomen negationem significans famosè, & in rei veritate principaliter positivum quid dicit; sive sumatur pro opposito humanae fidelitatis in dictis, & factis, sive contrapositive ad divinam fidem, de qua nunc: utroque enim modo accepta, primò, & per se per actum positivum exercetur, etsi aliquando dicat puram omissionem, & carentiam actus fidei, vel fidelitatis, quasi secundario, & veluti per accidens.

192. Relicta ergo prima infidelitatis acceptione, quae ad rem non est, circa secundam, quae in sua natura erit error divinae revelationis, & mysteriorum, quae à Deo sunt revelata, vel omisio similiter assensus firmi, & supernaturalis ad ea credenda; sentimus aliam esse negativam, positivam aliam, negativa infidelitas una est inculpabilis, & haec est pura negatio actus fidei in eis, ad quos non pervenisset notitia, & promulgatio suorum articulo-rum existens; quamvis aliunde hæc invincibilis ignorantia ortum habeat à peccato originali, vel personalibus, quia nil hoc faceret, ut ea in se omni careat culpa, & peccato, ut est per Ecclesiam declaratum: culpabilis infidelitas nega-

tiva est carentia assensus articulis fidei debiti, quando, ubi, & quomodo ad salutem oportet. Positiva infidelitas est actus erroneus, firmus, & pertinax contra mysteria à Deo revelata: in hac coincidit practica dubitatio de eorum existentia, & revelatione; ex eo enim deveniret etiam intellectus ad negativam culpabilem infidelitatem.

193. Infidelitas positiva dividitur per Paganismum, Judaismum, & haesim: de hac divisione emergit difficultas; an sit talis subjective, vel objective? Quod in idem convenit, ac si esset generis in species, aut subjecti in accidentia, hoc est, si sint actu, vel potentia taliter partes? Quidquid de praesenti dubitatione dicatur, parum, aut nil facit ad rem nostram: sentio non esse strictam divisionem in differentias specificas assumpta; cum qualibet ex illis totam fidem neget, & tam Paganus, quam Judaeus, & Haereticus careant omni fide actuali, & habituali superna; cum quo componitur, quod peccata hujusmodi debeant confessorio aperiri secundum propriam cujuscumque differentiam propter bonum commune fidei distincte instruendum, & assequendum; & quia in isto ordine moralitatis quisque ex talibus actibus facit suam speciem.

194. Estque Paganismum vitium infidelitatis, quod incipit ab errore circa initium confessionis nostrae fidei, quae jubemur credere in unum Deum; ideòque inter Paganos quidam nullum numen adorant; alii Deum corporeum esse credunt, ut vel solem, vel lunam colendo; alii Deos plures cognoscunt, & non desunt, qui bonum, & malum Deum praedicunt: De his in sacris litteris, & PP. de quo non damus expressa verba, cum facile erit videre suis in locis. Judaismum incipit à secundo articulo symboli Apostolorum, & Ecclesiae, estque error adaequatus pertinacissimus circa Sanctissimae Trinitatis Mysterium, essentiam, & existentiam Christi Redemptoris, & ejus sacra documenta, & doctrinas. Denique haereticus versatur inter Baptizatos sic, vel sic, in quibus aliquorum, vel plurium articulo-rum negatur veritas, & divina revelatio; ideòque dicitur, quod hujus haereticus error non sit totius, sed partis fidei, etiam

quili-

quilibet ex his infelicibus à tota fide aberret, & discedat.

195. His etiam summam distis infurgant plures difficultates, à quibus expeditur pro illi qualitate: prima est; Utrum opera omnia infidelium sint peccata? Secundò an infideles negativi, qui non assentiuntur objectis naturalibus alias revelatis, sint obnoxii peccato infidelitatis? Tertia: De auctoritate Ecclesiæ super prædicatione, & conversione infidelium; sub qua etiam potest comprehendere, quo se exten. at circa fidem Ecclesiam eadem & Dominium Principum Catholicorum? Quarta: ubi item agitur, & queritur de communicatione fidelium cum infidelibus: Et signate de hæreticorum libris, & eorum lectione, ac de damnabilibus propositionibus. De his D. D. extensius: nos autem de illis dabimus qualem qualem notitiam, & quantum ad nostrum munus adimplendum sufficiat.

196. Circa primum aliquà dedimus ex R. supra, ibique dicebamus partem affirmativam esse ab Ecclesiâ proscriptam, & damnatam, & est prop. 8. Alex. 8. & idem sonat ac ista, quam affert R. in 4. Nam omnia opera existentium in peccato, sint peccata? Sed hujus quæstioni affirmativa resolutio injuri debet nota hæresis: Ergo & alterius, & propter eandem rationem: Extinguit enim in homine bonum ordinem moralium virtutum, & suorum actuum, & que facit ad omne opus bonum segnioris, & ad quodlibet genus virtutum promptiores. Contrarium proclamantibus utriusque paginæ textibus, & si nancque dicat Apostolus, ad Rom. 14. quod id quod non est ex fide peccatum est; hoc vel debet intelligi, sumpta fide pro conscientia; vel ut ait ibi D. R. quod non est ex fide habet coram communitatem cum peccato, in quantum scilicet nil ad vitam æternam facit, sicut & peccatum ipsum.

197. In secunda difficultate proposita imbibitur quæstio adeo difficilis de ignorantia totius juris incipiendo à Deo auctore suo: & hic est dubii, quod propositissimus, scopus: Nam Deus ut auctoritate est objectum naturale, aliunde ejus existentia est à Deo revelata, & fide divina credenda, ut docet primus ejusdem fidei articulus: Quid ergo dicemus de ho-

mine illo ita ignaro, & Idiota, ad quem hujus divini numinis notitia non pervenisset? Duo ad hæc dicenda veniunt. primum est; non esse dabilem hominem usu rationis præditum, qui hac ignorantia laboret, ut sentiunt gravissimi Theologi, & in isto casu expeditur à difficultate proposita. Secundum; si cum aliis teneamus possibilem præfaram ignorantiam totius juris naturæ, homo ille non peccat per eam infidelitatem negativam, excusaturque esset ob ejusmodi ignorantiam: Et hæc doctrina comprehenditur sub illa damnata Alex. 8. prop. 2. & ad hoc alludere potest quædam alia propof. Michael Baii & est. 68. ex damnatis per Greg. 13. & Urb. 8.

198. De auctoritate, & jurisdictione Ecclesiæ prædicandi, instruendi, & docendi omnes quoscumque infideles non est dubium, aut dissidium. Constat ergo ex ultimo Marc. ubi prope ascensum Domini in Cælum hæc discipulis dixerat: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terris; ecce auctoritas summa, quæ declaratur suæ Ecclesiæ communicata; subjunxit: Euntes: : prædicate Evangelium omni creaturæ: : Docentes servare omnia, quæ mandavi vobis;* unde constat expresse, tum auctoritatem, & jurisdictionem Ecclesiæ circa prædicationem, & conversionem infidelium omnium; *omni creaturæ;* tum etiam obligationem jure divino contractam, quod equidem habent Prælati, D. D. & Prædicatores; hoc indicant imperativa verba illa: *Euntes docete: : prædicate:* munus hujusmodi incumbit pro opportunitate, & necessitate.

199. Restat, ut quam potestatem habeat Ecclesia in prædicatione infidelium declarem. Pro quo resolvendo supponendum est, potestatem, & jurisdictionem aliam esse coactivam, directivam aliam; de hæc ultima non est difficultas; nam constat in loco allegato Marc. unde superest, ut de coactiva resolvamus; pro quo distinguere debemus infideles eos, qui subsunt Ecclesiæ, & rite sunt Baptizati, ut sunt hæretici omnes protestantes, & Judæi inter nos degentes, & occulte commorantes, ab aliis, qui vel Pagani sunt, Mahometani, aut Hæbrei non dum Baptizati; & de illis quosdam toleratos, & panitus

ab

ab Ecclesia separatos, & non paucos, qui respicientes reconcilati sunt, posteaque ad vomitum redierunt; & juxta hanc divisionem nostras instituemus resolutiones, de jurisdictione, & potestate coactiva discutendo; nam de directiva sufficienter supra immediate diximus.

200. Primò ergo teneo: quod Ecclesia potest ut potestate coactiva respectu infidelium omnium, qui degunt in ditione Catholicorum, ut audiât, & eis prædicetur Evangelium. Coligitur ex R. in 4. q. 12. prol. ad hæc verba: *Papa potest mandare infidelibus, ut prædicatores Evangelii admittant, & quia si non faciunt, peccant, ideo puniendi sunt, & brachio seculari compellendi, &c.* Et est ratio: Quod Ecclesia jure divino tenetur ad hujusmodi obligationes prædicandi, scilicet, & docendi infideles: Ergo & tenetur munus hoc subire modo quocumque possibili. Et licet aliquando toleret eorum ritus, ut in sinagogis permisis, hoc ideo facit: *Ne videamur eos cogere ad fidem, ut docet R. ibi super dist. 45. De Judæis, & Sarracenis.*

201. Secundo teneo: Ecclesiam non posse cogere directè infideles, adhuc hæreticos toleratos, ad fidem Catholicam: ibi art. 3. ubi sic ait: *Non compellendi sunt homines ad credendum, sed vocante Dei gratia, & propria interiori conversione salvandi, sicut & propria voluntate peccaverunt.* Ubi satis expresse probat assumptum nostrum; unde ut verificetur divina potestas in Ecclesia super omnes homines à Christo Domino accepta, præterea tenere debemus, quod hanc potestatem coactivam indirectam saltem habeat super conversionem infidelium, cujus hæc est ratio ejusdem D. R. ibi: *Ecclesia indirectè infideles cogit ad fidem, vexantur enim in multis, & vexatio dat intellectum.*

202. De communicatione cum infidelibus pauca dicenda veniunt, & ut ea clarius adnotemus; supponimus hic procedere de vitandis, nam tolerati possunt, ut cumque, communicari in omnibus præter receptionem Sacramentorum, exceptis aliquibus in rebus, ut est in suis ritibus, ad suas prædicationes, & disputationes, & maxime si adest periculum subversionis, & propter hoc eorum libros, & alios quoscumque vetitos, nullus non

habens ad hoc expressam superiorum, ad quos pertineat; licentiam, nec legere, nec audire potest eos legentem: Vitandi vero, qui reputandi sunt de excommunicatis aliis, habetur in jure. Circa Nutrices, Medicos, Magistros, & alios hujusmodi, & specialiter Judæos, vide R. hic art. 2. cap. *Et si Judæus.*

203. Denique de propositionibus damnabilibus plura habemus in N. Zagotom. 1. de proem. Et non pauca affert Suarez hic disp. 14. Cano. Cajet. Turretrem. & alii; pro nunc hæc sequentia sufficiant, quæ ex Conc. Constant. deducuntur, quinque scilicet dari gradus propositionum damnabilium; primum est, hæretica propositionis, quando scilicet fit enuntiatio de aliquo, quod sit expresse contra fidem; secundum erronea, qualis sic est contra fidem, & à DD. communiter ita esse sentitur, & non ita clare extat definita; præterea, & est alia species, propositionis hæresim sapientis & est ea, quæ ab hæretico profertur, vel scribitur, quæque ad suum sensum est contra fidem, in Catholico vero alio detorqueri potest; quartum est propositionis piarum aurium offensivæ, ut sunt eæ propositiones, quæ male audiunt apud pios, & devotos; in super temeraria propositio est ea, quæ de rebus fidei habetur nullo adhibito fundamento: Ad quartum genus accedunt alia, ut puta scandalosa, seditiosa, impia, Blasphemæ, &c.



Na

TRA

TRACTVS

APPENDIX

DE REGULIS FIDEI.

ARTICUL. I.

De sacra Scriptura, & traditionibus.

204. **I**N hoc tractatur communiter de regulis fidei, quæ licet potius ad controversias, quam ad Theologiam Scholasticam ex instituto pertineant, non erit abs re de illis aliqualem offerre notitiã, ut ea perfectior de divina fide habeatur. Est enim regula, quæ dignoscitur, & mensuratur rei magnitudo, & in subjecta materia, cum tota sua substantia sistat in veritatis revelatæ infallibilitate, ut ad illius assensum firmissimum cogamur, necessario desideratur regula aliqua, vel regulæ, quibus ejusmodi veritas firmetur, & nullo modo sit alicui errori exposita: Non ergo quærimus regulas, ut veritas consistat, & non varietur, sed ut nobis taliter innotescat, ut infallibili certitudine eidem assentiatur; ideoque regulæ hujusmodi sensibiles debent esse, quatenus membra mistica de divino membro communicantia sensibilia sunt, & visibilia.

205. Quinque assignantur communiter regulæ infallibiles nostræ fidei, & sunt Scriptura sacra, divinæ traditiones, Ecclesia, summus Pontifex, & Concilia generalia legitime congregata; de his regulis, quârum fas sit, & juxta ea, quæ de illis docet R. pauca, & concessa docemus, & in primis de Scriptura instituiamus præsentem quæstionem, quatenus in ordine prima est, etsi non in ultima resolutione

credibilium, quoad nostrum sensum. De Scriptura sacra plura, & speciosa habemus in ejus expositoribus, & quoad ejus definitionem in hac una conspirant: quod, scilicet, sit Verbum Dei scriptum, per quæ denotatur ejus certitudo, infallibilitas, & ex eis, quod sit sensibilis nostræ fidei regula: nam verba Dei sunt perpetuæ, permanentis, & in variabilis veritatis; calum, & terra transibunt, verbum autem Dei manet in æternum; unde etiam ex ista communi acceptione, & definitione satis convincitur esse talem regulam, cui benefacimus attendentes, quasi lucernæ in caliginoso loco lucenti.

206. Probatum insuper, & elucidatur ejusmodi definitio, primo ex variis locis sacris, ut 2. Petr. 1. *Non enim voluntate humana, sed spiritu sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines*: Et ad Hæb. 1. *olim deus loquens Patribus in Prophetis, &c.* Immo & ipse Dominus Math. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; sed verba, quæ scripta sunt, & dictata Spiritu Sancto inspirante, & loquente per os Sanctorum, & Prophetarum sunt infallibilis, & permanentis veritatis: Ergo talia sunt Dei eloquia, & divini sermones, seu Scriptura Sacra. Sic expressum habemus in sacris Conciliis, & specialiter Trident. sess. 4.

207. Ex ista supposita generali doctrina insurgunt non levia dubia, & difficultates, à quibus pro nostra methodo expediemur; prima est: Num verba omnia, adhuc ea, quæ naturale objectum respiciunt, & nullo modo pertinere videantur ad sacram doctrinam, ut legitur variis in locis, v. g. salutationes in Epistolis Canonicis, juramenta, plures hypotheticæ, in quibus, etsi dictum sit utile, non tamen modus, ut lib. Tobia: relatio canis caudam blandientis, ac plura alia hujusmodi, tunc Deo inspirante scripta? Duo cum DD. gravis notæ ad bubium respondemus; primum: quod nullum est verbum, nec minimum in Scriptura utriusque testamenti, quod etsi non immediate, & directe, mediate tamen, & indirecte non deserviat pro sacra doctrina; & confirmari potest in textibus allatis, in quibus de infallibilitate, ac utilitate juramenti instruiamur, simulque de gratitudine significata in obsequio canis.

nis Tobia:, & hæc deservire possunt ad Christianam civilitatem. D. D. Alii respondent: quod verba, quæ finem supernaturalem respiciunt, essent à Deo positive inspirata; in reliquis verò assisteret solum, ut scriptor sacer in eis nec desisteret à veritate, nec excederet in modo. Utraque solutio optima est.

208. Alia etiam insurgit difficultas, quæ circa regulam istam facere videtur, & sic est: Regula debet esse clara, perspicua, qua innotescat veritas regulati, uniformis, & maxime in rebus fidei, quæ cum una sit à principio mundi, & Ecclesie in omni statu naturæ, & gratiæ, gaudere debet unitate ista; quod totum tribui debet uniformitati suarum regularum; sed Scriptura Sacra uniformis non est; cum ob varias translationes, versiones, interpretationes, sensus, & authorum, ac originalium defectum, live corruptionem: Ergo sit optimo jure, talis authoritatis, cæterum declinet à ratione regulæ. Hoc argumento utentes hæretici novatores senserunt, litteras sacras esse claras, & lucidas, & in verbali sono accipiendas, quid sit, si littera occidat, vel spiritus sit, qui vivificet.

209. Respondetur ad difficultatem propositam: Sacram Scripturam esse, & ita congruit, & est necessum, obscuram, & rudibus parum perceptibilem, tum propter excellentiam, & dignitatem mysteriorum, quæ continet, tum ne in falsa intelligentia à recta via aberrarent, relicto vero sensu, & regulatione ad Ecclesie interpretationem, cui Christus promissit suam ad hoc specialem assistentiam, & ad unanimem suorum D. D. & magistrorum assensum, ad quos pertinere debet discernere inter verum, & falsum sensum, menda, & idiotismos corrigere, qui in versionibus, & translationibus, vel ex defectu authorum suboriri possunt: unde deveniendum est ad hoc, quod Sacra Scriptura, licet in se sit verissima fidei regula, ut tamen quoad nos munus istud exercere valeat, debet subesse huic Ecclesie veræ interpretationi: Ita sentiunt orthodoxi omnes.

210. Quoad sensus, quos Sacra Scriptura continet, habemus pulchram doctrinam in D. R. quam ad litteram dabimus, Tem. 17.

& est in 1. q. prol. 4. sent. & ita est: Lex divina debet esse rationalis; sed lex rationalis habet multiplicem sensum: Ergo. Aliquanto post: scientia, quæ fundatur supernaturali ratione habet quadruplicem sensum, primum, scilicet, litteralem, de quo Phil. dicit 1. physic. text. com. 2. quod in scientia naturali debemus procedere à notioribus nobis ad notiora naturæ. Et hic videtur esse sensus litteræ, quamvis R. ibi non expresserit. Prosequitur ibi: Item spirituales; nam à cognitione rerum naturalium materialium perveniendum est ad cognitionem rerum intellectualium, scilicet, Dei, & intelligentiarum 12. Meth. text. com. 4. Item figuralem: Docet enim Phil. 2. de Anim. text. com. 8. Nos cognoscere figuratè, quod habemus animas sic: si securis esset res naturalis, acutus esset ejus forma: Ergo habemus animas, quibus vivimus, &c. Item Moralem: Docet enim Phyl. 1. polit. cap. 1. quod homo debet esse animal communicativum, & sociale in moribus: Debet ergo lex divina (lege: Divina Scriptura) habere quatuor primos sensus; etsi aliquem habet multiplicem, debet distingui, ut ad aliquem istorum redeat.

211. Ultimum, quod de hac materia peragere licet, est divisionem querere inter sacros libros; & supposita prima, & generali in vetus, & novum testamentum, de qua in Bibliis; aliqua dabimus ex R. in 3. dist. 23. relativa ad ea, quæ innuimus ex eodem ibidem tom. 3. tract. 10. q. 1. num. 4. Sic enim ait: ubi sciendum: quod Canonici libri veteris testamenti sunt ab Hæbreis recepti, tanquam Deo inspirante scripti; & sunt in numero 22. secundum antiquam computationem, & 24. secundum modernam: puta lamentationes Hieremias, & liber Rut ponuntur modo pro duobus libris Hieremias, & Judicum separatis. De istis libris quinque dicuntur legales, scilicet, quinque libri Moysis, & sunt in primo ordine apud Judæos. Alii dicuntur Prophetales, scilicet, Josue, Judicum, Samuel, id est primus, & secundus, Regum, Melachim, id est tertius, & quartus Regum, Elias, Hieremias, & Eze;

„ Ezechiel, 12. Prophetarum: & isti
 „ sunt in secundo ordine. Reliqui libri
 „ dicuntur Agiographi, id est, Scriptu-
 „ ra sancta, vel sanctorum; & sunt isti:
 „ libri Psalmorum, Parabolarum Salo-
 „ monis, Job, Ecclesiastes, Cantica, Rut,
 „ lamentationes Hieremiae, Hester, Da-
 „ niel, Esdras, Paralipomenon, & isti
 „ sunt in tertio ordine. Novum testa-
 „ mentum dividitur per quatuor Evange-
 „ lia, Acta Apostolorum, Epistolas Pauli,
 „ Petri, Joannis, Judae, Jacobi, & Apo-
 „ calypsim. Qui plura desiderare velit de
 „ Scriptura, legat commentarios ejus-
 „ dem.

212. Dum nos ad divinas traditiones
 gradum facimus, de quibus pauca ex pro-
 prio Marte adjiciemus: cum materia hæc
 sit omnibus DD. æque obvia: omnes nam-
 que Catholici tenent dari, & confiten-
 tur divinas traditiones, quæ & sint infal-
 libilis nostræ fidei regula, de quo Con-
 cilia aliqua ecumenica, & novissime
 Trident. sess. 4. PP. Ecclesiæ à primò sæ-
 culo legis gratiæ incipiendo; quidquid
 contra istam veram doctrinam reclamant,
 & oblatrent hæretici Novatores sensum
 reprobam antiquorum sapientes. De his
 traditionibus, ut aliqualis notitia detur,
 primò an sint, & quid sint, declarabimus?
 Secundo quot sint, & propter quid, dice-
 mus? Et omnia brevibus compilabimus.

113. Dari inter homines veras tradi-
 tiones, & ab initio mundi usque nunc,
 & quod ad finem adhuc dabuntur, est ita
 certum, ut experientia ipsa etiam rudio-
 res convinci possent; cum tot, tanta, &
 talia de ore in os, de generatione in ge-
 nationem, Patrum ad Filios, ad nos
 pervenerint, nulla in eis interveniente
 Scripturâ, caracteribus, signis, aut fi-
 guris, quibus eorum perpetuari posset
 notitia, sed unice voce viva de uno in
 aliud oraculum progrediendo: sic legi-
 tur in sacris hystoriis, ut postea dicemus;
 sic in prophanis; quam plura didicimus
 à majoribus nostris, nullo alio Magistro,
 quam traditione, quam etiam illi à suis ac-
 ceperunt: per quæ, & omni alio secluso,
 manet probatum dari inter homines suas
 traditiones, quibus politice, moraliter,
 superne, & spiritualiter gubernentur.

214. Consequenter ad dicta, ut quid

sit essentia, vel quid traditio explicetur,
 non ab alio, quam ab ejus nomine inve-
 stigandum erit: est enim traditio in pro-
 pria sua significatione derivatum nomen
 à verbo *trado*, quod significat rem alicui
 dare, commodare, &c. Et per famosam
 significationem translatum est apud homi-
 nes, ut significet, & exprimat id, quod ad
 politiam humanam, convictum, mores,
 & denique ad doctrinam pertinet, in quan-
 tum de his omnibus per traditiones majo-
 rum, instructiones, & documenta ad infe-
 riores deveniunt: Unde perseverantia, &
 notitia ea rerum traditarum, quæ his tra-
 ditionibus debeat, erit verbum non
 scriptum moraliter durans, & permanens,
 sive etiam intentionaliter existens, & ob-
 jective in hominum memoria, ubi magis
 congruat juxta naturam traditionis, unde
 istis perperis hanc possumus conficere
 definitionem traditionis, quæ proprie ta-
 lis sit, & deserviat humanæ vitæ morali,
 & spirituali *Est verbum non scriptum ad bo-
 num commune deserviens, moraliter permanens,
 & perseverans.* Nunc de illius divisio-
 ne:

115. Triplicem enim quasi speciem
 traditionum (ut alias omittamus quæ
 in prophanis hystoriis leguntur) commu-
 niter cognoscimus; nimirum Ecclesiasti-
 cas, Apostolicas, & divinas. Traditio er-
 go Ecclesiastica est, quæ de ore in os Pa-
 storum, & Ecclesiæ DD. descendit pro
 disciplina, motibus, & bono illius regi-
 mine ad nos usque pertingens; & hæc
 quidem alia est universalis, particularis
 alia; illa est Ecclesiæ Romanæ, ut Mater,
 & caput aliarum, cujus consuetudini om-
 nes acquiescunt; particularis est traditio
 hujus, vel illius Ecclesiæ, quod à tempo-
 re immemorabili accipitur sine intermis-
 sione in succedentibus temporibus, & ha-
 betur pro firma, & rata consuetudine, &
 quasi pro lege non scripta. Sic sunt hæc lau-
 dabilem morem unius vel alterius Ecclesiæ,
 quarum consuetudinis, aut cōtrarii usus non
 est memoria; obtinetque rationem per-
 petuæ traditionis.

216. Datur præterea traditio Aposto-
 lica, & dicitur talis, non quia sit orta ab
 Ecclesiâ Apostolica directâ, & gubernata
 per Spiritum Sanctum, sed præcise, quia
 per Apostolos incepit, & deinceps pro-
 paga-

pagata extat; hujusmodi sunt Canonēs,
 qui vocantur Apostolorum, irregularitas
 Bigamorum, assumptio etiam Beatif-
 simæ Virginis Mariæ coram cætu prædi-
 catorum Apostolorum, in ejus gloriosissi-
 mo transitu mirabili quodammodo assi-
 dentibus. Hæc inquam Apostolorum tra-
 ditio, etsi in aliquo assimilatur divinis,
 quatenus per ipsos est participata sicut
 illæ, non tamen gaudet infallibilitate ea-
 dem, quia non est Dei Verbum, aut Ec-
 clesiâ declaravita esse, aut ex Dei ore
 ad Apostolos descendisset.

217. Denique divina traditio immē-
 diatè à Deo oritur, & descendit, vel per
 os Christi Domini ad suos Apostolos trans-
 missa, & ex his ad Ecclesiâ secundum
 temporum successiōnem; vel alias, Deo
 eisdem Apostolis inspirante, sicut Patri-
 bus antiquis fuisse, de quo in Psalm. 44.
*Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii, consti-
 tues eos principes super omnem terram, memores
 erunt nominis tui Domine;* utroque enim mo-
 do traditiones hujusmodi sunt divinæ in-
 fallibilis veritatis, quia sunt Verbum Dei
 non scriptum, in quo falsitatis umbra,
 aut alicujus erroris impossibilis est. De
 his divinis traditionibus est præsens insti-
 tutum, quas ut ab aliis duabus primis
 fecernamus, & distinguamus, sola fidei
 luce uti possumus, quæ per Ecclesiâ
 nobis illuxit, & usque in finem mundi
 illucescet, ut portè interi tenebroso con-
 tra eam prævalere nequeant.

218. De his divinis traditionibus, de
 quibus idem tenet Ecclesiâ in moribus, si-
 cut & in rebus, & mysteriis fidei, habemus
 expressa loca in utraque pagina novi, &
 veteris testamenti, ex quibus, & aliis,
 quæ de divinis traditionibus habemus, sa-
 tisclare videtur, sacram Scripturam, &
 hujusmodi traditiones, sic divino federe
 copulari, ut illæ per sacras litteras decla-
 rentur, & ardua, & difficilia Scripturæ
 sanctæ per istas divinas traditiones inter-
 pretentur, & verus facer sensus eruatur.
 Et in primis Psalm. 77. *Quanta mandavit
 Patribus nostris, nota facere Filiis suis.* Ecce
 in ore Prophetæ Hinnidici traditio Pa-
 trum ad Filios. Et Paul. 2. ad Thesalon.
 2. *Tenete traditiones, quas dedistis, sive per
 sermonem, &c.* hic videtur traditiones in Ver-
 bo Dei non scripto. Denique 1. ad

Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod
 & tradidi vobis.* Ubi etiam de Verbo ad
 Verbum divina traditio Dominicæ Eu-
 charistiæ à Christo per Paul. ad nos des-
 cendisse enarrat in hoc loco.

219. Assumptum probari potest per
 Concil. & PP. cæterum cum sit dogma
 Catholicum, non est, cur in eo immore-
 mur, & maxime cum in variis Conciliis
 declaratum extet, & omnium seculorum
 PP. de talibus traditionibus eandem fi-
 dem faciant; unde superest, ut probetur
 assumptum duobus mediis, primum erit
 ratione sufficientiæ; secundum rationē ne-
 cessitatis. Quod enim traditio divina su-
 ficiat ad regulandam fidem, & mores no-
 stros, ex ejus quidditate satis constat:
 Nam traditio est Verbum Dei, etsi non
 scriptum sit, sed Verbum Dei live scriptum
 live non scriptum sufficit ad fidem regulā-
 dam, & mores: Ergo & traditio. Major est
 terta, & minor probatur: Verbum Dei idem
 in se infallibile permanens, invariabile est,
 scribatur; aut non; dicente Domino.
 Matth. 24. *Calum, & terra transibunt, ver-
 ba autem mea non transibunt;* ubi indefinite
 loquitur de verbo suo scriptum esset, vel
 non; sed istud sufficit pro Ecclesiæ fide
 servanda, & regulanda: Ergo ad hoc su-
 ficiunt divinæ traditiones.

220. Probatur præterea à necessitate
 divinarum traditionum; tum propter
 aliquas rationes, quas superius dedimus
 in hac q. tum etiam quia plura, & præci-
 pua nostræ fidei dogma, & mysteria habemus
 revelata in Ecclesiâ per Dei verbum
 non scriptum, & suas traditiones. Inci-
 piamus ab exordio Ecclesiæ, cujus dire-
 ctio ab Adam usque ad Moysen debetur
 divinis his traditionibus; & in lege gratiæ
 habuit initium Verbum Dei scriptum à
 Divo Mattheo, cujus Evangelium con-
 scriptum extat anno octavo post Chri-
 stum mortuum; unde illis octo annis re-
 gebatur Ecclesiâ per traditionem divini
 verbi, quod Dominus tradiderat Apo-
 stolis. Denique: Materias, & formas Sa-
 cramentorum, notitiam specificam gra-
 tiæ, & virtutum supernarum, jam viato-
 rum, jam Patriæ, Purgatorium, Indul-
 gentias, peccatum originale, parvulo-
 rum remedium, usum libertatis, & arbi-
 trii creati, & alia quam plurima per divi-
 nas

nas traditiones accipimus; & concludamus necessitatem istam cum fide sic revelata perpetuæ integritatis Virginis Dei, & nostrorum Matris: Ergo necessarissimæ sunt.

221. Consequenter ad dicta dabimus præcipua hæreticorum fundamenta, quibus insistant, ut è medio tentent tollere divinas traditiones; & primum sit ex sacris litteris: nam Joann. 20. *Hæc scripta sunt, ut credatis.* Et alia veteris testamenti, quibus commendatur Scriptura sacra tanquam unica regula nostræ fidei, & morum: Ex quibus oritur alia de facilitate fallentia in traditionibus, mundus enim posset quandoque introducere vera pro falsis. Insuper: non essent ita permanentes, & stabiles, sicut est Scriptura sacra. Ac denique essent dedecoris sacris litteris, & diminuerentur in honore ipsis debito, si non essent sufficientes ad esse unicam regulam fidei, & morum hominum: Ergo tales traditiones unde quaque essent inutiles.

222. Ad hæc, & alia, quæ hæretici accumulare possint, respondent faciliter Catholici, quod Spiritus Domini, ubi vult spirat, & regulas fidei nobis dedit, & confert pro modo sibi perfectiori, & nobis congruentiori, & ideo quasdam contulit scriptas mysteriorum nostræ fidei, alias per traditum sermonem: *Non omnia quæ Jesus fecit, scripta sunt,* ait Joann. ultim. certum est enim quod omnia scripta sunt, ut credamus, caterum aliqua non scripta, quæ similiter sunt Dei Verbum, tradita sunt, ut credamus, & vitam habeamus æternam. Nec est contra honorem, & auctoritatem sacre Scripturæ, quod aliqua credenda non dicat, aut explicet, sufficit ergo quod referat, vel substantialia credenda; vel implicitè, quæ tradita sunt, contineat ob fines altissimos Deo reservatos; ob exercitium fidei, & meritum credentium: Numquam denique immineret periculum in credentibus, nec dedecus in rebus revelatis per divinas traditiones; nam ea quæ ab omnibus sunt, possent, & essent expositæ vicissitudinibus, & fallibilitatis non autem quæ à Deo essent, & per Spiritum Sanctum Ecclesiæ directorem prædicta, & revelata. Alia videantur in DD. controversiarum.

ARTICUL. II.

De Ecclesia, & Conciliis.

223. **S**uppositis duabus primis regulis fidei nostræ, quæ visibiles, & sensibiles sunt, superest, ut aliam, vel alias vivas, & animatas habeamus paratas, ut nec in minimo infallibilitas divina veritatis, & revelationis periclitari possit in corde fidelium. Triplex hæc à DD. communi consensu assignatur regula, vel una animata, & vivens triplici via & modo fidelibus exposita, & patens. Nimirum Ecclesia, Eccumenica Concilia, & summus Pontifex, à quo, & per quem totam suam infallibilitatem sumpsit Ecclesia, & per ejus Primates conciliariter congregata; ideoque dicebamus, quod præfata regulæ animatæ, etsi pro tribus numerantur, una tamen est, etsi diverso ordine, & regulandi modo vestiatur. Utriusque proposita regulæ est summus Pontifex visibile, & animatum caput, & sicut sine nobiliori membro non consisteret alia nec perfecta, nec viva, sic & in hunc modum Ecclesia sine Pastore primo.

224. Præter quam quod est doctrina fidei stabilita, & firmata Verbis Domini scriptis, & traditis, & conformis naturalis rationi, supra quam fundantur omnes leges tam divinæ quam humanæ, ut legitur cap. ultim. dist. 9. ratio naturalis dicitur, quod sit unus Princeps, à quo singulariter cælum pender, & tota natura 12. met. tex. com. 51. Ergo si Deus constituit Vicarium vicem veri Dei gerentem in terris, rationabile est, quod singulariter vicem ejus gerat, sic quod ab ejus auctoritate pendeat tota Ecclesia, & omnes partes Ecclesiæ: Sed Romanus Pontifex non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris: *De tutela Episcoporum* cap. quando. Igitur, &c. Denique constat in cap. *significasti*, ubi dicitur, quod omnia Concilia Romana Ecclesiæ auctoritate

ritate summi Pontificis robur acceperunt.

225. Quibus sic suppositis, & adhuc intellectis singularim de istis tribus regulis agendum convenit, & per prius ad earum explicationem sua necessitas comprobanda erit, tum textibus, tum cogentibus rationibus contra hæreticos omnium ætatum declinantes, vel in Spiritum cujusvis privatum, vel in particularem hujus vel illius congregationis institutum, & sic omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Primòque ostenditur fide divina tenendum, & credendum esse, dari has animatas, & vivas regulas nostræ fidei, summeque necessarias esse pro puritate doctrinæ Catholicæ conservanda, & amplianda. Sic ex veteri testamento umbram hujus veritatis accepimus, jubente Domino, ut si quid difficultatis occurreret in sua lege, & institutis, ascenderetur in locum paratum à Sacerdote Summo solvendum, & interpretandum: Deut. 17. sic in novo testamento legimus Act. 15. quod orta contentione super legalium extinctione, regula viva fidei, & Ecclesiæ eam sedavit: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.*

226. Aliter convinci potest necessitas animatæ regulæ ob obscuritatem aliarum regularum, vel divini verbi scripti, & traditi; nam in primis Scriptura Sacra obscura in multis passibus facit litteram occidere, pollet variis antilogiis, quæ sibi contrariæ apparent, scætet sensibus, qui litteram obtrudere sonant; & in his angustiis, & difficultatibus ad petram Ecclesiæ, summi recursus debet, ubi est claritatis, veritatis, & infallibilitatis fons perennis, & numquam deficiens, ad portas inquam Ecclesiæ, contra quas inferi prævelere non possunt. Similiter de divinis traditionibus suo etiam ordine idem discurrere licet; tum ob varias, & diversas, quæ in toto tempore circum quaque discurrunt, quædam nimirum falsæ, & intrusæ; alia confusionem adducentes inter divinas, & Ecclesiasticas; ubi nam, nisi ad Ecclesiæ limina, ad vivam Petram, ad animatam regulam pro veritatis notitia infallibili recurrendum est? Ubi Spiritus Sanctus perpetuo, & indeficienter spirat, regendo, dirigendo, & gubernando, & vera à falsis discernendo: Ergo regulæ istæ

vivæ non modo dantur, verum & necessariae sunt.

227. Ecclesia ergo, ut ad intentum accedamus, est fidelium congregatio, vel ut alii dicunt, societas in veri Dei cognitione, & cultu perseverans; sub hac comprehendi videtur Ecclesia Angelorum, Beatorum, & omnium quorumcumque fidelium assidentium ad Dei adorationem, cultum, &c. & de hac Ecclesiæ acceptione quæstio non procedit: Nec de Ecclesia illa, quæ à tempore priorum hominum incæpit, & post in lege scripta incrementum sumpsit; sed de alia specialiori, quæ est cætus, & congregatio fidelium sub uno invisibili capite Jesu Domino nostro, & visibili ejus in terris vicario; sub qua comprehenduntur Christiani omnes iusti, & peccatores, prædestinati, & præciti, et, & quotquot in illius societate Apostolica ritè sunt recepti. Est certissimum de fide contra fære omnes hæreticos evellere conantes, præcitos, & peccatores à Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio, eos omnes inducere volentes in perpetuam suæ salutis æternæ desidiæ, & desperatiõnem.

228. Nunc insurgit hæc, vel illa difficultas, quæ est hæreticorum totum fundamentum; primò enim arguunt: quod Ecclesia est mysticum corpus humanum pluribus erroribus expositum in suis membris visibilibus ratione humanæ libertatis, ignorantia ex peccatis conceptæ, & volubilitatis, ac propter vicissitudinem suorum operum; hæc omnia separata, ac simul sumpta faciant suas veritates fallibiles esse, & erroribus obnoxias: Ergo nullo modo corpus hoc morale, & mysticum, quod est Ecclesia, & congregatio fidelium, potest esse prima regula infallibilitatis fidei. Assumptum convincitur ex eo ipso, quod voluntates fidelium, quæ Ecclesiæ totum est, & pars, non sunt in bono firmatæ, quamvis constituent corpus illud mysticum; nec insuper eorum intellectus est ad omne verum fixus, & determinatus similiter: Ergo non adest caput, à quo præfata infallibilitas habeatur in Ecclesia, ut sit regula nostræ fidei.

229. Corroborant hoc aliquibus locis sacris, & sententiis PP. in quibus Ecclesia pro omni tempore legis scriptæ, & gratiæ,

tia, immò & Apostolorum etate suas ruinas passa est: Sic Deus per suos Prophetas conquisitus est oblivioni Ecclesie enuntians presentia, & futura prospiciens Isai. 1. & Hier. 2. *omnes de reliquistis me.* Et Math. 28. & alibi lamentatur ipse Dominus dispersionem, & fugam Apostolorum, eorumque scandalum in passionis suae, & mortis angustiis. *Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte; scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oves.* De PP. plura accumulans, & maxime illud Hier. contra Luciferianos, ubi, & ferè in toto orbe grassabatur Arianismus: *Ingenemuit totus orbis & Arianum se esse miratus est.*

230. Respondetur concedendo libenter, corpus Ecclesie mysticum esse ceterum, & congregationem fidelium hominum, qui subsunt peccatis, ignorantibus, & aliis ministeriis ex labe originali relictis, cum quo componitur, quod quilibet eorum expositus sit erroribus adhuc infide ratione praefata æfrenis libertatis; siquidem nulli in particulari, sed toti corpori Ecclesie promissa est à Domino custodia, & munimen contra diabolum, & inferorum portas, dicente ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam; & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Mat. 16. ideoque à Paul. 1. ad Timot. 3. vocatur: *Columna, & firmamentum veritatis.* Non ergo nudamus libertate mysticum istud corpus humanum, sed ratione divinæ promissionis eam esse non ad deficiendum infide, & veritate, sed perfectionis, & immutabilitatis. Exemplaria Sacra Scriptura non ita universaliter accipienda sunt, ut omnes omnino deficerent à vera fide, sed ex omnibus plures, hoc, & confirmat dictum N. Eliæ. *Derelictus sum ego solus.* 3. Reg. quod non ita generaliter accipiendum sit quandoquidem cum eo residui essent pauci, qui genua non flecterent ad Baal: id ipsum dicamus de Arianis, sumpta pro multitudine, universalitate. Numquam enim deficit vera Ecclesia, & maxime in lege Gratia. *Facilius esset solem extinguere quam Ecclesiam obscurari.* Chrysost. in Isai. 6.

231. Hic solet ab aliquibus tractari de notis, & signis veluti specificis, & individualibus Sanctae Matris Ecclesie, quate-

nus innotescit, cognoscitur, & differt ab omni alia intrusa haereticorum Ecclesia, ut Anglicana, schismatica, &c. & ex consequenti, nec una ex illis posset alteri non ipsa convenire. Quatuor annumerantur in 2. Concil. Nicæn. & eas omnes uno ore contemur, cum dicimus quotidie fere. *Credo in unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam;* concludimus, quod vera Ecclesie notae sint hæc: *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.* Una, ab unitate capituli, uniusque mediatoris Christi Jesu, qui transmissit eandem unitatem in Petrum, & successores illius, tanquam in unum caput visibile, ut esset perfectissimum imperium Ecclesie Monarchia; una ab unitate fidei, Religionis, sacrificiorum, & divini cultus; una propter unitatem Sacramentorum, & morum honestatem, virtutumque harmoniam, & uniformitatem, sub qua degunt fideles omnes cujusvis, & omnis nationis, quæ sub Cælo sunt; una propter finem æternæ Beatitudinis, ad quam tendit, & respicit; *una est enim firmosamea, columba mea, speciosa mea; una est Mater sua, electa genitrici sua,* sic in Cant. 2. & pluries in novo testamento.

232. Secunda nota vera Ecclesie in ordine proposito est *Sanctitas* illamque vocamus *Sanctam* Ecclesiam; sic ab ipso Deo in utroque testamento figuratè, & literaliter. *Pulchra ut Luna electa ut sol.* Capr. 4. & Petrus eam nominavit *populum electum, regale Sacerdotium, & concludit: Gens Sancta* 1. cap. 2. Sancta inquam ratione sanctitatis substantialis sui capituli, & fundatoris, sancta, ob finem suæ peregrinationis, qui est totius sanctitatis possessio, & consummatio; sancta in Religione, cultu, ritibus, & sacrificio, in quo ipsamet sanctitas per essentiam Deo offertur, & ipsi sacrificatur in Spiritu, & veritate, & jugiter divinum offerens incrementum sacrificium exauditur pro sua reverentia; sancta ratione charitatis, cujus vinculis perpetuo ligati incedunt fideles omnes, ita quod in his duobus, dilectio Dei, & proximi, tota lex pendeat, & Ecclesie sanctitas sistat; sancta ratione fidei, in qua tanquam in radice fideles vivunt in unitate Ecclesie; sancta denique ratione totius instructionis, disciplinae, & mandatorum, quibus & regulatur, & dirigetur.

tur, ut merito dicat Paul. ad Ecclesiam fideles: *Omnibus, qui Romæ sunt vocatis sanctis.* Ad Rom. 1.

233. Tertia nota verè Ecclesie est, quod sit *Catholica*, hoc est universalis in toto terrarum orbe, propria tamen universalitate, nimirum una in omnibus, una fides in omnibus credentibus, unum Baptisma in omnibus Christianis, unum sacrificium in tota ejus Religione, unus Deus, unus mediator pro singulis, & universaliter pro omnibus suo Patri in Ara Crucis oblatas. De hac universalitate dixerat Aug. *Tenet me in Ecclesia, nomen Catholica, &c.* cap. 7. de vera Relig. considerans feriem perpetuæ Romanæ sedis usque nunc mirabiliter in Apostolico Hærede perseverantis.

234. Denique Apostolica est Ecclesia nostra, & hac nota decoratur: *Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam;* tum ex Christi Dei institutione, & denominatione; tum quia per Apostolos circumquaque diffusa ad totum orbem terrarum pervenit, ut David prænantia verat: *In omnem terram, &c.* & ideo fundata dicitur supra fundamenta Apostolorum, & prophetarum insistentem in illo angulari lapide, quem reprobaverunt edificantes, Christo Jesu. Hæ sunt enim notæ Sanctæ Ecclesie, quam veneramur, colimus, & credimus, hæc nulli alteri Ecclesie Protestantium, haereticorum ubivis degeatium convenire, vel adaptari possunt. Legant historias Ecclesiasticas, & PP. qui de hæresibus loquuntur, audiant illorum deliramenta, & ad oculum videbunt, quantum distat lux fidelium à tenebris suæ infidelis vitæ, congregationis, & societatis Religiosæ, in nullo sancta, in nullo una, nec in minimo Apostolica.

235. Assignavimus pro regula infallibili nostræ fidei Concilia, & habet in Ecclesia notissimum fundamentum, quod Christus vel instituerit, vel instituenda dimitteret Petro, & successoribus ejus committenda generalia ad res gravissimas Ecclesie definiendas, & declarandas per Episcopos, quos iudices Ecclesiastici Gregis elegerat tanquam Apostolorum successores; ita coligitur ex Act. 20. & clarior 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, per Tom. IV.*

quæ concluditur eadem infallibilitas in Conciliis, ac est totius Ecclesie, & ut hæc declaretur, in quibus Conciliis, & quo jure habeatur? Sciendum erit; & pro hoc supponimus; quod concilia solita in Ecclesia; alia sunt specialiora unius scilicet, Archiepiscopatus, vel Episcopatus; alia specialia unius nationis; alia denique universalis per convocationem, scilicet, ut totius Ecclesie ad eos, ad quos pertinet, ordinata extent.

236. De primis Conciliis adeo certum tenemus, esse gravis autoritatis in suis respective Provinciis; ceterum nisi ad sua dogmata accedat definitio supremæ sedis, nulla pollerent infallibilitate. Unde superest, quod ut taliter sit regula fidei Concilium Æcumenicum, & generale, debet esse legitime convocatum, & congregatum, hoc est, autoritate Papæ per se, & per suos legatos eidem assidentes, veluti gubernatum; ac supposita sua definitione, & confirmatione à Domino Papa habita; aliter deficeret oraculum, & divina promissio. Ideoque ultra septemdecim Concilia generalia, quæ à tempore Sylvestri, & Constantini celebrata numerantur, alia non potiuntur præfata infallibilitate, vel ex defectu legitimæ congregationis, vel quia in toto, vel in parte confirmata, & roborata non sunt supremi Pontificis autoritate. Quædam alia ad hoc pertinentia infra immediate dabuntur, ut ea iterum non repetantur.



ARTICUL. III.

De Summo Pontifice.

227. **P**ura habet R. q. 10. prol. 4. de Papa, & ejus præstantia, Dominio, auctoritate, & generali jurisdictione sibi singulariter à Domino nostro attributa, & communicata, ex quibus satis clare convincere possumus esse eam regulam vivam fidei divinam, infallibilem, ultimamque resolutionem omnium credibilium, quidquid dicant hæretici de medio tollere volentes hoc certissimum oraculum, quod est os vivum Dei, sensibile, & hominibus visibile: hac solum habita inter eos differentia, quod antiquiores à tempore D. Petri hanc divinam potestatem abrogare tentarunt; Novatores vero ab Urban. VI. & deinceps. De hoc non curamus, loquantur pro nobis Bellar. Turrecrem. Cano. Turrian. & plures alii, dum nos ad ea, quæ propria sunt Scolasticorum accedimus.

238. Et in primis summum Pontificem esse regulam vivam satis clare probatur ex textibus sacris, & divina commissione, ibi etiam concluditur esse insuper hanc regulam in Ecclesia necessariam ad definienda, & declaranda, quæ sint fidei mysteria, moresque hominum componendos, & conformandos in unum caput supernaturale, & rationale, ex quo in terris apparere valeat nova quædam Hierusalem visibilis omni lapide pretioso ornata. Hæc ergo viva regula ultimo loco stabilitur, quia est ultimum definiens, & quo ad nos determinans infallibilitatem divinarum revelationum, tum earum, quæ per Dei verbum scriptum habentur, & etiam eas, quas per divinas traditiones accepimus. Ponitur quinta in ordine, & numero cum Ecclesia, non quia diversa regula sit, sed quia solet quandòq; per se solum res fidei declarare, & cum congruit suo corpori adjunctus, ut in Concil. Ge-

neralibus; ideòque aliam dicimus esse regulam Ecclesiæ, aliam Papæ, non altera substantiæ, sed tantum modi regulandi, definiendi, & declarandi.

239. Ex his ansam sumpserunt hæretici, & specialiter novatores ad impugnamdam supremam Papæ in definiendo res fidei auctoritatem. Nam hæc viva regula fidei inutilis, & supervacanea est in corporibus Ecclesiæ, cum habeamus Scripturas sacras omne quodcumque necessarium ad salutem æternam, tum fidei, tum morum complectentes, & revelantes; & in casu dubii, obscuritatis, & aut alicujus alterius emergentis difficultatis, habemus spiritum, qui ubi vult spirat, & nescimus unde veniat, aut quo vadat? Hunc vocant Novatores spiritum cujusque privatum, & intimum, ac interiorem directorem, cujus ductum sequentes percipiunt, & eruitur verus sensus Sacræ Scripturæ, & hic erit manu ductor, & in difficultatibus gravioribus per eum ad eas habemus accessus, quin necesse sit quarere in hominibus lucem infallibilem veritatis: cum sit omnis homo mendax. Ergo nec Ecclesia, nec Concil. nec Summus Pontifex potest clarescere, & certas definire Dei revelationes: Vel si non; recurrendum ad Regem Angliæ, cui Dominici gregis Deus commisserat Ovile. Bonus Pastor!

240. Hæc levia sunt, quamvis & adjiciant majora, nos autem habemus firmiter sermonem, cui attendentes ad nihilam reducenda forent. Non enim superfluit hæc viva regula; nam inanimata exposita est dubiis, &c. difficultatibus, ad quem ergo recurrendum in his angustiis, nisi ad Sacerdotem, sicut olim Deus præceperat sinagogæ? Ad quem (inquam) nisi ad illum, cui dixit Dominus. Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam? Ad Sacerdotem summum Vices Dei gerentem in terris, ad unum Ecclesiæ fundamentum, unum Monarcham supremum, unum Principem, sicut una est fides, una Ecclesia, unum Baptisma, unus Deus, mediator unus Dei, & hominum Jesus. Non deniq; superfluant Scripturæ, non traditiones, non Concilia, Ecclesia, & Papa; nam ita servant pulchram harmoniam, ut sic mutuo adjunctæ constituant, definiat, declaret arca-

na

na fidei, & verè Religionis infallibili quodam vinculo veritatis; hominum captui accomodatissimum.

241. De hoc Ecclesiæ Principatu, & imperio Monarchico Vicarii Christi Domini extant plures, & graves difficultates resolvendæ, quarum non nullæ apud hæreticos invaluerunt; & contra Sanctæ Ecclesiæ determinationem subsistunt; aliæ vero adhuc inter Catholicos Theologos agitantur, ita ut in diversa placita abeuntes, unusquisque, quod sibi probabilius judicet, amplectatur. Prima questio hæreticorum incipit à primatu Ecclesiæ; num sit proprium, & unicam Sedis, & Episcopatus Romani? Pro parte negativa inter hæreticos primi insurrexerunt Græci; & est secundus error, ex quadraginta duobus, quos in Concil. Lugdun. abjurarunt Hujus ejusdem sensus sunt hæretici omnes, & maxime novatores ductum sequentes Marfilii, & Joann. de Gandavo.

242. Contra hunc errorem sic primò insurgit D. R. in q. 1. prolog. 4. art. 2. *Mirum est, inquit, de hoc errore Græcorum: Nam sub obedientia Romani Pontificis steterunt usque ad Concil. Nicæn. quod fuit celebratum sub Silvestro Papa, ut videtur dist. 16. Canones §. Macedonius; qui fuit Papa 32. Et subdit citatò in loco idem R. quod tempore Anacleti, qui fuit Tertius Papa, eadem questio mota est super primatum; scilicet, Ecclesiæ Romanæ, & aliquibus de hoc interiectis, ab eodem Papa hæc concludit: Romana tamen Ecclesia non ab Apostolis; sed ab ipso Domino salvatore omnium primatum obtinuit; sicut ipse Beato Petro dixit: Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam: Malignè ergo errant (prosequitur R.) Qui negant primatum Romani Pontificis, qui tanto tempore ei obedierunt. Hæc habes in registro Romanorum Pontificum in decretis Anacleti Papæ cap. Anacletus, &c.*

243. Ratio, quæ ad hoc facit, tum de principatu Ecclesiæ, & suprema potestate Sedis Apostolicæ satis ex dictis deducitur, & in iis adumbratur; primò, ex Verbis Christi Domini ad Petrum: *Et super hanc Petram edificabo Ecclesiam*; ubi satis denotatur hujus principatus dignitas, præstantia, & supereminens illius successio, duratio, & usque in finem mundi

Tom. IV.

permanentia; dicente eodem Domino: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Urgetur præterea, sumpta ratione ex cura, & providentia Dei in conservando Sacerdotio in Sinagoga ancillæ filia plusquam duos millenarios annorum; quanto magis in Catholica Ecclesia; quæ filia liberæ est, ea libertate adeptæ per Jesu Christi sanguinem, qui tanquam filius eam liberavit. Denique ratione perfecti gubernii, quod inter omnes est Monarchicum, & unius supremi Principis, qui dignus esset; ut illi dicatur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum; & in Cælis:* Et: *Pasce oves:: Pasce ergo meos:* Ergo hic deberet esse regula indeficiens, cui Ecclesia esset commitenda, & ut in fidei puritate, & morum integritate pro ea servanda ageret.

244. Eadem fide tenemus Principatum illud Ecclesiæ residere in Pontifice Romano, hancque esse Matrem, & primam aliarum Ecclesiarum usque in præsens; de quo aliam probationem non habemus præter ipsius sanctæ Ecclesiæ communem assensum, & credentiam; quod inniti videtur in cap. *Sacro sancta*, ubi ostenditur hanc primitatem esse rationabilem per Decretum Nicolai Papæ 1. dist. 22. cap. *Omnes*; dabimus ad litteram: *Omnes Primates, sive Patriarchas; sive Metropolitanos, sive cujuslibet ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia: Ut hic supra patet ex Decreto Anacleti: Sed Christus solus Romanam fundavit Ecclesiam; ac beato vitæ æternæ Clavigero Petro, terreni simul, & cælestis imperii jura commisit; qui Christi privilegio fungitur; & illius auctoritate fundatur.* Nunc R. prosequitur: *Sed Ecclesia, quæ omnes primatus; & Ecclesiasticas dignitates sibi constituit, juste; & in perpetuum; primatum super omnes debet tenere; similiter, & Vicarius ejus, qui omnem fundavit Ecclesiam, cujus vice, & auctoritate fungitur; & fulcitur: Et qui hoc negat; est hæreticus:: Et concludit R. relatus ad cap. *Omnes.* Qui Romanam Ecclesiam privilegium detrahit; ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur hic proculdubio in hæresim labitur, &c.*

245. Quibus pro nostra methodo stabilitis, & supposita hac divina potestate

Oo 2

in

in Romano Pontificē, ejusque infallibilitate in iudicando, & regulando bona communia spiritualia Ecclesiæ suæ, cujus dignitas, & suprema autoritas non ab alio quam à Deo posset homini puro concedi, & communicari, & de quo nullus est ambigendi locus, emergit nunc difficultas, & quæstio inter Theologos; num hujusmodi supremus Dei vicariatus terræ concessus alicui, & aliquibus viatoribus, & qui usque nunc residet à tempore divi Petri in Episcopo Romanæ Ecclesiæ quasi annexus, & unitus, sit veluti moralis identitas Papatus cum Patriarchatu Romano? Et utrum jure divino, vel humano introducta? An Deus cum Petrum sui Vicarium designaverat, & pro se, & pro successoribus usque ad mundi finem, constituisset, dignitas hæc caderet super Romanum Episcopum, sicut nunc credimus, & adoramus Papam eum, qui nunc est in talem Romæ Episcopum electum, & assumptum? Et hoc sive immediate decrevisset; sive eidem Petro determinandum præceperit? Aut aliter: num sit introducta successio hæc in Romano Episcopo, Ecclesiæ, & eorundem Pontificum dispositione, & mandato?

246. Dubium hoc habet locum in præsentia materia, quia nihil de eo definitum est ab Ecclesia, & ideo non caret suo subsidio inter Theologos, quorum sententias dabimus, & rationes, quibus fundantur, ut ex iis quisque sentiat, quod tibi bene visum fuerit. Soto enim, Palud. & alii tenent, totum hoc esse jure humano introductum; & fundantur in eo, quod non constat Christum Dominum aliter decrevisse, unde deveniendum est ad hoc, quod Petrus quamvis per prius sedisset in Ecclesia Antiochena per septem annos, postea sua Pontificali suprema autoritate talitè sedem primariam Romanam constituisset; atqui, quod Petrus fecit, idem possent, & alii successores, cum pares sint in potestate, quamvis hucusque non fecissent ob honorem Divi Petri primi Papæ; & à Domino ipso se talem constituiti, & assumpti; & quia forte Apostoli alii superstites in hoc convenissent: Ergo cum non sint connexæ, nec à Deo unitæ præfata dignitates, ut patet, posset, si congruum videretur, eas Ecclesias sicut unierat, separare.

247. Por parte contraria sunt alii Theologi cum Cajet. & Cano sentientes D. Petrum ex Christi ordinatione Romam elegisse, ut esset sedes perpetuas summi Pontificatus, quod & constare videtur variis successorum Pontificum dictis; & specialiter ex quodam sermone S. Leonis Papæ, qui legitur in solemnitate Cathedralis Romanæ, ubi satis clare innuit, Deum elegisse Romam, ut esset Matrix, & prima aliarum, ut quæ erat Magistra erroris, esset & veritatis discipula. Huic adjungunt congruentes rationes; ut puta: decens est, quod imperium sicut est stabile, sic esset & sedes, ut numquam seditiones, & diversitas in sentiendo apparent. Etiam: quia in tali temporum transcurso, & varietate rerum quod videre erit in scriptoribus Ecclesiasticis, nec ab aliquo ex vere Pontificibus, nec in Concil. Generalibus legimus, quod negotium de mutanda sede Romana, vel minimum tractaretur: Ergo signum est, quod Deus eam stabilem constituerat, & in æternum duraturam Romæ, ut legitur in cap. *Sacro-sancta*.

248. Insurgit præterea secunda quæstio circa exercitium hujus supremae potestatis, & jurisdictionem in condendo leges pro Ecclesiæ regimine, & indefinendo ea, de quibus potest obscuritas aliqua evenire; utrum videlicet, hæc potestas, quæ residet in summo Pontifice, sit illi, & à Deo commissa, ut ea uteretur per se, & sine principali parte corporis Ecclesiæ adjuncta? De dubio agit R. loco citato, quærens: num Papa possit per se facere, id, quod cum Cardinalibus? Allegat Guidonem, qui variis textibus juris innixus tenuit, quod summus Pontifex potest in legem particularem, non vero in communem Ecclesiæ, nisi cum Cardinalibus, vel in Concil. Generali: Et adhuc vicinioribus temporibus ad præsens non de fuerunt hæc eomodo opinantes; sed quidquid de hoc sit, videtur nunc Ecclesiam contrarium sentire, & tenere ita quod contrarium docentes pæna hæresicos mulcentur, & ut tales anathematizentur, non modo jure moderno, sed antiquo, pro quo sit

249. Conclusio: Papa potest se solo facere in bonis communibus Ecclesiæ, quod

quod facit cum Cardinalibus. Est R. ibi art. 2. eamque stabilire nititur triplici jure, divino, scilicet, Ecclesiastico; & naturali; & primò probatur per primum ex forma verborum Christi. *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* Sed sub isto universali quodcumque comprehenditur potestas ligandi, & solvendi, tam per legem universalem de statu universali Ecclesiæ, quam per legem particularem: Ergo omnem legem tam universalem quam particularem licitam, quam potest cum Cardinalibus, immò & in Generali Concilio legitime congregato, potest per se.

250. Secundò probatur conclusio: Nam ea potestate carere est contra formam juris Canonici: Ergo eam habet absolutam, & illimitatam per se solum Summus Pontifex. Probatur antecedens: Nam primò in singulari super Petrum tanquam super ejus Vicarium adificavit Christus Ecclesiam suam. Secundò in singulari adiecit: *Quod porta inferi contra eam prævalere non possint.* Tertio: In singulari illi dedit claves regni Cælorum. Quarto in singulari illi apposuit clausulam generalem. *Quodcumque ligaveris.* Matth. 16. sed quando in commissione post clausulas speciales subsequitur generalis clausula, potestas est generaliter concessa commissario; ut constat in 6. de *rescriptis*: Ergo sic est ea, quæ Papæ à Christo Domino committitur. De jure naturali supra diximus circa principium art. Rationes jurium in contrarium solvuntur per posse decenter, & pie, & per non posse contra licitum, & honestum; licet in hoc casu nec cum Cardinalibus posset.

251. Non levis alia offertur quæstio circa personam individuum hic, & nunc existentem Summi Pontificis, num videlicet iste Sanctissimus Benedictus XIV. sit ille homo, cui dixerat Christus: *Tu es Petrus, &c.* Et hoc sit de fide tenendum? D. R. pro parte affirmativa videtur expressus, & in hac ratione fundatus. Summus Pontifex, qui Ecclesiam regit, & tenet illius claves est verus Christi Vicarius, & qui contrarium doceat, detrahit auctoritati Christi, & ut hæreticus est tenendus; sed hoc est esse fidei dogma Pontificem nunc sedentem esse verum Domini Jesu Vicarium: Ergo ita est de fide tenendum de

Benedicto XIV. sed licet hoc ita certum appareat, quæstio inter Theologos sufficienter investigatur, & agitur, ideo de illa aliquid adjiciemus pro nostra methodo, & brevitate.

252. Ideòque per prius supponimus, vel potius recolimus supra tactam divisionem fidei in mediatam, & immediatam, hæc est, quæ supponit divinam revelationem in se: alia vero est, quæ in altero mysterio revelato continetur, ut quando confitemur Deum omnipotentem, credimus etiam hoc, vel illud mirabile, quod manus Domini fecisset, & Ecclesia revelaret; & sub hac divisione, quidam Theologi tenent, non esse de fide immediatè, hunc Papam nuper electum esse Dei Vicarium, & Petri successorem, sed solum mediate, & quadam universali ratione; quatenus, scilicet, credimus certè esse in Ecclesia hujusmodi Vicarium, & hunc debere esse legitime, & rectè electum; & ex hinc sequitur assensus ad hunc numero hominem; alii tenent esse immediatè de fide ejusdem Vicariatus, & successio, ita quod esset hæreticus; qui negaret Benedictum XIV. non esse Dei Vicarium, & Romanum Pontificem.

253. Huic subscribo cum R. ut supra, & hac unica ratione probatur: Hic numero Papa est ut talis à tota Ecclesia receptus, ac adoratus & eidem in omnibus obtemperatur, definit, præcipit, condit leges particulares, & universales pro tota Ecclesiæ universalitate, ut videmus: Ergo hic est, cui dixit Dominus: *Pasce oves meas, Pasce agnos meos: Et: Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Ergo hic est ritè, & legitime electus, & promulgatus Papa: Ergo hic est Christi Vicarius à Deo revelatus: Ergo hujus Papatus existentia est fide divina credenda. Probo omnes simul consequentias: Quæ Deus per vivam regulam Ecclesiæ nobis revelat, est fide divinam tenendum; sed Ecclesia nobis revelat hunc esse legitimum Papam, & cui Deus sua jura commiserat; quatenus ut talis ab ea habetur, & accipitur, ut patet: Ergo in hac Ecclesiæ revelatione innixi, fide divina credere tenemur, hunc Benedictum esse Papam, & Dei Vicarium.

254. Fundamentum sententiæ contrariæ, quod sistere videtur in eo, quod non habemus revelationem cuiusquam ritæ electionis Pontificis Romani, & ejus liberæ acceptationis; istud hoc necessario requiritur, ut de hoc individuo dicatur, & infallibiliter asseveretur esse Christi Vicarium, & Petri successorem: Ergo nec de fide ejus suprema coronatio. Ad quod breviter dicimus cum communi: Certum esse non dari de hoc signatam, & expressam particularem revelationem, ceterum caret omni dubitatione, quod datur de ejusmodi electione, & ejus legitimatone exercita, & veluti universalis declaratio Ecclesiæ, quæ fidei regula est & propria revelatio habita per ipsius ratihabitionem, & universalem acceptationem in omnibus, quæ propria sunt talis supremæ dignitatis; & hæc ratihabitione, & generalis acceptatio Ecclesiæ æquivaleret declarationi, & definitioni circa hoc, ut est concorsurium sensus.

255. Quo sic supposito habemus præ manibus aliam quæstionem, quæ similiter magni habetur apud DD. & quærit, si summus Pontifex errare possit in rebus fidei ex Cathedra definiendis, & hoc est, præcedendo, ut Christi Vicarius, aut in iis, quæ ad mores totius Ecclesiæ pertinent, vel denique in Canonizatione Sanctorum? Hæ tres quæstiones acceptæ, ut sonant, & in quantum conducunt ad bonum Ecclesiæ universale, & quæ largis paginis solent agitari, hoc unico verbo resolvuntur: In his enim verificatur illud Isai 30. *Non faciet à volare à te ultra Doctorem tuum, &c.* Et aliud Marc. ult. *Ecce ego vobiscum sum, &c.* Et Matth. 16. *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam; Est namque Ecclesia propria Dei ut sponsa prædilecta, & eam exponere, non esset decens, erroribus communibus in fide, moribus, & Religionem: Ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti: Ecclesia canit: Ergo Deus in vi hujus promissionis tenetur Papam dirigere, & specialiter eidem assistere, ne in his prædictis errare queat.*

256. Immo pie, & probabiliter teneo, summum Pontificem non posse peculiariter, & veluti personaliter errare in rebus fidei, hoc est discedere à recta fide, &

Ecclesia Catholica, hoc uno intentus, quod Dominus dixerat Petro, *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. in quo duo considero; primum, quod loquatur Petro, ut persona particularis, cum antea immediate dixisset: *Simon, simon ecce Satanas: expetivit vos;* secundum: quod eidem simul imposuisset onus supremi Prælati, ut immediate post diceret: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ex quibus omnibus liquet, quod esset in cura Dei conservatio fidei in suo Vicario, non solum quæ Petrus, sed ut *Simon.* Nec peccata Liberii, Vigili, Marcelini, &c. nos urgent; fuerunt ergo sine errore intellectus commissa, & ideo & si contra fidem, non formaliter, sed materialiter elicitæ extant, ideoque fidei habitum non valuerunt evellere.

277. Denique quærimus: Quam potestatem temporalem habeat Papa? Quæstio ut jacet, est expressa in R. q. 11. prolog. 4. ejuque resolutionem dabitur ad litteram, quia aliquid de nostro adjiciamus. Et primo supponimus cum eodem, & D. Thom. 3. p. q. 57. Christum Dominum, ut hominem habere jus potestativum, undecumque super res omnes mundi viventes, & inanimatas, ut Dan. 7. ps. 71. & Paul. ad Rom. 14. concludit: *In hoc Christus mortuus est, & Resurrexit, ut vivorum, & mortuorum dominetur.* Huic ratiocinio consonat doctrina hæc: Nam Adam, quia creatus in iustitia originali fuit Dominus temporalis totius mundi; quanto magis Christus. Noe, quia perfectus coram Domino; Abraham quia obedivit Deo egrediens de terra, & cognatione sua, in illo benedictæ fuerunt omnes gentes. Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem; Ergo clariori, & expressiori jure, ipsi ut homini ejusdem sublimis imperio res omnes temporales.

258. Ex quo supposito, propositi quæstioni hæc est resolutio: Dominus Papa habet temporalem potestatem super homines, & omnia mundi regna (et si causa subest) quam vocant indirectam potestatem a Christo Domino Petro, & successoribus participatam & commissam. Est communis omni jure, civili, naturali, & divino fulcitur, ideoque Summus Pontifex,

flex, Reges, & Imperatores deposuit à suis locis, & vasallos à fidelitate debita obligavit: potest judicare de possessionibus, emptionibus, & restitutionibus; cogere ad pacem in eundem inter Christianos Principes, & Bellum indicere inimicis in causa fidei, & morum honestarum, ut inter suos servetur iusta civitas, & politia Christiana: totum habetur. T. *Qui filii sint legitimi:* Et cap. *venerabilem*, ubi allegatur illud Deuter. 17. *si difficile & ambiguum fuerit iudicium inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram, ascende ad locum, quem elegerit Dominus, veniesque ad Sacerdotes levitici generis, & facies, quod cumque iudicabunt.*

259. Præterea probatur resolutio: Petro commissit Dominus plenissimam potestatem, quam à Patre æterno legitur accepit pl. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ;* sed hæc potestas Dominativa, & judiciaria Christi ut hominis extenditur directe ad omnia temporalia: Ergo hæc eadem commissæ est Petro, quando causa subest. De minori supra; major vero probatur: Clausula illa universalis commissionis Christi Domini ad Petrum: *Quodcumque ligaveris, &c.* Matth. 16. est signum distributivum non solum super animas, sed super personas, & res, cum nil de hoc excludat: Ergo de his dedit Dominus Petro universalem potestatem. Corroboratur per cap. *omnes.* *Qui fundavit, Calum, & terram Beato Clavigero ejus celestis simul, & terreni Imperii jura concessit.* Et cap. *Quanto de translatione Episcopi: Romanus Pontifex non solum puri hominis sed veri Dei vicem gerit in terris, & divina auctoritate fulcitur:* Ergo si causa subest, potest ad res omnes temporales extendi.

260. Hic ab aliquibus quærit solet, num hujusmodi indirecta potestas Domini Papæ, directa sit in ordine ad terram Sanctam, ita quod Papa sit verus Dominus illius temporalis, sicut Romæ? Affirmative resolvit R. hic q. 12. art. 4. Ratio sua fundatur in eo, quod Papæ, qui Christo in suis juribus est commissarius, & Christiani succedunt in illis, convenit Dominium terræ Sanctæ, primo ratione possessionis, & sepulturæ Christi; secundo ratione legitimæ donationis, Tertio

jure promissionis Abraham factæ Gen. 12. Quarto jure conquiritiois Romani Christiani Imperatoris Herachlii, & Godofridi de Boilom. Hæc enim jura ad nos Christianos transeunt, etiam Gentiles tunc Christiani; tum quia promissio Abraham facta fuit ratione fidei, cujus per Christum hæredes sumus, & ad nos Christianos antea Gentiles, translata legitur ex Judæis, ut in illo Domini: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti, &c.* Mat. 21.

26. Ad ultimum circa jurisdictionem Apostolorum nulli dubiam esse poterit, esse Petri inferiores, ipsique subditos, Petrumque omnium eorum esse Prælatum, sic est ab Ecclesia definitum; cum soli Petro Dominus dixisset: *Tu es Petrus Et: Pasce oves meas:* Et discipulis in Piscatura: *Laxate retia;* Petro vero: *Duc in altum:* cum quo componitur, quod illa generalis auctoritas commissæ Apostolis in verbo Domini: *Quacumque alligaveritis, &c.* Matth. 18. Et aliud: *Ite in mundum universum;* Marc. ult. & alia adhuc modum, solum denotant extensionem jurisdictionis à Christo Domino Apostolis dataa super totum mundum absque limitatione aliqua, etiam dependenter à Petri supremæ potestate. Alia non pauca circa hoc scitu digna occurrunt calamo, quæ pro nunc omittuntur, quia incipientibus, & adhuc non perfectis laboramus. Videantur AA. quos supra commemoravimus.



QUÆ

QUÆSTIO XIV.

De virtute spei supernaturalis. An, & quid sit?

262. **T**res omnes virtutes Theologales sub uno comprehendimus tractatu sic eas collocavit Paul. 1. ad Corint. 13. sic etiam Trid. sess. 6. sic & nos propter vinculum intimum, quod inter se, & gratiam filiorum Dei servant; per fidem namque Deum cognoscimus, per spem vertimur in illum amore initiali, & incipienti, qualis est concupiscentiæ, ut ex hinc gradum faciamus ad charitatem, & perfectam dilectionem: ita nos docet sacrum Concil. & PP. juxta divinas Doctrinas; & natura rerum est hujus ejusdem veritatis Magistra: his ergo fundatus continenter ad tractatum de fide, nunc sermo venit opportunus de Theologale spe.

263. Pro quo elucidando per prius aliqua de spe in sua generali acceptione cum R. prælibabimus: tenet enim in 3. dist. 26. art. 1. ubi hanc materiam pertractat, spem, ut cumque, & contra distinctam à Theologali, esse animi passionem, quæ ad irascibilem pertinet; cujus objectum est bonum futurum, arduum, possibile adipisci: difert per bonum ab odio, fuga, timore, & audacia, quia hujusmodi passiones circa malum tendunt, & similiter à delectatione, & tristitia, quia sunt de bono præfenti; per arduum à desiderio; & à desperatione per possibile adipisci: Ac denique ab ira, quia hæc indifferenter respicit bonum, & malum.

264. Nunc ad supernaturalia (siquidem de spe prout ad naturalia adhuc non sensibilia nil præfens) & primo ut certum de fide stabilimus, dari de facto spem supernaturalem Donum Dei infusum hominibus in sua justificatione, tum in Ba-

ptimo, tum in vera penitentia; constat ex sacro Concil. Trident. sess. 6. & alibi; immò in utroque testamento summe extollitur dignitas, & excellentia spei, pro qua plurimi leguntur textus, & repetita encomia: ut in ps. 21. 60. 141. Job: *Res est hæc spes mea in sinu meo.* 19. Paul. ad tit. 3. *Expectantes beatam spem;* & alii innumeri, ex quibus existentia spei divinæ, & supernaturaliter à Deo infusæ, satis expressatur, & non est cur immoremur in ista materia. Unde, ut ad quid est, transeamus, antea de aliis informari tenemur.

265. Primò si sit virtus sub quolibet statu ut puta in peccatore, sicut in iustis; de his non est dubium, virtutem esse spem supernaturalem; sic enim habemus definitum, sicut de fide, & charitate; unde superest, ut prius de ea dicamus, si sub formalitate virtutis maneat in impio? Parum difficultatis in hoc appareret, si ad id, quod de fide supra diximus, animum applicemus: Præterea: Definitum est ab Ecclesia fides, & spem manere in homine peccatore; sed ad nihil deservirent ibi nisi spes, sicut & fides essent in eo verè virtutes: Ergo sub tali ratione sunt in peccatore. Hac solum habita differentia, quod informes sunt, & totius meriti expertes, si cum mortali conjungantur aliter, & ab opposito erit, si cum charitate.

266. Secundò probatur eadem minor ex duplici descriptione Arist. ex 2. Eth. cap. 6. & est illa: *Quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit.* Alia ex 7. prælytic. *Nimirum habitus dicitur virtus quatenus est dispositio perfecti ad optimum:* Ex quibus duo formalizantur silogismi illius minoris probativi: Spes supernaturalis hominem peccatorem perficit in ordine ad suum finem realium, actusque ejus sperandi Donum divinum, & malum fugiendi, bonos, & supernos facit homines esse: Ergo quoad hoc spes peccatoris est virtus. Secundus: Ideò remanent fides, & spes in peccatoribus fidelibus, ut ipsis janua regni remaneat aperta, ut disponi possent ad ingressum illius, ut gratia Dei adjuti fidem ex auditu concipientes, libere moveantur in Deum, atque in spem dirigantur, fidentes Deum prop-

161

Quæst. XIV. De virtute spei supernaturalis. An, &c.

ter Christum propitium fore. Verba sunt Trident. sess. 6. cap. 7. sed hæc præstant fides, & spes homini impio: Ergo disponunt ad optimum. Sententia est etiam R. expressa in hoc; dist. 27. loquendo de fide: *Sic (inquit) omnis habitus est virtus, quia est semper inclinans circa suum objectum: Fides sine charitate est hujusmodi; &c.* Ergo idem de spe dicendum venit.

267. Restat nunc de ordine, quem inter se servant hujusmodi virtutes pauca dicere: Et in primis certissimum est in justificatione impii simul tempore à Deo infundi, & communicari; de quo non est opinio aliqua: certum est etiam esse tempore separabiles fidem, & spem à charitate, non vero e converso; nam charitas est connaturaliter conjuncta amicitie Dei, quæ secum committantur aliæ duæ virtutes, vel ex natura rei, vel ex divina ordinatione: Certum est etiam quod quandoque infundi possent, & de facto infundantur duæ præfate virtutes sine charitate; ut in homine hæretico, qui respicit, & credit sine contritione, & justificatione; hic ergo denuo constituitur fidelis per veram mysteriorum Dei credentiam; ipsique infunditur virtus fidei sine gratia: Ergo dabilis est casus iste; & quoties dabitur! Idem sine differentia dicitur de desperato respicente.

QUÆSTIO XV.

Quodnam sit objectum formale, & materiale spei supernaturalis?

268. **R**edeunt doctrinæ de natura objecti, ejusque divisionibus, & partitionibus; & quia in decursu hujus operis toties de hoc egerimus, pro nunc solum dabimus ea, quæ in hujus elucidatione, & declaratione imbibita sint, & inseparabilia. Et ut ad nostram accedamus, supponendum est, spem supernaturalem esse unam ex tribus virtutibus Theologalibus, quæ ideò sic denominantur.

Tom. IV.

tur, quia Deus, ut est in se, est illarum propria materia, & objectum; hoc tenet tota Ecclesia, & in eo non est opinio aliqua, immò (salva manente uniuscujusque dignitate) quoad hoc æque se habent; & æqualibus encomiis celebrantur, & in sacris litteris, & Trident. quasi germanæ in suis respective materibus tractantur, & ad perficiendum totum statum gratiæ ordinantur; unde ex hoc supposito, qualibet, pro sua dignitate, debet ad objectum tale, quod in ordine gratiæ sit excellentius, ordinari, & respicere.

269. Etiam supponendum est, spem pertinere ad voluntatem; sicut proprius habitus illius, nam spes, ut sic, propria est appetitus prout abstrahit à sensitivo, & spirituali; ut est doctrina Theologorum, & philosophorum; spes ergo, de qua hic, quia spiritualis est, et in voluntate, seu superiori appetitu residet; patet assumptum: nam spes est inclinatio naturæ rationalis, quæ necessario sequitur cognitionem ad bonum sibi conveniens, sicut desiderium, amor, seu dilectio; sed hujusmodi inclinatio est appetitus proprius quid: Ergo si spiritualis sit, qualis est spes, erit voluntatis virtutis: Ita certa est doctrina; & in idem coincidit; sicut ea, quam de fide dedimus in ordine ad intellectum: Supposito igitur, quod ista spes Theologalis sit virtus voluntatis; de cujus ratione est à bono specificati, & in bonum tanquam objectum tendere; reddicitur scopus hujus quætionis ad inquirendum, circa quod bonum inclinetur spes ista?

270. Pro illius resolutione prælibabimus sententias aliquorum, & antea ultimo debemus supponere, quod cum prædicta spes supernaturalis sit una ex Theologalibus; ut est certissimum, necessario proprium bonum illius, ad quod tendat, & aspirer, deberet esse divinum; vel bonum Dei; sicut verum objectum fidei est divinum; & divinum est bonum per charitatem amatum, ut in eo servant æqualem dignitatem tres istæ Theologales virtutes. Unde superest, ut primò devolvatur difficultas ad objectum divinum mediate, vel immediate objicibile virtuti spei: Deinde quænam sit formalis ratio hujusmodi divini boni, quæ sit specificum objectum illius: inquirendum est: ac denique pro

Pp. obje-

objectis secundariis, & materialibus non erit supervacanea conclusio aliqua.

271. Prima sententia quæ videtur expressa in D. Thom. variis in locis, & maxime in disputatis q. de spe art. 1. & 4. tenet Deum Omnipotentem, vel in quantum potest nobis auxiliare ad æternam beatitudinem obtinendam, esse formale objectum spei: Sequuntur communiter DD. Thomista habita distinctione, & supposita, objecti formalis quod, & quo; unde ratio formalis sub qua erit Deus, ut auxilians, ipse vero Deus, ut est infinitum bonum, ratio quæ, virtutis spei. Alii tenent pertinere ad spem tanquam objectum proprium omne, quod Deus potest conferre bonitatis suæ creaturis, & hoc est, quod per istam virtutem speramus: sic Vazq. 1. p. dist. 43. citans alios. Plures tenent bonum divinum secundum quod est commodum amanti esse objectum spei, cuius actus est amor concupiscentiæ. Hujus est D. Exim. hic disp. 1. sec. 2. & 3. Quid de D. R. persequentes resolutiones.

272. Conclusio prima: Objectum quod & terminativum spei Theologica formaliter, & specificè acceptum est bonum divinum in se, & immediatè eidem spei obijcibile. Loquimur signate de objecto primario terminativo in cuius visceribus speculari debemus rationem formalem sub qua, quæ communiter dicitur, & est objectum motivum; siquidem ratio hæc est propriissime specificans habitus, & potentias: Ergo debet esse intrinseca objecto, quod primo sit terminativum, alias si extrinseca esset; acciperent speciem suam huiusmodi habitus, potentiæ, vel actus ab aliquo non essentiali suo objecto quod primario: semper enim deveniendum est ad hoc, quod in objectis quibusvis ratio sub qua illorum attingentiæ objectiva est intrinseca, consequenterque intrinsecatur rationi formali qua, & cum ea identificatur verè, et si subsint utraque ratio quæ, & sub qua, diversis conceptibilitatibus. Demus exemplum. Corpus naturale est objectum primarium quod medicinæ, & physicæ; ratio vero sub qua, & motiva objecta harum scientiarum, & sunt mobilitas, & sanabilitas, quæ ita sunt propriæ huius corporis, ut cum eo

intrinsecantur, & ab eodem solum intentionaliter distinguantur. Doctrina hæc est R. in 1. q. 3. prolog.

273. Conclusionem fati expressam habebimus in R. dist. 27. art. 2. eaque probatur primò ipsius ratione: Virtus Theologica dicitur, quæ habet Deum pro objecto; sed; spes supernaturalis est virtus Theologica: Ergo Deum habet pro objecto. Nunc: sed est virtus talis ex iis, quæ pertinent ad voluntatem: Ergo Deum habet pro objecto ea ratione, qua à voluntate attingitur; sed; iterum subsumo: solum ut bonum summum est, & divinum, est propriè objectum voluntatis, & suarum virtutum: Ergo ita est. At cum R. hic consequenter ad dicta asserat, quod hæc objectiva ratio divinæ bonitatis respectu spei posset: *Dupliciter intelligi, uno modo de objecto immediato, alio modo de objecto principali, sed mediato*: Et prosequitur: *Quod quidam dicunt, quod immediatum objectum spei supernaturalis non est ipse Deus, sed beatitudo formata, quæ est quid creatum*: Ex his videtur, nil determinatum circa hoc asseruisse, idèdque ad ejus mentem apeririendam

274. Secundò probatur conclusio, quoad secundam ejus partem ratione ipsius R. cogente: Si spes supernaturalis non haberet pro objecto immediato sui divinam bonitatem, non esset Theologica virtus; sed est talis: Ergo quia bonum divinum immediatè respicit. Major, & minor sunt expressæ in R. hic art. 2. & consequentia legitime infertur. Præterea idem D. circa finem, loquendo de præfata distinctione inter objectum immediatum, & mediatum spei, hæc concludit: *De ista tamen opinione distinctionis nil teneo, nec probo*: Ergo tenet contrarium, nimirum, quod ut ea spes sit Theologica virtus, ut de facto est, debet habere pro objecto immediato divinum bonum.

275. Tertio probatur conclusio quoad hoc idem ex doctrina R. quam habet in 1. dist. 1. q. 1. art. 5. ibi enim ista refert: *Fruitio nostra est circa Deum, ut est ultimum, & bonum extrinsecum, in quem omnes operationes nostræ ordinantur: ut sic est bonum propter se irreferibile in aliud*. Per quæ sic formatur ratio: spes nostra supernaturalis tendit immediatè, & primario in bonum illud,

lud, quo nobis æternaliter fruendum est; sed huiusmodi est primarium objectum bonum divinum, ut pote ad aliud non referibile: Ergo idem erit objectum immediatum nostræ supernæ spei, non vero operatio aliqua, sive formalis beatitudo; nam hæc est ulterius referibilis. Minor est R. expressa, & major constat: Nam quid speramus in via, nisi frui bono illo summo in patria? De hoc pluribus in locis sacris, maxime extollentibus beatam spem tanquam in illo summo bono requiescendum.

276. Conclusio secunda: Ratio formalis sub qua spei & objectum motivum eam specificans primario est bonum divinum, ut nobis proxime possibile, & assequibile est: Conclusio videtur, quod est R. hic, nam definiens spem Theologicam asserit esse de bono divino arduo, & possibili adipisci: Ergo huiusmodi ratio objectiva erit formale specificativum talis virtutis. Præterea non est aliena à D. D. communiter de ea sentientibus, hac vel illa addita ratione, de quo non est adeò facile discernere, num sit conditio, aut formalis determinatio ejusdem objecti? Secundoque probatur ex hoc unico fundamento: spes supernaturalis est virtus voluntatis ad Deum summum bonum inclinans naturam rationalem vero amore prosequitivo obtinendum; non tamen amicitia, quia hoc est proprium charitatis; sed propriè concupiscentiæ; atqui amor concupiscentiæ tendit ad bonum amatum, ut est conveniens, & commodum ipsius amanti, quod si possibile sit, quamvis arduum esset, si tamen sit proxime assequibile, vere, & propriissime obtineret conceptum concupiscentiæ ordinatæ, & honestæ: Ergo cum spes Theologica sit istiusmodi quoad perfectionem sui actus, respicere debet bonum illud divinum, in quantum bonum nobis est, & formaliter assequibile, & licet cum arduitate, possibile.

277. Major est communis, & constat ex sacris litteris utriusque testamenti dari in nobis viatoribus hunc verum amorem concupiscentiæ erga Deum; ut illud ps. 83. *concupiscit, & deficit anima mea in atriis tuis*. Et ps. 118. *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, &c.* Et etiam illud: *Tom. IV.*

Cupio dissolvi, & esse cum Christo, &c. & alibi; sed in nulla alia virtute hic amor concupiscentiæ relucet, sicut in spe Theologica, quæ ad Deum respicit, & in Deum tendit; quapropter Deus pluries in sacris litteris dicitur spes nostra, & aliter esse, non potest quam objective, & terminative: Igitur Deus erit huius proficue concupiscentiæ vere objectum. Nunc sic; sed concupiscentia apud Theologos est de bono absenti, & amanti convenienti: Ergo quæ est propria spei Theologica, deberet esse de bono divino commodo amanti, & diligenti.

278. Tertio probatur conclusio: Amor hic concupiscentiæ non transiret in spem vere talem, quo minus objectum illius, & si arduum, non esset assequibile proxime, & possibile, ut esset amanti bonum, & conveniens: Ergo præfata omnia complectitur objectum specificum spei Theologica. Antecedens probatur, primo, quia est ratio specifica spei secundum Theologos, & Philosophos: secundo, quia spes ut est habitus voluntatis debet distingui ab amore, desiderio, & gaudio, qui quidem sunt potiores actus illius prosequitivi; sed amor est circa bonum secundum se, desiderium de bono absenti, sit, vel non proxime possibile; nam saltem remote debet esse tale, cum ad impossibile non feratur voluntas; gaudium vero est de bono tenuto, & possesso: Ergo superest, quod spes sit de bono adhuc possibili, sed proxime, et si cum difficultate, adipiscendo. Conformer ad quod de Theologica spe dixerat Trident. sess. 6. *quod per hanc virtutem fidemus Deum nobis propitium fore per Christum*; in quibus his tota data doctrina comprehenditur: Deus, scilicet, assequibilis, ut bonum nobis commodum, victa arduitate huius assequutione boni per Christi merita.

279. Conclusio tertia: Omne quodlibet bonum creatum, quod potest ad possessionem summi boni, vel huius completam assequutionem conducere, est objectum saltem materiale spei supernaturalis. Resolutio hæc extenditur in via ad auxilia ea, quibus assequitur, & conservatur ad Beatitudinem in patria eligendam; & præterea ad gloriæ dotes ultimum, & finaliter possidendum. *Præfata*

tur principaliter in textibus sacris, qui passim habentur singulatim de omnibus his loquentibus; prætereaque ratione ipsa in hunc modum: speramus bona ea nobis communicabilia, ardua, & possibilis; sed bona gratiæ, & gloriæ talia sunt, & valde conducunt ad summum bonum assequendum: Ergo præfata bona creata pertinent ad spem Theologicam; sed non specificativè, & primario, ut supra dicebamus: Ergo ad minus secundario, & veluti attracta ab spe non ratione sui, & propter se, sed ratione superioris boni, & propter illud: Ergo per modum objecti secundarii.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

280. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Spes Theologica talis est, & dicitur, in quantum inclinatur, & respicit tanquam bonum proprium sperantis, & desiderantis æternalem beatitudinem; sed hæc beatitudo non est bonum summum, & divinum: Ergo huiusmodi bonitas non est objectum primatum spei Theologicæ. Major est communis, & minor præterquam quod sic describitur in sacris litteris: Joann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, &c.* Probat: Beatitudo consistit in actibus propriis naturæ beatæ: Ergo beatitudo, quæ sit terminus nostræ spei, non respicit immediatè, & per modum objecti specificativi bonum divinum, sed illud, scilicet bonum, quod sit proprium creaturæ, & suis actibus debitum.

281. Huic argumento communiter fit satis per distinctionem inter beatitudinem formalem, & objectivam; hæc est Deus ipse à nobis possessus; illa vero sunt actus nostri, quibus assequitur; sunt intellectus, aut voluntatis; cum enim dicitur, quod beatitudo, quam expectamus esset nostræ spei objectum, sensus debet esse de beatitudine objectiva, non autem formalis; nam hæc, etsi desideretur, est sper accidens, & secundario. Sed contra hoc est instantia obvia; primò, quia R. in ista

dist. 27. nihil determinat circa præfens, cum dicat: *De hoc nihil teno, nec proba*: Ergo nec nos habemus, quid dicamus ad illud fundamentum. Præterea: Beatitudo pro formali consistit in perfectissima operatione naturæ, ut nos docet Phylotop. 5. & 12. met. Ergo quando dicitur, quod spes Theologica est circa æternam beatitudinem, de illa est intelligendum, quæ proprietatis sit, & operatio perfectissima creata: Ergo hæc erit principale objectum spei nostræ supernæ.

282. Ad argumentum bene supra, & ad primum ex R. dicimus, quod etsi ibi non probet, seu aprobet illam distinctionem de objecto mediato, & immediato spei Theologicæ, nil clarius habemus, quam quod teneat bonum unicè spei objectum esse, & hoc divinum. Ad rationem vero in contrarium certe tenemus, beatitudinem consistere in operatione perfectissima; & conformiter asserimus supernaturalitatem in operationibus fore similiter perfectissimis de isto ordine: Cumque spei Theologicæ objectum primarium non sit beatitudo, sed Deus ipse, ad quem tendit tanquam ad finem media beatitudine possidendum, idè nil probatur contra nos in instantia argumenti. Probatio assumpti supra habetur in conclusione. Concludimus, quod aliud est beatitudo, & aliud objectum specificativum spei; unde non valet argumentum de uno in aliud.

283. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Objectum motivum, quod specificativum est, petit esse tale, ut solum sit, quid peculiare potentia illi, & habitui, quos speciem tribuat, & idè dicitur, & est illorum ratio formalis; sed bonum divinum, ut assequibile à nobis proximè non dicit specialem formalitatem, vi cuius potius ad spem, quam ad charitatem pertineat: Ergo alia præterea assignari debet ratio supra divinam bonitatem, ut sit propria spei. Nec dicas, quod bonum divinum sic assequibile, non sit huiusmodi objectum; nam ulterius addit, esse futurum, arduum, & difficile adipisci; quæ rationes sunt intrinsecæ divinæ bonitati, & ita specialiter attinent ad spem Theologicam, ut nulli alteri virtuti, vel habitui adaptari possint, & hoc

hoc est vere, & proprie esse objectum illius motivum, & specificativum.

284. Quid non obstante ad argumentum responderetur directe; quod bonum divinum secundum se, & in se consideratum, ac propter se amabile est specificativum charitatis; hoc idem, ut tentum, & possessum fruitionis, ut absens vero, desiderii; sit autem expectetur ut bonum, & ulterius ut commodum nostrum ametur, in quantum sit, & est bonum nobis, huiusmodi bonitas sub isto respectu ad nos, habito est ratio sub qua spei Theologicæ, cuius actus est amor Dei concupiscentiæ, Deus enim est bonum summum sibi, & nobis, & utrumque eidem convenit intrinsece, & de illo prædicatur primario, quod potius est; & secundario quod primatum afficit; quapropter charitas, quæ major est secundum auctoritatem Pauli, specificatur ab illa ratione boni summi, quæ in ordine ad se potior est, spes autem, quia minor, ab illa ratione summi boni, qui in ordine ad aliud tendit, & saltem logice deterior apparet: quidquid sit de arduitate, futuritione, & aliis, quæ objectum spei comitantur, quæ utpote conditiones sunt, non faciunt ad speciem, & quidditatem.

285. Per quod solvitur argumentum hæreticorum male sentientium de amore Dei, quem vocamus concupiscentiæ, ut è medio tollerent firmissimam anchoram spei Theologicæ, in qua fidentes huius maris procellas evadere possimus; fundantur in imperfectione talis amoris defectuosi, & in quantum implicare videtur amor Dei, qui ad bonum divinum non respiciat; non intelligentes, quod amor spei nostræ est Dei, & ad Deum terminatus, ab eoque specificatur, ut divinum est, & summum, etsi tendat ad illud ut nobis commodum; unde certe imperfectior est alio charitatis, sed non alienus; & à merito, & ab ordine superno; est ergo de hoc ordine, quia respectu Dei versatur, non deficit à ratione meritorii, quia si charitate formetur, habet suam dignitatem cum premio æternæ vitæ.

286. Tertio arguitur: Ratio formalis sub qua, & motiva spei Theologicæ debet esse id, cui virtus hæc innitatur, & inquam ultimo resolvantur actus illius,

sicut fidei est divinum testimonium, in quod tota fides resolvitur; idè enim credimus mysteria, quia Deus illa revelavit, & ultra non est superior ratio; sed bonum divinum nobis possibile, assequibile à nobis, & nobis commodum non est id, cui innititur spes nostra, est ad aliud tendat, nec ratio spei ultimo resolvitur in bono huiusmodi, cum detur superior ratio; nimirum divina omnipotens virtus, quæ à D. Thom. q. unic. de spe, vocatur divinum auxilium; idè namque hoc bonum summum nobis speramus, quia Deus sua omnipotenti virtute media, & auxilia conferet, quibus assequatur: Ergo hoc ultimum erit objectum motivum, & ratio sub qua spei Theologicæ.

287. Responderetur ad argumentum: quod secundum vim arguendi, quam exprimit, virtutes omnes, habitus, & potentia specificari debent à divina auxiliante omnipotentia, quia omnes in suis actibus eidem innituntur, & in eam ultimo resolvuntur; nulla etenim suas functiones exerceret, quin Deus sua præberet media, & auxilia, quibus assequeretur illarum finis: Præterea spes est amor Dei saltem concupiscentiæ; Ergo sicut charitas bonum divinum respicit tanquam specificativum objectum, quia amor Dei est, idem de spe dici deberet. Insuper: Omnipotentia, ut nobis auxilians, est solum efficiens quoddam, cui spes innititur: Ergo non se habet ut formalis objectiva ratio.

288. Nunc ad argumenti rationem distinguitur major: ratio formalis sub qua debet esse id, in quod resolvitur ultimo, & cui innititur virtus v. g. tanquam in principium formale; concedo; tanquam in efficiens, nego majorem. Dicimus: quod omne quodcumque ens creatum habet sua extrinseca, à quibus habet esse, & cuius gratia sit; & insuper formaliter dicit intrinseca formalia principia, quæ sunt illius specificativa, & in utrisque innititur, & resolvitur, aliter tamen, & aliter: in casu nostro; virtus spei innititur in divina omnipotentia, ut bene in argumento, sed solum tanquam inefficiente primo; in bono vero divino, quam expectat, veluti in specificativo, & per ordinem ad quod habet suum for-

male esse. **QUÆ;**

QUÆSTIO XVI.

De subjecto spei Theologicae.

289. **D**E subjecto spei loqui possumus secundum connaturalem modum, quo virtutes suis insunt potentiis, & insuper juxta quod de posse Dei absoluto aliter evenire potest. De primo agit R. hac dist. 27. artic. ultim. ubi satis expresse tenet, homines viatores, & Angelos similiter esse subjectum spei Theologicae, cujus ratione status, non sunt capaces Beati, quia possident bonum, quod est proprium hujus spei objectum; nec damnati, Dæmones, & homines, de quo rationem reddit in hunc modum: Homo viator per peccatum desperationis amittit spei supernaturalis habitum; quanto magis damnati, qui perpetua desperatione existunt, ubi nulla erit usquam redemptio. Incidenter ad hæc ibi de spe resurrectionis, & gloria corporis sentit, quod hujus non est propriè spes virtus Theologica; tum quia gloria hæc est accidentalis beatitudo; & præterea bonum illius non est arduum, & difficile, sed animæ beatæ debitum; unde relinquitur, quod quadam expectatione speretur, & impropria spe respiciatur.

290. Nunc insurgunt duæ difficultates, quæ possent in hac quæstione controversari; prima sit: si de posse Dei absoluto posset Deus conservare spem Theologicam cum lumine gloriæ, & visione Beatificæ? Secunda, quæ apud antiquos agitatur, erit; num homo, cui Deus revelasset suam æternam damnationem teneretur, & posset sperare beatitudinem? De prima supra in hoc tractatu habemus plura huc pertinentia, ubi de coexistentia possibili habitus fidei cum visione beata aliquid afferuissimus, quæ hujus non alie-

num erit: Et ad hoc iterum adducemus R. cit. art. ult. dist. 27. ubi distinguit spem in habitu ab spe in actu; in habitu consideratur, quando nullus est in voluntate usus superandi; in actu vero quando suum munus exercet, sperando scilicet.

291. Et quo ad hoc primum duo dicimus: Quod habitus spei cum lumine gloriæ, & visione beata nullam dicunt oppositionem: Ergo de potentia Dei absoluta coexistere possunt. Probatur antecedens: Non contradictoriam, quia non versatur inter esse, & non esse, ut patet; nec contrariam qualitates sunt, quæ non maxime distant sub eodem genere proximo: Ergo nec mediata, nec immediate oppositæ sunt: Ergo non apparet ratio, quare Deus non posset illos habitus coadunare. Idem tenemus de simul existentia habituum cum actibus alterius virtutis, & propter eandem rationem; unde superest, quod actus spei cum actu visionis incompatiantur, taliter, quod per nullam potentiam possint simul existere, nam sequeretur ea contradictio, quam communiter inferunt similes actus; ideoque beatus, quatenus videt, non sperat, & prout sperat, non videt: Et Paul. 8. ad Rom. dicebat: *Quod videt quis, quid sperat?*

292. Ad secundam resolutionem supponimus, quod hypothesis hæc, ut locum teneat, & ad callendam naturam spei Theologicae inservire possit, debet supponere res illius, ut sunt in se; & similiter prædicata, quæ sunt de quidditate spei hujusmodi; unde homo ille, cui esset sua damnatio revelata, adhuc ad ordinem gratiæ expectaret, & ea stante revelatione, Deus adhuc eum vult salvum facere voluntate illa antecedenti, in vi cujus sua saltem sufficientia auxilia ad hanc salutem conferret; et si hoc ita non est, nulla erit quæstio; siquidem his auxiliis deficientibus nec posset, nec teneretur sperare; ideoque alio modo deberet tractari, ut non sit nugatoria, & destructiva spei, de qua quæritur; si namque homo ille non est de ordine hujus supernaturalis providentiæ, in nullo eventu sperare posset, & ad Beatitudinem supernam aspicere, et si est, subest necessario illi generali voluntati; & ex consequenti habet à Deo auxilia

Quæst. XVI. De subjecto spei Theologicae.

xilia præparata, quibus finis talis voluntatis assequibilis sit: Igitur & tenetur, & potest in actus supernos quoscumque,

293. Unde superest, ut homo talis hypothesis, & habita revelatione suæ damnationis incidat infatalem desperationem similem statui damnatorum, cujus ratione habitus spei ab eo aboleatur, & indignus constituatur omnium aliorum donorum, & adhuc auxiliorum supernaturalium, ponereturque quasi in termino suæ damnationis; ideoque si istud sustineri posset, erit punctum difficultatis; de qua, ut loquamur, supponamus insuper, quod causaliter est adeo possibilis; tum quia hujusmodi revelatio aliud non est, quam decretum Dei efficaciter de damnatione alicujus eidem dictum, & ab ipso Deo testificatum; sicut aliqua efficacia decreta suis prophetis revelaverat. Tum præterea: quia de facto toti Ecclesiæ Anti-Christi damnationem revelat: Ergo poterit cujusquam alterius.

294. Conclusio prima: In homine illo suæ damnationis conscio potest permanere spes Theologica habitualis, si aliunde eam recepisset, vel per actum oppositum non amisisset: Deducimus eam ex R. ibi: Solum locus damnationis est incompatibilis cum spe divina; sed homo ille, in præfata hypothesis, non esset in loco, & termino suæ damnationis: Ergo non necessario esset desperatus, & sine spe habituali. Minor est certa, & major probatur: Solum status termini damnationis est, ubi nullus est ordo, sed sempiternus horror in habitat, ibique est locus, & cumulus totius miseriæ: Ergo solum ibi est necessario locus desperationis: Ergo aliunde non necessario corrumpitur spei habitus, & amittitur.

295. Conclusio secunda. Homo ille posset adhuc sperare beatitudinem potentia antecedenti, & generali, & ad hoc teneretur, quod probatur sic: Talis homo esset viator, & de illa massa universali omnium hominum, quorum Deus vult vera voluntate salutem, & eis auxilia ad finem istud conferret: Ergo non modo auxilia ad fidem, verum ad spem, & charitatem eidem conferret: Ergo supposita revelatione suæ damnationis teneretur, & posset illa antecedenti voluntate suam salutem

sperare. Antecedens videtur certum: nam homo ille, supponimus quod esset hujus providentiæ viator; sed Deus vult omnes omnino homines viatores hujus providentiæ fieri salvos, ut est ab Ecclesia contra Bajum declaratum: Ergo & hunc hominem ita vellet esse salvum, adhuc quod alia voluntate ipsum damnasset, & præterea suæ impenitentia finalis conscium faceret.

296. Conclusio tertia: Homo, cui esset sua damnatio revelata, posset sperare beatitudinem potentia proxima, impedita tamen, & ligata: Deduco resolutionem ex Doctrinis R. Nam si de ordine superno est (alias non haberemus quæstionem) Deus illi vult salutem æternam, ipsique confert media ad eam obtinendam: Ergo potest in illam: Ergo & eam teneretur sperare. Nunc assumptum principale conclusionis; sed non potentia expedita: Ergo ligata. Probatur antecedens: Potentia illa ad sperandum esset in voluntate talis hominis, præoccupata reata illius intellectus ratione per proprii boni concupiscentiam, & taliter vehementi passione maneret illusos, ut nunquam posset esse ei visa recta ratio: Doctrina est R. in 4. dist. 1. q. 5. secundum Philosophos, siquidem stante judicio revelationis, & circumstantiarum, quibus teneretur ad evidentiam credibilitatis, vehementi passione orta ex amissione totius boni, & ex proprio amore, pane distraheretur ejus intellectus, ita quod voluntas relinqueretur impedita ad hoc, ut posset ullo amore in bonum summum aspicere, saltem concupiscentiæ: Ergo nec ad sperandum expedita valeret.

297. Objicies contra hanc ultimam conclusionem: Voluntas non potest ad impossibile ferri, & maxime si bonum judicetur ut tale impossibile; sed beatitudo esset judicata impossibile homini conscio certissime de sua damnatione: Ergo. Probatur: Per nullam potentiam esset ab eo beatitudo assequibilis: Ergo impossibile esset: Ergo nec ad eam sperandam posset, nec teneretur, quia nullus ad impossibile obligatur. Præterea: Beatitudo non posset esse futura in eo casu quæstionis: Ergo omnem spem circa eam excludit; cum sit de bono futuro,

ro, immò & possibili adipisci. Probatúr antecedens: Nam damnatio esset à Deo illi homini determinata: Ergo eidem non potest esse futura beatitudo; cum hoc implicare appareat.

298. Respondetur ad objectiones, & antea suppono, quo futuritio boni sperati, de qua hic, non requirit physicam in illo futuritionem, alias damnati, dum vivunt, non haberent veram spem suam beatitudinis, quæ usquam erit eis futura; unde relinquitur, quod ea solum sit prudens futuritio; & adipiscibilitas existimata boni huiusmodi; & ecce ad manus nostra ratio: in homine nostræ hypothelis, esset physice, & realiter omne quod desideratur ad posse sperare beatitudinem; ceterum quia ex defectu proprii iudicii non posset illi apparere bonum summum prudenter futurum, sed potius impossibile, propterea potentia ejusmodi mansit impedita; & totius actus expers. Per quod patet ad primam, probationem, ad quam in forma distinguitur minor: Sed homini illi visa est impossibilis, moraliter, & ex suppositione; sua beatitudo concedo; absolute, nego minorem: Et distinguitur consequens: Ergo eam non potest sperare, expedita potentia, concedo; potentia physica, & impedita, nego consequentiam.

299. Ad secundum objectionem reolendæ sunt doctrinæ, quæ habentur tom. 2. tract. 7. circa rerum futuritionem, & maxime de æterna prædeterminatione loquendo; ibi enim dedimus cum communi duas illas voluntates Dei antecedentem, & consequentem, quarum quælibet habet sua respective decreta; ipsiq; diversa, & adversa solent correspondere futuritiones; unde Anti-Christi futura salus est à Deo volita voluntate generali, & simul supra se habet consequens decretum suæ damnationis; & ecce duplex futuritio diversa, & adversa respectu ejusdem subjecti; & sub ista consideratione (ut non protrahamur) in nostro casu, cum Deus adhuc voluntate antecedenti vellet salvationem hominis hypothetis; & huic voluntati esset salus futura, ad hancque esset in potentia, cujus ratione posset, & teneretur in ejus spem, non expedita, potentia prudenter, & actu exercito, quia

obstarent impedimenta, quæ in intellectu ejus obvierunt, ut cæcam relinqueret in isto passu voluntatem, & penitus distractam. Ut visum fuit in peccatis Angelorum, & primorum hominum. Hic tractandum venerat de actibus secundariis virtutis spei & ejus passionibus, & extremis oppositis, ut videlicet, timor, desperatio; vana præsumptio, tristitia, & aliis, quæ potius ad aliud institutum pertinent; & ad illum locum remittimus lectores.

QUÆSTIO XVII.

Ubi de virtute charitatis quoad an est, & quid est illius.

300. **P**Lura dispersa dedimus in decursu hujus operis de charitate, ut videre erunt tom. 1. tract. 2. & 4. & in hoc 4. tract. 12. 13. & 14. & ideo in præsentia de iis, quæ hujus sint specialia, acturi sumus. De charitate extant apud PP. pæne innumera encomia, sed quid de illis, cum integrum Panegerin habeamus in Paul. 1. ad Corint. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum timiens: Charitas patiens est; benigna est; charitas non emulatur; & quid inde? Nunc autem manent fides, spes; charitas, tria hæc, major horum est charitas. Quid amplius pro dignitate hujus Theologicæ virtutis existentia immo, & quidditatis? De hac Mag. in 1. dist. 17. & antiqui Theologi in unum contra eum conspirantes in hac adstruenda Deifica qualitate, qua verè secundum supra à nobis præscripta sumus Dei dilecti, amici, & dilectores; & quia & nos de hoc aliqua dedimus locis supra citatis, ideo hæc alia instituitur.*

QUÆ,

QUÆST. XVIII.

Quodnam sit objectum formale adæquatum charitatis?

301. **U**Ltra eas communes difficultates, quæ passim occurrunt, & apud DD. sunt obvix in assignanda germana quidditate, & specie objecti formalis quod terminat, & id cujus ratione sistit primum actum dilectionis Dei, vel charitatis, quæ quidem ratio vocatur objectum motivum, aut quo, sive ratio formalis sub qua; insurgit alia non levis, immò & urgens dubitatio, quæ cum supponat differentiam, & distinctionem inter amorem Dei, & dilectionem charitatis, quod aliis terminis in idem coincidit cum ea distinctione communiter accepta inter amorem Dei naturalem, & supernum, ut est ille qui ad salutem oportet: Ex hac præjecta distinctione amoris, & amoris Dei, animus movetur ad discernendum pro objecto hoc formali utriusque amoris: Et ecce tota ratio dubitandis vel hi duo amores sunt duo diversi actus in sua specie; vel non? Si hoc ultimum dicatur, non bene sentimus cum Concil. & PP. si vero primum; de duobus objectis formalibus sermo, & quæstio deberet resolvi.

302. Pro qua supponendum est: Deum posse amari à nobis amore naturali, & alio amore, qui sit supernus, meritorius, & ad vitam æternam faciens; de primo habemus expressam Ecclesiæ declarationem per Pium V. Greg. XIII. & Urban. VIII. bonæ memoriæ Pontifices qui 34. propositionem Michaelis Baii, qui est huiusmodi anathematizant: *Distinctio illa duplicis amoris naturalis, videlicet, quo Deus amatur, ut author natura, & grati; quo Deus amatur, ut beatorum, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & pluribus veterum testimoniis excoGITATA.* Insuper Tom. II.

demonstratur: Nam si Deus creasset hominem, ut ponit, in puris naturalibus, eumque non elevallet ad ordinem gratiæ, in eo eventu ille homo Deum creatorem, & conditorem sui teneretur amare; sed non amore supernaturali, & amicitia: Ergo naturali: Ergo amor Dei ex sua natura dari potest, qui esset purè naturalis. De secundo habemus in Trident. sess. 6. expressum, hominem teneri Deum diligere, ut oportet ad salutem, & hoc est supernaturaliter, & meritorie, ut ei justificationis gratia conferatur. Hic amor supernaturalis solet subdividi in efficacem, & simplicem complacentiam, piam motionem, sive inefficacem in Deum impulsivum; quod & apud alios vocatur amor intensus in prima acceptione, in secunda vero prædominans: Certum est enim dari morem hunc inefficacem erga Deum, qui reguletur lumine fidei, ideoque sua gaudeat supernaturalitate; & de quo Trid. sess. 6. cap. 5. *Videntes, Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

303. Ab hoc inefficaci amore, & simplici Dei complacentia, quæ charitas dici non potest, nunc superfedemus, & solum de aliis considerationibus divini amoris quæstio præfens proponitur resolvenda. Habet hic locum amor Dei naturalis super omnia, & apretiativus; tum; ut eo cognito, & definito, clarius appareat quidditas amoris superni, & charitatis, qui est scopus hujus tractatus; tum etiam: quia amor Dei super omnia, & apretiativus, adhuc naturalis est intime conjunctus cum superno, supposita elevatione hominis ad ordinem gratiæ in factis probabili sententia: & quamvis non esset ita certum, ex hoc nobis inest non leve fundamentum ad ingerendam in præsentia hujus amoris naturalis Dei notiam: Ideoque de utroque procedere debemus in his conclusionibus.

304. Communis sententia tenet ens divinum esse objectum adæquatum amoris creati ad Deum ordinati, sub quo comprehenditur objectum quod formaliter terminet præfatum amorem; & motivum, sive quo, quod est ratio sub qua: verum cum amor Dei alius sit naturalis, gratuitus alius, vel supernaturalis, qui charitas

Qq

no.

nominatur in sacris litteris, sitque vera Dei ipsius amicitia; & aliunde non sit distinctio hæc vana, & commentitia, sed vera, & utilis ejus noticia, ideo operè prærium sit maximum, quætere pro utriusque amoris divini ratione objectiva. De hoc D. Thom. q. 25. art. 5. & 6. & alibi; cæterum specialiter 2. 2. q. 23. art. 4. in disputatis loco supra q. 25. citato tenet, Deum summum bonum propter se amabilem esse objectum charitatis: at quia ibi non agebatur sigate de ea distinctione illius dupliæ amoris, quam Ecclesia declaraverat, potest tamen in 1. 2. q. 109. eam asseruit, & in 2. 2. etiam citata, docuit: quod Bonum divinum, ut est objectum beatitudinis supernaturalis, est specificativum amoris charitatis, ut vero est objectum naturalis Beatitudinis, erit amoris naturalis: sic frequenter plures Theologi Thomistæ, & extranei. Alii alia via incedunt, ut in hujusmodi objecto charitatis speculentur rationem summi boni excedentis totam naturam, & ejus facultates naturales.

305. Ut autem nos sensum R. declarem, recolendæ hic veniunt doctrinæ ipsius circa supernaturalitatem actuum vitalium hujusmodi, quas supra dedimus tom. 1. tract. 2. & 4. satis diffusè, ubi quid probabiliter in præfenti tenendum sit adumbravimus. Diximus enim actus vitales alicui sive in via, sive in Patria circa Deum, ut cumque immediate, esse supernaturales in modo suæ elicientiæ, in sua vero entitatè naturales; quam sententiam pro posse statuimus ibi, quamvis R. solum de ea probabilitatem adstrueret, & ut non repugnantem doctrinis sacris, & quia alias contrarium non esset demonstrabile, proponeret; cum ejus probabilitas nobis visa fuisset satis cogens, & rationes suæ non parum urgentes apparerent.

306. Conclusio prima: Bonum divinum in se infinitum, & præcisè ut determinatum ad essentiam divinam, attributa, & relationes est objectum adequatum amoris Dei super omnia. Si procedatur de hoc objecto adequato pro ut comprehendit primarium, & secundarium intrinsece est R. expressè à dist. 28. contra aliquos, qui ejusmodi objectum extendunt ad omne quodlibet divinum ens, adhuc

analogice tale, quale judicant bonum gratiæ; & Donorum supernorum; sed quidquid de hoc sit, bona creata, quamvis sint participationes quædam divinæ, necessario distulunt à verâ, & speciale ratione divinæ bonitatis, quæ unicuique formale specificans esse debet amoris Dei, & virtutis charitatis, quæ Theologica est: Præterquam quod ex ipsis sacris eloquiis evincitur, charitatem esse virtutem specialem Dei, & ideo dicitur ad Rom. 5. *Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*, vocatur *charitas Dei* non modo; quia à Deo nobis diffundatur, sed quia ad ipsum tendit, ipsum respicit, illum amat: Ergo Deus solum erit illius formale objectum speciæ tribuens, & terminans primario.

307. Nunc directe probatur conclusio: Amor Dei ut est super omnia præcisius naturalis sit, aut ex charitate, tendit in Deum primo, immediate, immo & elicitur propter Deum; sed si ad aliquod aliud bonum aspiceret primario præter illud, quod simpliciter divinum est, non esset terminatus primo, & per se ad Deum, & propter se: Ergo præcisè debet primario respicere ad bonum divinum simpliciter tale: Sed objectum formale specificum potentia, actus, & habitus est, quod primario ab his aspiciatur: Ergo sic erit bonum divinum simpliciter tale objectum ejusmodi amoris. Major in qua debet esse tota difficultas, probatur ex verbis Domini, duplicem legem seu præceptum statuentis de dilectione: *Diliges Dominum Deum tuum, &c. hoc primum mandatum est: Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, &c. Matth. 22.* Ergo primum in amore Dei est Deus ipse, posterius vero, & secundarium erit bonum aliud, quod non esset Deus.

308. Conclusio secunda: Bonum divinum sub speciali ratione Bonitatis est objectum formale specificum hujus Dei amoris, adhuc illius, qui est supernus & charitatis. Loquimur de illa bonitate primordiali, & per cujus transcendentiam divina prædicata sunt, & dicuntur bona, & amabilia; ut non recedamus à doctrinis superius datis tom. 2. tract. 5. & 7. Conclusio ut jacet, videtur esse R. tum quia

in hoc 3. dist. 29. ubi tractat præsentem quaestionem, reprobatur opinio contrariam; tum & maxime, quia præsentem resolutio em, quam asserit esse cujusdam Brito, ratam videtur habere, cum nil adversus eam molliatur, & idè eidem adhaerendum, ut sua, judicavit.

309. Primòque probatur ex eodem ibi art. 2. Bonum divinum est objectum dilectionis Dei (loquamur de charitativa, & supernaturali) sub ea ratione, qua ultimo determinatur voluntas in illo actu quietativo illius, qui quidem est fruitio, & talis debet esse, ad quam omnes aliæ rationes objectivæ voluntatis reducuntur; sed ratio summæ Bonitatis, ut talis est, & non sub alia consideratione, est ultimum quietativum voluntatis, & in qua sistit fruitio nostra, & ad hanc omnes quæcumque aliæ rationes, quæ in isto bono divino concipiuntur, reducuntur; idè namque Deus est author gratiæ, glorificator, & beatificator voluntatis, quia Bonum summum est: Ergo hæc est ultimum, ultra quod aliud non est conceptibile, & prima ratio specifica amoris charitatis, & dilectionis supernaturalis. Patet assumptum: Nam aliæ rationes sunt secundariæ & adjacentes divinæ Bonitati: Ergo hæc erit prima, & specificans

310. Secundò probatur conclusio quoad idem: Illa ratio specificat nobiliorem actum, quæ perfectior est, & ut talis concipitur; sed divina bonitas est formalitas perfectior aliis, quæ ad eam sequuntur, ut puta glorificator, & author gratiæ: Ergo licet Deus sic ametur amore charitatis, scilicet, ut author gratiæ, & Beatificator, prima ratio specificans, & movens erit bonitas sua summa, & secundum se, & propter se amabilis. Probatur: Si esse summum bonum, & glorificatorem, essent duæ formalitates, ut supponunt D. D. contrarii sensus, ab illis duabus non posset specificari amor charitatis; cum unum specificans correspondeat: Ergo

go ab illo uno, vel ab ea unica formalitate, quæ prima esset, potior, & perfectior, ratio nimirum summi & infiniti boni, esset specificatio hujusmodi.

311. Denique conclusio, quoad amorem naturalem Dei, de quo nobis constat esse veram sibi dilectionem, Deumque esse creditorem nostri, ut conditor est, & totius naturæ, ut illum taliter amemus, satis supra probata manet eadem ipsissima ratio, & est, ut jacet: Hoc amore Deus amari debet propter se, & alia propter ipsum, ita quod beatitudo naturalis quietam, & ultimam fructum in eo requirat, inveniat, habeat; sed hæc omnia solum in bono summo ad inveniri possunt: Ergo hoc, ut tale, est specificum objectum hujus amoris. Major est certa, & minor probatur: Beatitudo naturalis habetur in eo actu perfectiori naturæ rationalis; sed hic actus pro parte voluntatis, alius non est, nisi amoris Dei perfectioris, qualis ad divinum Bonum propter se amabile ordinari valeat: Ergo hoc Bonum, ut Bonum summum est, erit hujus amoris objectum.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

312. Primò arguitur contra secundam conclusionem: Pæne definitum est ab Ecclesia dari duos amores erga Deum, naturalem, scilicet, & supernaturalem, qui quidem sint distincti inter se; vel ad minus, quod ea distinctio amoris non sit vana, & commentitia, ut ex supra allegata 34. propositione Bati sufficienter constat; sed si uterque actus naturalis, & supernus idem Bonum summum, ut tale, haberent pro objecto, non duo, sed unus amor esset, & talis distinctio inutilis, & vana esset: Ergo ad hoc evitandum, unus, & alius, alia & alia ratione objectiva deberent aspicere illud Bonum divinum propter se amabile. Major est certa

ea; & minor evidenter patet: Nam actus secantur, & distinguuntur per sua objecta specifica, & formalia: Ergo si unum est objectum formale utriusque actus, una scilicet, ratio divinæ bonitatis, non duo, & distincti, sed unus, & idem actus esset uterque amor.

313. Respondetur ad argumentum verè tenendo eam distinctionem amoris per naturalem, & supernam, juxta sensum proserptionis Apostolicæ Baij in hoc damnantis, cæterum cum de specie hujus distinctionis nil ibi determinetur, relinquatur nostræ disquisitioni, & disputationi, quærere & investigare de illius natura; num, scilicet realis sit, taliter, quod unus amor sit ab alio separabilis? De quo nostupra. Vel si sint ejusdem speciei, stante inter eos actus solum distinctione in modo tendendi circa divinam bonitatem? Utrumque nobis videtur satis probabile pro parte affirmativa; & in utraque sistit argumenti solutio. Resolutorieque tenemus taliter distingui amorem Dei naturalem, & supernum, ut cum unitate in objecto specifico eorum, verificetur ea distinctio de qua R. ibi.

314. Secundò arguitur, & instatur prima solutio hujus: Amor Dei naturalis si verè, & propriè à supernaturali distinguatur, debet esse ea distinctione, quæ sit verè, formalis, & specifica; sed hujusmodi distinctio, in actibus vitalibus præcipue, aliunde haberi nequit nisi ab objectis: Ergo diversum erit objectum formale, & specificum utriusque amoris: Ergo alia erit ratio divinæ bonitatis, quæ ad amorem naturalem Dei, & alia, quæ ad charitatem expectet, ut illorum formale objectum. Major probatur, primò: Actus amoris Dei purè naturalis, & idem elicitus ex charitate, & ut oportet ad salutem, distinguuntur, sicut distinguuntur quidditas naturalis à superna; sed naturale, & supernaturale plusquam specie distinguuntur, habentque diversissima, & sibi non coherentia constitutiva: Ergo sic distinguuntur illi amores naturales, & superni.

315. Secundò probatur illa major: Supernaturalitas, quæ habetur in

actibus tota est, & oritur ab objecto divino, à quo, & per respectum ad quod specificatur ens supernum, ut tom. 1. tract. 4. dicebamus: Ergo diversum, & distinctum debet esse formaliter objectum actus supernaturalis ab objecto naturalis actus. Antecedens est certum, ut ibi supra; & consequentia probatur: Per communem doctrinam de constitutivo, & distinctivo, quæ in idem conspirant: Ergo quæ differunt in constitutivis in specie, sic inter se distinguuntur. Præterea probari potest consequentia: Diversum debet esse objectum, quod tribuat speciem actui, & eum elevet, & extrahat adesse supernum ab eo, quod ipsi actui connaturale sit: Ergo diversum est objectum amoris supernaturalis ab objecto amoris naturalis: Ergo ratio bonitatis divinæ subalia, & alia ratione est objectum amoris Dei naturalis, & charitatis.

316. Respondetur ad argumentum, negando majorem; siquidem ut verificetur distinctio eam amoris ab amore, quam Baijus negaverat, sufficit qualibet, vel numerica saltem connota diversa in eis amoribus modificatione; & ad primam probationem illius majoris concessa minori dicimus: certum enim esse, quod plusquam specie differant naturale, & supernaturale in suis quidditatibus, & definitionibus, non est tamen ita verum, quod sic differant actus naturalis, & supernaturalis; ratio sumi potest exemplo albedinis, & nigredinis in suis subjectis; albedo namque, & nigredo distinguuntur specificè in suis definitionibus, & tamen affectæ huic, & illi homini non faciunt eos specie differre, ideòque Petrus Albus non ita distinguitur à Paulo nigro; fundamentum hujus facit ad solutionem argumenti; siquidem ideo albedo, & nigredo, & si specie differentes, non faciunt sic distingui subjecta, quæ afficiunt, quia accidentia sunt, qualitates, &c. atqui similiter supernaturalitas est modus, vel proprietas afficiens actus vitales: Igitur, concesso, ut patet, quod specie differant naturale, & supernaturale, non faciunt sic distingui actus eos vitales, quod afficiunt.

317. Tota hæc doctrina latissime tractabatur in nostro tom. 1. tract. 2. &

4. ubi cum R. locis ibi adductis, veluti satis probabilis asserta fuit conclusio, qua statuebamus actus visionis Dei, & amoris charitatis, fidei, & spei, esse naturales entitative, & superni solum modaliter; quatenus supernaturalitas horum actuum est solum modus, affectio, sive proprietas in illis reperta, sicut promptitudo, delectatio, & meritum quod ex frequentatis actibus in ratione habitus reperitur. Hujusmodi ergo probabilitatem sine omni assertionem asserti D. R. & si quis eam sustinere poterit, satis assequibilem adstruit; & sub his eisdem terminis, & nos eam ibi, & hic atulimus. Siquis autem ex nostris eam sustinere non valeat, & teneatur ad oppositam, sentiret, quod tales actus essent in sua essentia supernaturales; & adhuc posset, stante diversitate specifica inter præfatos amores, asserere, summum, & infinitum bonum esse utriusque objectum specificum; naturales imperfecto modo affectum, & non illa perfectiori ratione, qua voluntas creata fertur, ut ad salutem oportet in eam bonitatem, & quatenus sic eam respicit amor, charitatis; tuncque perfectum, & imperfectum in modo attingendi summum bonum variarent speciem illorum amorum, sicut magis, & minus, quando refunduntur in rei substantiam.

318. Ad secundam illius majoris probationem dicimus, quod certum est, quod sumitur supernaturalitas in sua essentia ab ordine immediato ad divinum objectum, cæterum tali modo, quod ordo iste sit intrinsecus, & quidditativus ipsi enti superno, ut est in gratia, charitate, & reliquis habitibus, & Donis supernis; cumque in actibus vitalibus juxta ideam probabilem R. non sit ita intrinsecus, & inseparabilis talis respectus ad Deum immediate, ideò non sic convenit eis supernaturalitas. Patet hoc: Nam actus vitales quicumque suum esse entitativum est à principio suo intrinsecus, & causa vitali: Ergo totum sui esse non est immediate à Deo; & ad Deum: Ecce differentia satis apparet inter supernaturalitatem, quæ essentialiter dicitur de habitibus, & eam modalem, quæ solum in actibus reperitur. Per hoc

solvitur secunda probatio consequentiæ in secunda probatione adducta: Si quidem actus illi vitales solum extrahuntur adesse supernum modificatione quadam, cæterum in sua entitate manent idem cum illis, ideòque non mirum, quo habeant idem objectum specificum.

319. Tertiò arguitur: Amor Dei naturalis est, & dicitur quia Bonum divinum respicit, ut in ordine naturæ communicabile; sicut alius amor supernaturalis gratuitus est, & amicitia quatenus hoc idem Bonum in ordine gratiæ, & gloriæ etiam respiciat participandum, & difundendum amanti Deo authore ipsius gratiæ, sicut ille alius authore naturæ: Ergo etsi uterque actus tendat in Bonum divinum erit sub diversa formali ratione. Respondetur totum verum esse ex parte rationis quæ, & terminative, attenda vero ratione sub qua, & specifica in idem conveniunt Deus ut author naturæ, & gratiæ; siquidem hæ formalitates reducuntur ad summam Dei bonitatem; ideò enim Deus est author naturæ, quia summum Bonum est; & propter eandem rationem est gratiæ conditor: Ergo ista erit ultima, & irreferibilis ratio unius, & alterius summi boni, & eo erit specifica utriusque amoris.

320. Quartò arguitur: Amor Dei amicitia & supernus debet tendere in Deum Bonum summum ex toto corde, ex tota mente, & anima; sic enim definitum est non semel Verbis Domini in utroque testamento; sed hoc eodem modo respicit Deum amor naturalis, alias non esset appetitivus: Ergo vel confunduntur hi amores, vel aliquid latet diversum in hoc divino bono quatenus terminat utrumque actum, vel denique, ad minus non facile percipitur diversitas eorum amorum.

321. Respondetur ad argumentum, & quia sistit tota illius difficultas in hoc, quod cum Deus ex toto corde dilectus, & ex tota mente amatus sit utriusque hujus amoris specificum objectum, ideò inquirere est necessarium, unde nam habeamus, quod amor Dei na-

naturalis non oporteat ad salutem, sicut alius supernus facit? Quæ difficultas adeo gravis mihi semper vila fuit, ut nec voces ad illam explicandam suffragentur; sufficiat meæ imbecillitati, quod tota differentia utriusque amoris haberi dicamus & ex parte Dei ex parte nostri; tunc enim Deum ex toto corde diligimus, & ut ad salutem oportet, quando amor noster super excedit omnes quascumque facultates naturales, & ita super eas extollitur, ut nihil naturale non elevatum valeret ad illum; alius vero amor Deum respicit, ut bonum summum est, sed non supra vires suæ naturæ, sed conformiter ad suam naturalem inclinationem intellectus, & voluntatis. Et ecce argumenti solutionem, & rationem cum specie non differant? Si quis amplius de hoc desiderat, festinet ad cellam vinariam divinæ charitatis, ibique docebitur, ipsique dabitur de hoc vino condito, ut in illo sibi ordinetur charitatis disciplina.

322. Hic queri solet de intensione, & remissione charitatis, sed cum de hoc quo ad hujus intensione, & remissionis quidditatem latius in metaphysicâ, & de modo hujus, in hoc tract. quando de fide agebatur; propterea omittitur. Insuper de modo intensione gradibus remissis correspondentibus etiam tract. 14. circa finem illius; ideoque ne dicta iterum repetamus, & quia in eo tomo continentur, hic omittuntur.

**



QUÆSTIO XIX.

De amore erga proximum.

323. **D**E dilectione proximi extat in sacris litteris specialiter novi testamenti pluries intimatum nobis præceptum; & ideò novum vocat illud Dominus Jesus. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Joann. 15. Novum ergo mandatum, non quia undique novum, sed novis vestitum circumstantiis divinorum exemplorum, novoque modo declaratum. Unum, & idem est cum alio de dilectione Dei, ita inseparabiliter conjuncta, ut nullus verè Deum amaret, si proximum non diligeret, nec proximum possemus amore prosequi, quin simul Deum diligamus. De hoc divinum testimonium affert Joannes in suis Epistolis; & est ratio Philosophica totius doctrine Apostolicæ ea necessaria connexio objecti primarii divini cum essentialiter secundario creato. Hoc sic stante adhuc Dominus vocat eos amores duo præcepta charitatis. *Diliges Dominum Deum tuum & proximum, &c. in his duobus, &c.* Matth. 22. *secundum autem simile est huic, &c.* ibi: Duo enim sunt ejusmodi præcepta in uno, & eodem amore; & sic intimatur à Domino, tum ob eorum unitatem, tum etiam ob necessitatem, & cordis nostri duritiam.

324. Quibus præjactis, ut fiat satis titulo proposito plura in eo investiganda veniunt, nimirum, quid veniat in nomine proximi? Quis sit? Quæ sunt propria proximi, ut debeant simul amari? Et alia, quæ potius ad moralem, quam scholasticam instructionem pertinent. De primo, quis, scilicet, sit proximus, vel

vel quæ ejus quidditas? Parum in eo habemus difficultatis, cum ex terminis ipsis satis denotetur, quod sit mutua nostrorum bonorum, tam in ordine naturæ, quam gratiæ similitudo, unitas, participatio; & ideò omnes homines sunt mutuo proximi, quia sine diversitate sunt ejusdem naturæ, æque lapsi, & sine discretionem redempti, ad gratiam elevati, & illius donorum participes. Et quis est proximus? quæsit à Domino Phariseus: *Accipite resolutionem à parabola illius, qui incidit in latrones; & in discretionem misericordiæ inter levitam, & Samaritanum, quis sit proximus? dignoscetis.*

325. De ultimo, quod querimus hic; est communis sensus Theologorum rationales omnes esse rem primam; & objectum correspondens huic secundo præcepto dilectionis charitatis, primumque inter secundaria creata, quæ sint ejusdem charitatis propria; ratio est clara, fundaturque in eo, quod homo est inter omnia nobis proxima proximior. Postea sunt Dona omnia gratiæ, & gloriæ & in se, & in nobis ipsis eadem charitate diligibilia; amare enim est velle alicui bonum; & quid melius Donis hujusmodi? Denique irrationabilia, & inanimata quælibet pertinere possunt ad hanc dilectionem, utpote propter hominem creata, & homini deservientia, ut Gen. 1. & 2. satis constat: Ergo licet non in se, respectu tamen suæ creationis finis, sic amari debent.

326. Denique circa finem dist. 3. in hoc 3. querit R. de amore animæ proximi comparatè ad corpus proprium, & resolvit; quod anima proximi debent plus diligere, quam corpus proprium, si hoc spectetur secundum se; si vero consideretur ut pars physica integrans hominem perfectum, prius debemus amare corpus nostrum; & fert hanc rationem; quia scilicet, non stat perfecta Beatitudo nisi in perfecto homine; sed quis tenetur ad hujus Beatitudinis amorem? Ergo & ad per se perfectum hominem, qui anima; & corpore perficitur, amandum: Igitur sic prius est corpus meum quam anima proximi.

327. Hic etiam querit R. in q. unica

dist. 32. Num amor charitatis cadat sub præcepto? Et quia de isto dubio generaliter accepto habemus ab Ecclesia damnatum; quod Deum diligere non tenemur ad interiori, quod & de fidei præcepto idem proscriptum extat. Quo adhuc præsupposito; & præintellecto potest locum habere sententia, & modus dicendi Richardi Minoris, licet non satis fundatus apud Theologos reputetur, ideoque communi calculo ejus probabilitas non admittitur; & pro ea stabilienda docet in præceptis, sive positivis, vel divinis, & naturalibus duo consideranda verunt; & præceptum ipsum nude sumptum; & insuper animam præcipientis: Præceptum ergo in se sinit in sua materia; ut jejunium in abstinentia; intentio vero præcipientis respicit finem ab eo intentum; ut imitatio Christi, carnis maceratio, parce vivere, & virtuose: primum etenim cadit sub præcepto jejunandi; non vero secundum.


328. Ita discurret de charitate: hæc enim virtus duo dicit, & Dei dilectionem propter se; & proximi propter Deum; & ulterius secundum nimirum intentionem Dei eam præcipientis, in quantum talis dilectio esse deberet ordinata ad meritum æternæ vitæ; cumque nullus obligetur in vi alicujus positivi præcepti ad vitam æternam promerendam nullus propterea obligari potest ad charitatem juxta intentionem Dei talem virtutem intimantis, & præcipientis: Cæterum nunquam esset absolutè asserendum, quod charitas sub aliqua sui ratione non cadat sub speciali præcepto Domini.

329. Primum; quia Christus specialiter in novo testamento non semel eam verbis, & terminis obligatoriis intimavit: ut constat variis in locis. Secundò; quia si de proximis, & maxime inimicis præcepit charitatem istam, eodem, & ordine, quo nos dilixerat, quanto magis mandatum hoc ad seipsum amandum ordinasset? Tertio: Si fides sub speciali præcepto habetur non solum juxta eam, quæ fides dicit; sed attentò divino ordine, ut scilicet nostræ esset salutis initium: igitur idem debemus de charitate sentire. Denique: In charitatis præcepto est inseparabilis ordinatio divina ad meritum à substantia ipsius

stus præcepti: Ergo hic non habet locum exemplar de jejuniis. Probat: Nam ab actu vero charitatis, qui præcipitur est, inseparabilis gratia Dei, &c. quod non accidit in præcepto jejunandi: Ergo non est eadem ratio.

330. Per quod soluta manet prima ratio Richardi Minoris, & ad id, quod ibidem in contrarium affertur, quod videlicet nullus obligari potest præcepto positivo ad merendum, dicimus, quod absolutè falsum est; cum generaliter obligati sumus ad mandata servanda, ut in vitam ingrediamur æternam; sed nullus adultus hanc vitam possideret sine pro-

priis meritis: Ergo ad propriè merendum sic obligati sumus. Certum est enim, quod non ad est speciale, & expressum præceptum ad merendum, ceterum generale, & implicitum, quis negare audebit? Ut puta gratiæ Dei conservatio: Abstinere à peccatis: Deum diligere, &c. quæ & cadunt sub præcepto, vel generaliter, vel specialiter, & à meriti ratione impræcandibilia sunt. Et hæc de virtutibus Theologalibus sufficiant. D. O. M. opus perficiat, & acceptum habeat; & ad sui nominis gloriam referat.



THEO.



THEOLOGIÆ
BACCONICÆ
SPECVLI
TRACT. XVI.
DE SANCTISSIMÆ
INCARNATIONIS
MYSTERIO.
PROOEMIUM.



ISTE GRADUM; STUDIOSA ELIMARIANA INVENTUS; etsi quandoque ut parvuli sapiēbatis, evaquata nunc præmatura teneritudine, in primordiis Scholasticis plus foliis abundante, ut viri strenui levate capita vestra, & considerate vultum Secundæ nativitatæ Deificæ in speculo illo sine macula, & Imagine divinæ bonitatis, factique in hoc monte altissimæ Philosophiæ contemplationis speculatores Sanctissimæ magnitudinis, videbitis (quantum fas sit, nostræ tenuitati) D. O. M. exultantem ut Gigas duarum naturarum ad currendam viam nostræ mortalitatis, & tanquam sponsum egredientem de thalamo suo. Nos enim de terra sumus, & qui de terra est, de terra loquitur: Qui de cælo venit super omnes est. Quapropter quid de altissimo hujus

Rr

hujus Dominicæ Incarnationis assumpto viles loquantur vermicali? Angeli obtupescunt, & quasi velatis vultibus, in obsequium tanti Mysterii, adorant silentio, cujus nesciant altitudinem. Sic PP. omnes à Dionysio Theologorum primicerio incipiendo. Quid ego? Eloquar, an Sileam? Silentium non licet, cui loquendi præceptum avide urget. Iterum succidimus telam, quam ordiri inæpimus, & à q. 26. 2. 2. D. Thom. cujus pulchram methodum imitari proposuimus, quam per saltum ad tertiam partem iter agredimur, ubi de profundissimo Incarnationis Mysterio, ejus possibilitate, substantia, operationibus, effectibus tractabimus; ibique de ejus sacratissimæ animæ, potentiis, actibus, Donis, gratiis, beatitudine, & aliis ad hoc facientibus, & ad tantum extollendum Mysterium, quod libera nostra identidem instituemus. Relictis ex indultia pro quinto Tomo moralium disputationum, de homine morali, ejus actibus, virtutibus naturalibus, vitiis, & peccatis, ac de horum remediis, & reparatione per Sacramenta novæ legis commentariis hujusmodi.

QUESTIO I.

Utrum possibilis sit Verbi divini Incarnatio?

I. **I**N limine hujus tractatus obviam habemus difficultatem circa illius nomen, & titulum certissime emergentem à principio Ecclesiæ inter PP. illius ætatis, & primos Theologos. Cur ergo cum Verbum divinum factum fuisset homo, ut hominem perditum ad cælestia regna revocaret; dicitur, & insignitur istud mirabile Mysterium nomine, *Incarnatio*, & quod Deus carnem assumpsisset? Anima namque rationalis, & caro unus est homo: igitur non modo asserendum erit carnem fieri Deum, quæ homo non est, sed ejus pars; sicut nec tale Mysterium *Incarnatio*. Ecce dubium mere speculativum; nam de veritate, & certitudine nominis non debet esse opinio aliqua, cum Deus illud nobis revelasset: Sic enim ait Joann. 1. *Verbum caro factum est, &c.* ubi nomine Incarnationis hoc Mysterium de-

claravit. Ratio nunc solutionis ea poterit esse: quod multoties in sacris paginis totum hominis esse, nomine carnis describitur; ut Genes. 6. *Omnis qui peccato corruperat viam suam.* Et similiter in novo testamento, ut Luc. 3. & Paul. ad Rom. 3.

2. Rationem congruentem de hoc asserunt PP. Ambros. Aug. Ciril. & communiter alii: quod Verbum homo factum est propter nostram salutem, & ut per humilitatem suam jacentem mundum erigeret, nostrosque languores tolleret, & peccata portasset, & ut cælestis medicus transiens ad uterum virginis, potius ab ignobiliore parte humanæ naturæ nomen, & vocem acciperet in admirabili Mysterio hujus nostræ exaltationis: Ideoque magna illa misericordia Domini manifestata fuit in carne ista juxta Paul. doctrinam 2. ad Thimot. 2. Præterea non de est congruens ratio, quæ non parum convincat: Siquidem caro ea, quam divinum Verbum assumpsit, necessario fuit passibilis, & mortalis, ad minus ex divina lege: Ergo & ab animam continet, & amplectitur; nam caro, quæ animata non sit, vivens, nec passibilis diceretur, nec mortalis.

3. Ab his expediti, per priusquam ad propositæ q. resolutionem adeamus, deliramenta Hæreticorum à tempore immediatè succedente ad mortem Christi Domini, exponere judicavi, relictis Hæbreorum pro questione sequenti. Et in primis Ebion, Cherintus, & Photinus erraverunt, solum in Christo naturam humanam

manam constitentes excellentissimo modo à divina locupletatam. Contra quos insurgemus per varios textus sacros quos infra adducemus. Ab opposito Manichæus negaverat Christo Domino verum corpus, solumque quod videbatur; & tractabatur esse æreum, vel phantasticum asserbat; à naturali Philosophia adhuc aberraverat, quæ nusquam corpus tractabile æreum fingere potuisset. Arrius præterea veram in Christo negavit animam, sed Verbum divinum pro anima illicarni substituisse, & hoc quidem Verbum, quod esset creatura autumaverat. Ad hoc reducuntur deliria Nestorii, Euthichetis, Valentis, & aliorum; quod esset molestum recensere. Videatur D. Epiphani. de hæresibus, & propinquius VValdens. Nost.

4. Nunc ad rem quæstionis, & præclariore resolutione illius supponendum est tanquam certissimum, Verbi divini Incarnationem omni possibilitate possibilem esse; nimirum physice; metaphysice, & logice, de quo non est locus dubii, & opinionis, cum ejus realis existentia divina fide creditur, & adoratur; unde superest, ut investigemus, quæ ratione, quæ certitudine, & quo lumine de hoc Mysterio, ac de ejus possibilitate loqui valeamus. Vel aliis terminis: Num possibilitas Incarnationis Dominicæ possit demonstrari? An saltem topicis argumentis convinci, supposita tamen notitia præfati Mysterii? ac denique, si ad hoc sufficeret naturale lumen, vel desideretur supernaturalis? pro his sit

5. Conclusio prima: Possibilitas Incarnationis Dominicæ, nec à priori, nec à posteriori demonstrari potest, adhuc si de supposita. Est R. in 3. dist. 1. & alibi; est & communis apud terè omnes DD. & probatur primo: quia nulla apparet causa, ex qua legitime, & certissime inferatur, quæ sit notior, & immediata hujus possibilitatis, nec ex parte divinitatis, nec ex parte naturæ creatæ: Ergo ex nullo ex extremis Incarnationis Dominicæ, quæ de facto est. Antecedens probatur: Ex parte divini suppositi, in primis solum ad propriam substantiam potest assignari principium, & ratio à priori: Ergo non ad creaturam naturam terminari.

Tem. IV.

dam: Ergo nec in Deo, nec in humanitate est conceptibilis causa; aut ratio à priori, quæ inferat possibilitatem hujus Mysterii. Antecedens constat; cum ex solo facto convincamur ad assentiendum huic inefabili Sacramento: Idem argumentum fieri potest, ut probeatur de eo repugnantia demonstrationis à posteriori; cum nullus sit causa, per quod tanquam per effectum essentialiter cum ea connexum, probeatur tatis possibilitas.

6. Ultimum conclusionis probatur: supposita fide de natura divina, ejusque attributis, & perfectionibus, adhuc non apparet ratio à priori, & evidens, quæ infallibiter inferat Deum possibilem esse incarnari, et si hoc certissime posse esse credatur; cum valde in apparenia sint, & longe ab evidentia in se ea ex quibus hoc mysterium consurgit: Ergo nulla dabilis est ratio à priori evidens, & notior, ex qua immediatè demonstretur talis Dominica incarnatio possibilis. Probatur antecedens: Si namque supposita fide, Trinitas divinarum personarum indemonstrabilis est; quanto minus, quod ad extra possint aliam naturam personare, & ita cum illa intimari. Quoad demonstrationem à posteriori, idem valet argumentum; quod prima conclusione dedimus. Immo, & ex parte naturæ creatæ assumptibilis; etenim, si per fidem sua potentia obedientialis credatur; tamen terminus ejus nec cognosci, nec sciri, nec de hoc poterit esse certitudo: Ergo nec ad posse per divinam personam subsistere potest haberi evidentia.

7. Conclusio secunda: Supposita notitia Mysterii potest topicè, & probabiliter probari possibilitas Incarnationis Dominicæ. Primò probatur per unam rationem, quæ ad aliud à D. R. affertur. Non est demonstrabilis impossibilitas Incarnationis Dominicæ, nec evidentia aliqua cognosci potest hoc Mysterium impossibile esse; sed quod ita evidenter non cognoscitur impossibile, nec convinci potest, quod tale sit; & à contrario ejus possibilitas topicè probari valet; supposita, ut par est, ejus notitia: Ergo. Major est certa, tum experientia ipsa sumpta à fundamentis infidelium; tum ex eo quod circa verum præcisè debet esse demonstratio;

Rt 2

quod

quod habet esse necessario ex veris, & per se notis; sed verum non est, immo, & adeo falsum, impossibile esse hoc mysterium; ad quod facit illud Luc. 1. ad Mariam. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: Ergo. Minor illa patet: Siquidem hoc stantē, ejusdem mysterii possibilitas, etsi non demonstratur, saltem probabiliter sustineri posset: Ergo habita à Philosopho de hoc mysterio plena notitia valeret ad illud aliquibus topicis rationibus pertingere.

8. Quænam sint hæ rationes, quæ etiam apud fideles faciunt magnam probabilitatem? Infra dabitur; etsi in eis D.R. in 3. dist. 1. art. 2. contra Subr. loquatur ibidem; de quo nos inter argumenta; nunc ergo sic ratio R. ad quam aliæ reducuntur. Verbi divini Incarnatio est possibilis, & non repugnans nec ex parte divinæ Personæ; nec ex parte naturæ humanæ: Ergo unde quæque possibilis est. Antecedens in prima sui parte probatur primo: Persona divini Verbi habet quidquid requiritur entitatis ad terminandam, & sustentandam humanitatem per exclusionem totius imperfectionis, & cujusvis alterius inconveniētiæ, & repugnantia: Ergo ex parte divinæ personæ nulla est implicatio. Antecedens probatur: Persona divini verbi est actualissima, & infinita substantia in super hoc habet ut ab aliis divinis personis distincta: Ergo potest facere quamlibet naturam creatam sustententem, & absque sui potentialitate, & imperfectione, & absque aliquo repugnantem inconveniētiæ suæ individua substantiæ, & personalitatis.

9. Secundò probatur illud antecedens, & corroboratur assumptum: Persona divini Verbi est sufficiens sustentativum cujusvis nature terminabilis, & suppositabilis: Ergo hac præcisa stante ratione, verificatur possibilitas Dominicæ Incarnationis: Antecedens, in quo sistit totum fundamentum secundum R. est adeo certum, ut ipsa fide mysterii comprobetur; præter quam quod convincitur ex eo, quod Persona qualibet divina est sufficiens in omni linea actus, dicitque, & adhuc eminentissima continentia, omne quodque ens, & omnes modos essendi: Ergo est sufficiens sustentativum, &

suppositivum cujuslibet naturæ. Solumque probare debemus, quod hæc sit potior, & præcipua ratio, ac prima, qua concludatur apud Theologos, & Philosophos possibilitas hujus mysterii ex parte divinæ Personæ.

10. Et ea in hunc modum proponitur ex R. ibi: Ratio præcipua, & prima est formalis, & constitutiva; & quæ aliam nec supponat, nec expectet; sed sic se habet ea, quam affert. R. & nos dedimus pro possibilitate Incarnationis divi verbi ex parte sui: Ergo ea est. Minor probatur: Aliæ rationes nimirum infinitas, vel ascitas per se non faciunt ad hoc, ut divinum Verbum terminet humanitatem, nisi tantum præsuppositivè; sed unice, quod scilicet, sit sufficiens sustentativum illius, hæcque stantē ratione staret possibilitas, quam quærimus, & ea deficiente, deficeret: Ergo unica, præcipua, & formalis ratio est hujus possibilitatis: Præterea: rationes aliæ allatæ negativæ sunt, quæ necessario positionem prius supponere debent: ut puta negatio totius dependentiæ, ut volebat D. subr. Ergo deveniendum erit ad eam rationem, quæ prima est, & positivè talis.

11. Sed contra: Ergo Verbum divinum, non quia divinum sed quia est sufficiens sustentativum suppositare potest humanitatem. Sed hoc ita esse nequit cum ratione suæ eminentissimæ continentia: sicut ad omnes quascumque creatas suppositabiles, valeret ad eam, quæ est humanæ naturæ: Ergo. Respondetur concedendo continentiam, & ad ejus probationem dicimus; quod infinitas, & summa actualitas divinæ personæ solum facit, quod Verbum divinum ex se, & sua virtute naturaliter possit creatam naturam sustentare; non vero est necessum ad ut cumque suppositare alias naturas ea infinitas, & eminens continentia; ad hoc enim sufficiens est esse personæ formalem rationem suppositivam, sicut in qualibet creatâ sustententia reperitur; & ideo tenet R. & nos infra; quod personalitas creatâ potest a lienam terminare naturam.

12. Per hoc idem solvi potest argumentum D. subr. & à R. de facto solvitur hic: Non enim quia sustententia divini Verbi infinita est, & eminenter continens

omnes creatas sustententias potest suppositare humanam naturam, sed ulterius, quia est sufficiens sustentativum; ideoque etsi natura, & essentia Dei ita contineat omnes quascumque formas creatas, nequit conaturaliter nec humanitatis ad humanandum, nec albedinis ad dealbandum vices suplere; quia essentia divina non est, nec potest esse sufficiens causa formalis, & veluti forma se habere, propter repugnantem quidditatem formarum cum hac divina essentia; quæ totum quoddam est, illæ, partes indigentes partibus ad aliud componendum; quod Deo dedecet, repugnat, & impossibile est: non autem suppositare creatam naturam; alio namque respicit hoc propter dicta, & adhuc dicenda.

13. Secundâ pars primi antecedentis, ubi dicebamus, quod Incarnatio divini Verbi non repugnat ex parte naturæ humanæ assumptæ, probatur, & est ex terminis R. hic art. 3. ubi quærit: *An unio ista personalis sit possibilis ex parte naturæ humanæ?* Et immediate §. 2. concludit per istas rationes: *Licet natura suppositabilis esset idem realiter entitativè cum suo esse suppositativo, vel cum sua sustententia, adhuc esset ordo quidam inter eas ex natura rei; sic nimirum: quod naturâ esset prior, & principalis in essentia, posteriorque sustententia, & hæc in essendo constitueretur per modum effectus formalis illius; sed quamvis essent idem realiter, si hic ordo ex natura rei interveniat in eis, posset natura suppositabilis suppositari, à præhabito sufficienter suppositativo, si forte præhaberetur, ut de facto accidit in Verbi divini Incarnatione: Ergo illa suppositatio possibilis est, & non repugnat.*

14. In qualificatione harum præmissarum tota dabitur doctrina R. Major ergo sic constat: Nam substantia prius est, quod sit quoad sua essentialia, & ejus partes primarias; & posterius, quod sibi relinquatur per se stans ultimo independens, & incommunicabilis; sed primum est essentia; & secundum taliter esse hujus essentia: Ergo & inter hæc est ordo assignatus ex natura rei. Minor vero principalis etiam liquet: Siquidem natura quælibet suppositabilis, à qua per divinam potentiam suspendatur influxus circa pro-

priam sustententiam, ut potest, ratione illius ordinis, quem ex natura rei dicant substantia præfata, & sua sustententia; si præhaberetur sufficiens suppositativum, ad quod etiam dicit ordinem in vi suæ obediētiæ potentia, ab eo sustentententur; & suppositentur; sed hoc videmus in divini Verbi Incarnatione: Ergo. Assumptum totum probatur: Prius absolvi potest à posteriori, quia ab hoc non dependet; & hujus loco per Dei potentiam, & creature obediētiæ, quæ prima debet esse, aliud subrogari: Ergo istud non repugnat naturæ humanæ in ordine ad alienam sustententiam.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

15. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Possibile est, quod ad actum reduci potest; sed etsi persona divina uniri posset humanitati, hoc non esset ponibile in actu, quia deficeret agens, cui tribui posset hæc unio: Ergo non est adeo possibilis hæc unio, nec ulla ratione probabilis. Probatur minor: Quia persona divina deficeret à summa perfectione, si daretur agens hujus unionis, nam ipsi deficeret perfectio aliqua sibi adquirenda per eam unionem cum humanitate. Insuper probatur: Quia hæc datur, nec dabile est agens, quod vincere posset eam infinitam distantiam inter Deum, & homines, improportionemque summam superare; nam deberet esse superius agens respectu talis unionis. Denique: Non datur agens, quod vincat distantiam duorum immediatè contrariorum; sed magis quam contrariè opponuntur, Deus, & homo, caro, & divinitas: Ergo impossibile apparet ista unio, & mysterium nec topicè probabile erit.

16. Respondetur ad argumentum negando minorem, & simul quod non datur agens, cui hæc unio Verbi cum humanitate tribuatur; nam efficiens predictæ unionis est Deus Trine personatus, à quo sunt omnia opera adextra, formalis vero,

vero; vel quasi formalis causa terminativa; & substitiva unionis cum humanitate Persona divini Verbi, ut à Patre; & Filio distincta; cum qualibet habeat sufficientem virtutem substantificativam, seorsim, ut sic dicamus, & ab aliis distincta. Nec contra facit prima illius minoris probatio: Nam agens hujus unionis nihil ageret, aut produceret in Persona divini Verbi; sed ex sua misericordia magna erga hominem, ea libere sinit independentiam humanitatis Christi Domini, terminat, substantiat, & c. quia aliquid novi de perfectione eidem accedat; sed unice novam extensionem, & terminationem circa illam individuam humanitatem.

17. Ad secundam hujus minoris probationem est communis solutio: Quod improportio, quæ datur inter finitum, & infinitum, & creaturam; creatorem, hominem, & Deum est solum commensurationis, non vero ordinis; vel ut alii volunt, est arithmetica, quæ non obstat geometricæ coadunationi: quomodo corpus animæ, naturale ad supernum; creatura eum creatore proportionantur: Et eo isto ordine natura humana respicit divinam personam, & ad eam ordinatur, ut ad terminum sufficienter ipsius substantificativum, non positive, sed per obedientialem non repugnantiam. Nec denique ultima probatio argumenti urget: Nam deus, quod caro, & spiritus sint contraria, vel incompatibilia; hoc semper deberet intelligi in eodem, & secundum idem; vel in identitate prædicationis formalis; cumque non sic uniantur Deus, & homo, cum Deus non convertatur in hominem, nec homo in Deum, sed in diversis naturis divina, scilicet, & humana Verbum divinum subsistat, ideo nulla apparet implicatio in hoc ut ita distantium unione.

18. Secundò arguitur: Ideò divinum Verbum uniretur naturæ humanæ, ut eam faceret personatam, & subsistentem; sed hoc non videtur possibile: Ergo talis unio possibilis non est. Minor probatur: Sic uniretur Verbum humanitati, sicut naturæ divina humanæ; sed divinitas non faceret naturam humanam esse Deum: Ergo nec persona divina personatam. Assumptum argumenti convin-

cit: Nam suppositum Verbi, & divina substantia idem realiter sunt: Ergo si fieri potest, quod suppositum Verbi esset suppositum humanum; etiam substantia Dei esset hominis substantia; siquidem quando duo idem sunt, quod dicitur de uno, de alio potest prædicari.

19. Responderetur ad argumentum; & antea supponimus, hic non loqui de ea communicatione idiomatum Catholice recepta propter intimationem divina personæ cum natura humana; cujus ratione, Deus dicitur factus homo, & homo Deus; sed alia specialiori, & Philosophica loquutione; conformiter ad quam; dicimus; quod stante veritate identitatis Verbi cum divina natura non est eadem de utroque prædicatione in omnibus; tam in iis, quæ ipsis ad intra, quam quæ ad extra conveniunt; sed solum attempta identitate in illa ratione formali; in qua idem sunt: Patet evidenter in superficie: hæc enim eadem ipsissima est inesse superficiæ, & inesse loci; & tamen non quod de illa dicitur, qua superficies est, prædicatur sub ratione loci: Ergo licet indivinis verificetur hæc summa identitas inter naturam, & personas, non quod de illa prædicatur; dicitur de istis: ratio omnium est; diversitas respectuum, quam ad tertium dicere possunt. Sic Verbum dicit respectum substantificativum ad naturam humanam suppositabilem, quem divina natura non dicit, quia in sua formali quidditate suppositum non est, sicut est Verbum, etsi cum ea idem realiter sit.

20. Tertio arguitur, & ratio D. R. impugnatur: Verbum divinum ideo terminare potest naturam humanam; quia Deus est: Ergo ista deficiente ratione, non esset possibilis unio talis: Antecedens probatur: Verbum divinum est sufficiens suppositivum humanitatis, quia divinum est: Ergo quia Deus est; Probatur antecedens: Verbum, & quælibet alia persona divina posset terminare humanam naturam, quia præcontentivum est cujuslibet creati suppositi; sed hoc haberet ratione infinitatis, & divinitatis: Ergo. Argumentum facit contra aliam q. inferius elucidandam, ideo ad illud nunc dicimus breviter, quod divinitas, & infinitas
ta.

faciunt per se in hoc mirabili mysterio non præcisè ad sustentandam humanitatem, sed ulterius ad eam miraculo modo, ordine, & perfectione exaltandam; cum quo componitur, quod unice ad eam suppositandam desideretur in divino Verbo, esse sufficiens suppositivum ex sua ratione, substantiæ, scilicet, & personalitatis, quæ illius propria sunt.

21. Ultimo arguitur pro secunda parte conclusionis: Inter naturam, & subsistentiam non potest esse ordo ille requisitus, ut per prius natura assumatur à divino Verbo ratione suæ potentie obedientialis, suspensa, & veluti prohibita propria suppositione, & propria subsistentiæ causalitate: Ergo Incarnatio hæc videtur repugnare ex parte naturæ humanæ. Antecedens probatur: Natura quælibet est eadem realis entitas cum sua propria subsistentia: Ergo inter eas non intervenit hic ordo; siquidem ad se & respectu sui non potest esse prius, & posterius. Respondet R. ibi: quod subsistentia, etsi idem sit entitative cum natura, distinguantur tamen gradualiter, admodum quo homo possibilis à se ipso distinguitur sub gradu existentie constitutus; & hoc sufficit ad verum ordinem inter naturam, & subsistentiam requisitum, ut prius sit hæc natura; ut actu est, posterius illa met ut absoluta est ab omni dependentia, quod quidem est gradus subsistentiæ in actu, sicut homo possibilis istum ordinem prioris, & posterioris servat.

22. Nunc instatur argumentum: Subsistentia ea, quæ à Deo impeditur, & suppletur in natura humana per assumptionem divini Verbi, si gradus est talis naturæ, esset gradus substantialis, & perfectionalis illius; sed hoc non congruit fidei hujus mysterii: Ergo nulla est solutio data. Major patet: Nam gradus subsistentiæ cum ea identificatus substantialis est, & perfectionis; & minor probatur: Si gradus iste subsistentiæ humanæ esset de perfectione illius, aliquid, quod pertineret ad perfectionem talis naturæ, non esset assumptum in Incarnatione divini Verbi; sed hoc est contra fidem Mysterii, in quo credimus assumptum omne, quod pertinet ad veritatem humanitatis, ut verus Deus credatur, & homo: Ergo.

23. Parum urget instantia, & ad eam dicimus: quod subsistentia gradus substantialis est naturæ creatæ, sed non essentialis, & primarius, sed secundarius, & in genere causæ formalis effectus suæ substantiæ, ideoque non est perfectionalis, nec aliquid dicens de perfectione supra perfectionem naturæ substantialis, cujus effectus secundarius est; unde eo deficiente, & à Deo impedito, verificatur tota essentia hominis veri in actu existens à Verbo divino assumpta; & Christus remanet verus Deus, & verus homo. Dicitur gradus iste subsistentiæ, substantialis, quia est eadem entitas cum substantia, cujus effectus formalis est, non est perfectio substantiæ suæ, quia secundarius, & supponens totum, quod est essentialis constitutivum.

24. Sed adhuc non acquiescunt, & instant per inconcernentiam cum propriis doctrinis: Subsistentia hæc, etsi gradus secundarius, deberet esse perfectionalis intra lineam substantiæ: Ergo si impeditur à Deo in Mysterio Incarnationis, aliqua perfectio esset in assumpta natura humana à divino Verbo, quod est contra fidem Mysterii. Antecedens probatur: Subsistentia ex genere suo, & ex sua ratione perfectio est, & perfectionem dicit superadditam ad perfectionem essentia: Ergo si gradus substantialis, est, & perfectionalis erit. Antecedens probatur: Relationes divinæ juxta ideam R. perfectiones sunt, & aliqualem addunt perfectionem ad suam naturam, quia subsistentiæ sunt, & personalitates, et si quid sint supponens naturam divinam constitutam: Ergo similiter dicendum venit de subsistentia propriæ naturæ creatæ.

25. Respondeo ad replicam, quæ prima fronte præmit: quod alia ratio longe diversa est indivinis, ac in creatis subsistentiis; hæc etenim sunt effectus secundari propriæ naturæ, & ad eandem substantiam pertinent cum illa per modum adjacentis illi separabiliter; & ideo non est mirum, quod nil perfectionis addant ad propriam substantiam: Non sic debemus considerare divinas subsistentias, quæ ultra munus subsistendi, & terminandi propriam naturam dicunt esse, & essentiam,
five

sive quidditatem peccularis prædicamenti ad *aliquid*, addantque novam, & particularem bonitatem, quæ et si non faciat perfectionem simpliciter meliorativam, dicunt tamen perfectionem hujus determinatæ personæ, quam constituit. Alia vide tom. 3. tract. 10. q. 17.

QUÆSTIO II.

Utrum conveniens fuerit Verbum divinum incarnari? Et quid de necessitate Incarnationis?

26.

Authores omnes, quos videram, & sancti, qui de hoc admirabili Mysterio Theologica metho

trahant, quarant pro convenientia, immò & necessitate Dominicæ Incarnationis, de quo etiam non semel D. R. in hoc 3. & insuper in 4. et si quæstionem resolveret per veritatem, & existentiam Mysterii; unde ut utrumque compleamus, & à communibus DD. non recedamus, & R. per omnia valeamus proficere, per prius de congruitate, & necessitate aliqua dicemus in præsentia; ut postea in sequenti de veritate quidditatis divini hujus Mysterii, & ejus existentia ex utraque pagina, quæ hic desunt, adjiciamus.

27. Et supponimus in hoc uno supposito Christi Domini, Deum hominemque conveniri, ita quod sicut anima rationalis, & caro, unus est homo, sic Deus, & homo unus est Christus; ideòque & Dei, & hominis est Mysterium, quod scrutamur, & speciali quodam jure ad Deum, & hominem attinere debet, quod inquirimus: num, scilicet, sit Deo congruum, & conveniens hominem fieri, vel præterea necessarium? An homini, Deum denominari, & usque ad solium ascendere divinitatis? Nam sicut Verbum credimus caro factum; sic hominem Deum factum

non erubescimus. Congrueret igitur Deo, quod homini esset valde conveniens, ni dicamus necessarium, quod Verbum divinum carnem assumeret. Consequenterque ad dicta, totam resolutionem devolvere tenemur, & ad divinum Verbum, & ad humanitatem assumptam.

28. Et ut ab humanitate incipiamus, quia nobis notior; supponimus bona omnia, quæ per Incarnationem sibi obveniant, primum, & principale est ipsius exaltatio ad divinum esse, redemptio à servitute Diaboli, restitutio gratiæ, gloriæ præparatio, infusio, & collatio omnium donorum per Christum Dominum, & alia innumerata, de quibus dicitur: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus.* Ad Ephes. 4. Ecce quantum congruit humanæ naturæ divini Verbi Incarnatio! Quantum decuit! Quot modis convenit? De quo non potest esse opinio aliqua. Unde superest, ut aliquibus rationibus ulterius ejusmodi assignata congruentia probetur, pro qua sit:

29. Conclusio prima: Naturæ humanæ valde congruit assumptio ad divini Verbi unionem. Est communis, & saltem mediate de fide tenenda, quatenus proposita conclusio posset legitime deduci ex aliis de fide creditis, primòque probatur ex illo Paul. 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod possumus, quod est Christus Jesus.* Ubi clare exprimitur, quod nullum aptius excogitari valeat stabilimentum nostræ salutis, quam Domini Jesu Nativitas, & mors, Verbique divini Incarnationis. Nunc Aug. 13. de Trinitat. cap. 10. *Si alius modus fuisset possibilis nostræ redemptionis; sananda tamen nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisset.* Probatum præterea ratione: Semper ac in qualibet providentia redempti fuisset modo, & medio connaturali, esset per fidem, spem, & charitatem; sed hæc virtutes in Verbi divini Incarnatione congruentius reparantur: Ergo & totum genus humanum. Patet ex immediata revelatione Mysterii Sanctissimæ Trinitatis, in quo fides fundatur, spes erigitur, & charitas fovetur; sed harum totum fundamentum sumeretur à Christo Je-

su,

Quæst. II. Utrum conveniens fuerit Verbum divinum, &c. 321

su, quia nemo posset aliud ponere: Ergo.

30. Conclusio secunda: Congruit suo modo, divino Verbo carnem assumere, & hominem fieri. Est etiam communis; & ex eo probatur: congruit Deo ostensio suæ summæ bonitatis, Misericordiæ, Justitiæ, & Sapientiæ modo mirifico, altissimo, & inestimabili; sed sic est, & videmus in gloria tanti Mysterii: Ergo pensare debemus ita factum congruere divinæ Majestati. Probatum major: Bonitas divina extollitur per sui intimam, & substantialem diffusionem humanitate assumpta in unius suppositi divini unionem; misericordia, & amor erga homines, quos sic dilexit, ut filium suum mitteret, & daret, atque cum inimici essent, Deo ipso reconciliarentur, quod est magna, & inestimabilis dilectio charitatis, Justitia Dei exaltatur, quatenus hominis ad Deum offensa, & injuria superabundanter satisfactione à Christo exhibita extinguitur; ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia mediatoris. Ac denique sapientia lucet; ita quod sicut in esu ligni, & in amore propriæ elationis per unius inobedientiam peccatores constituntur multi, sic in Filii Dei humilitate mundus jacens erigitur, factusque obediens usque ad mortem crucis, Diabolus, qui in ligno vincebat, per lignum quoque sapientissime vincitur: Igitur plusquam bene audit, quod Verbo Dei sua Incarnatio congrueret.

31. Contra hæc asserta fieri solent objectiones aliqua, quæ parum urgent, sicut & rationes à nobis adductæ. Una est: Quod Deus in creando hominem, & eam ad ordinem gratiæ elevando per se immediatè se habuit: Ergo ad illum restaurandum, & gratiam restituendam congrueret, quod eo modo procederet. Secunda est: quod sicut mediis Angelis suas complet functiones ad extra, quia omnes sunt administratorii in ministerium missi, sic & convenientiori modo per medium istud hominem redimeret: & maxime si consideretur distantia finiti ad infinitum. Denique & quod magis urgere videtur Tom. IV.

est: quod æque peccarunt Angeli, & homines; sed Deo non congruit Angelum assumere, ut Angelum liberaret: Ergo idem dici deberet de homine.

32. Ad has objectiones dic; ad primam; quod Deus creando hominem, & eum ad gratiæ statum promovendo non ita misericors extitit, & Pius, sicut in recreatione manifestatus fuit; nam maxime in parcendo sua omnipotens pietas ostenditur: & ad hoc congruit, ut mediis ad hoc convenientibus uteretur, qualia sunt, hominem fieri & in humanitate assumpta debitum Adæ ad æqualitatem solvere: taliter fieri oportebat fidelissimo fidei iustiori. Per hoc ad secundum. Ad tertium de peccato Angelorum, satis supra, cum de eorum obstinatione; & hæc est ratio quare nullam Angelos apprehendisset, sed semen Abrahamæ apprehendit.

QUÆSTIO III.

De veritate Incarnationis, ac de ejus existentia.

33.

Quamvis hic, & sub isto titulo queratur de quidditate Dominicæ Incarnationis, ac de ejus exercita existentia; quatenus pervenit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum factum ex muliere; & cum de hoc variæ & gravissimæ quæstiones inter Theologos emerferint, non intendimus hic animum ad eas simul elucubrandas applicare, sed suo ordine, & singulariter, ac pro opportunitate disquirere curavimus; & his nunc contenti, quæ præcipua sint, & congrua veritatis inestimabilis Mysterii Verbi incarnati, & ad illius exercitæ existentia dignitatem exprimere;

§§

unij

unice inhærentes doctrinis sacris utriusque testamenti, & maxime iis, quæ in veteri sunt ab Hæbreis acceptæ; & novi, miraculis Christi Domini à Mattheo, & Joanne enarratis.

34. De hoc D.R. ex instituto non semel, aut bis; agit ergo de veritate Christi promissi, & existentis in 3. dist. 6. q. 1. ibidem dist. 20. q. 2. & 3. in 4. prolog. q. 1. 3. & 4. & ubique latissime, nosque ejusdem D. ductum sequentes aliqua dabimus, & si pro parte parum, aut nil adjicere valebimus. Ac per prius pulchram ejusdem doctrinam in medium ante conclusiones adducemus. Distinguit enim inter promissionem de futuro, & de præsentis, & de illis asserit, Christum Dominum, qui à Judæis vocatur Messias, & à Christianis Jesus Christus, utroque modo constare promissum in veteri testamento à Hæbreis recepto, & pro tempore, quo erat venturus, & pro tempore completo, & consummato sui gloriosissimi adventus; & utriusque adventus prophetiis ut verus Deus, & homo verus in carne assumpta regnaturus in æternum creditur.

35. Et ut promissionibus hujusmodi tanti haberentur, quantum oportebat de tam præexcelso Mysterio, quadrupliciter factæ prophetantur; primò generalissime, ut cum Deus serpentem comminaturus dixerat Gen. 2. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Secundò generaliter ad Abraham. Gen. 12. *Inte benedicentur omnes congregationes terræ.* Specialiter tertio, ad familiam Judæ. Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda:: Donec veniat, qui mittendus est.* Quarto denique specialissime ad David; Psalm. 131. *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui:: Juravit Dominus David:: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, &c.* In quibus demonstratur unitas promissionis, & ejus existentia in tempore non solum complenda, sed completa pro quibus sit.

36. Conclusio prima: Christus Dominus in lege promissus, verus Deus est, & verus homo. Est omnium Catholicorum divina fide credita. Primòque probatur conclusio: Christus Dominus est in

lege, & prophetis promissus tanquam Redemptor humani generis, & restaurator naturæ humanæ superabundanter, copiose, & affluenter; sed idèd vaticinari deberet verus Deus, & verus homo: Ergo ita est veritas suæ Dominicæ Incarnationis. Major non negatur à Judæis; licet in eorum doctrinis alio tendat Christi Domini restitutio, & redemptio, nimirum ad bona, scilicet, temporalia, quibus antea abundabant, & ad suæ Monarchiæ pristinam exaltationem regressio. Minor vero probatur primo; & primo loco adducemus locum Isai. 7. à Judæis non correptus ubi dicitur ad Regem Achaz, quod petat à Deo mirabile, insolitum, & nunquam visum miraculum, sicut illud quod Gedeon à Deo petierat de vellere, Judic. 7. cui fuit responsum pro signo hoc:

32. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium; & vocabitur nomen ejus Emmanuel: Ubi intelliges, quod virgo illa conceptura accipitur in Hæbreo pro muliere omnino à viro incognita, & nondum corrupta, aut usquam corrupenda: Vides Gloriosissimam Matrem Virginem Mariam prophetatam ad litteram; vides Messiam verum hominem ex vero homine natum per exclusionem totius viri consortii; sic enim textus profertur, & convincitur dictum: *Parvulus natus est nobis* ubi per nativitatem ex muliere denotatur humanitas; & *filius datus est nobis*, & hic per esse datum viri cōmixtio denegatur, totamque veritatem mysterii, quæ sequuntur, demonstrant: *Vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est nobiscum Deus; ac nomen ejus erit; admirabilis Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Principis Pacis, & regni ejus non erit finis.* De quo idem Isai. 9. signanter loquitur textus sacer de nomine inefabili tetagrammaton, quod solum Deo vero adaptatur, uniceque de illo dicitur, ut apud PP. videtur, & specialiter in Nostro Baconio peritissimo Hæbraici, Chaldaici, Sini, & Græci sermonis.*

38. Secundò probatur eadem minor, & specialiter ps. 44. 71. 88. &c. ubi satis prædicatur clare humanitas, & divinitas Christi Domini; sunt etenim hi psalmi pro promisso Redemptore, & fortè de alio quolibet ad litteram accipi non possunt;

sunt; ut: *Speciosus forma præ Filiis hominum; hoc est tessera illius humanitatis: sedes tua Deus in sæculum; & in sæculum sæculi: Quid clarius pro sua vera divinitate? Quibus miro ordine consonat idem David eo Ps. 88. Ubi querens, quomodo conjungi possent in eadem persona esse verum hominem, & verum Deum. Responder per assumptionem naturæ de semine Israel Regis David: *Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israel Regis nostri.* His additur magnitudo, præstantia, Dominium, potestas, & origo messiae latissime in Psalm. 71. prædicata, quæ nisi esset simul Deus verus, & homo, cum ipse non adæquarentur.*

39. Tertio posset probari eadem minor contra hæreticos negantes Christi divinitatem per miracula, quæ referuntur in Evangeliiis, & maxime, Joanni: & per prius accipiamus ex eodem dictum de Jesu ad Judæos: 15. *Si opera (inquit) non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit; peccatum non haberent.* Ex quo sic formatur ratio. Si Christus Jesus Verus Deus non esset, non illo modo fuisset loquutus, sed ita quod denotaret, non virtute propria, talia magnalia patrasset; sed ibi satis expressè dicit se esse authorem illorum mirabilium, quibus convicti præterentur ad sibi credendum: Ergo. Præterea solus Deus intuetur hominum corda, ut constat ex 1. Reg. 10. sed Joann. 1. & 4. Legitur quod secreta cordis Nathanaelis, & Petri penetrasset: Ergo & quod verus Deus sit, in eis revelatur. Insuper: Solo verbo suo in Cana Galilææ mutavit in vinum aquam, cap. 2. sed solo suo verbo novam substantiam creare; est proprium Dei; ut habetur Gen. 2. Ergo. Denique ejusdem Joann. 10. testatur Christus potestatem habere ponendi animam suam, & iterum sumendi eam; sed hæc potestas est solius Dei propria: Ergo verus Deus est, & verus homo. Contra Mahumetanos hæc urgerent argumenta; si his dictis acquiescerent, ad quod certissime obligantur; semel quod in suo Alcorano Dominus Jesus, ut primus, & excellentior omnibus prophetis estimatur; sicut in eo legitur; si namque taliter propheta est, testimonio ejus nunquam subesset falsum; & verum diceret, si se esse

Deum, crederent ab eodem Mahumet testificatum. Hoc eodem argumento suffimus pro Sanctissimæ Trinitatis Mysterio contra eosdem.

40. Conclusio secundæ: Christus Dominus verus Deus, & homo de facto fuit missus, & venit in mundum acimpleta est Scriptura Baruc. 3. *Propheta in veris visus est; & cum hominibus conversatus est.* Resolutio, ut jacet, est omnium Christianorum specialiter contra Judæos adhuc expectantes Messiam promissum in lege, & Prophetis; quæ validissimis textibus ab eis receptis probari potest; ac præterea per mirabilem concordiam historiæ Evangelicæ cum prophetiis de ejusdem Christi adventu; historiis etiam aliquibus ab ipsis Judæis celebratis; immò & satis congruentibus rationibus: Ex quibus aliquas & nos pro instituti nostri qualitate dabimus, ac de reliquis Lectorem Carmelitam ad N.D.R. remittimus in supra citata loca ex 3. & 4. ubi satis abundè de hoc.

41. Nuncque primo probatur ex loco peculiari ex illo Genes. 49. ubi Jacob benedicens filios suos ad Judam perveniens ait: *Non auferetur sceptrum de Juda; & dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est.* Prophetia impleta est temporibus Octaviani Cæsaris, cujus auxilio Herodes Ascalonita Idumæus obtinuit Regnum Juda; & simul ablatum fuit à Judæis sceptrum, & Imperium; & hoc eodem tempore Christus Dominus natus, & missus est annis hucusque numeratis 1748. sic enim concludit prophetia: *Et ipse erit expectatio Gentium;* quia, Judæis; ut in plurimum rebellibus lumini remanentibus, facta fuit ad Gentiles Ecclesiæ transmigratio. Et ut obviamus communi solutioni Judæorum ad hunc passum, constat ex eorum lectione, quod prophetia non posset intelligi de Nabuchodonosor aut Jorboam; sic enim legitur in Hebraico; & Chaldaico, ubi Hieronimus habet: *Qui mittendus est: Donec veniat filio: Donec veniat Messias;* Ergo in adventu Messiae impleta fuit prophetia hæc Patriarchæ Jacob, & non in aliis temporibus.

42. Secundus locus habetur in Dan. 9. ubi Archangelus Gabriel Danieli instruens de tempore adventus Christi Do-

mini, sic illi dixisse legitur: *Septuaginta hebdomades abbreviata sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur pravaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungetur sanctus sanctorum.* Textus ad litteram de Christo Domino, & quidquid dicant Judæi ex illo convicti, nulli alio adaptari ita potest. Pro quo supponimus, & non negatur ab Hæbreis; quod ibi textus intelligi nō debet de Hebdomada dierum septendecim: Ergo relinquitur, quod sensus esset de septem annorum, cum in sacris litteris solum dierum, & annorum Hebdomades computentur. Ex qua certa suppositione, & quod a tempore hujus visionis usque ad Christum Dominum fluxere 490. anni, quos totidem componunt præfata septuaginta Hebdomades annorum, hæc legitime sequitur consequentia: Ergo textus præfatus concludit Judæos, & convincit tempus adventus Messia implerum.

43. Aliter fortiter probatur ex mirabili concordia, quæ ad oculum videtur inter prophetias, & vaticinia de Christi Domini Nativitate cum iis, quæ de facto concedimus facta illo felicissimo tempore, ut refert Matth. a primo cap. suæ historiae Evangelicæ, tum de Christi origine secundum hominem, tum de ejus apparitione, & miraculis. Sin autem ad Christum Legislatorem intendamus; prophetiæ de hoc maxime coherent usque ad adventum Spiritus Sancti cum relictis à sacris Evangelistis; & idem de eodem Domino Regnante dicendum. Ac denique adhuc Judæi respondere compulsi, nec audent, nec sciunt, quid dicant de captivitate, in qua per tot sæcula vivant. Quodnam suum esset peccatum a temporibus Tiri, & Vespasiani; ubi in ore Gladii perisse leguntur ad Nonaginta milia eorum? Etsi hæc veritates non cogunt, Deus auferat velamen à cordibus eorum, ut lumen videant illusciscere per totum orbem terrarum, quod sic in adventu Justi resplendit usque nunc: ut verificaretur illud. *Isai. 9. Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, ambulantes in regione umbrae mortis lux orta est eis::*

Parvulus natus est.

&c.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

44. Argumenta Judæorum potius sunt solutiones frivola, quam contra assertam veritatem instantia; est quæ ab eis conficiuntur, fundari solent super fuciles, & inanes eorum traditiones, & velut somnia: Omittimus ea, quæ faciunt contra possibilitatem mysterii divinae Incarnationis, de quibus supra; immo in de cursu totius hujus tractatus; & sit primum contra primam conclusionem: Deum hominem fieri, nec ratio convincere, nec divinum testimonium potest: Ergo specialiter de hoc non datur sufficiens probatio. Probatur antecedens quoad secundum. Locus speciosus est ille Hierem. 23: & ubi expressius denotatur divinitas Christi his verbis: *Eccæ dies veniunt:: & suscitabo David germen justum:: Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus, justus, noster;* sed ex hoc non probatur: Ergo. Minorem probant, primo sic legendo: Hoc nomen, scilicet, *germen justum, Dominus justus noster vocabunt eum, vel vocabit;* sumpto plurali, pro singulari, ut assolent; unde lili *Dominus* non intelligunt de Christo misso, sed de Deo Domino mittente.

45. Secundo probant per nostram vulgatam ibi: de divinate non esse expressum sermonem in illo passu; nam esse Dominum convenire potest cuique magnati, & iustum esse, creaturæ puræ: Ergo ex eo, quod in allegato loco vocent Messiam *Dominum, & iustum nostrum,* non sequitur esse verum Deum. Tertio probant sic: translatio septuaginta interpretum ita magni habetur apud Christianos, ut ea potius utantur in divinis officiis, & maxime in illis, quæ sunt temporis adventus Christi, & suæ Nativitatis; sed in horum versione pro nomine *Dominus,* legunt *Kiryos,* quod in Græco significat non puram divinitatem, sed *Dominus apud nos,* quod indifferens est Deo, & creaturis: Ergo non est fundamentum, à quo probetur Deitas Messia ex hoc loco.

46. Ref.

46. Respondetur ad argumenti primam probationem: quod modus ille intelligendi textum Hieremias sustineri non potest, nisi corrumpendo litteram originalis Hæbrei, quod ut negent divinitatem Messia, non esset alienum ab eis: Littera enim sola clarior est, & dicit, quod Germen David vocabunt nomine, *Dominus, justus, noster,* & aliud quodlibet est textus extortio malitiosa. Ad secundam probationem respondetur; certum esse, quod in nostra vulgata legitur, *Dominus,* quod nomen non significat puram divinitatem; ratio est; vocum nostrarum inopia, propter quod caremus nomine proprio; quo unice, & pure significetur Deitas; ceterum aliis adjunctis, ut hic legitur, & ex contextu sermonis, satis expresse indicatur, Deum esse Dominum, iustum; nostrum; Germen David, de quo Hierem. Corroboratur nostra versio per Hæbream lectionem, ubi habetur, quod vocabunt eum *Tetragrammaton,* quod nomen solius est divinitatis.

47. Nec contra hoc urgere potest versio septuaginta interpretum, ubi non nomen Dei solius, sed *Kiryos* legunt, quod quidem nomen *Deum in nobis,* & apud nos significat; nam etiam noster interpret in 9. Isai. Messiam Deum vocans nomine *Emmanuel* quod *Nobiscum Deus* interpretatur, ex contextu totius litteræ veram Deitatem indicat: Unde licet *Kiryos Deum apud nos significet,* hoc non inconvenit, ut verè Deitati adaptetur. Ratio quare septuaginta illi interpretes sic calare curarunt divinitatem Messia; licet & fecerunt in translatione eorum locorum, quæ in Hæbreo ferme clare enunciant Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, ea est, quod male audiebat apud Ptolemeum Egypti Regem, cujus studio, & diligentia ac sumptibus veteris testamentum de Hæbreo in Græcum verti curaverat, tum tres divinae Personæ, tum etiam quod Deus factus sit homo; & ne offensa fuissent Regi benefactori, nominibus iis usi fuerunt, quæ sensum alium admittere potuissent.

48. Contra secundam conclusionem arguunt multipliciter Judæi, adhuc adventum Messia expectantes, & est secun-

dum argumentum in ordine. 2. Aggæi sic legitur: *Veniet desideratus cunctis gentibus; & quo tempore? Idem Propheta testatur: Magna erit gloria domus istius novissima edificata, quam prima;* sed usque nunc non habemus domum, & templum gloriosiorum primo Salomonis Templo, ut compleantur prophetiæ Aggæi. Et Ezech. 40. ubi aliud Templum sumptuosius Salomonico prophetatur temporibus Messia, & nondum inceptum: Ergo tempus istud nondum venerat. Nam ex eodem Aggæo 2. habemus, quod Domus edificata post captivitatem Babilonicam de licentia Ciri Regis Persarum per Ducem Zorobabel deteriorum esse prima per Regem Salomonem extructa. Secundo: Non videtur impleta prophetia Isai 2. *egredietur virga, &c. & flos de radice ejus ascendet,* sicut visa fuit floritio in virga Aaron, sed nec ibidem prophetatum: *Habitabit lupus cum agno, &c.* cum ista adhuc non videamus; nec pacem illam, quæ in eodem Isaiâ proclamatur; siquidem Judæi vivunt miserabiliter in bello continuo: Ergo.

49. Respondetur ad argumentum, & antea supponimus, quod sicut hæc, sic & omnes aliæ cavillationes Judæorum nil urgent Christianos, quia vel fundantur in corruptela Bibliorum suorum, quorum ut in plurimum, novissima laborant malitia corruptionis, & antiqua Hæbraica vix inveniuntur: vel aliter insistant in temporali, & carnali intelligentia textuum; quid de Messia loquuntur, contrarium declamante eodem Domino: Joan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo:* Non quia non esset verus, & legitimus Rex, ut Pilato interroganti: *Ergo Rex es tu,* non negasset: *Tu dixisti,* sed quia de spirituali; & immarcescibili principatu semper loquutus fuisset, & ita intelligi deberent: aut cum velamen insipientiæ ob oculos suos habeant, videntes non vident, animam esse plusquam corpus, spiritumque carni prævalere.

50. Conformiter ad quod dicimus, quod gloria domus secundo ædificata per Zorobabel, de qua Aggæus, & Ezechiel, non debet accipi pro magnitudine templi, & divitiis ejus, nec pro multitudine victimarum, & sacrificiorum, sed magis spiritualizata, ut ex littera ipsius Aggæi

la.

fatis colligitur: *Spiritus meus erit in medio vestrum, & implebo Domum majori gloria, quam primam.* Idem ferè legitur Ezech. 36. *Dabo vobis cornovum, & Spiritum novum ponam in medio vestri.* Totum adimplevit Dominus in secunda domo, quam sacraavit sua sanctissima præsentia multoties, & in qua Spiritus Sanctus super Apostolos descenderat; & quæ major gloria? De hac eiecille legitur vendentes, & negotiatore tali superioritate, ac Dominio, quod ex funiculis fecisset quasi flagellum; ut divini impetu à Domo Dei eiciantur: ubi non solum se esse Dominum satis clare demonstraverat, sed domum illam esse illa gloriosiore, & sibi præelectam: *Nolite facere Domum Patris mei, Domum negotiationis.* Joann. 2. Concludimus gloriosiore fuisse sine dubio Domum istam secundam; quam primam.

51. Ad aliud de prophetia Isaia bene constat esse loquutionem figuralem; de qua V. Maria Virga dicitur de radice Jesse Patris David orta per Nathan; similiter Christus Dominus flos; quia in Nazareth; quæ florida interpretatur, conceptus de Spiritu Sancto est ex eadem Virgine Maria. Ultimum vero nullius est roboris: Tum quia Christus natus est eo tempore, quo mundus abundabat pace: *Toto orbe in pace composito.* Eccl. sub Octaviano Augusto. Tum & maxime, ratione perpetuæ tranquillitatis, & pacis inter Deum, hominemque usque in finem permanfuræ per unum mediatorem Filium suum caro factum: Et hic est verus Spiritus litteræ:



QUÆSTIO IV.

Utrum unio Dei ad hominem facta sit in natura, vel in Persona? Et quomodo?

32.

Antiquis Theologis avidis tractabatur, quod nunc Scholastica methodo quærimus; ut Eutiches, & Nestorius argumentis validis confunderentur, & eorum Zizania fidelium messem non absorberent: Et licet ad hæc usque tempora nostra, Deo favente, non pervenirent, immò nec illorum ullum vestigium residuum videamus in hoc Hispano Ecclesiæ selectissimo territorio: Agimus adhuc de eo; & aliis hujusmodi dogmatibus, tum; ut nostræ ad Deum gratiarum actiones in dies augeantur; & crescant: tum & maxime, ut sole clarior veritatis Catholice infallibilitas magis; ac magis in nostris mentibus illucescat; ac cordis penetralia irradiet, & inflammer.

53. Ergo erraverunt Eutiches, & Nestorius viis tamen diversis, & adversis Primus asseruit, & docuit, quod unus mediator Dei, & hominum Christus Jesus est unus unitate suppositi, & naturæ, quatenus humana confusa est cum divina, vel in eam conversa, vel potius transsubstantiata, sed quidquid de hoc esset, error iste; unionem naturæ cum naturâ adstruebat, & quod unio Incarnationis Dominicæ facta fuit in natura, ex qua Christus Redemptor non posset dici homo verus, sicut Deus verus est. Non sic declinaverat Nestorius; hic enim duplicem personam, & suppositum in hoc Christi

Christo cognoverat, divinam, scilicet, & humanam; hæc electa, & prædilecta, sanctificata, & exaltata per divinam, cui inesset, vel sicut motor in mobili, aut sicut subsistens in subsistente, vel specialem illapsam, & moralem non interruptam præsentiam: ideo Christus Dominus Deus verus est, & homo verus, subsistens homo, personatus proprio supposito, à Deo adæquate productus in utero suæ Sanctissimæ Matris, cujus creationi solum suppeditavit uterum in quo conditus esset; & ista est causa, quare nec Mater Dei, nec Christus filius hominis veredici, & esse asseverat; sed lato modo Mater Christi dicenda sit virgo Maria.

54. Effet in infinitum procedere, si in his deliramentis pedem figere velimus: obstant dictis, & textibus sacris, Sanctis D. D. & in aliquibus Philosophorum sententiis. Constat repetitis in locis sacris utriusque testamenti, & ex ipso Verbo Christi Domini esse verum hominem, hominisque filium; sed si natura humana confundatur cum divina, vel ab ea observeretur, nullo modo esset homo, nec filius hominis diceretur: Ergo corrueant prophetiæ veteris testamenti, & Verbum Domini non maneret infallibile. Immo & physice deficeret in suis doctrinis, si authoris naturæ natura cum creata naturâ audiretur confusa: Quomodo confusa? Per identitatem? Implet esse idem; & sic fieret idem natura creata cum increata: Per mixtionem? Repugnat: Mixtio debet esse inter miscibilia, quæ amabili vinculo conveniri queant in una tertia entitate; sed natura infinita & à se, impossibile est lumini rationis, quod eo jure cum creata uniat, & misceatur: Ergo. Quid ergo erit illa naturæ divinæ, & humanæ confusio? Dicat Eutiches.

55. Circa hæresim Nestorianam juxta ipsius doctrinas tenere, & docere videtur, in Christo Domino duas esse naturas cum suis subsistentiis, & personalitatibus, ideòque compositum hoc esse aggregatum quoddam Deum hominem complectens, unde Christus conceptus, natus, passus, mortuus, sepultus, & resurgens non est verus Deus, nec Redemptor erit, & Salvator, quin verus Deus

esset, sicut verus homo; sequela convincitur ex eo, quod Christus, quatenus subsistens in persona divina, & natura similiter divina non esset natus, nisi in eadem persona simul esset homo; sed homo ille Deus non esset natus, &c. quin homo ille esset verus Deus, & in Persona divina subsistens: Ergo attempta doctrina Nestoriana corrumpit totus ordo nostræ Redemptionis, qui, scilicet, per vitam, passionem, mortem, & resurrectionem veri hominis, & veri Dei haberi debet secundum decreta stabilita suæ divinæ voluntatis.

56. Proprius igitur accedentes ad Theologicas conclusiones, fide divina credimus, & tenemus unionem Dei ad hominem factam esse in Persona divini Verbi: sic Joan. 1. *Verbum caro factum est:* licet etiam apud Catholicos vocatur ea unio Hypostatica, quatenus in una, & eadem divina Hypostasi admirabili commercio uniuntur natura divina ad humanam, verbumque illud caro factum in Maria V. Deum nobis protulit, & hominem: Et de hoc non est opinio aliqua, sicut nec de identitate reali hujus divinæ personæ cum divina natura, salva tamen ea distinctione, de qua latius supra tract. 10. fundata in iis diversis rationibus absoluti, scilicet, & relativi, vi quarum Verbum terminat humanitatem, non vero divina natura terminat, unio Dei ad hominem facta est in Persona, & non in natura.

57. Ex qua summa identitate naturæ divinæ cum personalitate divini Verbi, & supposita utriusque reali immediatione ad humanam, & simul doctrina fidei superius data de hypostatica, & reali unione Dei ad hominem, adest locus quætionandi, quænam sit formalis, & immediatus ad humanitatem, personalitas, annatura? Et quomodo ad eam se habeant? Ratio dubitandi ex eo oriri potest, quod natura divina est actualior personalitate, & hypostasi: Ergo formalis, & immediatus se habet ad naturam humanam. Patet per id, quod supra tract. 10. circa constitutionem divinarum personarum dicebamus; quia, scilicet; essentia divina primus actus est, & ab ea habetur in divinis omnis actualitas quæcumque: Ergo actualia

actualitas ea, quam Persona divina tribueret humanitati, primo, & principaliter oriretur à divina natura: Ergo hæc formalis, & immediatius se haberet ad humanitatem assumptam in unitatem personæ.

58. Resolutio hujus complectemur brevibus, & non multum in ea immorabimur; ad quod dicimus; & libenter concedimus, quod tota actualitas in Deo, & in omni quolibet ente, habetur à sua forma, & à primo illius esse, unde cum essentia, sive natura Dei sit primum illius esse, & veluti forma, ab illa est omnis actualitas tam in absolutis, quam in relativis divinis prædicatis; ideoque ad rem nostram similiter tenemus, quod ea actualitas, quam Verbum divinum humanitati assumptæ communicat, & est à natura divina principaliter, radicaliter, & originative; at vero ab ejusdem divini Verbi personalitate suis respectivè actus habetur originatus, tanquam à fonte à divina essentia juxta sensum à nobis tract. 10. citatum.

59. Nunc ad rationem dubitandi dico: Aliud est formalis, & aliud immediatius se habere divinam naturam ad humanam; formalis ergo se habet hæc natura, quia actualitas subsistendi, quam Persona Verbi præstat humanitati oritur tanquam à fonte, & radice ab actualitate divinæ essentia, qui primus actus est in divino ente; Immediatius autem terminat divina Persona humanam naturam, quia inter illam, & humanitatem nil mediatur, cui tribuatur alius effectus formalis præter illum, qui est substantificare, & sistere ipsius dependentiam; quod propriissimum est actus, & potentia substantificantis Personæ hujusmodi convenientis. Ecce modum, quo unio Dei ad hominem facta in Persona sit; & in quo fides suum locum tenet, salva manente quidditate Essentia, & Verbi divini subsistentia secundum utriusque formalitatis munus; ad mentem D. R. in 1. dist. 4. & nos tract. 10. tom. 3.

60. Quæri hic adhuc potest: Quid de potentia Dei absoluta circa hoc? An, videlicet posset natura divina assumere creaturam circumscriptis personis? Quod idem est; num effectus personandi, &

subsistendi in creata natura possint suppleri à divina, in hypothesi, quod circumscriptatur à suis personis? Dubium sub his terminis nullibi videram, nec in D. R. aliquid ad hoc faciens expresse, cæterum ex ejus doctrinis facilis erit quæsti resolutio: Sic enim prævie ad divinas Personas erit totius subsistentia experta, consequenterque ut nullomodo per se existeret, & subsisteret; sed à forma tali nequit alteri naturæ tribui effectus per se standi: Ergo si ponamus naturam divinam nudam ab omni subsistentia, nec ea per se sic existeret; nec aliam posset facere subsistentem. Minor constat; non formaliter; quia excludit omnem formam subsistendi; non virtualiter, vel eminenter, ratione, scilicet, à alicujus æquivalentis; nam hoc esset contra hypothesim quæsti: Ergo certum est quod sequitur.

61. Secundò quæri potest: Si à Personis divinis circumscribamus suam naturam, possent alienam facere subsistentem; nec ne? Dubium, parum aut nil difficultatis habere credo, ut pote in adjecto implicatorium: cum supponat personam à sua natura circumscriptam, cujus prædicatum essentiale est, sicut rationalitas hominis: Ergo inconceptibilis est persona, quæ naturæ intellectualis per se existens est ab ista natura præcindens. Alia potest esse circa idem non levis difficultas; utrum scilicet, Persona divina extrinsecus assistens humanæ posset illam facere personatam, & subsistentem? Ratio dubitandi fundatur in aliis formis, quas Deus posset supplere per suam extrinsecam assistentiam, ut hominem justum, & gratum constituere, elevare ad ordinem supernum sine gratia, &c. Ergo id ipsum præstaret, ut humanitas subsisteret, & maxime cum subsistentia sit effectus secundarius substantia.

62. Neque hoc majorem ingerit difficultatem: Nam in primis videmus de facto in Venerabili Eucharistia Sacramento quantitatem panis, & vini per se stare, & hoc est subsistere, per meram extrinsecam Dei manu tenentiam, & conservationem: Ergo eodem jure valeret ad quamlibet naturam creatam, absque alicujus intrinsecæ terminatione, per se existentem constituere,

stituere, adhuc quod substantia esset, impediendo videlicet propriae suae substantiæ effectum secundarium, & loco illius per se ipsum extrinsecus eam faceret per se stantem, sicut de facto accidit in Eucharistica quantitate. Quo probabiliter supposito; addimus, quod in hoc casu possibile, natura ea ita subsistens per extrinsecam Dei assistentiam; nec diceretur personata, nec adhuc suppositata; & est ratio; quod esse personam, & suppositum; essentialiter dicunt non solum per se esse; & per se stare; & existere; verum & naturam ultimo constituere in gradu prædicamentali substantiali; sed hoc haberi non potest ab extrinsecò sui, quia esset; & non esset personata: esset namque ut supponitur, & non esset in eo eventu substantia personata; quia ab intrinsecò sui non esset complete ens per se: Ergo, &c.

QUÆSTIO V.

Quenam sit formalis ratio in divina Persona assumendi naturam creatam?

63. **N**on sigilatur quæstio ad personam divini Verbi, sed ad omnes tres divinas personas, immo ad omnes quascumque creatas, & adhuc, quod nuda supposita sin, & subsistentia tantum: Tractamus hic de assumptæ materia, ut ea investigata; altissimi Mysterii Dominicæ Incarnationis, quod hujus scopus est; arcana perscrutemur; & in primi scertum debet esse, verbum caro factum esse, non quia fuisset necessarium nec Deo, nec hominibus; non Deo, cui nil ad extra proficit, nec nostris bonis ullo modo indiget: non homini, quia aliter posset fuisset Redemptus, & superabundanter, ac affluenter; cæterum

decurt; & congruit; & Deo; & hominibus; Deo videlicet, ut ipsi fieret satis eomodo, ac via, quibus offensus extiterat; homini vero, ut diabolo victo per eam qua vicerat; vinceretur; nam homines cum similes per peccatum insipientibus jumentis facti essent; per Dei sapientiam restituti, & reparati ad eam scientiam prevenirent, quæ abscondita est cum Christo in gloria.

64. Quo supposito tota ratio dubitandi habetur in eo; quod cum Persona divina constituatur absoluto, & relativo; natura, & subsistentia: si namque ratio formalis assumendi humanitatem sit natura; cum hujusmodi assumptio sit ad se sumere eam naturam; ut subsistat, & personetur; non apparet probabile; quod hunc effectum formaliter præstat divina natura; quæ omnem prævenit subsistentiam: Et si relationi velimus concedere formalitatem substantificationis, & suppositionis ad humanitatem, incidimus in aliam non minorem difficultatem: nam ratio ut formaliter distincta à natura non dicit perfectam; & actualitatem propriam substantiæ; quod est propriissime personare: ac denique composito illi ex natura, & relatione tribui nequirit; cum complexum hoc non sit aliud, quam natura, & ratio: sed nec in natura; nec in relatione reperitur ratio ea formalis personandi alienam naturam; & istud est, quod desideratur: Ergo non in vanum quærimus pro hac ratione formali.

65. Parum urgent dubitandi rationes, cum facili negotio solvantur; nam forma, & Persona divina, cui tribueretur ad extra effectus personandi, & substantiandi, naturam, esset ea ipsa, quæ ad intra constitutive diceret eam suppositionem; sed nec natura secundum se nec ratio, ut à natura distincta constituunt personam; & suppositum in divinis, sed constatum ex iis juxta à nobis præscriptum tom. 3; tract. 10. Igitur ab isto erit formalitas suppositandi ad extra sicut est ad intra; cum ab illo habeatur complete quidditas suppositi, & Personæ divinæ. Argumentum, & instantia nullius est roboris, quia ut in plurimum id, quod partibus non convenit, nec de eis dicitur separatim, nec si simul junctæ accipiuntur sub-

re possunt talem denominationem, quæ partibus repugnabat.

66. Nec de hoc est presens quaestio, cum certum debeat esse apud omnes, quod ratio formalis, quæ divinum Verbum terminat humanam naturam necessario sit actus suus sufficienter substantificativus, de quo & nos supra; unde relinquatur ut investigemus, an præterea detur in Personis divinis aliud quid, quod immediatius sit principium hujus terminationis, & medium quo sistitur natura humana à Verbo, in casu facti, & secundum presens decretum. In nullo ex recentioribus videram dubium, de quo hic, at ob reverentiam R. D. de quo expressè procedit, & loquitur, de illo nostram instituemus conclusionem.

67. Conclusio: Ratio formalis, & proximior, & quæ Verbum divinum assumpsit humanam naturam, est sua potentia assumptiva. Est expressa R. in 3. dist. 2. & in modo dicendi singularis, at inesse rei debet esse communis: Et maximè attentis probationibus suis: sic enim ait ibi: *Sicut in Deo datur, & verè, & realiter una potentia creativa, & ad extra productiva, quatenus sua omnipotens natura, & essentia eam necessario infert, sic & propter eandem rationem debemus in divino Verbo aliam potentiam assumptivam naturæ creatæ concipere, cujus virtute assumeret humanitatem; sed illa potentia activa, & creativa est formalitas immediatior ad res creatas: Ergo hæc assumptiva potentia in Persona Verbi divini deberet esse proximior, forma, ut sic dicamus, vi cujus Verbum assumeret humanitatem.*

68. Nunc probatur minor, in qua videtur esse fundamentum D. R. Ideo verè, & propriè est in Deo ea potentia creativa, quia respectus creativi ad extra, in quo consistit ejusmodi potentia, necessario sequitur adesse divinum, tum ratione suæ essentia in infinitum diffusivæ, & communicativæ entis, vel quia Deus est totum esse eminenter subsistens; atqui Verbum divinum, & omnes alia personæ, immo, & quælibet alia adhuc creata, quia actus sufficienter sistivus, & substantificativus est, habent in se formam exigentem respectum suppositivi ad suppositibile, qui quidem constitueret potentiam substantificativam, & naturæ as-

sumptivam: Ergo sicut verè, & propriè in Deo consideratur illa potentia creativa, sic eadem in divinis Personis assumptiva. Paritas undequaque currit.

69. Superest, ut probemus, hic paritatem tenere: Non minus propriè, & realiter Deus ad extra producendo creat, quam verè similiter naturam creatam assumpsit, suppositat, Personat, substantiat, terminat, & sistit; sed ratione actus exerciti illius cum fundamento concipitur in Deo ea potentia creativa ad extra, formaliterque distincta à sua essentia: Ergo eodem ipsissimo ducti fundamento aliam potentiam assumptivam valemus concipere in divino Verbo similiter distinctam ab ejusdem personalitate. Major cum minori sunt adeo certæ; unde relinquatur, quod probetur consequentia: Ideo ergo potentia illa creativa est formaliter distincta ab essentia Dei ratione peculiaris respectus creativi, & productivi de Deo prædicabilis, in quo sistit, sic, vel sic, potentia quidditas; sed idem respectus est assumptivi, & substantificativus: Ergo & eadem potentia erit.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

70. **P**rimò arguitur: Ratio principalis & adhuc unica R. ad adstruendam in divinis Personis assumptivam potentiam in ordine ad quamcumque naturam creatam est respectus assumptivi ad assumptibile, sicut & respectus creativi ad creabile constituit in Deo potentiam specialem creativam; sed hoc non probat intentum: Ergo. Minor probari posset primo: Per hoc, quod potentia ea creativa in Deo non est verè, & formaliter talis, sed tantum logice, & prædicabiliter; & à subsistendi consequentia, videlicet, discurrendo de actu ad potentiam; siquidem creavit mundum: Ergo habet ad creandum potentiam; alia enim potentia verè, propriè, & formaliter talis dicit eas imperfectiones à potentiis inseparabiles; præterquam quod respectus quilibet Dei ad extra, quo potentia similes constituuntur, sive fiat transcendentales:

tales, sive de prædicamento ad aliquid, non est adeo probatum in Deo reperiri: Ergo non est unde ex illa potentia deducatur probatio pro alia assumptiva, quæque esset formalis ratio assumptionis divini Verbi ad humanitatem.

71. Secundo probatur illa minor, & directe: Data ea potentia creativa in Deo non probatur dari in divinis personis aliam similiter assumptivam: Ergo non bene probat ratio R. Antecedens: Potentia Dei creativæ convenit ea definitio, quam dederat Arist. & nos pluries cum eo de potentiis activis; nimirum esse quid in alterum, ut alterum est, activum; sed hæc definitio de divini Verbi assumptiva facultate non dicitur; siquidem non est ullo modo activa, nec in ordine ad alterum, ut puta ad naturam humanam, esse potest: Ergo nec potest dici verè potentia, sicut est creativa. Minor probatur: hæc potentia assumptiva in divino Verbo conceptibilis non dicit positivum respectum ad naturas creatas assumptibiles, sed solum meram non repugnantiam ad eas assumere, ratione, scilicet, earum potentia obedientialis: Ergo non est propria potentia, sicut creativa est.

72. Respondetur ad primam probationem illius minoris; & eadem dicimus: quod genus potentia activæ, ut sapius diximus, non solum de Deo dicitur, & prædicatur, ut cumque, & sub eo sensu, in quo procedit probatio, logice; nimirum sed & verè, & propriè, ita quod sicut in Deo est, & de Deo dicitur potentia generativa ad intra, sic est ad extra creativa, nullaque harum Deo dedecet, quia sunt de genere activorum, quæ necessario sunt actus, & perfectioes, ut est Phil. doctrina. Neque respectus ille transcendentalis, aut prædicamentalis à Deo relegatur in sensu R. de quo nos tom. 1. & casu quo aliquid diceret imperfectionis, & dependentiæ quidditas relationis, à quo pro nunc abstinemus, adhuc daretur in Deo hujus generis potentia activæ ad extra sine illo respectu, sed solum ratione suæ supereminentiæ virtutis creativæ, & productivæ; & hæc eadem ratione constitui posset in Persona divini Verbi formalitas verè, & realis potentia assumptiva

Tom. IV.

cujusvis naturæ creatæ omni ab ea præcisè respectu ad extra.

73. Ad secundam ejusdem primæ minoris probationem negatur antecedens, & ad ejus probationem dicimus ad majorem: quod Arist. definiit activas potentias, ideòque nil mirum, quod sub eis non comprehenderet eam, de qua Theologi, & maxime, cum substantias non bene cognovisset, nec earum à suis substantiis separabilitatem: quomodo valeret ad alterius substantiæ assumptionem in eis substantiis cognoscendam? Argumentatur ergo, & bene R. hic ex illa potentia ad istam à simili, & aequali ratione: Si in Deo, inquit, datur verè, & propriè illa species potentia activæ, & productivæ ad extra, prout ad Arist. explicatur, ratione, scilicet, respectus creativi ad creabile: Ergo similiter datur alia potentia assumptiva in divino Verbo, videlicet assumptivi ad assumptibile; sed illa est verè potentia, & formalis ratio creationis: Ergo & ista, & proximior assumptionis est.

74. Secundo arguitur: Potentia hæc assumptiva in divino Verbo vel esset potentia propria naturæ divinæ, vel relationis, aut suppositi; sed nullus est: Ergo nec est conceptibilis. Minor probatur de supposito; nam de natura, & relatione filiationis seorsim acceptis certum est, non pollere assumptiva potentia; cum naturæ deficiat incommunicabilitas, & relationi perscrutata quidditativa, quæ formalitates necessario desiderantur ad aliquam naturam sustentandam: Et in hunc modum sit probatio: suppositum divini Verbi nullius naturæ creatæ est suppositum, sed solum divinæ: Ergo in eo non fuit, nec fluere potest potentia ad assumendam alienam naturam, ad summum enim concipere possemus in hac divina Persona non repugnantiam, ut supra dicebamus, ut per potentiam obedientialem creaturæ, si Deus vellet, eam suppositaret; atqui hoc non est dicere potentiam propriam; sicut nec Aer dicit potentiam veram ad calidum, & frigidum, sed ad ea meram non repugnantiam: Ergo idem dicendum erit de facultate divini Verbi ad assumendam alienam naturam.

Tr 2

74. Ref.

74. Respondetur; & ad minorem bene in argumento; nam sicut potentia substantiæ accidentium, nec est materiæ, nec formæ, nec ab illis oritur seorsim acceptis, eadem ferme ratione de potentia assumptiva loquitur R. in præsentis, unde cum eodem asserimus à supposito adæquare, & per modum cuiusdam totius accepto oriri, & ad illud consequi debere eam potentiam assumptivam alterius, & alienæ naturæ, quæ quidem cum non sit potentia exigentiæ, indigentis, vel necessitatis, aut connaturalitatis, erit potentia utique verum non repugnantis ad illius sustentationem, tum & verè, facultatis, & virtutis ad effectum hunc præstandum; & illud sufficit ad conceptum, & quidditatem positivam potentis. Idem dicimus de Aere, dicit utique non repugnantiam ad frigiditatem, & calorem, & cum ea veram rationem subjecti horum accidentium sustentativi: Igitur etsi non dicat potentiam exigentiæ, habet tamen veram rationem potentis susceptivæ eorum.



QUÆSTIO VI.

Utrum hæc assumptiva potentia, quæ Tribus divinis Personis convenit, possit simul exerceri in una creatâ? Vel unius suppositi divini in pluribus naturis similiter creatis, quæcumque sint?

76. **S**upposita veritate, & infallibilitate Deistæ mystærii, in quo credimus Verbum caro factum, Deum hominem fieri, ac divinam personam, & suppositum filii humanam naturam assumere, & sustentare, insurgit cumulus quæstionum, & difficultatum circa quidditates personæ assumptis, & naturæ assumptibilis, quæ in suis rationibus præcendant ab eo, quod in facto esse, Deus fieri decrevit. Sic enim, ex eo quod Verbum Dei humanam carnem assumpsit, licet dubitare, si Pater, & Spiritus Sanctus incarnare potuissent? An solum, quælibet divisivè; vel adhuc tres divinæ personæ simul sumptæ? Si valerent ad omnes naturas, sicut de facto una persona ad unam? Ac denique si hæc per extraordinariam potentiam assumptibilis ab una, vel tribus divinis personis, posset esse Angelica, sicut de facto est humana; aut alia quælibet ex naturis corporeis, quamvis nec viventes sint, nec rationales? Denique si omnes omnino creatæ & creabiles naturæ? Aliæ præterea emergunt dubiola, de quibus infra.

77. Nuncque ad propositum supponimus, quamlibet divinam personam habere potentiam suam peculiarem substantivam, & terminativam naturæ creatæ, qua-

quatenus quæcumque est actus sufficienter substantiæ in se, & respectu propriæ naturæ divinæ: Igitur & ad omnem creatam. Assumptum est de veritate mystærii Trinitatis, & legitime probatur consequentia à paritate divini Verbi, quod quidem, quia actus sufficienter terminativus est, & suppositivus in propria natura, terminat, & sustentat creatam naturam: Ergo idem sine differentia aliqua necessario dici debet de Patre, & Spiritu Sancto. Credo hanc esse consequentiam Theologicè certam ad minus: Unde superest ut ad eas tres Personas, simul sumptas sermonem divertamus; an se mutuo impediatur interminando creatam; vel in hoc non sit potentia, quæ dicitur simultatis, & ad simul terminari per tres divinas Personas?

78. Pro quo recolendum est, quod in hypothese possibili, quod unio Dei ad hominem facta sit immediate in natura divina, & mediate in Persona, tunc omnes tres simul fuissent incarnatæ, & suppositarent unam, & eadem naturam, tresque Personæ coadunarentur, & nulla posset non terminare præfatam naturam, cum effectus formales divinæ naturæ communes sint toti Trinitati necessario, & infallibilitè: In qua hypothese, etsi tres essent Personæ terminantes, & sustentantes, & tria supposita sustentia naturam eam creatam, convenirent tamen sub una ratione formali, ad quam ordinarentur. Hic modus sentiendi legitur in Beat. Agid. in cujus sententia intolerabile videtur, quod tres Personæ divinæ simul, & immediatè terminent eandem naturam creatam, quia in eo casu, quælibet sub sua speciali terminaret ratione; esset enim unus effectus, & causa triplex Deft. 4.

79. Doctr. Subt in eodem 3. dist. 1. aperte sentit, naturam unam contentam in unica substantia; cæteris in sensu composito impossibilibus, & impossibilibus; una excepta divina natura, quæ ob suam infinitam fecunditatem satis est tribus divinis suppositis subsistere, & terminari. Fundamentum hujus, imo & opinionum contrarietas in præsentis oritur ex diversitate sentiendi circa quidditatem suppositi, & substantiæ; de hoc aliqua nunc

dicemus, etsi ad metaphysicos pertineant; & quia eorum sententiam tantum recolimus, & quia R. quæstionem de suppositi natura in isto loco instituit. Quærit enim in 3. dist. 11. Quid addat suppositum supra naturam? Suo quo modo quæstionandi diligenter examinat, & resolvit per quæstionem primam, quid sit in sua essentia suppositum, per prius variis modis dicendi aliorum DD. impugnat, & suis argumentis solutis, de quibus breviter nos in ista suppositione.

80. Suppositum etenim, & idem dicimus de substantia in suis prædicatis quidditativis, non potest addere ad naturam negationem puram; vel aliter; substantia pro recto sui constitui nequit per privationem, carentiam, aut negationem, cujus rationem assignat D. R. dist. 1. hujus 3. tenet ergo, quod omnis privatio, quæ ad rem faciat, velut forma, & quidditas fundari debet supra positionem, & affirmationem, sicut de immaterialitate, & infinitate sentitur: Ergo ea independentia sive actualis, sive aptitudinalis, quæ suppositum, & substantia est, etsi privationem quandam exprimat, fundatur tamen supra positionem, quæ sit id, quod additur ad naturam substantialem. Nec insuper hoc superadditum ad naturam, in quo sicut suppositum constitutivè, poterit esse modus essendi substantialis supra naturam, quasi resultat ex ea subsistente cum suis proprietatibus, ut Beat. Agid. hic docet: Nam quod substantia non sit, aut accidens, non cognoverunt Philosophi; sed modus iste suppositi ad naturam superadditus, nec est substantia, ut est certum, nec accidens, quia extraheret naturam suppositam à suo ordine, & eam deteriorerem constitueret: Ergo talis modus medius, in quo ratio suppositi consistat, conceptibilis non est.

81. „ D. R. hac 11. dist. art. 3. ut placet, num iter suæ sententiæ sternat, ita atque Pro-
„ ducto individuo de genere substantiæ,
„ hæc quatuor se habent secundum ordinem.
„ Primò enim, si natura sibi relinquitur,
„ quatur, statim sequitur effectus suus formalis, qui est per se subsistere. Secundo,
„ cundò, ordine naturæ consequuntur, ibi quidam respectus suppositi substantiæ,

„ Itentis ad suas partes dantes esse actu
 „ sibi subsistens, & ad accidentia nata sibi
 „ inesse. Tertio insunt accidentia. Quar-
 „ to sequitur quidam modus relictus in
 „ eo ex inhærentia actuali accidentium;
 „ scilicet, esse extensum, & esse album,
 „ &c. Ex quibus primum, & secundum
 „ quia sunt ad rem nostram, idè probant,
 „ quod suppositum ad naturam substantia-
 „ lem addat effectum quendam formalem
 „ de genere substantiæ, cujus ratione sibi
 „ sufficiat, & alijs, quæ essent illius propria,
 „ ut accidentia, quæ eidem inesse deberent:
 „ Et hic quidem effectus formalis, quia se-
 „ condarius est, suppleri potest à Deo om-
 „ nipotenti, vel per suas substantias, vel
 „ quascumque voluerit creatas, aut non,
 „ juxta DD. placita.

82. Conclusio prima: Tres divinæ
 Personæ assumere, & personare possunt
 unam naturam creatam, plures, & qual-
 cumque. Est R. expressa, D. Thom. &
 tere communis exceptis supra notatis, &
 alijs cum eis. Habet conclusio tres partes,
 quarum prima sic probatur: Omnes tres
 divinæ Personæ possunt ad extra, quod
 qualibet potest; sed una quæque potest,
 & terminat naturam creatam: Ergo om-
 nes possunt. Respondent contrarii; silo-
 gismum laborare fallacia consequentis, &
 debet in hunc modum exponi: Omnes
 tres divinæ Personæ possunt, quod qua-
 libet, eo modo quod unaquæque potest;
 sed una, & quæcumque ex tribus potest
 seorsim ab alia personare, & de facto ter-
 minat naturam humanam: Ergo omnes
 similiter possunt divisim, vel successi-
 ve, ac non simul unam, & eandem sub-
 stantare naturam creatam. Et secundum
 istam expositionem silogismus apud om-
 nes concludit legitime consequentiam;
 ceterum intentum conclusionis non con-
 vincit.

83. Sed contra: Silogismus, ut jacet,
 non leviter probat intentum conclusionis
 in hunc modum: tres divinæ Personæ
 possunt ad extra simul, & divisim, quod
 qualibet: Ergo nulla est solutio. Proba-
 tur antecedens: Tres Personæ divinæ pos-
 sunt ad extra in linea personandi, quod
 intra de eis dicitur, & ipsis convenit; si-
 quidem ideo ad extra Verbum supponit
 naturam creatam, quia ad intra perso-

nalizat divinam; sed ad intra tres Perso-
 næ divinæ simul terminant naturam: Er-
 go hoc eodem modo possunt ad extra
 creatam. Contra: Nec ratio facta con-
 vincit: Nam tres Personæ divinæ sic ter-
 minant simul ad intra unam naturam di-
 vinam, ut implicet, quod quælibet seor-
 sim ab alia eandem terminare valeat; sed
 ad extra fides docet, quod una Persona
 Verbi terminat creatam humanitatem, alijs
 non terminantibus: Ergo ex suppositione
 ad intra non probatur ad extra: Ergo nec
 ex eo, quod tres simul terminant divinam
 naturam, bene inferes, quod eadem
 conjunctim terminare possint creatam.

84. Instatur solutio: Tres divinæ
 Personæ ideo simul terminant propriam
 naturam, ut aliter implicet, non ex con-
 ceptu Personæ, & suppositi, sed ratione
 naturæ, quia divina est, cum Personis
 intime idem, & omnes cum ea sic identi-
 ficatæ, ut mutuam dicant circumincedio-
 nem; atqui non ita se haberent cum na-
 tura creatâ: Ergo non habet locum solu-
 tio: Ergo recte probat nostra ratio, quæ
 iterum reproducitur in hunc modum:
 Quod convenit alicui ex Personis divinis
 in ratione personandi ad intra, conve-
 nit omnibus ad extra, ubi non appareat
 repugnantia, & iis positâ, quæ non im-
 plicent; sed Personæ ad intra simul ter-
 minant eandem divinam naturam: Ergo
 possunt ad extra eo modo. Præterea: Nec
 quælibet quæ seorsim ad extra, intra termi-
 nat sic divinam naturam, quia hæc disjunctio
 repugnat summæ infinitati naturæ ad intra
 terminatæ; nec ab opposito, tres divinæ
 Personæ necessario petunt ad extra simul
 eandem terminare creatam naturam; quia
 hæc finita est, & limitatæ suppositibilita-
 tis à Personis distincta, & sejuncta: Ergo
 nec exigit, nec illi repugnat simultas
 trium illarum terminationum.

85. Secundo, & magis directe pro-
 batur prima pars conclusionis: Pluralitas
 actuum, & formarum non repugnant si-
 mul, quâdo adest correspondenter in sub-
 jecto pluralitas potentiarum invicem co-
 hærentium; sed in natura creatâ datur &
 potentia naturalis, & obedientialis ad
 suppositari connaturaliter, & supernatu-
 raliter simul: Ergo eandem possunt simul
 terminare naturam tot supposita, quot

coq.

coadunari possent, si Deus vellet. Patet
 hæc consequentia: Nam solum ad pro-
 priam valet agens naturale propria sub-
 stantiæ productivum, ad alias vero subsi-
 stentias, quæ obedientiali potentiæ cor-
 respondeant; divinum tantum; sed hoc
 divinum agens valet ad omnia, quæ non
 implicant, vel repugnant: Ergo potest
 naturam creatam suam triplici substantia
 divina simul, & conjunctim terminare;
 si quidem nec implicat ex parte naturæ
 creatæ, nec ex parte divinæ personæ
 naturæ.

86. Assumptum principale probatur:
 Plures actus divinarum substantiarum
 sunt plures, & non incompatibiles inter
 se, nec comparati ad naturam creatam:
 Ergo non est unde repugnet eorum simul-
 tas in eadem natura. Antecedens proba-
 tur: In natura creatâ est capacitas, & po-
 tentia obedientialis ad hoc, ut Deus faciat
 in illa, & ex illa, quod non repugnet; sed
 non repugnat in illa illæ duæ substantiæ:
 Ergo possunt simul eam terminare. Mi-
 nor probatur: Substantiæ sunt actus, &
 si secundarii, diversi, differentes, quali-
 bet enim suam dicit substantificativitatem
 peculiarem: Ergo quælibet præstaret suam
 terminationem: Ergo alia, & alia effet
 ratio terminandi naturam creatam in illis:
 Ergo sibi non contradicunt, neque mu-
 tuo repugnant; si simul coadunarentur
 per Dei absolutam potentiam.

87. Secunda pars conclusionis, quæ
 adhuc non est ab omnibus recepta, qua-
 tenus tenent, divinam Personam termi-
 nare non posse irrationalem naturam;
 probatur ratione R. in loco citat. Perso-
 na quælibet divina est actus sufficienter
 substantificativus, & ut talis terminat hu-
 manitatem; sed non minus est substanti-
 ficativus actus cujuscumque alterius
 creatæ naturæ, quam humanæ: Ergo si-
 cut & istam, potest & alias. Major est
 certa, & minor probatur: Persona divi-
 na est actus sufficienter substantificativus;
 quia ratione suæ quidditatis, & suæ velu-
 ti essentia, habet hoc; quod est sufficere, &
 terminare naturam, & eam incommuni-
 cabilem reddere: Ergo hunc effectum,
 quem tribuit humanæ, poterit alteri præ-
 stare. Probatur hæc consequentia: sicut
 infinite distat Persona divina à natura hu-

mana, sic à qualibet alia creatâ: Ergo
 si non repugnat in humanitate suspendere
 influxum propriæ substantiæ, & divinam
 suplere pro creatâ substantia; eodem
 jure de alia qualibet dici poterit idem.

88. Probatur tertia pars conclusionis,
 quæ communis est apud antiquos, & re-
 centiores: Personæ divinæ non limitan-
 tur, nec possunt ad unam tantum creatam
 naturam: Ergo quælibet possit plures ter-
 minare, & infinitas, si darentur. Antece-
 dens probatur: Personæ divine sunt actus
 sufficienter substantificativi ex sua ratio-
 ne: Ergo cuicumque naturæ applicatæ
 eam facerent subsistere: Ergo pluribus
 simul applicatæ, & intimatæ eas substan-
 tarent omnes tres divinæ Personæ vel
 seorsim, vel conjunctim. Prima conse-
 quentia probatur: Personæ divinæ, si-
 cut & omnis forma substantialis sit, sive
 accidentalis, non habet, à quo suus effe-
 ctus impediatur, semel quod applicen-
 tur subjecto apto nato, & disposito; sed
 naturæ substantiales sunt aptæ, & dispositæ
 ad quascumque substantias ratione
 suæ obedientialis potentiæ: Ergo si plu-
 ribus naturis substantiæ divinæ applicen-
 tur, omnes eas subsistere facient.

PROPONUNTUR ARGUMEN- ta, & solvuntur.

89. **P**rimò arguitur: Contrarium
 huic nostræ conclusioni do-
 cere videtur Anselm. lib. 1. de Incarnat.
 cap. 7. & 2. Cur Deus homo cap. 9, vel 20. ad
 hæc verba: Plures Personæ nequeunt unum,
 & eundem hominem assumere: Ergo senten-
 tia opponitur Anselm. doctrinis. Vel ali-
 ter: *Impossibile est* (inquit cap. 7.) *secun-
 dum quamlibet personam, hominem, idest hu-
 manam naturam esse incarnatam; sed quod
 impossibile est, non cadit sub divina om-
 nipotentia: Ergo per Dei absolutam po-
 tentiam non possunt tres simul incarnare
 Personæ. Argumentum affertur à DD. R.
 & B. Ægid. hic ultimus libenter concedit,
 D. Anselm. contrariæ fuisse sententiæ, tref-
 quæ divinas Personas simul incarnare non
 judicavit possibile. R. vero sic Anselm.*

in,

interpretatur; impossibile est tres Personas hominem fieri in unitatem Personæ, non autem in unitatem naturæ; si ergo illa assumptio esset in unitatem Personæ, essent tres Personæ assumptæ ut supponitur, & una Personæ; & ecce impossibilitas.

90. Secundò arguitur: Plures Personas eandem naturam assumere creatam, est quid æquivalens tribus causis totalibus eundem effectum producentibus, tribus formis unam materiam simul informantibus; tribus locis adæquatis; & disitis unicum corpus locantibus; sed probabilissimum est Philosophis, quod plures causæ totales simul eundem effectum non causent, sicut nec plures formæ unicam materiam informant; vel quod nullum corpus adæquate bilocetur circumscriptive: Ergo Major probatur: Omnes tres, & qualibet ex Personis divinis simul acceptæ sunt plures causæ totales subsistendi naturam creatam, sunt tres formæ similem effectum subsistendi completè præstantes; sunt suo modo tria adæquata sustinentia, sicut locus locatum; naturam unam: Ergo si hoc implicat, etiam aliud, quod dicebamus: Alia ferè innumera exemplaria omittuntur, quæ, quia æquam habent disparitatem, omittuntur.

91. Respondetur ad argumentum, primò: Quod si paritates currunt quatuor pedibus cum assumptio nostræ conclusionis, idem de illis sentimus, & quod plures causæ totales producant simul eundem effectum, plures formæ informant unam materiam, & corpus adhuc cum una quantitate bilocetur; nam eadem omnipotentia valeret ad omnia: Si vero ratio sit diversa, dabimus disparitatem; & erit secunda ad argumentum solutio. Causæ namque sive efficientes, sive formales dant esse; idèque plures causæ, vel formæ non possunt unum esse adæquate dare, quia darent, ut supponitur; & non darent, quia ab alia datū relinquitur: locus similiter nil præstat corpori locato, sed hoc per motum localem producit suam præsentiam in illo; sed præsentia hæc una esse non potest; & multiplex: Ergo nec unum corpus bilocari. Non sic Personæ; quæ cum solum dent modum essendi, & qualibet suum, juxta suam veluti quidditatem; non incompatiuntur; sed bene accommodantur; ita ut tota sub-

sistentia præstetur à qualibet Persona; cæterum in alia, & alia ratione ab omnibus.

92. Tertio arguitur ab inconvenienti; quod resuleret in hypothese, quod tres divinæ personæ eandem naturam terminarent in hunc modum: Si Pater, simul & filius incarnassent; esset in illis Personis confusio; nam Pater; & esset Pater; & filius denominaretur; sed hoc de decet divinis Personis: Ergo Major probatur: Pater sic esset; quia est; insuper denominaretur filius; quia productus in assumptione naturæ creatæ: Ergo simul esset Pater, & filius: esset præterea missus, quod primæ personæ improprium est; sicut de Spiritu Sancto, quod dicatur genitus; sicut verbum dicitur tale ex Maria Virgine: Ergo. Dicamus, respondendo ad argumentum, cum D. Ansel. de Incarnat. cap. 4: *Quodlibet parvum inconveniens in Deo est impossibile.* Inconvenientia in eo allata nihil sunt; cum in natura assumpta posset Pater dici filius, & genitus in tempore; sicut dicitur filius Dei natus; passus; mortuus; non dicereturque Pater in illa hypothese missus propria missione; ut nunc accipitur missio, sed larga; & impropria: nec denique inconveniret, quod esset propriè Pater, & aliter filius in ea natura assumpta.

93. Quarto arguitur à ratione contrariæ sententiæ: Qualibet Persona totam naturam creatam terminat, ita ut nil de illa relinquat non terminatum, & subsistens. Ergo omnes tres divinæ Personæ non possunt simul eandem naturam terminare. Antecedens est certum, quia divinum, & creatum suppositum terminant humanitatem per modum formæ ultimæ completæ; & veluti naturalis; quæ influit, in quantum indiget natura; & valet ipsa Persona: Ergo totam & adæquate terminat naturam. Prima consequentia probatur: Si una divina Persona nihil non terminatum relinquat in creatam naturam, nil residuum est terminabile ab aliis Personis duabus: Ergo se mutuo veluti impediunt; ut simul non possint eandem terminare naturam.

94. Hæc videtur una ratio principalis, cui fidunt contrarii, parumque nos urget; in cujus solutione concedimus, quod tota, & adæquate terminatur natu-

ra

ra creatæ per divinam quamcumque personam, sed non totaliter, & extensive; idèque locum relinquit in natura assumpta, & terminata, ut sub alia; & alia ratione ulterius terminari possit ab aliis divinis personis. Doctrina hæc est totum continens nostræ resolutionis, idèque de illa aliqua dabimus, quæ & communia sunt pro omnibus, & quæ istam sapienter rationem dubitandi, vel illi assimulentur: Totum aliquid dicitur bifariam tale, intensive, scilicet, & extensive, totum intensive acceptum, tunc concipitur, quando nihil ipsi deest de suis propriis; extensive vero consideratur, quando hoc totum, & sub omni sua ratione, & extensione accipitur: sic totum corpus naturale attingitur à Physicis, totum à Medicis, totum à Methaphysicis intensive; cæterum non extensive, & totaliter, quatenus totum hoc ens naturale à qualibet ex his scientiis attingitur, at non sub omni ratione. Tota namque natura creatæ terminatur à qualibet divina persona; sed non sub omni ratione suæ obediæntialis potentiæ, & hoc est totaliter, & extensive terminari. Tota natura filio communicatur à Patre creato; sed non tota extensive, quia eadem est ulterius communicabilis secundo filio: non sic filius Dei; cui tota à Patre Æterno communicatur natura intensive, & extensive & sub omni sua ratione; idèque nec Pater Æternus secundum filium, nec filius alius filium generare possunt, adhuc quod sint omnipotentes.

95. Sed contra, & incipit vis argumenti: Tota natura creatæ, & totaliter, sive extensive terminatur per quamlibet Personam divinam: Ergo non est in ea potentia obediæntialis ad terminari per aliam in sensu composito earum. Antecedens probatur, primò: Tota ratio terminabilis in naturam creatam est sua dependentia actualis, & aptitudinalis; sed per unam divinam Personam sistitur tota hæc dependentia, & totaliter: Ergo tota, & totaliter terminatur hæc natura creatæ per quamlibet Personam. Probatur consequentia: Nam nil dependentiæ relinquatur in naturam creatam per unam Personam terminatam: Ergo tota ita extinguatur, ut ulterius non remaneat terminabilis, ad

Tot. II.

distinctionem divinæ naturæ, quæ quia infinita est, solum per tres divinas Personas potest listi, & terminari.

96. Secundò probatur illud antecedens: Non est alia; & alia ratio terminabilitatis in natura creatæ; sicut nec in Personis est diversitas formalis in terminando præfatam naturam: Ergo qualibet terminat sicut omnes simul, & hoc est intensive, & extensive; cum omnes terminent sub eadem ratione formali. Antecedens probatur: qualibet natura solum exigit subsistere, & per se complete stare, & ad hoc est sua potentia naturalis, & insuper ratione obediæntialis, videmus, quod alienæ subsistentiæ unice præstant naturis à se suppositatis complementum per se standi, & independenter essendi; sed in his formalibus rationibus subsistentiæ omnes conveniunt: Ergo omnes terminant creatam naturam sub ipsissima ratione: Ergo totaliter qualibet, & extensive. Assumptum probatur: subsistentiæ omnes, ut pote secundarii effectus substantiæ, & naturæ; nullam quidditatem peculiarem dicunt præter hoc, quod est sustentare: Ergo nec dicunt alietatem rationis, sub qua qualibet differenter terminet, & sustentet creatam naturam, & aliter quam alia.

97. Respondetur ad primam probationem instantiæ; certum esse per subsistentiam, sive propria sit, sive aliena, extinguui, & terminari totam naturam dependentiam, idèque reddi, & constitui per eam ultimo incommunicabilem alteri, ut subiecto, & ut supposito; cæterum non ita tota natura sistitur per unam subsistentiam, ut extensive etiam terminetur, & totaliter sua dependentia; cum ulterius natura uni supposito ultimo communicata, & sub una ratione possit communicari sub alia: Igitur etsi per unam subsistentiam tota natura constituatur independentens, non tamen totaliter, & omnibus modis independentia. Tota natura divina constituitur ultimo incommunicabilis per Personam Patris, & quia adhuc potest filio, & Spiritui Sancto communicari, per nullam ex his tribus tota intensive, & extensive sistitur, & communicatur. Nec ex hoc inferas identitatem rationis in hypothese hujus quæstionis; nam

Vy

na.

natura creata, quæ tribus divinis personis suppositaretur, esset talis simili modo terminata, & per distinctionem realem ab eis; non sic si infinite perfectiori modo terminaretur, ut creditur de divina natura per divinas personas.

98. Ad secundam probationem responderetur; quod generaliter loquendo potentia obedientialis est una veluti generice, & cum sit in se respectus quidam; vestitur variis rationibus pro diversitate formarum, & terminorum, quos respicit; unde determinate loquendo in nostro casu; potentia obedientialis naturæ creatæ generaliter accepta est ad subsistere, ut cumque; cæterum ut hic; & nunc determinata, etiam ad certam speciem subsistentiæ sigillari debet: Ad modum quo, materia prima secundum se solum appetit formam, ut cumque; at determinata secundum ordinem specialem suarum propinquarum potentiarum, determinatam etiam in specie appetit formam, & actum. Nunc ad intentum principale; subsistentiæ omnes dicunt suam peculiaritatem rationem sustentandi; & terminandi naturas; quin ad hoc obstat, quod sint effectus secundarii; nam extensio in ordine ad locum est effectus secundarius quantitatis, & quælibet extensio suam quidditatem dicit, & definitionem: Si ergo hoc ita est, & dicitur de subsistentiis, omnes dicunt suas speciales formalitates, & vi earum possent in una natura specificare diversas potentias sustentabiles, & eas omnes sub sua quæque ratione terminare.

99. Quinto arguitur: Non qualibet natura est capax suppositionis divinæ: Ergo Personæ divinæ assumere non possunt quamcumque naturam creatam. Antecedens probatur, primo: Quia irrationalis natura personari non potest; siquidem Persona est rationalis naturæ individua substantia: Ergo quo ad hoc natura quælibet non est suppositibilis à divinis Personis. Secundo: Natura irrationalis non potest subire eas denominationes; quæ propriæ sunt divini suppositi; & maxime communicationis idiomatum, per quam nunc de facto, Deus est homo, & homo est Deus; & hoc videtur indecens, & repugnans in natura irrationali: Ergo. Præ-

terea: Ratione divini suppositi operationes naturæ assumptæ Deificantur, & talem subeunt Deificam denominationem; sed hoc naturæ irrationali repugnare videtur, immo & divino supposito: Ergo.

100. Respondetur ad argumentum, & ad primam antecedentis probationem dicimus, quod in hypothesi, quod Persona divinæ assumeret irrationalem naturam, & suppositaret; & sustentaret, non vero personaret eam; propter rationem in argumento: nam, ut bene ait R. hic, denominatio personæ non est necessitatis, sed excellentiæ; & accommodari debet dignitati naturæ assumptæ. Ad secundam similiter respondetur, primo: quod idiomatum communicatio non est à natura assumptionis, sed ex usu, & accommodatione Ecclesiæ, ut denotetur intima conjunctio Dei ad hominem, & hominis cum Deo in unitatem Personæ; & hoc quidem locum teneret in natura rationali assumpta in iis, quæ divinitati non obstant; ut ipsi non obstat esse natum, passum, & mortuum; immo & in triduo mortis Deus esset assumens cadaver, & cadaver esset Deus suo modo, & sic adoratione patriæ adoratur; & eo fere modo discurrendum esset de illis operationibus naturæ irrationalis, quæ Deificari valerent, ut sunt videre, audire; ambulare, &c. quæ quia Deo non dedecent, in præfata hypothesi

Deificari non repugnant.



QUÆ

QUÆSTIO VII.

Utrum Verbum divinum assumere posset naturam humanam retenta propria personalitate? Vel vice versa: Num retenta divina possit per propriam subsistere post-advènementem?

101. **V**idetur coincidere titulus præfatus cum præcedenti q. cæterum non ita est, etiam plures, & gravissimi D.D. in eo conveniant; at nos aliter sentimus; differunt enim quæsitæ in non paucis, ideoque diversam petunt resolutionem. Querimus nunc si Verbum divinum potuisset assumere hominem subsistentem sua personalitate suppositatum, vel vice versa: Si semel divina Persona subsistens posset per aliquam potentiam ulterius per propriam terminari? De primò habemus doctrinas expressas in D.R. sapius quæst. præcedenti citato; de secundo vero non dubitavit, quia scilicet, parvi haberetur ea ratio dubitandi; at in præfata cum in thesibus publicis; & privatis ex illo sumatur non leve argumentum contra asserta Bacconii, ideo hic inseritur, ut simul cum aliis difficultatibus similiter emergentibus annotetur.

102. Pro quo supponimus ex communibus doctrinis, effectus secundarios, saltem positivos esse à Deo superabiles, fide recte, in Venerabili Sacramento Eucharistiæ, & in hoc Sanctissimo Verbi Incarnati Myfterio; ubi effectus secundarii substantiæ in hoc, & quantitatis in illo per Dei Omnipotentem virtutem non servant suum naturalem ordinem. Bisariam igitur, istud fieri posse, judico; primo abso-

Tom. IV.

lutè impediendo, & suspendendo effectum præfatum secundarium; quomodo videtur esse, & fieri in quantitate corporis Christi Sacramentaliter existentis, ubi extensio illius actualis; & locabilis impeditur: Aliter accidere potest; sic nimirum, quod Deus impediret effectum secundarium connaturalem alicujus formæ; & loco illius suppleret hunc defectum, vel per se, tanquam formam eminentiorem, vel per æquivalentem creatam; assumptum adoramus in sacro Myfterio Panis Eucharistici per se itantis, ubi pro propria Persona divina veluti subrogatur partim in quantitate ejusdem panis.

103. Supponimus (si forte sit noticia hæc in præfata necessaria) quod hujusmodi effectus secundarii non distinguantur entitative à suis formis, sed solum cum primariis servant ordinem ex natura rei prioris, & posterioris; quapropter cum prius absolvi possit à posteriori; primarius potest divinitus separari à secundario, & ex eo sequeretur in eis distinctio ea sapius à nobis reperita, quam vocamus gradualem, hoc est, habitam à diversis gradibus ejusdem essentia, ordinatis tamen, & juxta hunc ordinem naturæ separabilibus. Ex quo præterea deducimus, quod causa formalis horum effectuum erit ipsa rei essentia, efficiens vero causa ea talis entitatis productiva, quæ nisi à superiori agente impediatur, rem producit secundum omnes suos gradus essendi. Sic Beatissima Mariæ tribueretur in Christo sua propria subsistentia tanquam effectivo principio, nisi aliunde Spiritus Sanctus superveniret, & virtus altissimi obumbraret eam, ordine inefabili, impediendo propriam subsistentiam, & ipsius loco divini Verbi veluti subrogando personam.

104. Conclusio prima: Verbum potuisset assumere, & personare humanitatem adhuc propria retenta personalitate: Est R. expressa in 3. sapius citato. Probatur per generalem rationem: Nulla est in hoc implicatio, & contradictio, cum numquam inferatur esse & non esse ultimo terminatam illam naturam, & secundum idem: sicut de facto in Sanctissimæ Trinitatis Myfterio apparet certissime; &

Vv 2

la.

fatis probabiliter in præcedenti q. Ergo à Dei Omnipotentia fieri potuisset, quod, propria non dimissa persona, à divina personaretur. Probatur antecedens: Non est repugnantia ex parte naturæ humanæ, & cuiuscumque alterius; nec item ex incompatibilitate Personæ divinæ cum creata: Ergo ex nullo capite oriri, aut concipi posset ea implicatio, & contradictio, nec denique ex unione horum omnium: Ergo idem quod prius.

105. Probatur antecedens, quoad omne, quod continet, & in primis: In qualibet natura creata est, præter suam potentiam naturalem ad connaturales actus, alia obediens ad omne quodcumque Deus in illa, & ex illa facere velit; sed harum ratione potest natura creata terminari per propriam subsistentiam in vi potentie naturalis, & per divinam, attentam obediens; & aliunde potentie istæ optimè coadunantur, ut patet omnibus: Ergo. Insuper actus fictivus divinæ subsistentiæ cum creata sibi bene coherent; tum, quia propter eandem rationem inter se non repugnant, nec eorum simultas repugnabit; tum, quia sunt veluti formæ diversi ordinis, & quidditatis; tum, quia unusquisque actus præstaret suum respectivè effectum, suo modo, & ordine; tum denique ob subordinationem, quam dicere deberet creata cum divina subsistentia, maxime convenient in unam naturam subsistentandam: Ergo. Denique convincitur, quod tertium illud, quod resulteret ex duplici ea personalitate divina, scilicet, & creata, non est, unde videatur implicatorium, si attendamus ad munus personandi, & suppositandi in præfatis subsistentiis, sumpto exemplo, & simul habita proportione à tribus divinis suppositis eandem divinam naturam terminantibus: Ergo nec ex isto capite videmus contradictorium.

106. Conclusio secunda: Natura humana subsistens divina subsistentia Verbi, non potest, potentia naturali, consequenter subsistere propria. Resolutio nec dubium habet in R. sed exiis, quæ ibi docet, probatur primo: Subsistentia propria cuiuscumque substantiæ creatæ est illius effectus secundarius, & ab ea sibi relicta fluens,

& veluti procedens, ac emanans, & hoc modo connaturaliter originatur; sed in hypothese hujus conclusionis, natura humana Christi Domini non consideratur sibi relicta, sed jam suppositata, & subsistens per divinam personalitatem: Ergo hæc natura subsistens divina subsistentia, non potest consequenter propriam reassumere, & simul cum ea, & in ea connaturaliter subsistere. Major est expressa R. minor est hypothesis dubii, & consequentia infertur.

107. Secundò probatur conclusio: Semel quod ad fieri creatæ naturæ, & ad produci illius præveniatur aliqua extranea subsistentia, ut potest per divinam potentiam, nequit postea in suo factum esse per propriam naturaliter subsistere: Ergo sic est in nostro casu. Antecedens evidenter probatur: Subsistentia propria habetur connaturaliter in substantia agente naturali producta simul cum natura, immo est quid ultimò constituens terminum qui illius actionis productivæ, ut ex Aristotele communiter sentitur, cum R. hic; sed infacto esse substantiæ productæ, & à Deo præventæ, & sua divina subsistentia loco propriæ subrogata, non est agens naturale, cui tribui posset ejusmodi connaturalis subsistentiæ productio: Ergo nullomodo possibilis, aut dabilis est in hypothese conclusionis. Patet antecedens, & convinci potest per eandem rationem, qua de forma semel corrupta dicunt Philosophi, non remanere agens naturale illius reproductivum.

108. Conclusio tertia: Probabile iudico, posse de Dei absoluta potentia, naturam creatam subsistentem divina Persona, postea propria suppositari. Similiter probatur rationibus R. & sit prima: Non implicat potentie obediens naturali naturæ, nec subsistentiis divinæ, & creatæ, nec earum simultati, ut supra dicebamus: Ergo non est unde hoc à Deo omnipotenti fieri non possit. Præterea: Defectus agentis naturalis solum convincit, quod connaturaliter nequiret ita subsistere: Ergo saltem valeret divinitus, Deo supernaturaliter operante, & producere effectum illum secundarium, quem per prius suspenderat, & impederat; nam sicut antea sua omnipotentia virtute

po.

poterat facere, quod creata natura non præstaret ultimum effectum formalem per se standi; eadem virtute posset, si vellet, eundem effectum subsistendi ab illa natura præstari ratione, scilicet, suæ obediens potentie; licet præventæ esset divina Persona, cujus ratione esset subsistens alia specie digniori subsistentiæ.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

109. PRIMO arguitur contra primam conclusionem: Naturam creatam tribus divinis subsistentiis subsistere tolerabile est, sed implicat sic esse per divinam, & creatam simul: Ergo à Deo fieri nequit. Antecedens probatur: Subsistere eam naturam divinam, & creatam subsistentia est in se subsistere per propriam, & in alio subsistere per divinam; sed subsistere simul, & eandem naturam in se, & in alio implicat, & imbibit manifestam contradictionem: Ergo per nullam Dei potentiam fieri posset. Nec respondeas per diversitatem potentiarum naturalis, & obediens; nam solutio potius videtur elusio totius contradictionis; siquidem eadem ratione dici poterit, quod corpus divinitus, posset esse sursum simul, & deorsum, vi utriusque potentie; similiter album minus, & magis album simul, etiam his attentis potentiis: Ergo corruerent contradictiones quæcumque, & Deus posset in impossibilia secundum se, intervenientibus illis potentiis, naturali scilicet, & obediens.

110. Ad argumentum bene ibi; nec per eam distinctionem eludimus naturam rerum, sed reddimus quod est Dei Deo, & quod naturæ suum est, non denegatur: dantur ergo hypotheses, quæ non permittunt illum ordinem potentiarum, immò eæ repugnant, quia impossibiles sunt ejusmodi potentie; sursum, & deorsum simul, & respectu ejusdem; magis similiter, & minus, quis non videat implicare; sicut & esse in se, & esse in alio, ut per se notantur in argumento, eodem jure implicat, & per nullam potentiam in eo-

dem, & secundum idem coadunari possunt: Si namque esse in se, & in alio simpliciter, & absolute accipiantur; ut si ponamus accidens per se, & simul, & sub eadem ratione inexistentis, quis non videat implicare? Sin autem esse in se, & in alio accipiantur solum secundum quid, ut in casu substantiæ, & naturæ in subsistentiis notatis in conclusione, quarum innitas, non est simpliciter talis, cum repugnet substantiæ inesse, idè nec quod sit in alio, & in se isto modo repugnabit.

111. Clarificemus solutionem: suppositum, & subsistentia respectu naturæ substantialis non induunt rationem subiecti innitatis, nec proprie in eis insunt ejusmodi naturæ, quia hoc esset contra earum quidditatem, quæ consistit in per se esse: Unde relinquitur quod hujusmodi substantiæ dicantur esset in suis respectivè suppositis, tanquam in termino, & complemento per se standi ultimo, & incommunicabiliter; sed hoc non est proprie inesse, idèque solum improprie, & secundum quid de his ea innitas verificatur, compatibilis tamen, immo & essentialiter coadunata cum perfectitate. Ecce quomodo taliter esse in se, & in alio in re nostra nec sunt contradictoria, nec simul inverificabilia: Immo de qualibet natura connaturaliter subsistente eadem ferè argumentatio fieri potest; siquidem quælibet per se, & in se existit, quia substantia est; & simul in alio; nimirum ultimo in sua subsistentia, quæ aliud quid est à substantia, & insistentia eorum distinctum realiter à natura substantiali.

112. Secundò arguitur: Si in eadem natura esse possit illa duplex persona creata, videlicet, & divina, subiret oppositas, & non sibi coherentes simul denominationes, & quod magis est, eadem natura æque esset impeccabilis, & peccatrix; vel peccati capax; sed hoc repugnat in eadem natura: Ergo quod retenta propria, subsistere possit natura humana Verbi personalitate. Probatur major: Natura illa in propria persona est defectibilis, & tendit in non esse, & pro tanto peccabilis; insuper ut divinizzata Verbi personalitate impeccabilis intrinsece constituitur, ut probabilissime fertur: Ergo sequeretur simul.

simultas illa peccabilis, & impeccabilis in natura eadem.

113. Respondetur ad argumentum, & in primis, non inconvenit in ea natura personata duplici substantia multiplex, & adhuc opposita denominatio; si namque Deus, & homo, vivus, & mortuus, mortalis, & immortalis in una persona duas naturas terminante cōpatiuntur, non minus alia duplex posset in eadē natura ratione duplicis personalitatis; & signanter de peccatore, & iusto illis duabus personis attributis: Videtur D. R. hic, non male sentire de ista similtate; cum et si eam non aprobet, non tamen oppugnat, aut contradicit; sed quidquid de hoc sit, respondes: Quod in nostra hypothese non esset simul in sanctitate, & peccato suppositum in tali natura duplici eo supposito substantiata; siquidem semel quod divina personalitate subsistat natura ea, tota, & totaliter maneret sanctificata, & locum non relinqueret, ut per aliquam potentiam peccare posset in alia creata persona; est ratio: Quod sanctificatio unice potentie obedientiali responderet in creata natura: Ergo si tota hæc natura sanctificaretur à divina persona nihil non sanctificatum relinqueret: ideoque & totaliter, ac extensive sancta esset; & in quacumque alia Persona, quæ per aliam potentiam simul terminaretur, similiter impeccabilis constitueretur.

114. Tertio arguitur: Si Verbum divinum naturam humanam posset assumere, propria retenta persona, non modo naturam personaret, verum & substantiaret ipsam creatam personalitatem; sed hoc implicat; siquidem esset persona, & non esset, cum adhuc ulterius esset personabilis: Ergo. Sequela majoris probatur: Personam personari esset, eandem supponere, & substantiare; sed divinæ non incongrueret personam creatam substantiare: Ergo. Argumentum parum urget, supponere est substantiare naturam per modum termini, & ultimæ incommunicabilitatis, ideoque qualibet personalitas dicitur quidditative, & ex natura sua esse formalem incommunicabilitatem, & ultimum naturæ terminum, & pro tanto ab intrinseco sui interminabilis, & incommunicabilis esset per aliam quæ,

libet substantiam; ratio est, quod substantia, cum ex sua quidditate sit ultimus gradus essendi, & post ultimum nil sit; nec in ea est potentia, adhuc obedientialis ad substantiari per superiorem, & infinitam substantiam; sicut per nullam potentiam accidentia suppositabilia sunt; non alia ratione, nisi quia ex sua essentia repugnat ipsi terminari, & subsistere; sed hoc eodem jure substantiæ, & personalitati repugnat ulterius terminari: Ergo ex hypothese non sequitur contra nos.

115. Quarto arguitur contra alias conclusiones: Nec naturaliter, nec divinitus potest natura subsistens divina personalitate procedere ad per propriam ulterius terminari: Ergo nullo modo. Antecedens est certum ut in conclusione quoad primam partem, & probatur quoad secundam: sequeretur, quod in illo eventu esset propria substantia adveniēns naturæ divinitus suppositæ, & non esset propria; sed contradictio non potest vinci à Deo: Ergo nec illa duplex substantia eodem modo habita. Assumptum probatur: Esset propria, ut supponitur; & non esset, siquidem non fluere à sua natura sibi relicta, & tanquam illius effectus secundarius, quod est essentialē propriæ cujuslibet substantiæ: Ergo esset, & non esset propria.

116. Respondetur ad argumentum: Quod propria substantia, supposita divina in natura creata prius habita, non potest connaturaliter quasi fluere ab ea propter superius dicta, ut bene notat argumentum; ceterum non est caput unde hoc divinitus repugnet; nam ipse Deus, qui de facto impedit hunc effectum secundarium propriæ naturæ per se ipsum, posset facere, quod quando voluerit, natura quoad hoc suos adæquatos effectus formales sortiretur; tuncque et si effectus subsistendi non esset connaturalis præhabitus in illa natura, esset tamen proprius, & ab ea emanans, non virtute naturali naturæ, sed divinitus habita. Ad modum quo: Si in quantitate Eucharistica Deus reproduceret panem illum, qui in Christi corpus fuit divinitus conversus, non ex eo panis ille non esset proprium subjectum ejusdem quantitatis,

titatis, sicut & ipsa quantitas propria illius proprietatis.

QUÆSTIO VIII.

*Utrum creata personalitas posset
divinitus alias à se terminare
naturam naturam?*

117. **R**edit iterum nova ratio dubitandi relicta ex eodem principio; si enim de fide credimus divinam Personam; posse, & de facto terminare creatam naturam; immò de tribus divinis Personis simul adhuc probabiliter substituimus; quærimus, si hoc verificari queat respectu personæ creatæ ad alienam naturam; non naturaliter; sed ad minus per potentias obedientiales utriusque; nimirum naturæ suppositabilis per substantiam creatam non suam; & hujus ad suppositandum non propriam naturam. Et suppositis superius dictis, quæ ad hoc faciunt, & quod in puncto, quod controversatur, datur etiam sua varietas opinionum: Nam D. Ang. locis supra citatis huic non assentitur, et si de divinis substantiis aliter sentiat, sicut & D. Subt. qui cum de divinis suppositis simul sumptis non judicet possibile, unam terminare creatam naturam; quanto minus poterit de creatis substantiis ad alienas naturas. D. R. in hoc 3. dist. 3. citata habemus expressum, & juxta ejus placitum sit;

118. Conclusio: Personalitas creatæ potest alienam terminare naturam attendita Dei absoluta potentia. Probatur conclusio: Non implicat ex parte naturæ, quæ licet ratione suæ potentie naturalis solum propriam petat, & exigit subsi-

stantiam, ratione tamen obedientialis eadem non repugnat aliena: Ergo quoad hanc partem potest. Antecedens probatur per exemplar innegabile de Myfterio Incarnationis; ubi non modo propria substantia humanitatis panitus est impedita; verum & aliena, & distincta subsistit, & hoc necessario absque violentia, & repugnantia in ipsa natura repertis: Ergo sit, vel non; divina in hoc casu substantia; quoad rationem creatæ naturæ, nulla in ea adscribitur repugnantia, ut per divinum posse aliena terminetur natura.

117. Nec ex parte substantiæ creatæ habetur inconveniens aliquod, sive implicatorium, cujus ratione non possit alienam naturam terminare: Ergo non apparet, unde repugnet. Antecedens probatur: qualibet substantia adhuc creata est actus sufficienter substantificativus cujuscumque naturæ: Ergo semel applicata per divinum agens, non apparet implicatorium, ut adhuc alienam terminet naturam. Antecedens patet: Nam propriam naturam terminat; quia est actus sufficienter substantificativus; immò ideo divini Verbi substantia supponit naturam creatam, & propter eandem rationem: Ergo. Nunc consequentia principalis probatur: Actus quilibet, qui suum munus naturaliter exerceat, si subjecto non repugnantem applicetur, habet effectum in illo suæ quidditati correspondentem: Ergo substantia creata per divinam potentiam applicata alienæ naturæ, eam faceret substantentem, ratione scilicet suæ obedientialis potentie.

120. Hucusque fundamentum D. R. & certe non videtur convincere, primo: Quia non probatur, substantiam creatam esse actum sufficienter substantificativum cujuslibet naturæ: Ergo quoad hanc partem non probat: Patet assumptum: Nam ideo substantia creata esset taliter substantificativa, quia hoc habet ex sua quidditate; sed non ad quamcumque naturam, siquidem non bene convincitur de actu ad proprium subjectum sufficienti, ad omnia: Ergo ex eo quod substantia creata sufficiat ad propriam naturam, non probatur, quod ad omnes sit sufficienter substantificativa. Secundo non concluditur.

ratio per personalitatem divini Verbi, quæ valet necessario ad suam, & ad omnes creatas naturas, quia non utcumque est actus suæ naturæ propriæ, sed etiam continet supereminenti quodam modo omnium naturarum, quæ sunt divinæ participia: Ergo per hoc quod divina sufficiat ad omnes, non inferas idem de creatâ substantia.

121. Sed contra: Ratio D. R. optima est, & bene convincit: Quia ex eo quod substantia creata habeat ex sua quidditate esse sufficienter substantificativum con-naturale suæ propriæ naturæ, probari potest convincenter, quod per Dei absolutam potentiam, & ratione obedientialis posset ille actus substitivus in alienam naturam: Ergo bene probat R. Antecedens: Si habet ex suis prædicatis terminare, & suppositare, haberet sufficientem intrinsecam coaptationem, ut à Deo assumatur, ut aliam terminet, & sistat naturam; & maxime cum procedamus de forma, & actu secundario, & quæ non dat esse primarium rei, sed solum terminat ejus dependentiam, suppositat, & veluti sustentat: Ergo si substantia quælibet creata taliter est actus sufficienter substantificativus ex sua quidditate, poterit quam optime à Deo assumi, ut aliæ naturæ eundem actum secundum præstet obedientialiter; cum nil ex hoc sequatur repugnans, & implicatorium, & maxime cum de actibus, & effectibus secundariis agitur.

122. Exemplum de Verbi divini assumptione, quadrat intento nostro; & est ratio: Quod si personalitas illius non esset actus substantificativus, non assumeret humanitatem; aliunde; infinitas Personæ Verbi non erat ad rem substendi in ea natura: Ergo præcisa, & principalis ratio assumptionis est esse Verbum divinum actum sufficienter substantificativum. Probat: Assumptio facta fuit in Persona, & non in alio prædicato divino, ideo est, quia solum Persona dicit ex sua quidditate esse id, quod requiritur ad assumptionem, ut determinata est, & decreta. Secundum, quod continet assumptum nostræ solutionis, non minus clare concludit: Nam Verbum divinum terminat, & suppositat humanitatem, quæ & finita

est, & finito modo suppositatur ab eodem: Ergo infinitas inseparabilis à divino Verbo non se habet per se, & formaliter ad assumptionem humanæ naturæ: Ergo ratio formalis Verbi assumptivi est, quod sit actus sufficienter substantificativus.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

123. **P**rimò arguitur: Non est in quolibet potentia obedientialis ad quodlibet, sed ad id solum, quod quomodolibet sit infra suam virtutem, & spheram, alias in voluntate esset obedientialis potentia ad intelligere, & in intellectu ad velle; quod nullus somniaret: Ergo nec erit in una substantia creata potentia obedientialis ad omnem quancumque naturam suppositandam. Antecedens concedunt omnes, & consequentia probatur: Substantia creata solum habet pro sphaera sui propriam naturam, non aliam: Ergo. Antecedens probatur: substantia creata est forma propriæ naturæ, & unice erga eam potest suam exercere causalitatem: Ergo solum sua sphaera est intra metas propriæ naturæ. Antecedens probatur: Omnis forma solum respicit propriam materiam, & subjectam, cujus actus est, & cui præstat suum effectum formalem; alias vel posset transmigrare de materia in materiam; vel simul plura subjecta informare; ex quo sequeretur contradictorium illud, de esse formam, & simul non esse; esset, ut supponitur; quia formæ dant esse, per sui communicationem, & una forma pluribus communicata daret simul plura esse, & unum esse; quia forma unica est, & hoc est esse, & non esse; & alia quam plurima absurda, quæ sequerentur: Ergo.

124. Ad solutionem hujus supponendum est, substantiam, ut sæpe diximus, esse secundarium effectum naturæ substantialis, eamque constitui per esse gradum essendi extra essentiam suam; unde nec est forma, nec actus, sed reducitur suum esse, & quidditas talis qualis ad speciem

ciem formalis causalitatis, quæ quidem non exercetur per actionem, & informationem, quæ ex terminis dicunt, dare esse, & perfectionem essentialem, vel accidentalem pro modo formæ, & actualitatis; cumque substantia solum tribuat naturæ hoc quod est, eam sicut, suppositare, & sustentare, quod equidem nec perfectio quidditativa est, sed unice modus essendi; ideo propria forma non est, nec ejus causalitas formalis, sed pure substitiva, & terminativa, quæ, quia propinquior est informationi, reducitur ad genus causæ formalis.

125. Per quæ responsio ad argumentum satis patet: Libenter sustinemus nullam formam propriè talem transmigrare posse de subjecto in subjectum, nec simul duo informare, nec ad hoc suffragare illi obedientialem potentiam, ut bene notat argumentum; sed cum substantia forma non sit propriè, sed reduci-tive, & secundum quid, de illa non verificatur ea inconvenientia, & absurda objecta; nam sua causalitas exercetur præcisè per modum termini, & intrinsici sistentis naturam; & hæc sicut potest plures terminos terminare, sic & unus terminus plures naturas; nimirum propriam, & alienam, quin ulli ex illis præstaret, vel communicaret actum, & perfectionem quidditativam, sed substantificationem, & suppositionem; quæ tantum impropriè actuatio est, & informatio.

126. Secundo arguitur: Si substantia cuilibet possit applicari naturæ substantiali, quia non est per se essentia, sed ejus effectus secundarius, idem, & per eandem potentiam Dei absolutam possemus sentire de aliis, v. g. Extensio localis, & situalis, quæ est effectus secundarius quantitatis; posset sicut quantitate corporis Christi in Eucharistia, & per aliam quantitatem ab ea, quæ est propria ejusdem sacratissimi corporis; & sic per unam esset extensum in ordine ad se, & per aliam localiter; sed hoc, duo dicit inconvenientia; nimirum; quod mutuo separentur effectus primarii, & secundarii, ita quod sicut primarius potest sine secundario esse, datur secundarius sine

Tom. IV.

primario, quod est contra naturam rerum: Ergo. Paritas tenet de effectu secundario substantiæ ad effectum secundarium quantitatis.

127. Respondetur, quod duo valde diversa reperimus in paritate hinc inde, & per ea solvitur argumentum: primum est; quod utraque extensio quantitatis & primaria, & secundaria habentur ab ea in genere causæ formalis verè; propriè, & strictè; & sic nil mirum, quod sine informatione haberi non possint, vel quod eadem forma effectum primarium, uni subjecto tribuat, alio verò secundarium: Non sic in substantiali natura concipitur; nam humanare v. g. qui est primus effectus naturæ, non est propriè effectus formalis; ideoque nec suppositare, & substantificare secundarius eodem modo, & pro tanto possent partiri, & pro libito Dei applicari distinctis veluti subjectis: Secundum coincidit cum hoc primò: Effectus enim primarius, & secundarius naturæ substantialis, ut per se esse, & incommunicabiliter existere, non sunt effectus propriè formales; sed à tota rei essentia habentur: Igitur nec formales effectus sunt strictè: Ergo inconvenientia ea, quæ pro effectibus formalibus afferuntur, hic non concludunt; & ecce disparitas argumenti, & quomodo Deus posset per unam creatam substantiam alienam naturam suppositare sine præjudicio quidditatis causalium, & effectuum formalium.

128. Tertio arguitur: Substantia creata aliquod genus causalitatis exercet in natura, quam terminat; sed nullam posset in alienam: Ergo nec eam facere subsistere. Minor probatur: ut exerceatur ejusmodi causalitas, deberet ea substantia aliquo, etsi latissimo modo, continere effectum substendi in aliena natura, & hæc est ratio quare per divinam, & vi suæ eminentissimæ perfectionis in substendo posset hoc fieri; siquidem propter istam supereminentem virtutem effectum creatæ substantiæ contineret; sed in creatâ substantia contrarium apparet: Ergo.

129. Argumentum est præcipua, &c.

Xx

&

& fundamentalis ratio oppositæ sententiæ, & ideo itando doctrinis D. R. faciliter responderetur: Quod substantia respectu naturæ, quam terminat, nullam propriam exercet causalitatem, sed solum latam, ut superius dicebamus de formali causalitate; ideoque solum pro modo causalitatis debemus pensare continentiam effectus si namque in propria natura solum causat effectum per se standi, & ad hoc sufficit, quod habeat vim substantificandi eam: semel quod alienam terminaret, nil aliud desideraretur, quam quod eadem vi posset substantificativa illius, tuncque illius effectum substantificativum contineret; nunc sic: Sed non apparet ratio cogens, quare substantia qualibet vim non habeat, ut omnem naturam creatam sustentet, & terminet, semel quod à Deo applicetur; ut pote prædita virtute ista sufficienter substantificativa: Igitur ratio in contrarium non urget, cum continentia cujusque suppositibilis conveniat cuilibet substantiæ, adhuc creatæ, quæ unice est, posse sustentare, & terminare.

QUÆSTIO IX.

*Utrum in Christo Domino sit unum,
vel plura esse, vivere,
& existere?*

130. **N**ON parum inter est hujus resolutio, ut quæ dicta relinquimus, clarescant, & quæ sequuntur, aliquantulum pateant: Nec eam reputo adeo difficilem, cum ex ipsa fidei revelatione constet Christum Dominum esse verum

Deum, & verum hominem in una divini Verbi Persona subsistentes, in qua Hypostaticè componuntur: unde liquido constare debet, dari in eodem Christo Domino; & duplex esse, & unum esse, sub diversa tamen quidditate, & ratione; nimirum duplex esse substantiale, & primo essentialiter actualitate naturæ; unum verò esse suppositale, & personale in actu subsistendi in ipsis substantiis, & naturis divinis, & humanis, quæ verè veniunt in unionem, & compositionem, non inter se, & immediatè, sed in ea divina Persona Verbi, quæ cum una sit in suppositando, unum solum esse præstat subsistendi; & ibi est unum esse & duplex esse sub illa duplici via.

131. Hoc enim pro certò stabilito, adhuc insurgit Scholastica difficultas, quæ & secundum Philosophos, non parum habet difficultatis ad præsens, & eam extollit, & solvit R. in hoc 3. dist. 7. quam à Symb. Athanas. doctrinis ortum ducere videmus: *Nam sicut (inquit) anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus; sed unum, & aliud est esse carnis, & animæ & tamè unus est substantialitèr homo: Ergo eodem jure dici posset de Christi Domini esse. Non cogit argumentatio; quia paritas non est ad omnia, & simile Athanasii est argumentum suo modo sic intelligendum; sicut ergo ununtur in unitate naturæ anima, & caro, sic in unitatem Personæ Deus, & homo; sed in illa unitate sit unus homo: Ergo in ista unus Christus; & sicut in illa ex duplici esse incompleto unum resultat substantiale, & perfectum; ad hunc modum, ex duplici ente essentialiter tali, & est, & sit unum perfectum personaliter.*

132. De quibus R. hic, ut ea diluat, quæ facere possunt in contrarium, discurret ad istam lucem: Natura humana Christi Domini & potest considerari secundum se, & ut quoddam totum substantiale complete existens, & hoc modo dicit perfectum esse hominis distinctum ab omni non homine; & insuper ut, pars quædam assumpta à divino Verbo, ut veniat, cum alia in compositionem unius Christi mediatoris; & quia inter partes Christum componentes, & constituentes deterior, & in-

inferior est humanitas; divinitas perfectior, & actualior, hæc se habet ut forma, illa vero sicut materia, illa tribuit actum; hæc recipit, illa perficit, hæc est perfectibilis; cumque actus hujusmodi sint existere, & vivere; existere, & vivere humanitatis, in quantum pars est compositi *Christus*, erit divinum, etsi præterea habeat propriam suam existere, & vivere humanum secundum se, & quantum totum quoddam; & ens naturale est. Quomodo verificetur hoc vivere divinum, & esse, sive existere in humana natura Christi Domini, cum suo proprio existere humano compatibile; & insuper, quotuplex sit; est nodus difficultatis præjactæ; quem per sequentes conclusiones dissolvemus.

133. Conclusio prima: In Christo Domino; ut quoddam totum est à suis partibus divisivè acceptis distinctum per modum includentis ab inclusso, datur unum esse, hoc est unum existere; & subsistere: hæc, ut conjicio; est mens; & sententia D. R. in loco citato; & per prius recolenda est communis doctrina nostrorum, & plurium aliorum; quod; scilicet; totum quodlibet identificatur maxima identitate cum partibus ipsum componentibus, si simul, & collective accipiuntur; propterea idem formaliter est homo; ac corpus, & anima rationalis, & è contra: Sin autem partes suæ divisivè, & seorsim qualibet assumantur; maxima distinctione distinguuntur à suo toto, & est ea, quæ vocatur includentis ab inclusso; unde homo perfectus, & completus, nec est anima; nec corpus; immò realiter distinguitur à quacumque ex illis partibus; & per modum totius entitatis prædictas partes includentis, idèque totum & est idem cum suis partibus; & est quid ab eis distinctum pro modo, quo se habeat erga eas, & illæ in ordine ad ipsum.

134. Nunc probatur conclusio ratione R. Christus Dominus est verum unum; & compositum hypostaticum; distinctumque à suis partibus divisivè acceptis, inter quas, & ipsum non potest alia prædicatio dari quam ea, quæ sit propria communicationis Idiomatum secundum usum, & Ecclesiæ accommodationem; Et;

ergo in hoc composito ut sic distincto; est tantum unum esse, & unum existere. Antecedens supponitur ex communi sensu; & quia de illo est canon in 6. Sinod. Constant. act. 4. & 8. & consequentia probatur: uni composito verè; & substantialiter tali una debet existere; & unum esse correspondere; sed Christus Dominus est unum tale compositum: Ergo in eo est solum conceptibile unum esse; & una existere. Major probatur: Compositum quoddam substantiale ex materia & forma dicit solum unum esse, & unum existere: Ergo & compositum hoc hypostaticum similiter. Antecedens est certum, & consequentia probatur: Compositum hoc divinum, & hypostaticum est tale substantiale; nam aliis modis compositionis ipsi non decet; non tamen ex materia & forma; sed in una; & eadem Persona duabus naturis subsistentibus; cuius non est in toto ordine rerum exemplum; sed cuilibet composito substantiali unum responder esse, unaque existere: Ergo sic erit in Christo Domino.

135. Ecce tota ratio R. quantum ex ejus littera capere potui, ad quam faciliter posset responderi: Quod Christus Dominus; est compositum substantialiter sit, & tanquam suppositum; in quo subsistunt unita; & subsistentes divina, & humana natura; non est tamen compositum naturale ex actu scilicet; & potentia substantialibus contentans; sed longè diverso modo compositionis, de qua nec cognoverunt; nec potuerunt cognoscere Philosophi; uni verò composito unum esse, & unum existere correspondet, quia ex suis partibus unitis; & simul sumptis, una tantum essentia adæquata, & una perfecta substantia conflatur; & integratur; non sic licet discurre de hoc novo composito, quod Deus creavit super terram, cum talis quidditatis sit, ut potius plura esse, vel duas exigat existencias, ex quibus integratur; existenciam nimirum divinam unam, & aliam, quæ constituat humanam; quæ in unico esse substantiali, & personali ununtur: Et ecce utrorumque disparitas.

136. Sed contra solutionem arguo: Totum hoc altissimum Mysterium assimilat Athanas. in symb. Fidei humanæ

composito, sic dicens: *Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*; sed unum compositum verè tale conſtat ex anima rationali, & corpore: Ergo & aliud compositum erit ex Deo, & homine, non ejusdem quidditatis; ut locum teneat similitudo, sed alterius; nimirum unum ex actu, & potentia; aliud verò ex duabus naturis in eodem supposito subsistentibus: Nam sic: sed illa duo, ex quibus integratur homo, anima, scilicet, & corpus; habent suas proprias actuales essentias; quia hoc illis officeret ad verum compositum, & unum existens constituendum: Igitur etsi Deus, & homo sunt hujusmodi, adhuc Dei absoluta potentia interveniente, de facto ununtur in divini Verbi Persona, unamque suppositum, & compositum congerunt, vel constant; cui unum esse corresponderet, sicut unum subsistere: Idem ferme argumentum fieri potest in compositis per se accidentalibus, ut *Album*, in quo & est unum esse compositum tamen ex duplici essentia actuali, & duplex insuper esse diversorum prædicamentorum: De hoc iterum inter argumenta.

137. Conclusio secunda: Hoc unum esse Christi Domini, ut est quid compositum ex duabus naturis simul in eadem divina Persona subsistentibus, est divinum existere. Est R. ibi, & sua ratione unica probatur: Quando ad unum tertium componendum duo concurrunt, ita quod unum ex illis sit perfectius, & potius, aliud verò deterius, & ignobilius; esse, & actus habetur ab ea parte, quæ perfectior est, quia ut talis actualior est, cum perfectio sit actus; sed in mirabili composito *Christus* scilicet; Deus verus, & homo verus, principalius componens & perfectius est divinum, deterius verò humanum: Ergo ab illa parte, quæ divinum quid est, habetur esse, actus, & existentia: Ergo existentia illius compositi divini, ut est distinctum à suis partibus componentibus divisim acceptis, & per modum includentis ab incluso, divina est: Ergo unicum esse dicit: Loquimur de esse existentiali; nam sub quacumque consideratione accipiamus suppositum illud compositum, *Christus*,

unum tantum esse subsistentiæ credimus.

PROPONUNTUR, ARGUMENTA, & solvuntur.

138. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Suppositum (*Christus* in divina, & humana natura subsistens, Deus verus, & homo verus, non est propriè compositum, sicut si esset tale ex materia & forma: Ergo etsi sit unum esse subsistens, non est unum existens, & vivens, sed plura esse talia continet; nimirum esse Deum, & esse hominem. Patet: Nam Deus ita hominem assumpsit, ut nil illi de esset de actualitate essentialiter requisita ad veritatem humanitatis; sed sine suo esse, & existere humano non haberet omnè requisitum tale, ut potè hoc esse, est rerum essentia actualis: Ergo si Deus assumpsit hominis naturam actualiter perfectam, suum esse, & existere assumpsit. Primum antecedens probatur: Proprium compositum, vel est substantiale, vel accidentale; sed quolibet est ex actu & potentia: Ergo.

139. Respondetur ad argumentum, libenter concedendo, quod suppositum *Christus* non est ita propriè compositum, sicut sunt ea, quæ cognoverunt Philosophi, nam est altioris ordinis ab ipsis ignoti; est ergo tale sub alia ratione, & quatenus tota una natura humana trahitur per realem assumptionem, ut subsistat eadem, quæ divina subsistit subsistentia; propter quod evahitur ad divinum esse, & existere: habet enim suum proprium existere natura humana in vi animæ rationalis, quæ forma hominis est, ut tamen simul cum divina unum suppositum constituit, & componit; hujus ratione existit, & subsistit. Nec mireris, quod in hoc casu duplici quasi existentia existat humanitas, propria, videlicet, & divina: nam in primis cum creata natura humana sit, elevata est ad divinum esse, & ad illud assumpta; postea magis Philosophice loquendo: Quælibet pars entis naturalis, aliud est à se ipso, ut divisive, & prout simul accepta cum alia incompo-

ſito;

sito; siquidem compositum nihil est, nisi partes simul sumptæ, & ab his distinguitur, si divisim accipiuntur: Ergo nec mirum esse deberet; quod si eæ partes divisim acceptæ haberent proprium existere, quod sub hac consideratione propriam habeant existentiam; & quatenus simul sumptæ acciperentur; unica existant existentia totius, & unum esse dicerent.

140. Secundo arguitur: Suppositum, & compositum, quod duabus constat naturis in ipso subsistentibus, debet taliter esse, ut eæ completæ sint; & quælibet habeat suum actuale esse, & existere: Ergo nulla eærum existit existentia totius; vel ad minus aliqua, quæ habeat scilicet suum proprium esse distinctum: Antecedens patet: Nam suppositum istud aliud non est, nisi divinum ex naturis divinis; & humana in eo subsistentibus veluti quoddam constatum; de quo certissimum est, quod quælibet natura habeat suum proprium, & perfectum esse. Præterquam quod; si res ita non se habent, naturæ, non erunt completæ, sed partiales entitates talè compositum integrantes: Ergo si ve divisim accipiuntur, si ve simul sumptæ; unaquæque suum esse retinere debet, ut compositum hoc mirabile hypostaticum non confundatur cum aliis compositis, quorum partes observant munera actus, & potentia, nullaque dicit totam essentiam, speciem, & naturam: aliter dicendum est de nostro composito, & suis partibus, nimirum, quod & partes sint; & insuper quælibet dicat totam speciem suam; & suum peculiare esse.

141. Argumentum hoc, etsi non his terminis, proponitur in R. ex Godofredo, cui respondet brevibus circa finem hujus 7. distincti. quod quando compositum conſtat ex duabus naturis, ita quod natura adveniens perficiat præexistentem, sitque illius actus, & ista sit perfectibilis potentia tunc ex his naturis, non unum, sed duo esse, & existentia resultare debet; sin autem à contrario accidat, quod, scilicet natura adveniens sit deterius conditionis, & ignobilioris; ut est humana assumpta à divino Verbo, & propter hoc à præistente divina perfectibilis; tunc ex iis, etsi in eis sit suum peculiare

esse, & existentia; tamen collective, & simul sumptæ trahuntur ad unum esse. Ratio non affertur à D.R. sed hanc judico esse: Quod in hypothesis quod natura adveniens perficeret præexistentem; illa non esset assumpta ad istam; ideòque nec trahi posset ad ejus esse, & existere; nec minus natura adveniens traheret ad se, & ad suum esse præexistentem; cum eam existentem perfectius præsupponeret; non sic est in nostro casu. Natura enim humana adveniens perficitur à divina in unionem ad suppositum Verbi, à quo assumitur, & trahitur ad divinum esse; in quantum per illud fit actuabilis, & perfectibilis: Ecce unum esse in his naturis; & duplex; duplex, si divisive; unum; si simul sumptæ & collectivè accipiuntur.

142. Tertiò arguitur contra secundam conclusionem: Si tantum sit in Christo Domino unum esse, unum existere; ut ait hic R. & hoc divinum solum, videtur ex eo sequi, quod in ipso Domino non sit esse humanum; existere humanum, & vivere humanum; contra veritatem utriusque naturæ, & Textus Sacros, imò & experientiam ipsam: sed hoc non potest dici; cum habeamus ex adverso hæreticos oppugnatores hujus altissimi Myſterii: Ergo in eo est esse divinum, & humanum; existere, & vivere divinum, & humanum. Major ex se patet: Nam si in illo composito *Christus* tantum est unum esse, & unum existere, & vivere, & hoc divinum; necessario licet inferre sequelam hujus majoris, quod scilicet non sit ibi humanum existere, & vivere.

143. Argumentum primà fronte graviter urgere videtur; sed non difficulter solvetur; concedimus enim, & credimus in Christo Domino duplex existere, & duplex vivere, & cum hoc componimus unum esse in illo esse, & existere; duplex in naturis divina, & humana divisim acceptis; unum, si collectivè, & ut simul sumptæ considerentur; & sub hac conceptibilitate; Christi vivere existere, & esse divinum est; at quia hoc esse divinum in duplici exercetur natura, quæ sunt divina, & humana, habet in illis suas respectivè operationes, quasdam purè humanas, ut comedere, ambulare, &c. & alias, quas

quas vocant Theandricas, adhuc in natura humana elicatas, & divinas, ut putata miracula, excellentissimam doctrinam, revelationem secretorum, & plura ad hunc modum: Unde ad ultimum deveniendo, tenemus, quod hoc unum esse, & existere est ad divinam, & humanam naturam contractum, & sic sunt operationes in Christo Domino utriusque naturæ, & unum, & duplex esse, in sensu supra exposito.

144. Ultimo posset fieri argumentum per communem doctrinam R. ubi tenemus, quod existentia est ipsa rei essentia, & natura in actu: Ergo in casu, quod existat in Christo Domino humanitas sua per divinam existentiam, aliter esset, & hæc existentia distingueretur ab ea. Respondetur: quod certissimum tenemus, esse, & essentiam idem esse; ideòque essentia hujus compositi *Christus* est idem realiter cum suo existere; cum hæc essentia sit Deus, & homo in uno divino supposito subsistentes, hujus unum est esse, & existere: Hæc ergo existentia totius non est idem eum humanitate divisive accepta, sed cum toto ex ea, & divina natura simul sumptis, compositi.

to:



QUÆSTIO X.

Utrum unio hipostatica sit idem cum naturis divina, vel humana, vel quid ab eis distinctum?

145. **A**sertum relinquimus Christum Dominum esse verum compositum sine exemplo in totius entis creati ambitu; ex duabus; scilicet, naturis in unico divino supposito subsistentibus: & hoc Concil. P.P. & adhuc Athanas. Simb. comprobatur: *Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Habet præterea istud mirabile compositum suas causas, materialem nimirum, quæ debet esse pars illa deterior, & quasi perfectibilis, ex qua, & ex alia actualiori, quæ formalis causa sit, quasi constatur; constet, & componatur; de finali constans est; esse Dei gloriam, Sanctissimæ suæ humanitatis exaltationem, & omnium hominum redemptionem, & salvationem: Superest, ut pro efficiendi causa nulla alia assignabilis sit præter unum Deum; Patrem omnipotentem, qui est, ac dicitur altissimi virtus; filium & Verbum caro factum; & Spiritum Sanctum B. Mariæ V. utero supervenientem; ut Luc. 2. Omittimus pro suo loco morales hujus causas.

146. Et ex hinc incipiunt dubia, & difficultates, quæ præmanibus habemus, & prima erit: Si Deus sit causa verè efficiens hujus divi compositi *Christus*? Qui, & quales sunt termini præfate causæ efficientis? Ratio dubitandi ex eo oritur, quod hic solum concipitur natura divina, & humana in divina Persona unita; sed nec divina, nec humana possunt huic efficientiæ correspondere; de divina enim est certissimum; humana verò assumpta est à Verbo divino in suo esse actuali perfecta, & completa: Ergo quin recurramus

Quæst. X. Utrum unio hipostatica sit idem, &c.

mus ad unionem communiter vocatam hipostaticam, non habemus terminum *quo*, & formalem actionis divinæ hujus Mysterii effectivæ: Nam determino *qui*, & totali numquam apparere poterit dubium, cum certum debeat esse, quod sit illud compositum; de quo agimus, nimirum Christus Deus; & homo in unitatem unius personæ subsistentes.

147. Et ecce secunda difficultas: Num hæc unio Dei, & hominis in uno hipostati quatenus passivè consideratur, sit res quædam media, & distincta ab extremis de quocumque prædicamento; saltem reductivè; nec ne? Pro quocumque ansa sumatur, comburitur: Siquidem si ea unio non sit res quædam prædicamentalis distincta à partibus Christi componentibus, non habemus terminum formale actionis unitivæ, & ut sic dicamus, Incarnativæ cum nec homo, nec Deus ut supra notavimus, possint esse termini hujus efficientiæ: Sin autem, dicatur, quod unio hipostatica distincta tali gauderet terminatione; præterquam quod non invenimus prædicamentum, ad quod eam aggregare possimus; ulterius non habet quidditatem requisitam; ut esset terminus formalis ejusmodi actionis Christi productivæ; alias se haberet talis unio, ut forma hujus compositi; sicut de aliis terminis formalibus communiter sentitur.

148. D. R. in 3. dist. 2. q. 2. hanc materiam pertractat, et si enodatio præsentis difficultatis non sit adæquatus scopus talis quæst. cum ibi de assumptiva potentia divini Verbi, de quidditate unionis inter partes illius substantialis compositi, ac de termino Dominicæ assumptionis sermonem instituat; de iis omnibus aliqua dedimus hic, & alia in præsentiarum dabimus; et ut denique pertingamus ad desideratam metam, supponimus in primis, quod ubicumque consideremus terminum adæquatum alicujus actionis per modum constati, & compositi, ex quibusvis partibus, concipere debemus terminum etiam formalem, vel partialem scilicet, qui vocatur *quo*, sicut edæquatus dicitur *qui*; de hoc est ratio alia expressa in R. quod scilicet in his partibus componentibus una debet esse potior,

actualior, nobilior, quæ esset forma totius; & formalis quid correspondens actioni effectivæ talis compositi, ac terminus *quo*, & formalis; & cujus ratione totum fit: Ergo hæc erit terminus *quo*, illud verò *qui*. Igitur in Christo Domino, qui mirabile compositum substantiale est, cujus partes componentes una est actualior, & potior; alia verò potentialior, & deterior, daretur in sua assumptione, & activa Incarnatione præter terminum adæquatum illius *qui*; alius terminus formalis; & *quo* live partialis.

149. Et ex hac suppositione iterum insurgit difficultas: Ea namque pars, quæ potior, & actualior sit in aliquo composito; est terminus partialis, live *quo*, & formalis actionis effectivæ illius; sed non sic dici potest de composito *Christus*, cujus pars potior est divinitas, & hæc nullomodo potest esse terminus partialis, live *quo* actionis assumptivæ, & Incarnativæ; quæquidem est effectiva, live productiva ejusmodi compositi: Ergo non necessario erit terminus *quo*, & partialis pars ea compositi, quæ potior, & actualior sit. Minor præterquam quod est expressa in R. hic dist. 1. satis patet: Nam Persona divina seu natura est forma, & actus assumens creatam humanitatem ad sui unionem hipostaticam, & suppositabilem: Ergo nullomodo potest esse terminus partialis præfate assumptionis: Ergo in hoc composito personali corrumpit doctrina de termino *quo* partiali, & formali actionis effectivæ totius, & alia via incedendum erit, ut de hac unionem hipostatica loquamur.

150. Et certè corrumpit: Nam hipostaticum compositum Dei, & hominis, & si verum, & substantiale sit, habeatque suas partes; ut supra notantur; pars illa, quæ potior, & actualior est, ut pote divina, verè se habet tanquam forma, & actus totius; ceterum non veluti terminus formalis Dominicæ Incarnationis, & actionis assumptivæ humanitatis ad unionem cum Deo; & est ratio, quam difficultas demonstrat: Quod hujusmodi actio nullius est propriè effectiva, & productiva, sed solum modo mirabili, & totam naturam superanti terminativa, & assumptiva; atqui huic actioni non forma,

352

Tract. XVI. De Sanctissimæ Incarnationis Mysterio.

na, vel actus correspondere debet pro termino partiali, sed id, quod potentia sit, deterius est, & infirmius: Ergo certe corrumpit doctrina de aliis compositis. Assumptum probat. Actio assumptiva versatur circa deterius assumptibile, sustentabile, ut perfectivo, & suppositivo uniat, & in eo sit, & perficiatur: Ergo hoc deterius erit terminus quo; & partialis talis actionis assumptivæ.

151. Aliter de hoc dubio sentire possemus, & à placitis aliquorum & D. R. non recedentes: Nimirum sic dicendo, quod datur in Deo duplex actio respectu hujus Mysterii; una communis toti Trinitati, alia peculiaris Personæ Verbi; utraque habet pro termino qui compositum *Christus*, cæterum prima est Dei hujus Mysterii Authoris; secunda verò terminatur ad humanitatem assumendam; hæc est Verbi peculiaris, cujus propriissimum est assumere, terminare, & suppositare naturam humanam: alia est à tota Trinitate, cui opus præexcellens hoc tribui debet; terminus quo; & partialis primæ erit Persona divina, non ut de novo producta, quia impossibile est, sed solum noviter missa in mundum, ut per assumptionem naturæ humanæ mundus salvetur per ipsam: Secundæ autem terminus partialis erit unio humanitatis ad Verbum divinum, cui soli comperit assumere, & suppositare.

152. Et ut de hæc unione hipostatica plenior notitia habeatur, obiter supponimus: actionem eam unitivam, quæ toti Trinitati communis est, & ulterius denominatur unio hominis ad Deum, esse de genere transeuntis, vel formaliter, vel virtualiter, cui respondere debet ex parte unitorum sua passiva unio, vel passio, utique de hoc prædicamento: Loquimur de actione ista unitiva, sicut de alia assumptiva, & propria divini Verbi supra dedimus; ac de utraque actione sentimus, non esse unionem eam hipostaticam, de qua queritur: Non prima; quia scilicet, actio assumptiva hæc solum est intrinseca terminatio, intimatio, & suppositio actualis divinæ personæ actu in humanitate exercito; & hæc non unio, sed unio potius dici debet: Nec item secunda, quæ cum sit de genere actionis

transeuntis, & cito transeat, non poterit esse ea talis unio, quæ sit perpetua, & permanens; ad Hebr. 13. *Christus veri & hodie, ipse & in secula.* Quid determino hujus? Latius in hac q. ad primum.

153. Deveniendum est necessario ad id, quod in titulo proposuimus, si hæc unio sit quid absolutum, vel relativum? Aut distinguatur à suis extremis vera reali distinctione? Primo aspectu utraque dissertatio propria videtur Philosophorum; & certè de eis communiter agitur in primo Physicorum, cæterum non debet ut extranea à præsentis instituto reputari; siquidem licet resolutio utrimque sit eadem, & rationes utrobique æquè probantes adducantur; adhuc pro Theologis graviora, & difficiliora habemus ob oculos, quibus satisfacere debemus; nam unio ea, de qua Philosophi, est inter partes; quæ potentia fiat, & actus, adhuc, quod de compositis accidentalibus agatur, materia, & forma, recipiens, & receptum, &c. At verò unio mirabilis, & unica hipostatica versatur inter duas perfectas, & completas naturas, non enim inter se immediatè unitas, sed in una divina Persona suppositatas; in qua superatur illa infinita distantia, quæ Dei ad hominem est; & absque utriusque repugnantia, & inclinatione, talis resultat unio substantialis, ut unum sit, & verè, & propriè Deus, & homo: Unum majori unitate, quam ea; quæ fiat ex materia, & forma, & quam solum superexcedere queat eam, quæ est inter essentiam, & divinas Personas; omnia, unica resolutione comprehendemus, & cætera inter argumenta

154. Conclusio: Unio hipostatica totalis est idem realiter cum composito *Christus*; partialis verò distinguitur à toto, & à Persona divini Verbi: Est expressa D. R. in hoc 3. distinct. 1. & 2. quæ etiam est D. Thom. hic, & tere omnium Thomistarum, etsi non his terminis concisis: Et antequam proberur, ad vertimus; quod unionem totalem vocamus eam, quæ resultat in partibus simul sumptis, & coadunatis; partialem verò quæ se habet ex parte illius extremi, quod verè alteri uniat; vide R. hic dist. 2. §. 4. unde in illis compositis, in quibus extrema mu-

tuo

tuo non uniantur, una tantum partialis erit unio; & à contrario, in illis, quæ solum sunt unum per aggregationem, & medio aliquo cæmento uniantur, aut ligatura, nulla partialis est extremorum unio, quia nullam alteri uniat; sed medio aliquo, ut sic dicamus, dolamento conjunguntur.

155. Quoad primam partem probatur conclusio per R. ibi dist. 1. secundum rationem Philosophorum; & antea dabimus ejus verba: Querit enim sic: *Quid est unio? Respondeo, quod est absolutum; sed non est aliud, quam ipsa entitas totius, vel ipsa totum*: Unio ergo natura humana ad Verbum est esse *Christum*, sicut partes esse unitas, est esse totum. Prima habetur 1. Phil. ubi Arist. dicit: *Quod partes esset totum est simplicissima divisionis, & compositionis.* Videlicet, quod subtractione compositionis, & ut simul sumptæ partes componentes sunt idem, quæ divisim à toto distinguuntur: Præterea in eodem 1. Phil. comm. 17. dicitur, quod partes unitæ sunt ipsum esse totum. Denique ibidem arguens Philosoph. contra alios, qui varia de unione partium sentiebant, concludit: *Quare nulla causa est alia, nisi illud quod movens ex potentia ad actum; & hoc est efficiens, & extrinsecum principium talis unionis; sed partes Christum Dominum componentes, sunt verè partes, sicut & Christus verè compositum est: Ergo id, quod senserunt nostri Philosophi de unione totius physici, & nos asserere debemus circa hipostaticam.*

156. Nunc deducamus methaphisicam probationem: Si unio inter partes compositi esset tertia entitas ab eis unitis distincta, ea partes non dicerentur per se unitæ, sed per aliud, quale est ea entitas media uniens; sed hoc est contra naturam compositi: Ergo. Deinde: Si media ea unione distincta ab extremis unirentur, essent intrinsece unitæ tales partes, & non essent; essent, ut est certum, & non essent, quia talis unio eis ab extrinseco adveniret ut pote distincta; sed hoc implicat: Ergo & ea unio distincta à partibus. Insuper: Vel ea unio distincta est de substantia totius, vel non? Si primum dicatur, erit vel materia, vel forma, & sic non habemus quæstionem; vel est quid extra

Tom. IV.

essentiam totius; & ex hoc sequeretur: quod totum non esset essentialiter compositum ex partibus unitis; siquidem unio eis adveniret accidentaliter; atqui hæc omnia applicari possunt hipostaticæ unioni: Ergo quod de aliis negetur, huic concedere non licet.

157. Denique probatur conclusio quoad hanc partem ratione propria ad Theologos attinente, etsi fundetur, in eodem 1. Phil. Docet ergo Arist. hic: *Quod omnium, quæcumque habent partes, & non ut acerbus, per se ipsas uniantur; & hoc colligitur per clausulam exceptivam sic: Solum ea partes, quæ se habent unitæ ut acerbus, v. g. murus, requirunt certam entitatem, ut uniantur: Ergo quæ non ita sint unitæ, tali unione non indigent.* Potior adhuc ratio habetur pro nostra unione hipostatica hic: Partes illæ, quæ uniantur per substantiationem, vel quarum una aliam sustentat, sic se habent ad unionem, ut persuasinet entitates uniantur; sed Persona Divina humanam naturam sustentat, & ad hoc veniunt in compositionem personalem, ut in unico supposito ea duplex natura substat: Ergo earum unio est idem cum composito *Christus*, & quod ea simul sumptæ, & unitæ constituunt.

158. Conclusionis pars secunda stabilitur propter R. hic dist. 2. q. 1. §. 4. ubi in principio docet, quod terminus totalis assumptionis Dominicæ est unio totalis istius assumptionis, vel partium hujus totius; & concludit: *Et eodem modo dico, quod accipiendo terminum proprium, & partialem istius assumptionis, quem acquirit sibi natura humana, dico, quod hoc est, sua partialis unio cum natura divina.* Nunc argumentatio: Unio partialis hipostatica se habet ex parte naturæ humanæ, & cum ea identificatur: Ergo necessario distingui debet à Divinitate, & à toto composito *Christus*; patet consequentia: Nam pars quælibet sic distinguitur à toto; & maxime humana à divina. Antecedens verò probatur: Unio partialis se haberet ex parte extremi illius, quod propriè alteri uniat, & ad quod terminetur assumptio, vel quod sustentabile sit; sed Deus sibi univit humanitatem, taliter quod homo esset assumptus, ut Deo uniretur, & ab eo sustentaretur:

Yy

Ergo

Ergo unio ea partialis se habet in natura humana, & ex parte illius.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

159. **P**rimò arguitur pro contraria sententia, quæ est D. Subr. Fundament. & non improbabiler D. Thom. & plurium ex suis. Actioni Dei, quæ est toti Trinitati communis, & habet pro termino *qui*, & adæquato totum esse Christi, aliquid ipsi de novo correspondere debet per modum termini *quo*, & formalis, quod sit factum, creatum, vel productum; sed hoc aliquid non est assignabile, quin concedamus esse eam unionem formalem, qua Deus, & homo unirentur: Ergo hæc erit terminus illius actionis: Ergo distincta ab extremis, quorum nullum habet esse per eam; non Deus, ut est certissimum; nec item homo, quia prævie ad assumptivam actionem supponitur existens assumptibilis: Ergo. Aliter orditur argumentum: Compositum *Christus* est productum verè, ac de novo in tempore quid creatum; ut olim Hier. 31. *Novum creavit Deus super terram, fœmina circum dabit virum*; sed non ratione partium: Ergo in vi unionis earum: Ergo ea talis unio, quæ hypostatica est, distingueretur ab illis partibus tanquam verus terminus Incarnationis Dominicæ.

160. Hoc argumentum est nodus Gordianus hujus, & plurium questionum tum hujus instituti, tum Philosophorum, idèoque in ejus solutione aliquantulum immorabimur, & per prius supponimus, Christum esse compositum in tempore existens, & noviter apparens in mundo juxta non semel dicta in sacris novi Testamenti libris: Quomodo ergo hoc novum se habeat, multifariam apud DD. habemus: Vel quas denominationes fortitur ejus fieri, & esse, est totius difficultatis apex. Num scilicet, Christus dicatur creatus, Productus, Factus? Quanamve creatione, productione, & effectione fieri, & esset in tempore? Quomodo, & ut quid subeat tales denominationes? Sine præjudicio tamen

Sacro Sanctæ Ecclesiæ usus, & vocum accommodationis, quod aliter vocamus Idiomatum communicationem, quare Deum hominem nominamus, & hominem Deum dicimus, quibus non bene coherere videmus contrariæ denominationes, nimirum, creatura, factura, &c.

161. Credo, quod omnes circa hoc fære idem sentire debemus, unusquisque ad sensum suum, de similibus nominibus, & prædicationibus Christo Dño. attributis; conformiter ad quod, & nos juxta varia, & dispersa, quæ in R. vidimus, dicimus; quod si compositum Christus, ut tale est, concipiatur, erit in tempore quid noviter productum, cujus productio solum secundum aliquid posset dici creatio, in terminis propriis creationis, ideo non aprobamus loquutionem, qua simpliciter enuntietur, Christum esse creaturam; nisi cum addito determinante proferatur, sic videlicet: Christus Dominus est quid creatum secundum quod homo est, & ea ratione, qua anima rationalis, & materia, ex quibus componitur, creatæ sunt. Aliter de productione sentimus; qua propter, cum producti Deo non dedecet, nec illius summæ perfectioni obviet, nam filius, & Spiritus Sanctus sunt personæ productæ; nec pro inconvenienti habemus, quod compositum *Christus* absolute, & simpliciter dicatur productum; ac præterea ea ratione, qua in tempore est, & factum denominatur, eandem subeat denominationem.

162. Quomodo Christus dicatur factus, & productus in tempore; an per eam actionem, quæ operativa est hujus mysterii? Vel quid in eo composito dicatur productum? Ut hoc solvatur, non esset incongruum recurrere ad naturalem generationem, & productionem hominis, cui compositum genitum responderet, ut illius terminus productus, & factus, quin nec anima, aut materia fierent ab agente naturali; unde solum persuarum partium unionem, & similitatem ab eodem agente habitam effectivè, dicitur, & est productus, genitus, & factus. At quia per hoc unam per aliam solveremus difficultatem, directè ad propositam respondendo, dicimus; & in primis quod

quod non idem sentimus cum aliis de hominis productione; nam per formæ corporeitatis productionem, & generationem, & anima rationalis unionem cum eo corpore verificamus, quod totus homo denominetur genitus, & productus.

163. Nunc ad intentum respondendo, dicimus, quod compositum *Christus* est verè, & propriè de novo in tempore productus, quin hoc alia ratione probetur; quam sit illius temporalis generatio, & nativitas, quæ non ab æterno, sed quando venit plenitudo temporum extiterat; eumque id, quod de novo exiit, & antea non erat, factum, genitum, aut productum dicitur; idem de isto composito *Christus*, de quo tractamus, dicimus. Nec ex eo quod partes illud componentæ non essent simul productæ; sequitur totum ipsum non produci; nam compositum quid realiter distinctum est, & à partibus suis separabile, ut videtur in corruptione hominis: Ergo non apparet, unde repugnet, quod totum aliquid productum sit, & factum, stantibus improductis partibus, quibus constat. Partes enim hujus compositi, quæ sunt Deus, & homo; certum est, distinctas esse à Christo, si divisivè accipiuntur; sicut fære certum constat, quod humanitas ligno aliquo natura prævio ad actionem missivam Divini Verbi, & hujus misterii effectivam, producta extiterat in utero Sanctissimæ Matris ope Divina; & ejusdem ministrante materiæ purissimæ: Igitur improductis partibus talis compositi, non inconvenit, totum illud produci.

164. Nec illico argues per rationem termini formalis *quo*, qui necessario perit produci ad productionem termini adæquati, & *qui* tanquam hujus formalis ratio, ut superius dicebamus per doctrinas R. ex Arist. Nam licet certum sit, quod ubi concipiatur terminus *qui*, & adæquatus, necesse est inveniri terminum formalem, & *quo*; non tamen æquo jure hoc est, non requiritur, quod terminus *quo*, & formalis sit de novo factus, & productus, sicut est terminus *qui*, & adæquatus, sed sufficit, esse de novo unicus materiæ totius, vel illius subiecto communicatus: Omitimus exemplar de homine, & adducimus exemplar sine exem-

Tom. IV.

plo Divinissimi Mysterii, quod investigamus: Totus Christus est de novo genitus, & productus, & terminus formalis *qui*; at terminus *quo* actionis effectivæ talis Mysterii, quæ est unio hominis ad Deum, vel actionis assumptivæ Divini Verbi, quæ est Dei ad hominem subtenratio, & terminatio, non sunt aliquid de novo factum, sed de novo unicum, & communicatum, ut est hominis assumptio ad esse Deum. Doctrina est R. eo modo ab Exim. citat. in 3. dist. 1. & 2.

165. Secundò arguitur: Unio partium cujuslibet compositi non potest esse quid absolutum, sed præcisa relatio: Ergo necessario ab eis distinctum quid. Pater hæc consequentia: Nam partes, quæ absolute sunt, distingui debent à relativis; ergo unio si se habeat ex parte actus, si ve ex parte subiecti, ab eis distinguitur, etsi simul sumptæ considerentur. Antecedens verò probatur: Partes esse unitas, & simul sumptas, nil est aliud, quam unam actuare aliam, seu informare, aut unam esse in alia similiter; sed hoc quoddam referri est partis, scilicet, ad partem: Ergo si taliter est unio partium cujusque compositi, ea consistit in entitate relativa. Hoc est præcipuum, & principalius hujus questionis argumentum, & in eo laborant DD. magni momenti, antiqui, & recentiores diffusè: ut D. Thom. art. 8. q. 2. p. 3. Subr. Bacon, Bgid. Suarez, Vazquez, quibus hi ultimi AA. superaddunt hujusmodi relationem unionis partium cujuslibet compositi fundari in modo quodam reali substantiali, quo expressatur informatio formæ ad materiã, vel suppositio substantiæ ad naturam, ideoque hujus quidditatis, quæ dicitur modalis, si ve modus, sunt existentia, & substantia in rebus creatis. At quia horum modorum ratio cogente fundamento non probatur, immò nec potest, ideo contenti erimus; si de illis demus aliqualem notitiã, & modo nostro impugnemus suã existentiam.


166. Et prius pro parte sententiæ D. Subr. responderetur, negando antecedens, ad cujus probationem negata minori, dicimus: Quod unio harum partium dicit, unam esse in alia, & maxime in præfenti compositione Dei, & hominis; sed hoc non est de conceptu re-

Yy 2

la.

tionis, quæ essentialiter constituitur per esse ad aliud: Ergo gratis dato, quod super unionem hujusmodi fundetur relatio aliqua identitatis, vel compositionis, ut est capitis ad capitatum, alæ ad alatum, &c. ea talis unio adhuc erit quid absolutam quidditivè. Præterea: Talis unio est per se terminus actionis divinæ hujus compositi productiva: Ergo non relatio cum ad relationem non detur per se motus, & actio: Ergo casu, quo in unione fundetur relatio, unio ea absolutum quid erit. Certum est enim, quod partes compositi mutuo respiciuntur, sed non ut puri termini, quod est de quidditate relationis, sed sub alia ratione; nimirum; formæ ad materiam ut perfectibile, & hæc ad formam, ut perfectivum: Unde ad summum erit transcendentalis relatio illa unio.

167. Nec hæc relatio fundari potest supra modum aliquem substantialem qui distinctus sit à suis partibus unitis, & denominetur unio: Nam hæc entitas media inter per se substantiam, & accidens non est conceptibilis, nec Arist. de ea aliquid nobis reliquit, nec habemus speciale fundamentum ad eam adstruendam: Ergo nec hic est habilis, nec constitui potest alicubi; & est ratio: Quod hæc entitas media, quæ modus nuncupatur, ac nec substantia sit, nec accidens, sed modus substantialis, vel accidentalis, distinctaque à substantia, & accidenti non est substantia, aut accidens, ut pote ab eis distinguitur: relinquitur, quod secundum quid ad utriusque naturam pertineat; quomodo ergo quod deficit à vera ratione substantiæ, poterit unum per se substantiale constituere?



QUÆSTIO XI.

Quomodo Beatissima Virgo Maria sit,
& dicatur Mater
Dei.

168. **D**E Beatissimæ Virginis Mariæ Maternitate acturi illud in primis supponendum est, &

certa fide tenendum, Sanctissimam Dominam & esse veram Matrem, & Matrem Dei dici, & prædicari debere; primum habemus in 2. Matth. & 19. Joann. *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria: et: Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus.* In quibus Verbis; si cum proprietate, qua debent, accipiantur, satis clare revelatur, veram Matrem Jesu esse Mariam. Præterea eandem fide credere, & confiteri tenemur, eandem Sacratissimam Virginem esse, & dici ac prædicari Matrem Dei, sicut filius ejus Christus Jesus verè est, & dicitur Deus; quæ veritas etsi diu ante Ephesum Conc. in Ecclesia firma haberetur, immo & à tempore ipsius Divini Verbi Incarnationis: In eodem tamen Conc. sub N. Cirillo proclamata, & declarata fuit contra Eutichen negantem, Christum esse verum Deum, & verum hominem; & insuper contra Nestorium à contrario docentem, Christum Dominum, sic esse Deum, & hominem, ut neque Deus factus esset homo, nec homo esset effectus adesse Deum, consequenter ad quæ, nec filius hominis esset Dei filius, nec Mater, quæ genuisset illum hominem, esset dicenda Dei genitrix.

169. Ex his duo solvenda nunc oriuntur; primum est; quomodo Beata Virgo Maria dici valeat, & esse Matrem illius hominis, qui non ex voluntate carnis, & Viri, sed de Spiritu Sancto conceptus, & formatus sit, & unico, & indivisibili instanti ejus Incarnatio perfecta? Ratio hujus dubii sic fundatur: Generatio temporalis Matris cujusvis præterquam quod mul-

multis imperfectionibus involvitur, & implicatur, est temporalis, & non momentanea, ut pote motus quidam successivus; sed Divini Verbi assumptio Incarnatio, hominis Conceptio, & formatio, totum instantaneum exitit: Ergo ad hoc nulla intervenire potuit temporalis generatio. Et dato, quod B. Maria esset vera Mater Jesu Christi Domini, non est, quare dicatur Dei genitrix; cum Deus in tempore gigni non possit, dicente de eodem Verbo Divino Patre Eterno: *Ps. 109. Ex utero ante Luciferum genui te:* Et hæc est difficultas secunda, quam habemus solvendam. A quibus duplici conclusione expediemur.

170. Conclusio prima: B. Virgo Maria est, & dici debet propriè, & strictè vera Mater Jesu; immo potiori ratione, quam reliquæ omnes Matres quorumcumque viventium. Abstrahimus, & præscindimus in præsentiarum ab illa satis celebri inter phycos dissertatione: Num, scilicet, matres animalium active concurrant ad suorum filiorum generationem, an merè passivè. Quia est propriissima alterius loci, & ad hunc nil facit; dummodo de Beatissima Domina nostra verificetur id, quo reliquæ constituuntur Matres, influant vel non, activè in suorum factuum procreationem: Licet ubique de hoc agatur, partes D. R. sequi tenemur, afferentis, & tenentis hic dist. 4. ex Arist. 1. de generat. & de animalib. lib. 10. & aliis in locis; Matres activè concurrere ad filios suos gignendos in materiæ veluti ex qua subministratio; etsi adhuc passivè etiam se habeant in fetus formatione, & aliis hujusmodi.

171. Nunc probatur conclusio aliquibus rationibus; prima esse potest, si teneamus matres passivè concurrere ad suorum filiorum generationem; in hac hypothesi Spiritus Sanctus fecit omne id, quod pertinet ad activam generationem Jesu Christi Domini: Ergo B. Mariæ quod est proprium passivæ Matris: Ergo quin Spiritus Sanctus dicatur Pater Jesu, B. Virgo ejus Mater dicitur. Probatur hæc consequentia: Quamvis Spiritus Sanctus supleret in Christi generatione, quod ad illam activè faceret, idè non diceretur illius Pater, quia ipsi deficeret aliud quid;

quod constitutivè pertineret ad effectum Patrem, ut puta, esse principium conjunctionis, & in natura simile, & ibi modo naturæ operans; sed per hoc quod B. Virgo Maria passivè materiam subministrat, &c. habet ea omnia, quæ constitutivè sunt propria Matris: Ergo. *Christus (est Mag. hic.) sic natus est de Spiritu Sancto, quod non est Pater ejus, & sic natus est de Maria Virgine, quod est Mater ejus.*

172. Secunda ratio, & alia via probativa, sic: B. Virgo Maria in Christi Domini operatione habuit omnia munia, & officia naturæ, quæ sunt propria, & essentialia omnium aliarum matrum: Ergo est illius vera mater. Antecedens probatur: Beata Virgo sanguinem suum purissimum pro ejusdem Sanctissimi corporis formatione subministravit defecatum ab omni labe, & macula; sicut ipsa eratelecta in spiritum sanctificationis; præbuit insuper cibum, ut aleretur per novem mensium spatium in utero, & ibi adaptavit locum suæ naturali conservationi necessarium; sed hæc omnia sunt matrum propria, & naturaliter necessaria pro filiis generandis; & reliqua, quæ ipsis accidunt, communiter oriuntur ex fonte peccati originalis, qui in hac parte extinctus fuit divinitus in hac Sacra Regina; vel aliunde in aliis animalibus: Ergo habuit omnia B. Virgo, quæ essentialia judicantur ad esse veram Matrem Jesu.

173. Dicebamus in conclusione, quod Beatissima Virgo fuisset potior Mater aliis cujuscumque conditionis; & certè verum dicebamus: Nam reliquæ omnes sine concursu Maris suos non habent partus, & fetus: Non sic nostra Sanctissima Domina, quæ sine tactu pudoris inventa est Mater Salvatoris; sed Mater hujusmodi est, & debet esse, attenda rerum natura, potior, & perfectior reliquis Matribus: Ergo sic est Beatissima Virgo Maria. Minor probatur: Beata Virgo materiam subministravit, & sola, & ipsius naturæ individualis propria, quod reliquæ Matres non faciunt, cum materia, quam præbent, non sola deserviat ad fetus formationem, sed adjuncta viri seminali materia; & ex hoc quasi partiali jure facit ad suas generationes: Er-

go sola B. V. Maria est perfectior, una est, & unica inter omnes matres.

174. Conclusio secunda: B. V. Maria, quæ verè est Mater Domini Jesu, debet esse, dici, & prædicari, & vera, & propria Mater Dei. Conclusio ex supra dictis satis liquet, præterquam quod convinci potest per sententias Arist. in quibus docet, quod non generatur homo, sed iste homo, hoc est, sortis, callias, &c. Ergo in ea generatione, quæ propria est Beatissimæ Virginis Mariæ non ut cumque fuit homo genitus, sed iste homo; sed homo Jesus Christus est iste homo constitutivè, & essentialiter divinitate: Ergo hujus hominis taliter constituti est vera Mater Virgo Maria: Ergo Dei Mater est, & verè, & proprie. Minor subsumpta probatur: Hic homo, & iste homo est talis essentialiter, ut est substantia individua, & subsistens; sed per divinam Personam Jesus Christus est hic homo, & iste homo subsistens: Ergo talis est ratio divinitatis.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

175. **A**rguitur primò contra primam conclusionem: Beata Virgo Maria, et si ut Jesu Mater proclamatur in sacris litteris, immo, & illius vera Mater, non tamen ea proprietate taliter prædicanda est, & dicenda sicut aliæ præter ipsam Matres constituuntur per commixtionem, scilicet; virilis propaginis: Ergo in sensu communi aliarum, hæc Domina Sanctissima Mater dicenda non erit. Antecedens probatur; primò: Matres omnes sic suos filios generant, ut earum generatio sit actio successiva, & cum motu identificata; sed non sic fuit genitus filius Dei in utero, & claustro Virginis Matris, cujus generatio momentanea fuit, & in unico instanti, & absque mora aliqua perfecta; siquidem in illo facto esse Verborum Mariæ ad Angelum: *Eccc ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Luc. 1. omnia consummata credimus, & materia apta, & corpus formatum, anima creata, & ei unita, ac de-

nique humanitas ad Deum assumpta, & Christus Redemptor genitus: Quid hæc cum aliis generationibus viventium?

176. Secundò probatur illud antecedens: Subministratio materiæ à Beata Maria præstita, pro filio Jesu generando, & ejus corpore formando non fuit naturalis, immo nec illam posset præstare natura: Ergo alia, & alia est generatio ista cum aliis; nam hæc miraculosa, aliæ naturales sunt. Antecedens probatur: tum quia talis materia est pretiosus Sanguis Sanctissimæ Mariæ purus, & defacatus, aliarum verò est impurus spermatus menstruatus: Tum etiam: Quia in his materia ista atrahitur ab alio agente, quod non accidit in alia purissima, nec legitur: Ergo quia hæc est altissima, & nullomodo cum aliis univocabilis.

177. Responderetur ad argumentum, negando antecedens, ad cujus primam probationem, quæ erat ratio dubitandi in principio hujus q. proposita; responderemus cum R. hic: Libenter concedendo, quod aliæ generationes sunt motus stricti, actionesque successive; quibus sua genita temporaliter producantur, quod contra accidit in ea; quæ est Beata Virginis, quia alia diversitas in eis reperitur, præteream, quæ versatur inter perfectum, & imperfectum: Utraque enim proprie, & strictè dicitur generatio, & ea, quæ temporalis est, & alia; quæ instantanea; cum utriusque conveniat definitio propriæ generationis, hæc solum habita differentia; quod Beata Mariæ perfectissima est, aliæ verò multis imperfectioribus implicantur. Extat de hoc in R. hæc dist. art. 2. exemplum satis aptum in igne; à quo si à sua actione auferat Deus rationem motus, ut potest; ita quod eidem in instanti coageret, verè, & proprie combureret; suaque activitas eidem non deficeret: Ergo et si à Deo supleatur mora in Christi Domini generatione temporali; non ideo non erit propria, & stricta hæc sua Maternitatis generatio.

178. Ad secundam probationis solutionem supponimus, hæc generationem Jesu Christi ita miraculosam esse, si absolute loquamur, ut de ea dicat Aug. ad Voluntianum: *In talibus tota ratio facti est potentia facientis;* per quod, & ex ibi dictis con-

concluditur; miraculosam fuisse, & miraculosiorem; ceterum non ita, quod naturalis, sua ratione, non esset hoc est, ex parte facti, & modi naturalis, & supernaturalis; factum enim est Deus, & homo; modus ergo altissimus, & inscrutabilis. Si autem ex parte materiæ consideratur generatio hæc, suam diceret naturalitatem, sanguinem, scilicet, suum purissimum ex quo formatum est illud Sacratissimum Corpus. Ex quo supposito nunc dicimus; quod ea, quæ in argumento afferuntur, defecisse in generatione Martenali B. Mariæ non sunt de quidditate illius, sed solum pertinent ad naturalem, & imperfectam generationem, quæ si auferantur, adhuc remanet talis essentialiter: Nec ex eo quod miraculosa sit, sequitur naturalem non esse, sub ea tamen ratione, quæ in immediata notula declaratur.

179. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Christus Dominus verus Deus, & homo est, & per communicationem Idiomatum Deus dicitur homo, & homo Deus; sed solum hac ratione, & per communicationem istam posset B. Virgo denominari Dei Mater, & Genitrix: Ergo non proprie, sicut, nec proprie, & absolute, loquendo homo est Deus, & Deus homo. Duo ad hanc argumentationem dicere possumus; primum: Quod hæc idiomatum communicatio non est absoluta, & generalis, sed signata, & determinata ad Personam Christi, in qua, & Deus dicitur homo, & homo Deus; ex quo sequitur, quod fundata sit in rerum proprietate, & non modo in hominum beneplacito; hoc est; Deus Incarnatus verè est homo, & homo assumptus proprie est Deus: Deus est homo, quia homo factus est, homo est Deus, quia homo assumptus est ad Personam Dei; discurremus sic de Beata Virginis Maternitate, & omnia qualibet argumenta solvemus.



QUÆSTIO XII.

Utrum in Christo Domino sint duæ filiationes distinctæ?

180. **S**upponit nostra fides Christum Dominum esse filium Dei, & filium hominis, sic legitur in variis locis sacri Evangelii, ut pluries in Matth: *Scitis quia post viduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur;* & de alia filiatione in eodem libro, dicente Petro: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Cap. 27. 16. & alibi. Est ergo filius Dei propter formam Dei, & filius hominis dicitur propter formam hominis, ut Paulus non semel prædicat 2. ad Phil. *Qui cum informis rei esset &c.* Et: *Formam servi accipiens in similitudinem hominum factus:* Ex quibus concludimus, utramque filiationem naturalem esse, siquidem in Christo Domino habentur à propria forma, Dei scilicet, & hominis, & præterea: Quia verus Deus de Deo est, & verus homo de homine utrobique genitus: Ergo suo modo naturalis filius hominis est, sicut est naturalis Filius Dei.

181. Ex hinc oriuntur Scholasticæ quæstiones, quæ in præsentem solvendæ veniunt, Prima est: Si ultra has filiationes, quæ propriæ, & naturales sunt, detur in Christo Domino alia, quam jus Civile statuit, ut Patribus in sacandis subveniret, subrogando loco propriorum filios aliorum, qui quidem affectu tanquam liberos haberent, & acceptarent cum tali, & tali jure ad suam hæreditatem. Vocantur adoptivi filii hujusmodi, non tantum quia sic est expressum in legibus Sæcularibus, sed ulterius quatenus in sacra Scriptura de tali filiatione ad spiritalia, & superna translata, multipliciter legitur, & maxime in canon. Paulus. Hæc ergo adoptio, quæ solum ratione utentium est propria, unice naberetur per gratiam Dei, & ejus amicabilem acceptationem.

tionem: Ut Joan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui non ex voluntate carnis: sed ex Deo nati sunt.*

182. Attenta enim adoptione in his terminis, satis clarè patet in Christo Domino implicare; nam si adoptio est quasi supplementum filiorum naturalium, quo modo in Christo Domino concedi potest, qui filius verus Dei est, proprius, & naturalis? Quo non obstante, sunt aliqui ex antiquis Theologis, qui huiusmodi adoptionem, Christo non repugnare allebant, ea parte, qua homo est, & suæ humanitatis non inconvenientem, quæ præter gratiam substantialem unionis, alia gratia sanctificationis ornata est, & per quam omnes homines hac potiuntur adoptione, ut Trident. declarat; idèdque cum gratia ita ipsissima sit quoad suam speciem, si per illam homines, & Angeli constituerentur filii huius adoptionis, non apparet ratio, ut ipsa in Christo infusa eidem non tribuat talem filii denominationem.

183. Si namque Christo Domino hanc speciem adoptionis tribuamus, ita quod in quantum homo sit Dei filius adoptivus, non habet locum sub illa eadem ratione, filiatio, scilicet, Dei naturalis, cum esse filium proprium, & adoptivum coadunari non possint, essetque deveniendum ad hoc, ut Christus ut homo, & in quantum homo est, non sit filius naturalis Dei. Nec insuper posset dici filius naturalis Beatissimæ V. Mariæ adhuc in quantum homo, si ut homo non esset naturalis filius Dei, nisi incideretur in errorem Nestorii, vel daretur formalitas, & respectus filii in natura humana, & in ea fundatus, ut natura est, & à substantia distinctus. Contra Arist. immo, & contra declaratum per Conc. Later. *Natura non generat, aut generatur, &c.* igitur natura sicut non generatur, sic nec filius est, aut dici potest.

184. Et ut ad resolutionem questionis propositæ, nimirum si sit una, vel duæ filiationes naturales in Christo Domino; necessum habemus ab hac primò præsupposita adoptiva filiatione expediri. De illa extat declaratio quædam habita in Conc. Franc. Ford. ubi determinatum

fuit, Christum Dominum esse filium Dei naturalem, non verò adoptivum; sub his terminis videtur, non habere locum questio de adoptione Christi; sed benè perpensa huius Concilii doctrina, procedere credimus contra eos, qui in hoc placito ad Nestorii sensum accessisse apparebat, idèdque in hac parte talis sententia subirejussimodicensuram; cum qua adhuc cohæret alia Theologorum antiquorum, qui cum una filiatione naturali Dei, aut hominis in Christo componere tentent aliam adoptivam, quæ propria sit ipsius ut homo est, & gratia sanctificationis habitualis vestitus, cuius est effectus formalis ejusmodi adoptio.

185. Sed quidquid sit de hoc cum communi Theologorum tenemus, Christum Dominum nec esse, nec posse dici filium Dei adoptivum, & probatur primo: Quia ut Deus, & ut homo filius naturalis est: Ergo nullomodo adoptivus, quod in eadem persona, & respectu ejusdem Patris incompatibilis est. Præterea: Adoptio ex sua institutione, & antiquissima jurium acceptione definitur sic: *Assumptio Personæ extraneæ ad alterius hæreditatem; sed Christi Persona est unica ut Deus, & ut homo, & extranea Deo esse repugnat, cum verè Deus sit in qualibet consideratione; ergo sub nulla posset Christus Dominus esse, aut dici filius Dei adoptivus. Hoc est ad oculum malum huius opinionis, si enim in Christo concedamus adoptionem, tenemur ad altetatem in Persona, & accedimus ad Nestorianos.*

186. Sed contra hucusque dicta hæc fit difficilis objectio: Casu possibili dato, quod Pater æternus incarnasset, ut potuit, esset filius Dei adoptivus, quin ad hoc officeret, quod persona adoptata non esset extranea: Ergo ratio quare nunc in Christo negatur adoptio, non est sufficiens. Major probatur: Pater incarnatus non esset filius naturalis: Ergo si Dei dicens esset filius, ut par est, & nullus negaret, siquidem Angeli, & homines Dei dicuntur, & sunt filii, ideo & potioratione, Pater Divinus in illa hypothese incarnatus. Antecedens verò probatur: Compositum illud ex carne assumpta, & Paternitate non haberet formam, à qua denominaretur Filius Dei naturalis: Ergo.

187. Ex industria apposimus hic præsentem objectionem, ut aliquid dicamus ad mentem D. R. quæ licet expressa non sit in isto passo; possumus tamen ex illa aliquid adducere ad illud conducens: Certi etenim sumus Christum Dominum, ut Deus est, esse filium Dei adhuc in carne, & quod, ut homo est, nequeat dici adoptivus, si adoptionem in vero sensu usurpemus; sicut etiam certum esset, quod in hypothese incarnationis aliarum Personarum non invenimus, quare excludi possent à Dei filiatione, ut in argumento nataur. Quibus sic stantibus, & quod tenemur ad generationem, & filiationem, quas Arist. adstruit, ut valeamus distinguere inter divinas processiones, Filii, scilicet, & Spiritus Sancti: insurgit jam contra nos gravitas difficultatis, & argumenti.

188. Plura de eo videbis in Lumb. N. q. 38. huius tract. art. 2. qui pro se assert gravissimos Theologos, & ex nostris, & extraneis, & certè non improbabilia, cæterum meo captui difficilia valde: constituit enim tertiam speciem filiationis, quæ propriam vocat, & hæc, ut notat, est quædam intima conjunctio, quam natura rationalis assumpta habet cum divinitate ratione Personæ assumptæ, & in vi cujus substantialiter sanctificetur, & jus adquireret quasi sibi debitum ad Dei hæreditatem: Et hæc quidem species tertiæ filiationis mihi videtur, esse adoptionem quandam substantialem, & jure debitam composito illo Dei, scilicet, & hominis; quæ quia non servat ea, quæ propria sunt naturalis generationis, naturalis non est; & præterea nec simpliciter adoptiva, propter eandem rationem; & ne à Christo excludant veram Dei filiationem, tertiam istam constituunt.

189. Non acquiesco huic modo dicendi propter hæc argumenta; primo: Quia talis tertiæ species filiationis, quæ

propria dicitur, ut contradistincta à naturali, & adoptiva, non habet fundamentum in Arist. & Philosophis, à quibus habemus documentum ad dignoscendas generationes, & alia prædicamentalia, translata tamen ad divina prædignitate materia: Ergo voluntariè conficta est, ut videtur ea gravis difficultas. Textus ergo sacri, qui loquuntur de Christi Domini filiatione, adhuc, ut homo mortalis est, & passibilis, satis clarè indicant illam eandem, quæ de ipso Verbo Divino predicatur; atqui hæc naturalis filiatio est: Ergo Christus, ut compositum est, & ut homo mortalis, & passibilis, filius Dei naturalis est.

190. Secundò: Filius proprius Patris est, & dicitur propriè à Patre genitus; sed filius quicumque propriè à Patre genitus, est filius naturalis: Ergo idem est filius proprius, ac filius naturalis. Major patet: Nam filius, & genitus convertuntur, & hoc tenemur asserere pro conservanda fide Sanctissimæ Trinitatis, & maxime loquendo terminis propriis: Ergo proprius filius est proprius genitus. Minor principalis probatur: Proprius genitus est talis in vi proprii Patris, & propriae nativitatis: sed solum in naturali filiatione, & generatione adest proprius Pater, & propria nativitas, & generatio: Ergo proprius genitus, & naturalis genitus, est naturalis filius. Si tamen dicatur, quod hic proprietas filiationis deficit à vera ratione generationis, necessario inciditur in novam sententiam Christo Domino negantem veram Dei filiationem; & consequenter sequeretur, textus sacros non loqui in veritate, & proprietate, ut sonant, quando de illius divina filiatione loquuntur.

191. Quid nos de hoc sentiamus, infra in conclusionem, & inter argumenta per doctrinas R. nuncque ad objectionem factam respondendo, dicimus; primo: Quod propter rationes factas compositum illius hypothese nullomodo diceretur filius Dei, & hoc non obstaret, ut esset Sanctissimum, undequaque cum jure debito ad hæreditatem gloriæ: Et propriis terminis: Non esset filius quoad naturam, esset tamen quoad effectum talis filiationis; & quid esset? Æternus Pater incarnatus, & ho-

mo factus; & est ratio, quia sicut non in-
convenit in plurium sententia in illa hi-
pothesi duos filios in divinis concedere,
ut ait D. Thom. eadem ratione possumus
& nos unum Patrem æternam incarna-
tam ponere, qui in tempore esset verus
Deus Pater, & verus homo non filius, sed
quali affiliatus, quod est quoddam me-
dium superius ad adoptionem. Aliter
enim, & secundo dici potest; quod com-
positum illud in ea hypothesi esset Dei fi-
lius quoad officia, & dotes, non verò
quoad essentiam. Hæc ex nostro dedi-
mus: alio modo, & fortè melius in hac q.
infra.

192. Relictis ad hoc expectantibus, &
supposito, quod Christus Dominus sit fi-
lius Dei, & filius hominis naturali filia-
tione, ita quod eadem Persona Divina, quæ
filius Dei dicitur, & est, est, & dicitur fi-
lius hominis, & hoc verè, realiter, & pro-
priè, sic est filius Dei, & filius hominis;
filius Dei propter Deum, vel in quantum
à Deo est genitus, & filius hominis prout
in utero Matris conceptus est de Spiritu
Sancto, & formatus in suis propriis visce-
ribus, & de substantia sua, & ab eadem
Domina ministrata; quarimus, num istæ
filiationes ad modum quo reales respectus
sunt, & ad Patrem æternum ratione for-
mæ Dei, & ad Matrem temporalem ratio-
ne humanitatis, sint duo respectus; &
realiter distincti, intentionaliter saltem,
& ex natura rei, vel unum sub his duabus
denominationibus? Pro hoc supponimus:
Christum Dominum realiter referri ad B.
Virginem ut ad naturalem Matrem, non
repugnat, nec est inconveniens, sicut nec
Dei ad creaturas dari veram relationem,
de quo latè tom. 2. tract. 5. q. 8. per to-
tam. Pro eo sit

193. Conclusio prima: Una, & ea-
dem est entitative filiatio Christi Domini
ad Patrem æternum, ut Deus est, cum ea-
dem ejusdem filiatione in tempore res-
pectu Matris, ut homo est. Hæc conclusio
est R. ut infra D. Thom. hic D. Subr. ab
aliquibus attributa: Est, & maximè, om-
nium eorum, qui hanc filiationem po-
nunt, & conlittunt in toto illo compo-
sito *Christus*, propriissimamque asserunt esse
Hypostaticæ unionis. Primoque proba-
tur illis textibus supra positis, & aliis, qui

ad idem faciunt: Christus Dominus una,
& ea forma dicitur, & est in suo ore, fi-
lius Dei, & filius hominis, filius scilicet,
æterni Patris, & B. V. Mariæ, à qua per
veram generationem accepit formam
hominis, sicut à Divino Patre for-
mam Dei: Ergo per unam filiationem
subiret illas duplices denominationes, fi-
lii, videlicet, Dei, & hominis. Probatur
hæc consequentia: Stante unitate in for-
ma, & principio, stat unitas in entitate
effectus, seu principii, sed unica est for-
ma utriusque relationis: Ergo una, &
eadem est in Christo filiatio Dei, & homi-
nis.

194. Secundò probatur conclusio, &
est totum illius fundamentum, cujus
ratione prima roboratur: In Christi Do-
mini composito una est persona, & unum
suppositum, unumque subsistens: Ergo
etiam ibi multiplicentur generationes pro-
pter naturarum diversitatem, non tamen fi-
liationes Probatur consequentia: Nam an-
tecedens certum est: nã filiatio, & relatio
est propria suppositi, & Personæ; sed hoc
in Christo Domino est unum, & imulti-
plicabile: Ergo una erit in eadem filiatio
quoad entitatem. Minor cum consequen-
tia tenent, & major probatur, primò: Per
doctrinas superius datas ex Arist. in R. &
ulterius in cap. de summa Trinitate; ubi
asseritur, quod natura nec generat, nec
generatur: Ergo suppositum dicitur, &
est, quod generat, & generatur: Ergo fi-
liatio, sicut Paternitas sunt propriae sup-
positorum: Ergo in eo composito, in
quo unum tantum sit suppositum, ut in
Christo, quamvis in eo sint plures natu-
ræ, & generationes, una tantum erit filia-
tio, & similiter genitum unum, & fi-
lius.

195. Tertio: Idem suppositum Verbi,
quod ab æterno est genitum, & filius Dei,
est in tempore assumens humanam natu-
ram, & in ea assumpta similiter genitum,
& filius Beatæ Virginis, in qua, & ex qua
hæc facta, & producta est natura, & ho-
mo Deus genitus: Ergo utriusque gene-
rationis est idem filius, & genitus Ver-
bum Patris coæternus Patri: Ergo unica
filiatione hic Deus homo est filius Dei, &
filius hominis: Ergo etsi utraque sit realis
filiatio, non duæ, sed una tantum erit
una.

una, scilicet, in entitate, quæ subit dua-
rum denominationi; tum propter duas
generationes verè differentes, tum, &
propter communicationem idiomatum.
Secunda consequentia patet: Verbum
Patris æterni, quod unice tale est, unica
filiatione constitui debet, quia videlicet
unicus filius est: Ergo si hoc idem Ver-
bum sit filius hominis, erit unica filia-
tione filius Dei, & filius hominis.

196. Conclusio secunda: In Christo
sustineri possent duo filiationes in sensu
tamen improprio filiationis. Est R. hæc
dist. 8. probaturque: Ubi sint duæ gene-
rationes, & natiuitates distinctæ, ibi de-
bent esse jure aliquo duæ filiationes; sed
in Christo Domino sunt duæ generatio-
nes, & natiuitates distinctæ, una, qua ab
æterno procedit ut filius, & verè genitus
æterni Patris, & alia, qua in tempore si-
militer genitus est in utero suæ Sanctissi-
mæ Matris: Ergo & in eodem Christo
Domino duo sub ista ratione erunt filia-
tiones; sed non propriè tales, propter ra-
tiones immediatè datas: Ergo impropriè;
tum, & maximè, ut recedamus à Nesto-
rianis; tum quia ea distinctio filiationum
non est adæquata, & propria, sed solum
pænes modum accipiendi, & habendi na-
turam ab alio, præscindendo à proprio
esse suppositi consimilem, & ejusdem spe-
ciei cum generante; & hæc est ultima ra-
tio, quare propriè non sunt duæ, sed una
filiatio, quæ de Christo Domino dici possunt.

PROPONUNTUR ARGUMEN- ta, & solvuntur.

197. PRIMò arguitur contra pri-
mam conclusionem: In
Christo Domino sunt duæ passivæ genera-
tiones: Ergo duæ filiationes. Antecedens
patet: Nam ibi est æterna natiuitas, &
generatio à Patre æternali; & temporalis
ex Maria Virgine; sed hæc sunt duæ gene-
rationes veræ. & propriæ, quarum una
non est alia: Ergo distinctæ. Prima con-
sequentia probatur: Duæ generationes
distinctæ activè considerentur, aut passivè,
interunt duo genita esse: Ergo & duas

filiationes. Hæc consequentia legitima
est: Nam genitum esse, est esse filium;
idèdque qui fiat generatione ea, quæ sit
propria perfectorum viventium, filius
est, & denominatur: Ergo ubi sint vere
taliter genita, ibi duas filiationes concipi
est necessarium.

198. Argumentum est satis arduum,
& meo judicio non parum facilis solutio-
nis, & maximè cū teneamur ad fidem Dei
verè genitricis Mariæ, & ad similem in
Christo Domino ut homine filiationem;
quarum ratione est propriè filius homi-
nis, propriè genitus perfecta generatione
temporali, & ex Maria Virgine homo ge-
neratus, & factus, quæ distincta debet esse
ab æterna de Paterno intellectu: Quo-
modo ergo hæc concordabimus cum
unica tantum filiatione in isto hypostatico
composito, qua simul sit, & filius Dei
per æternam generationem, & filius ho-
minis per temporalem, & maternam? D.
R. loco citato immediatè, ut huic diffi-
cultati heret satis, integra manente vera,
& propria Maternitate B. V. Mariæ, con-
servataque vera Christi Domini ex suis
visceribus natiuitate, & generatione, ut
par est, una tantum concessa, & admissa
in eodem Christo Domino formali filia-
tione, distinguit inter generationem, & ge-
nerationem in hunc modum:

199. Generatio naturalis viventium
duplex est, vel esse potest; & naturalis
connaturaliter habita (non sunt verba
propria R.) & quæ licet naturalis sit, non
tamen modo adæquato naturæ, fiat:
Exemplum sit in Maternitate ejusdem B.
Virginis, hæc naturalis est in sua substan-
tia, ut aliarum Matrum, sed non est talis
modo sibi naturaliter competenti ex defe-
ctu Maris, cujus virtute adæquatè per-
ficitur Maternitas naturalis; suaque munera,
& officia in eadem B. V. Maria eminenti-
ori modo subrogavit Spiritus Sanctus, &
hæc est ratio, quare talis Maternitas, etsi
naturalis, suo etiam jure miraculosa est.
Accedamus nunc ad generationes: Ge-
neratio enim omnimodo naturalis perit,
quod genitum, & filius sit productum sup-
positaliter ut quod in similem speciem cum
generante; alia vero non ita naturalis, est,
quæ sequitur jura naturæ, sed in aliquo
deficit; hoc modo est talis generatio B.

V. respectu Christi Domini, quæ non est talis genitrix, ut simile sit in specie adæquati cum supposito generante, etiam aliunde sit vera Mater filio communicans esse suum pro modo naturali aliarum Matrum.

200. Ex quo clara constat solutio ad formam argumenti, distinguendo antecedens: In Christo Domino sunt duæ generationes passivæ, naturales, & modo miraculoso habitæ, concedo; sunt tales duæ generationes; naturales, & modo naturali habitæ, nego antecedens. Distinctio clarescit ex dictis. Sunt etenim duæ generationes in Christo Domino, æternalis, scilicet, quæ terminum genitrix respicit, cujus suppositum similis naturæ est cum supposito generantis; & hæc est propriissime naturalis generatio; alia vero quæ est temporalis, ab hoc deficit, & ideo non adæquatè naturalis est, & modo undique naturali habitæ, consequenterque non erunt duo complete generationes; ad easque propter hoc unus filius, unaque propria filiatione esset sufficiens; nam quando duo se habent quodam ordine inter se, ut unum sit principalis, minus aliud, quati si tantum unum ibi esse reputatur: hic est ergo ordo filiationum & generationum in Christo Domino.

201. Secundò arguitur: Relatio filiationis, quam Christus dicit ad suam Matrem, ideo alia non est realiter ab ea, quæ est ad Patrem æternum, quia unicam est utriusque filiationis suppositum, nimirum Persona Divini Verbi; sed hoc non obstat: Ergo. Minor probatur primò: Si Pater æternus eo modo incarnasset loco filii, ibi esset unum suppositum in duabus naturis, duplexque relatio: Ergo stante unitate in supposito, posset esse realis multiplicitas relationum. Antecedens probatur: Nam pater incarnatus referretur ad filium suum relatione Paternitatis, & ad Matrem suam relatione filiationis, ut filius ab ea genitus, & ex ea carnem assumens; sed hæc est duplex, non una relatio realis: Ergo tales duo essent in unico supposito. Doctrina posset corroborari in Patre eodem, & filio, in quibus sunt suæ relationis Paternitatis, scilicet, & filiationis simul, & in quolibet supposito illorum coexistentes cum alia spirato-

ris; sed hæc sunt duæ reales relationes in unico supposito: Ergo ita esse potest in Christo Domino ad Patrem æternum, & Matrem temporalem.

202. Secundò probatur eadem minor: Et si suppositum sit unum in Christo Domino, tamen naturæ, & generationes sunt duæ: Ergo & duæ essent reales relationes. Probatur consequentia: Essent duo fundamenta, & rationes fundandi; sed plurificatis fundamentis, & rationibus fundandi, plurificantur relationes, ut est constans: Ergo adhuc quod suppositum sit unum, duæ erunt relationes filii; quia natura alia, & alia est, diversæque generationes faciunt aliud, & aliud fundamentum, aliam, & aliam rationem fundandi. Hoc confirmatur sic: Ponamus, quod Verbum dimitteret humanitatem, ve eam assumptam relinqueret suæ propriæ personalitati; tunc esset filius Dei, ut supponitur, & filius Virginis Mariæ; sed tunc remaneret sicut antea: Ergo si tunc fuisset taliter filius Dei, & hominis duplici relatione, sic esset antea, ut nunc est. Ratio horum erit dualitas naturæ, & generationis.

203. Ut conformiter ad verum fidei sensum, hanc, & omnes difficultates graviter in isto tractatu urgentes solvantur, necesse habebimus, sic tenere cum Ecclesia: *Mirabile Myſterium declaratur hodie, innovatur natura, Deus homo factus est; vel ut ait Hier. 31. Novum creavit Deus super terram:* Novum est myſterium, & novitas duarum naturarum substantialium in unica Persona subsistentium, & ideo hic vetera recedere debent Philosophorum, ipsis eisdem noviter factis. Prorsus inauditum est suppositum unum duabus sub esse denominationibus filii, duabusque generationibus inter esse, ubi tantum una consideretur relatio filiationis; & hæc eadem filius Dei, & etiam filius hominis constituatur; cæterum cum in hoc myſterio Deus novum crearet super terram, naturæque innoventur, hac una relatione totum verificatur, & quod hic homo Deus referatur ad Patrem Deum, & ad Matrem humanam; quia unus, unicus est mediator Dei, & hominum Christus Jesus, unum suppositum, una Persona, unus filius, una filiatione.

204. Con-

204. Contra quod non concludit hypothetis primæ illius minoris probationis: Nam si Pater incarnasset loco filii, idem haberemus quoad relationum multiplicationem in illo verò uno supposito; in eo enim casu, Pater ut incarnatus non esset propriè filius, & si sit verè genitus vera generatione quoad substantiam tali; ut autem esset simul filius verè, & propriè Matris, deberet ulterius in modo generationis esse naturaliter genitus, & tunc similis esset speciei cum supposito generantis, de quo supra, & alia quæ inferius adjiciemus. Unde tali facta hypothesi, Pater verè esset Pater relatus ad filium, sed non propriè filius relatus ad Matrem, etenim quamvis esset naturaliter genitus quoad substantiam generationum Matrum, Matri in ejusdem generatione modus conaturalis gignendi deficeret, & non esset à quo haberetur denominatio proprii, & veri filii. Nec exemplum de relationibus divinis urget ad intentum præsens: Nam in eodem supposito Patris, & filii sunt duæ reales relationes, sed non distinctæ, sed realiter identificatæ; & hic quarimus in Christo Domino pro duabus propriis filiationibus realiter distinctis.

205. Nec secunda probatio principalis minoris convincit contra nostram conclusionem: Nam fundamentum relationis illius, cujus ratio fundandi sit actio, & passio, vel secundi generis, necessario sequitur suppositum in recto faciens ad hujusmodi relationes, quia actiones, & passionis sunt suppositorum, ideoque & propter hoc, suppositum est, & denominatur filius, genitus, & cætera; unde etiam in Christo sint duæ naturæ, & duæ generationes, non tamen sunt duo fundamenta, & duæ rationes fundandi tales relationes, cum ibi unicum sit suppositum, & subsistens. In hypothesi alia, qua verbum dimitteret humanitatem sua propria substantia quomodolibet subsistentiam, diceretur homo ille Dei filius denominativè, & extrinsecè, in quantum suum esse hominis formatum, & genitum fuit in Verbo Divino; quod caro factum fuit; at cum de præfenti nil Dei haberet intrinsicè, cum esse hominis dimissum esset ab esse Dei; ideo solum filius hominis diceretur, non verò filius Dei; nam for-

mam Dei non haberet, per quam filius ejus diceretur; nil enim noviter haberet distinctum entitativè, verum gradus ille subsistendi suspensus denuo per Dei absolutam potentiam suam munus præstaret propria substantia.

QUÆSTIO XIII.

Utrum Myſterium Dominicæ Incarnationis caderet sub meritum ipsius Christi, B. V. Mariæ, & Sanctorum, qui ejusdem adventum præcessere?

206. **E**Xpeditis ab his, quæ pertinent ad principia intrinseca, & extrinseca Myſterii Dominicæ Incarnationis, & veluti illius compositi Christi reales causas, superest, & recto ordine sequitur, ut de morali influxu circa illud aliquid dicamus; & primo aspectu nobis occurrit, detur aut non, causa aliqua hujus Myſterii, & cujus ratione Deus moveretur, & alliceretur ad se mundo communicandum; quæ cum alia esse non concipiatur, quam aliquod meritum, quod sic Deum atraheret, & quodammodo impelleret, de hoc merito hic; num dabilis sit operatio aliqua, quæ possit obtinere meriti virtutem, & proportionem ad Myſterium istud? Et à quibus nam haberi potest? Ratio dubitandi haberi potest, tum in Christo Domino, cujus humanitas in isto Sacro-Sancto Myſterio fuit præ omnibus exaltata; item in B. V. Maria, quæ evehenda erat ad Thronum divinitatis per esse Matrem illius hominis Dei; ac denique in Patribus illis Sanctis ejusdem Domini adventum præstollantibus.

207. De hoc nil habemus expressum in R. signanter de meritoria causa Dominicæ Incarnationis; similiter idem in aliis antiquioribus reperimus; licet non in omnibus; sic D. Thom. hic, q. 2. art.

11. D. Subt. in isto 3. Durand. cum aliis: Sed quidquid de hoc sit, & ut non recedamus ab iis, de quibus communiter tractatur, aliqua de hoc, & etsi breviter, dicemus, & quæ conformiora sint hucusque stabilitis, & proximiora sensui D. R. Agimus enim de Christo Domino, B. V. & veteribus Sanctis, quia suo modo, & ordine de omnibus eadem debet esse ratio. Denique quarimus de eo, quod de facto conjectare possumus, & præcindimus ab alia potentia absoluta, & extraordinaria, sub qua acceptione, & ordine rerum inverso, nulli dubium esse poterit, Christum Dominum, & reliqui potuisse Incarnationem Dominicam promereri, cum ad hoc ex suis terminis aliqua ratio meriti non implicaret eis.

208. Et clarius vincitur, si recolamus, quæ de merito dedimus in hoc tract. 14. ubi distinximus inter meritum de congruo, & de condigno; hoc petit æqualitatem rei ad rem inter illud, & præmissum aliud verò solum geometricam, & proportionalem: Immo cum meritum congruum aliud sit propriè meritum, & intrinsecè; & aliud sit tale secundum quid; ad hoc tantum requiritur alligantia, quæ & veluti ut moralis motio, & attractio concipitur respectu præmiantis ut supra tom. 3. tract. 9. circa causam prædestinationis dicebamus. His adijunge alteram divisionem meriti, scilicet, in actu primo, & in actu secundo, vel signatè, & exercitè acceptum, quod idem valet. Meritum in actu primo est condignitas operis ad præmium secundum se; at meritum hoc in actu exercitè ulterius addit præmiantis acceptionem, promissionem, & ordinationem, & quod reliqua sint apta ad id muneris exequendum.

209. Quibus præsuppositis, & præintellecto, quod non intendimus loqui in proposito quæst. de eo, quod in alia hypothese, & providentia adesse possit, & maxime Dei ætenta omnipotentia, quia in hoc parum, aut nil difficultatis apparet, solumque à DD. sic agitur, ut magis pateat hujus mirabilis mysterii quidditas, numquam satis elucubrata; ideoque ad hoc remisso lectore, ad factum accedimus, & ad id, quod de divinis decretis, & de suo ordine discurrere valeamus, Va-

riis conclusionibus de hoc aperiemus nostram sententiam. Et antea supponimus, nos convenire cum parte afferente dari meritum in Christo Domino, & respectivè in aliis ad hoc venerabile mysterium ordinatum, si procedatur, secundum Dei absolutam potentiam; cum in hoc nulla sequeretur implicatio, & contradictio, & ad id posset Deus per se, vel cum Deo alia agentia à proposito, vel adhuc naturaliter.

210. Conclusio prima: Christus Dominus per opera præcedentia suum Mysterium, nullomodo mereri potuit Incarnationem Divini Verbi. Est communis, & præ omnibus hac vincitur ratione: Nulla opera potuit elicuisse Christus ante Verbi Divini Incarnationem: Ergo nullo modo per ea posset mereri. Antecedens probatur: Ante Divini Verbi Incarnationem non erat existens, nec meriti capax, quod esset subjectum proprium Christi nomine decoratum: Ergo nec possibilia opera apparerent aliquo jure meritoria ibi. Antecedens probatur: Solum erat Verbum in principio juxta quod dixerat idem Dominus: Joan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*; & in quantum Verbum, & Deus est totius meriti expers; item nec natura assumptibilis posset aliqua via sui assumptionem promereri, licet enim velimus concedere, quod pro aliquo priori naturæ præcessisset sui assumptionem, sub ea præcisa ratione erat incapax merendi propter impotentiam operandi, quæ necessario attribuit debet supposito; actiones enim sunt subsistentium: Ergo ante Divini Verbi Incarnationem nil est conceptibile in Christo Domino, cui tribuamus opus aliquod, quod esset hujus mysterii meritorium.

211. Nec per opera subsequencia Incarnationem asserendum esset, quod Christus mereri posset esse Deum, & hominem; & æqua ratione concluditur: Nam hujusmodi opera sunt posteriora eodem Christo Deo, & homine; Ergo illud Mysterium mereri non potuissent, cum ad ea præexistere factum. Nec insuper dici potest; quod Deus, visis, & ab æterno perceptis talibus excellentissimis operibus, ad se incarnandum moveretur: Siquidem præviè ad similia opera præ-

prævisis, Deus incarnatus necessario deberet prævideri tanquam illarum principium, & causa: Ergo numquam sic prævisis ea opera subsequencia Incarnationem, posset esse talis mysterii meritoria. Nec denique, si conditionatè prævideantur, posset mereri absolutum decretum Incarnationis; quia opera conditionatè existentia, cum absolute non sint, non possunt ullomodo esse capacia præmii absoluti, & absoluti decreti: Ergo neutrumquam Deus moveretur ab operibus Christi conditionatè prævisis, tanquam a vero merito suæ Incarnationis; sicut nec opera justorum purè conditionata possunt esse meritum suæ absolute prædestinationis, ut omnibus notum est, & certa fide tenetur.

212. Conclusio secunda: Opera quælibet Christi Domini sunt meritoria de condigno Incarnationis Divini Verbi in actu primo; nullo autem modo in actu exercitè merendi. Conclusio quoad secundam partem satis probata manet immediate nunc; quoad primam verò probatur hac unica ratione: Opera quæcumque Christi Domini sunt Dei veri, & veri hominis opera; sed talia opera sunt condigna merita, si alia non obstant, Dominicæ Incarnationis: Ergo ad hoc sunt sufficientia in actu primo. Probatur minor; tum: Quia formalitas præmii Christi non inconvenit, ut est commune, & R. docet: Ergo poterit suum esse mereri, si in actu primo, & secundum condignitatem suam opera expectentur: tum: Quia sunt elicita à Dignissima Persona: Ergo non est unde eis aliquid deficiat ad hujusmodi meriti rationem. Ac denique concludimus: Quod si alia Divina Persona carnem sumere decrevisset, Deus ad hoc posset moveri meritis de condigno hujus incarnati Verbi operibus habitis: Ergo nil eis ad hoc meritum deficit.

213. Conclusio tertia: B. V. Maria nullo modo potuisset mereri de condigno Incarnationem Divini Verbi, nec esse Dei Matrem. Utrumque, quod continet conclusio, eadem ratione probatur: Opus quodcumque B. V. Mariæ esset inferioris conditionis, & non coæquabile ejusmodi mysterio, & Maternæ dignitati: Ergo nec de condigno meritorium,

Antecedens probatur: Nam ex parte Mysterii Deum factum hominem habemus, & ex parte Maternitatis relationem quandam, & respectum ad hunc Deum hominem specificatum; sed hoc tantum coæquari non potest cum opere quantumvis sancto puræ creaturæ: Ergo dabile non est tale opus in Beata Virgine his Mysteriis coæquabile. Minor probatur: Substantia Mysterii Divina est, dignitasque Maternitatis sapit ordinem hipostaticum, & quandam infinitatem: igitur his coæquari non potest opus purè creatum, quodque ad hunc divinum ordinem non accedat.

214. Conclusio: B. V. Maria per opera sua superna potuit mereri de congruo, propriè tamen, & in actu primo Verbi Divini Incarnationem, non verò in actu secundo, & exercitè: Probaturque: Dignitas Maternitatis, & præcellens ipsius Virginis opera habent geometricam proportionem cum Incarnatione Dominica talem, qualem Matrem Dei decet; sed hoc sufficit ad verum meritum de congruo: Ergo ita potuit esse. Non de facto in actu secundo, & exercitè; quia præfata dignitas, purissima sanctitas, operaque superna Sanctissimæ Mariæ habita sunt ex Christi meritis, à quibus est omnis sanctitas justitia, & redemptio; sed principium, & causa meriti non potest cadere sub ejusdem merito: Ergo nec per meritum B. V. mereri Christi esse, quod est totius esse B. V. meritum. Non asserimus super has alias conclusiones; siquidem de veteribus sanctis, qui salvatorem expectarant, eadem ipsissima est ratio: Gratia enim eorum, quæ esset hujus meriti principium, esset etiam eis attributa ex meritis Christi venturi: Igitur per ipsam mereri nequirent ipsum Christum actu venturum; etsi aliunde horum opera in actu primo hoc præmio de congruo condigna sint. Argumenta, quæ sequuntur, faciunt contra omnes conclusiones.

*

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

215. PRIMò arguitur: Christus Dominus per opera subsequenti Incarnationem suam meruit exercitè esse Deum, & hominem; sic habemus in Paul. ad Philip. 2. *Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem: propter quod, & Deus exaltavit eum, &c.* sed hoc exaltari Christi est esse Deum; hominemque, & hoc est nomen super omne nomen, & cujus non sit simile in Cælo, & in terra: Ergo ista exaltatio, & Incarnatio debetur meritis ipsius Christi ex humilitate, & Crucis morte. De B. V. Maria etiam canit Ecclesia: *Regina Cæli latere, quia, quem meruisti portare, &c.* Ergo esse Matrem, & Dei Portatricem; his meritis, saltem de congruo habuit. Denique de Sanctis Patribus veteris testamenti habet Aug. in libro 3. qq. *Christus voluit post tam longa tempora venire: Ubi sciebat, qui in eum credituri essent: Ergo meriti fidei PP. tribuit posset Dominicus adventus.*

216. Respondetur ad primum ex Pauli: Quod Christo non negamus omne quodcumque meritum, sed solum illud respectu suæ Incarnationis disputamus, & hoc non admisso in actu exercitè; adhuc ipse Dominus posset sibi, & nobis mereri; & defacto sibi meruit exaltationem suæ Sanctissimæ Humanitatis; & nomen super omne nomen; Resurrectionem, & hujus excellentissimas dotes palam fieri in Thabor, & alia hujusmodi. De B. Virgine certè tenemus, dignam fuisse portare, & generare, alere, & nutrire Dominum Jesum, cæterum non omnia in actu secundo, & exercitè, quia huic obest, quod hoc obvenisset illi in vi meritorum filii sui, ideoque præviè esset Christus præintertus, quam Mater electa, & dignificata. Dicamus ad illud de veteribus PP. & aliis iustis, quod in sensu Aug. fides eorum prævisita conditionate non fuit meritum adventus Christi prætolati, sed aptitudo quadam, & bona mundi dispositio ad ejus receptionem.

217. Secundò arguitur: Ordo inten-

tivus, & executivus in decreto Dominicæ Incarnationis locum debet haberet in nostro modo discurrendi, sicut in electione iustorum ad gloriam; & ipsorum coronatione per merita; sed primum est pure gratiosum, & juxta Dei misericordiam; quam salvos nos fecit; secundum verò decretum, executivum, scilicet, supponit merita electorum, quatenus Deus eos elegit gratiosè salvandos, & coronandos per merita sua: Ergo eadem ratione decretum intentivum Incarnationis potuit esse tale, ut ad executionem reduceretur per merita sui, & sanctorum ultimo compleendum. Non acquiescimus huic modo discurrendi, & sentiendi; tum: Quia de hoc Mysterio nobis non constat, sicut de prædestinativa executione gloriæ habemus expresse quod tribuatur ut corona, merces, præmium, & bravium; tum; quia est alia, & alia ratio utriusque Mysterii.

218. Nam Decretum intentivum gloriæ iustorum, quod prædestinationem votamus, non habet ullam repugnantiam in eo, quod gratiosum sit, stante in signo posteriori aliud decretum executivum, quo statuatur; hanc gloriam ex iustitia conferri; quatenus iustitia hujus orta est ex alterius gratia: Sic nimirum, quod Deus gratiosè intendisset aliquorum gloriam, cæterum per eorum merita in executione possidenda. Non sic discurrere valemus de decretis Dominicæ Incarnationis; primòque de meritis ipsius Christi loquendo: Quia præviè ad executionem assumptionis Divini Verbi nulla præcesserunt opera ipsius, nec potuerunt; sicut opera meritoria electorum præire possunt ad suæ gloriæ coronam: Ergo quoad hoc non est eadem ratio. Nec de operibus Sanctorum possumus sic discurrere; quæ etsi antecederent in exercitiis Dominicam Incarnationem, hoc potuisset intelligi in esse rei, non verò in ratione meriti, quam necessario habendam tenent Theologi omnes per merita Christi exercitè, saltem in divina acceptatione habita:

Ergo non est utrobique ratio eadem.

)((

QUA

QUÆSTIO XIV.

Utrum non stante primi hominis Lapso, Verbum Divinum adhuc fuisset incarnatum in vi præsentis Decreti de Humanitate assumenda.

219. **O**bservare statuimus in hoc altissimo Mysterio methodum naturæ rerum accommodatorem, tum ut recto regimini subjiciamur tum ut assumptum nostrum clarius elucubretur: Non possumus accomodari ordini sententiarum Mag. ut facit N. R. & lætare omnes Antiqui, quia tenemur ad usum, & consuetudinem pulchram scholarum; & propter hoc hæc & alia moventur quæstiones, quæ in litera R. non ita expressius agitantur, sicut & alias omittimus, quæ in eodem Principe Theologo Ductore nostro largo calamo circumferuntur, & propter eandem rationem. Nunc, ibi, transacta notitia de principiis intrinsicis, & extrinsicis Mysterii Incarnationis jam physicis, jam moralibus, pertinet de finalibus tractare, inter quæ locum habet quæstio de salute hominum per istud mirabile Mysterium habita.

220. Certum enim debet esse, & eadem fide tenendum quod Verbum caro factum est: *Propter nos homines, & propter nostram salutem*, ut in 2. Nicæno Conc. Symbol. canitur; unde his innixi videtur sentiendam absque ulla dubietatis specie Christum Dominum in mundum venisse, ut hominem perditum, & ex torrem à Paradiso ad cælestia revocaret: Hoc videtur veluti finis, sive finalis quasi causa hujus adventus Dei fieri, reparatio, scilicet, hominis per peccatum Lapso, ipsius ad Dei amicitiam restitutio, &c. Ex quibus prima fronte apparet, quod Adamo non labente, si attendamus ad jura præsentis decreti, Christus in mundum non

Tom. IV.

venisset: Nisi alternante ipsius mundi fortuna aliis motibus inter homines degeret, in terris visus, & cum iisdem conversatus apparuisset. Ex quo certum debet esse, quæstionem præsentem defacto procedere, & à rei quidditatibus præcisam; num scilicet, decretum de Verbo Divino Incarnando ordinatum fuerit ad hominis Lapso redemptionem unice, nec ne?

221. Et ut ratio dubitandi percipiatur, & quæstio locum habeat, Decretum Dominicæ Incarnationis, concipi posset, & secundum suam substantiam, & præterea circumstantiis vestitum, passibilitatis, videlicet, & mortalitatis in carne eadem, temporis, loci, &c. Decretum hoc primo modo acceptum solum respicit, & tendit ad carnis, & humanitatis assumptionem, & Divini Verbi hypostaticam unionem; usque huc nil de peccato hominis sanando, aut mundo redimendo, cogitando; quia in eo signo talis Decreti, neque homo adhuc erat conceptibilis, quantum minus Adam lapsus: Si tamen Decretum illud aliter vestitum consideretur, circumstantiis scilicet, prædictis; necessarium erat, carnem assumendam passibilem esse, & mortalem, ac de genere Adæ assumptam: In prima acceptance Christus veniret in mundum, quamvis Adamus non peccasset, quia Decretum quasi primarium Incarnationis in Deo concipitur præviè ad Adamum, & ad ejus peccatum, ab hisque non dependet existentia Christi Dei, & hominis; in secunda vero alio modo res se habent, & ab opposito; de quo infra. Ex quibus acceptance, quænam eligatur, est dubium; vel quomodo Deus se habuisset in tam mirabili Mysterio decernendo, est difficultas? Ecce utilitas, Pietas, & quæsti necessitas, ut, scilicet, investigemus, quo fine & motivo; qua vè determinatione, & modo Deus immortalis, & æternus, hominem fieri, ac mori vellent, & temporaliter vivere. Non ergo illud notes curiositatis superfluas; aut quod per id intendamus scire consilium Dei, & nosse, quæ sui propria sunt; sed obsequimur Mysterio nostro in hoc.

222. Quo circa hic varii sunt modi sentiendi; alii tenentes, quod adhuc, quod

Aaa

Ada

Adamus non peccasset; Verbum Divinum carnem humanam assumpsisset; in vi tamen præsentis determinationis, & decreti utriusque status, videlicet; hominis integri; & lapsi sua ratione comprehendentis. Quomodo hoc intelligatur, in decursu hujus controversiæ quaestionis declarabimus; ubi & videbitur diversitas DD. hujus sententiæ in modo stabiliendi suam hanc conclusionem. Hæc tribuitur communiter D. Subt. quamvis hic, aut ille suæ familiæ contrarium doceat: in hoc 3. dist. 7. & 19. Alex. 3. p. q. 2. Alb. in 3. dist. 20. Ex recentioribus communiter AA. Scotistæ. Valent. Pign. & alii. Pro parte negativa stat expressè D. Thom. in hac 3. p. q. 1. art. 2. Cajet. ibidem. Carthus. D. Bonav. in hoc 3. & communiter Thomistæ recentiores, quod esset longum referre.

223. Non defuerunt aliqui Theologi ex antiquioribus, qui nullam de quaestione istâ mentionem fecissent, fortassis, quia apud eosdem non esset magni momenti; & certè ex recentioribus, non deest hic, vel illè hujus ejusdem sensus: Inter eos N. D. R. computati debent; in cuius dissertationibus benè perpensis, sententiis scilicet, quodlibetis, & adhuc iis, quæ super Matth. habemus; nil circa præsens loquitur, nec de eo determinat: Tenemur tamen ad illud investigandum, quia à tempore primorum Scholasticorum ad nos usque; de eo agitur, & ex nostra familia nullus exemptus ab eo legitur: Verum accomodabimur doctrinis generalibus Bacchonii; semper enim ad ea, quæ superius dicta relinquimus obligati.

224. Conclusio nostra: Adamo non peccante, si attendamus ad decretum præsens, & in vi illius; Verbum Divinum carnem non assumpsisset. Cum hac tenemus; quod per aliam divinam providentiam, primo parente non lapsio, aliter evenite Incarnationem non implicat, sicut nec quod Pater, & Spiritus Sanctus, ita fuissent Incarnati. Insuper hæc nostra resolutio nullibi fundari potest in littera R. cum, ut dicebamus; nihil de hoc nobis reliquit addiscendum: ceterum eam statuimus sua ex aliis servata Methodo. Exempli gratia: In 1. sententiarum non renuit tenere, & admittere species inditæ

in Angelorum conditione, quamvis ad hoc statuendum ipsi non suppetant rationes, ut ipse ait, ad id convincentes; ceterum propter Sanctos eas non reculandas censet; sic in nostro casu: Non habemus pro asserta conclusione, nec in R. fundamentum; nec rationes cogenter probativas, sed propter dicta Sanctorum eam sequi tentamus.

225. Primòque probatur conclusio quatuor locis sacris ex novo testamento, quæ clarius, & expressius nostrum intentum concludant; sitque primus Matth. 18. ubi & Luc. 19. *Venit enim filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat.* Et Joan. 3. *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Paul. ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Et 1. ad Thimor. 1. *venit Jesus, peccatores salvos facere.* Per hæc, & in hunc modum formatur argumentatio: In quaestionibus defacto solum possumus adducere auctoritates, & testimonia, ut principia comprobantia existentiam rei, de qua agitur; & præterea conjecturas quasdam, quæ parum urgeant; sed quod defacto decretum dominicæ Incarnationis esset determinatum ad hominis redemptionem, & reparationem, satis convincunt allata testimonia, & Scripturæ auctoritates; ergo ita fuit, & est: Major patet: Cum rei existentia non aliter probari potest, & cetera legitime sequantur.

226. Secundò probatur conclusio quatuor aliis auctoritatibus SS. PP. & per prius rememoranda erit sententia Nicænæ Conc. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & Incarnatus est.* Qua supposita; Nazianc. orat. 4. sic ait: *Quæ autem humanitatis à Deo propter nos suscepta causa exiit? Profecto ut nobis salus pararetur: Quid enim aliud causa afferri potest? Basil. homil. de Christi generatione q. 25. ait: Disce Myſterium, propterea Deus in carne est, quia oportebat maledictam hanc carnem sanctificari.* Ad hunc modum Amb. de Incarnat. cap. 6. *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* Deniq. Damasc. lib. 4. de fide cap. 4. *Quoniam autem per mandata transgressionem*

tionem Imaginis Divinae notas obscuravimus, atque delevimus: Idcirco ejus, quod deterius est, hoc est, natura nostra particeps ipse efficiatur. Igitur si his animum applicemus, satis clarè probant nostram conclusionem.

227. Illisque respondent contrarii libentissimè assentiendo, & absque ulla explicatione tenendo, & credendo, Deum hominem factum, ut hominem perditum, & exulem à Paradiso ad cœlestia revocaret, ut ad litteram constat ex textibus, Concil. P. P. auctorit. cum quo adhuc concordatur eorum sententia, & veritas suæ propositionis, & asserti. At quia ita in tot varios dicendi modos abierunt, quot sunt uniuscujusque conjecturæ, aliquibus omisis, quæ principiores nobis appareant; proponemus: Pro certo semper, & præ oculis habito, quod nulla de hoc offerri potest argumentatio convincens, & solutio concludens, cum à quo liber instituat juxta id, quod prudenter analogizat, vel discurtit de divinis decretis, & determinationibus.

228. Primòque dicunt aliqui, quod Deus venit in mundum, ut peccatores salvos faceret, & per hoc ultimo completum fuit decretum, & itaturum de assumenda humanitate possibili, & in ea incarnando; quod quidem decretum per varia signa dividunt; & in primo concipiunt, Deum decrevisse se ad extra hypostaticè communicare, præviè ad omnem aliam communicationem gratiæ, & naturæ, attento ordine intentionis, & executionis: In secundo determinata fuit ipsius communicatio per gratiam, posteaque per naturam, à qua incipit ordo executionis per mundi creationem, &c. visoque hominis lapsu, sequitur signum Decreti assumptionis humanitatis possibili, & aliorum, quæ facerent ad redemptionem hominis per mortem consummatam; unde hoc decretum, quod defacto fuit & est de eodem hominè liberando; si fortè homo non peccaret, adhuc subsisteret, non tamen ea parte, qua liberativum est, sed alia priori ratione; nimirum in quantum tenderet ad ostensionem divinæ Majestatis, & illius ad extra exhibitionem.

229. Secundò alii respondent: Quod

stare potest, & defacto sic est, quod Deus in mundum veniret, sumpto motivo à salute hominum adhuc totali, saltem quoad sufficientiam; ceterum in re, aliud, vel alia extiterunt, ut puta: Quod Christus esset caput Angelorum, & nominum, quod Deus se exaltandum præbuerit, & insuper quod omnibus modis congruentibus se communicaret ad extra, quibus deficientibus saltem divissim, adhuc Deus hypostaticè uniretur humanitati; unde si peccatum Adæ non existeret, utique nec homo laboretur; sed adhuc Deus factus esset homo, non ex motivo reparationis hominum, sed ex alio, vel aliis annotatis; semper enim verificaretur intervenisse idem ipsissimum decretum, etsi plura fuissent proposita motiva ejusdem determinationis. Expressiores rationes, quæ ad hoc faciunt, & assumptum corroborarent, dabuntur infra inter argumenta: Alias responsiones omittimus, quia plures sunt & ad hoc unum reducuntur.

230. Sed contra primam solutionem contrariorum instatur: Decretum Dominicæ Incarnationis, etsi possibile sit, & non repugnans per illa signa rationis seu naturæ divissim, ex quibus Deus in primis statueret suam realem præsentiam mundo exhibere, in aliis vero subsequen- tibus hoc ordinare ad hominem reparandum, &c. id tamen defacto, & juxta præsentem providentiam non extitit, nec est, unde probari potest: Ergo nulla est solutio. Antecedens probatur: Solum probari possumus de hoc decreto, de illius signis intentivis, & executivis, quod Deus nobis revelatum reliquit in suis testimoniis, & ad hæc, & in quantum datur locus, conjectari; sed secundum textus, & ex eis Conc. & P. P. unanimiter nobis exprimant, hanc Christi adventum, & in hunc finem redemptionis humanæ: Ergo etiam talis divissio signorum conce- ptibilium in ipsa natura decretorum possibile sit, ex hoc non deducitur, ita factum esse. Assumptum postea in conclusionis ulteriori probatione.

231. Secundò sit contra responsio- nem secundam, & fatè eadem argumen- tatione: Motivum, quo ductus Deus hominem fieri decrevisset, licet tale esse possit, ex eo non probatur, sic de facto

esse; vel quod si fortè plura fuissent hujus mirabilis mysterii in unum non convenirent; immò potius ita factum fuisse in vi præsentis decreti, longe, latèque declaratur: Ergo adhuc multiplicatis motivis Dominicæ Incarnationis, ut responsio notat, non sequitur partitio ea signorum Decreti prædictæ Incarnationis; & maximè si attendamus ad communes doctrinas circa originem divinorum Decretorum, de quibus discurrete est congruum, & decens, conformiter ad Dei infinitam perfectionem in suis determinationibus, & ulterius ad id, quod circa illud habemus revelatum: Igitur antecedens illud, quod est tota ratio contraria, parum, aut nil probat, & urget.

237. Secundo probatur ab aliquibus ex nostris per doctrinas R. quas affert in 2. dist. 2. q. 3. ubi tractans de intemeratæ V. Mariæ puritate, & à peccati originalis præservatione, secundum doctrinas D. Anselmi sentiri videtur, quod decretum Conceptionis B. V. Mariæ præsupponit prævisionem peccati Adamis; quanto magis decretum Incarnationis Dominicæ, quod profectò posterius debet esse illo: Ergo decretum hujusmodi de carne assumenda, quod peccatum Adæ prævisum supponit, est absolutè de carne passibili, & consequenter de homine redimendo; ergo in vi illius talibus circumstantiis præventi, nimirum passibilitatis, mortis, &c. Verbum Divinum homo factus est: Ergo homine non peccante, & juxta serièntalis decreti loquendo, vel Deus homo non esset, vel aliò tendit præsens decretum, quod nobis latet.

238. Hæc non est ad eò insufficientis ratio; nam semper ac concedatur permissio peccati Adæ præcessisse decretum Incarnationis, habet notissimum fundamentum assertum nostrum, & obligat, ut teneamus, quod talè decretum fuit circumstantiatum in re, & defacto cum hominis reparatione. Insuper; & nos de hoc aliqua dedimus tom. 3. tract. 9. à q. 10. Ubi de divinis decretis analogizamus, juxta ea, quæ in re videmus; sed in ordine rerum prior est ordo naturæ ordine gratiæ, & hypostatico: Ergo per prius fuisset decretum de mundi creatione, Adami conditione, & elevatione ad or-

dinem gratiæ, lapsu ipsius, postremoque de hujus reparatione per unum mediatorem Christum Jesum: Ergo hujus divini compositi decretum alias res, ut jacent, prævisas supponit.

234. Tertio possemus, & nos istam probare conclusionem per aliam doctrinam, quam ex R. dedimus ibi tom. 3. tract. 9. q. 6. in hunc modum: Prædestinatio Christi Domini est exemplar prædestinationis Sanctorum, & ex hac ad illam, vel è contra, possumus discurrete in processu divinorum decretorum; sed in prædestinatione Sanctorum unio actu Deus gloriam intendit, media eligit, ut finis ille exequatur, ut nos dicebamus, loco citato: Ergo Christus Dominus sic prædestinatus est filius Dei, ut unico actu formaliter, & præcisivè sui Incarnationem intenderet, vel mediis adhuc occasionalibus prævisis, vel iis determinatis, aut permissis, pro modo eorum: Ergo hoc stante actu determinativo, & decreto suæ prædestinativæ voluntatis ad Christi Domini adventum ordinato, staret hujus Deifici compositi existentia, ut est defacto, & ea deficiente, deficeret: Ergo si deficeret peccatum Adæ, quod fuit medium occasionale, vel permissum, vel prævisum pro Christi Domini prædestinatione, Christus in mundum non veniret.

235. Quibus pro uniusque sensu relictis, denique probatur conclusio hac unica, & satis congrua ratione; Decretum præsens de Divini Verbi Incarnatione fuit singulariter ordinatum ad generis humani reparationem: Ergo homine non lapsò per peccatum, nec esset illius reparatio, nec tale existeret decretum, nec in vi illius consequenter Christus in mundum veniret. Antecedens probatur, & reddit eadem argumentatio: De existentia alicujus divinæ perfectionis, de illius actibus, exercitiis, & modo eorum, aliter loqui non valemus, nisi ex iis, quæ per fidem audivimus, ut secundum quæ huic conformiora sint, discurramus; sed bene perpenis locis sacris, quæ de advèntu justici clarè testes fide digni sunt, constat, quod hic Dominus extitit mundi reparator; & hoc singulare fuit sua in carne passibili assumptionis: Ergo sic defacto fuisse, te-

act.

nendum erit. Plura dabimus pro argumentorum solutione, ex quibus conclusio roborabitur.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

236. PRImò arguitur per rationem contrariorum sumptam similiter à locis sacris: Ubi satis clarè innuitur, Deum venturum in mundum, ut carnem sumeret, adhuc quod Adamus non peccasset, in vi tamen ejusdem, & præsentis decreti. Sit ex vetere testamento, quem communiter in medium profert DD. contrarii ex Proverb. 8. *Domini possedit me initio viarum suarum.* Ubi juxta communem PP. intelligentiam loquitur textus de Dei sapientia incarnata, & hoc supposito, sic erit argumentatio: Principium, & initium omnis creaturæ, & ex cujus intentione omnia condita sunt ordinata, & adhuc permessa, est divina sapientia humanata, & incarnata: Ergo hujus decretum intentivum absolutè independentens est ab omni prævisà creaturæ, & consequenter à prævisione primi Parentis, ejusque peccato: Ergo Deus potius carnem assumpsit, & hujus occasione permisit peccatum, ut in hoc divitiis suæ Omnipotentia ostenderet, quæ ab adverso, nimirum, quod occasionem acciperet à lapsu hominis, ut filii sui intenderet assumptionem: Ergo hoc decretum efficax intentivum incarnandi, & in isto signo acceptum, præscindit à liberatione, & redemptione hominis: Ergo homine non lapsò, adhuc staret decretum præsens.

237. Alia loca offert Paul. in suis Epist. ad hoc optimè conducentia, ut ad Colossens. 1. scribens, ait: *Christum esse imaginem Dei invisibilem; & primogenitum omnis creaturæ:* Ergo prius intentus in divina mente in universi creatione: Ergo omnis creaturæ Primogenitus, ut ad Rom. 8. *Ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* Posterius ad eisdem Colossens. 1. *Quoniam in ipso condita sunt universa, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesie:* *Ut sit ipse in omnibus primatum tenens.* Denique 1. ad Corint.

3. *omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei.* Omittimus aliquas sententias PP. auctoritates, quia ad hoc nil amplius urgere possunt. Hæcque ultimò deducunt conclusiones: Ergo Christi domini Incarnatio fuit per prius intenta, quam omne quodcumque creabile: Ergo si nil Deus decrevisset fieri ex aliis creatis, adhuc fuisset Incarnatus: Ergo in vi talis decreti sed illud fuit, & est decretum præsens: Ergo non existente Adamo, Deus carnem assumpsisset in vi præsentis decreti.

238. Per prius ad solutionem argumenti ex textibus, aliqua se offerunt instantiæ contra eas consequentias, quas inferunt; prima: Decretum intentivum gloriæ Petri v. g. per prius tendit ad Petri gloriæ ei conferendam, quam aliud quodcumque ipsius eligat, aut determinet: Ex quo non licet inferre, quod Petro non existente, nec præterea nullis in ipsa habitis meritis, adhuc eidem gloriæ ista conferenda erit, in vi, scilicet talis decreti gloriæ intentivi: Ergo similiter, adhuc quod Christus Dominus esset intentus præviè ad existentiam Adæ, & ejus peccatum non sequitur Christum extititum, quamvis non peccaret: Antecedens est verum, & consequentia est ejusdem rationis. Secunda instantiæ: Si Deus, supposito decreto de Verbi divini Incarnatione, nil ulterius decrevisset fieri, nec esset prædestinatus Primogenitus Angelorum, & hominum, nec caput Ecclesie, nec minus esset ubi suam gloriæ, majestatem, & omnipotentiam ostenderet: Ergo decretum illud connexivè dicit alia, quæ ad illius complementum pertinent, quibus perficiatur divina determinatio sic, vel sic: Ergo implicatorium est, quod Christus Dominus esset taliter prædestinatus, & quod nil ulterius determinasset creandum: Ergo semper ac loquamur de præsentis decreto Incarnationis ut defacto est, & in Deo concipitur, debet esse vestitum illis circumstantiis creatione, scilicet, mundi, Angelorum, hominum, Adæ, sui lapsus permissionis, &c. Ergo si aliud ex his deficeret, jam non esset decretum præsens, ac consequenter nec quæstionem haberemus.

239. Nunc ad omnes simul textus sacros dici posset, juxta plurimum sensum, & sen-

sententiam, quibus, & nos annuimus tract. 9. q. 11. quod Christus Dominus ita est intentus Primogenitus, caput Angelorum, & hominum, Imago Dei invisibilis, ut specialiter prædestinati huic Imagini conformentur; quod solum convincit, quod in intentione divini decreti Christus Dominus sit prior in ratione tamen finis, vel finalis causa; at quia finis iste fuit præelectus, & intentus, ut hominem lapsum repararet; lapsus huiusmodi, & homo ipse, priores sunt in aliis generibus inferiorum causarum. Alii alter respondent per ordinem decretorum intentivi, & executivi, ex quibus præsentia decreta de rebus fiendis integrantur; unde Christus in intentione prior est Adamo peccatore; in executione verò prius Adamus peccavit, quam Deus homo factus esset: Ergo in vi præsentis decreti intentivi, & executivi de Christi Incarnatione, Christus non veniret, &c. & sic textus habent suam fidem, & conclusio veritatem.

240. Conformiusque ad nostrum modum discurrendi de divinis decretis, aliter respondemus per textum conjunctionem factam, eorum videlicet, quos in conclusione dedimus, & eos, qui nunc in medium adducuntur pro contraria firmanda: Ipsisque benè per pensis, & discussis, satis apparet; quod primi clarè, expressè, & absque ulla accommodatione loquantur de Christi Domini adventu, unico sumpto motivo ex nimia charitate sua, qua nos usque in finem dilexit, & ob istud miserit Deus filium suum in mundum in similitudinem carnis peccati, vel peccatricis: Non eomodo discurremus de locis Sacris à contrariis productis; nam præterquam quod non est adeò certum, ut ad litteram loquantur de Christo Domino; sed vel de sapientia ut sic, vel de Imagine æternali, & huius primogenitura, &c. & adhuc, quod de humanato Verbo deberent intelligi, non declaratur in eis motivum formale ejusdem adventus: Ergo si probabilitas opinionum contendentiū sumi debet ex locis sacris, potius quam rationibus, quid clarius pro nostra

241. Nec his contenti sumus, nisi singularim ad eisdem textus respondeamus, pro quo concordare debemus

præsentem cum doctrinis à nobis datæ tract. 9. à q. 10. pro effectibus prædestinationis Sanctorum: Diximus ibi, & nunc reiteramus, non longe à mente R. quod ordo divinarum decretorum concipi debet juxta seriem, & ordinem objectorum, undeficut per prius est ordo naturæ, quam gratiæ, & hic, quam hypostaticus, sic præviè ad statum, & determinationem cujusque entis superni naturam decrevit condere ad hominem usque creandum, posteaque elevandum ad eam gratiam, quam insigniti conditi fuerant Angeli, etli non illis eisdem circumstantiis vestitam; qua deperdita, per lapsum, & casum hominis statuit, & decrevit reparationem per filii sui in mundum adventum in carne humana passibili, ut in hoc ostenderet divitias misericordiæ suæ, & maximè manifestaret omnipotentiam suam parcendo hominem, & illius miserendo.

242. Primoque jam ad illud Proverb. 8. dici potest, quod supposito, quod ibi loquatur de sapientia genita, & incarnata, non ex eo probatur, quod huius incarnatio, & assumptio sit intenta à Deo prior in signis suorum Decretorum; sed solum ad litteram deberet intelligi de æternitate huius divinæ determinationis hoc est, quod Deus ab æterno, & antequam quidquam crearet in mundo, nec ipsum modum condidisset, possedit in divina mentem sapientiam divinam incarnatam æternaliter, ut suo tempore adveniente, mundum illuminaret in utero Virginis concepta, & ex eo nata. Nec per hoc de nostra questione aliquid determinatur. Textus vero alii, quod ex Paulo afferuntur, nil aliud probant, nisi dignitatem Christi Domini, & præstantiam super res omnes creatas, & creabiles, ac earum naturas, & maximè Angelorum, & hominum, de quibus constitutus fuit Rex à Deo, Primogenitus, caput, &c. cum quibus adhuc componitur, quod per prius essent Angeli, & homines determinati ad existendum in divinis decretis.

243. Sed cõtra sit: Christus Dominus certissimè constitutus est à Deo caput Ecclesiæ, hominū exemplar, gratiæ Primicerius, & prædestinatus primogenitus: Ergo pri-

ma intentus, prædestinatus, & præviè ad hominum existentiam destinatus, & determinatus. Probatur hæc consequentia: Nam ipsa rerum natura exigit, quod ea, quæ potiora sunt, & ad quæ alia ordinantur, per prius intendantur; & hoc non indiget probatione: Ergo si omnia sunt propter Christum, sicut Christus est Deus, & propter Deum, Christus erit prior omnibus intentus. Ex quo deducantur reliquæ consequentiæ, quæ proximiores sunt ad intentum assumptum.

244. Ad instantiam, quæ eadem est cum argumento, dicimus: Quod eomodo, & ordinatione, quo Christus constitutus est Ecclesiæ caput, & in hominibus Primogenitus, eo jure est prior intentus, omniaque sunt illius, & propter illum: Christus namque fuit institutus, à Deo ordinatus caput Ecclesiæ; & hominum aliorum ob casum prioris parentis, cui principatum commiserat, ut gratiam, & justitiam originalem sibi, & posteris suis conservaret; & ut damnum hoc repararetur, & divinæ justitiæ satisfaceret, conveniens fuit, immò & necessarium, ut Deus homo fieret, ad quem transiret Principatus Adæ; tali tamè præstantia, & dignitate, quanta superat hominem purum Deus homo; & extunc incipit Christi existentia, primatus, & Primogenitura, & Ecclesiæ prædestinatorum, quorum Christus caput est, Imago, & exemplar, primo intentus, cujus, & propter quem sunt, & quæ postea determinata sunt, & quæ antea ordinata, & ad eum imperata: Et per hoc solvantur difficultates, quæ contra assertum nostrum fieri possint.

245. Secundo arguitur aliquibus congruentiis, quæ contra nos facere videntur, prima: Christus Dominus est quid nobilissimum inter omnia, quæ in mundo sunt, & omnibus aliis simplicibus entibus, & compositis perfectissimum: Ergo prius à Deo determinatus, & intentus, antequam mundus visibilis, & invisibilis existeret in divina mente: Ergo nullo pravissimo homine, nec item illius peccato, fuisset electus, & prædestinatus ad esse filium Dei. Antecedens est certissimum, & prima consequentia probatur: Nam rebus ordo rerum, & naturæ exigit, ut ea, quæ potiora sunt, & perfectiora, sint prio-

ra aliis, in processu, & via perfectionis: Ergo isto ordine servato in divinis decretis, ut ita esse debet, Christus Dominus esset prior intentus à Deo ad omnes res quascumque visibiles, & invisibiles, &c.

246. Secunda: Etli in ordine executionis, & via generationis sit natura prior gratia, & hæc saltim primæ justitiæ prior Christo Domino, in ordine tamen inverso, perfectionis, scilicet, & intentionis, prior deberet esse Christus Dominus, quæ res omnes aliæ, & præveniens Adamum primum hominem, sicut & ejus lapsum in peccatum: Ergo. Probatur: Diffusio, & communicatio divini esse in mundum potior est, perfectior, & nobilior ea, quæ hypostatica dicitur; sed à perfectiori, & nobiliori incipit, ut debet; intentivus actus in rerum ordinatione: Ergo à Christo Domino in divinis decretis.

247. Tertia: Fundatur in eo, quod quando in q. ista quærimus, si stante hoc decreto præsentis, & homine non lapsu, adhuc Christus venisset in mundum? Vel non? Non debemus intelligere, tale decretum adæquatè, ut sic dicamus, & secundum omnia motiva, quibus nunc in Deo existit; siquidem hoc esset querere pro volubilitate divinæ voluntatis, & negatorum redderetur dubium: Unde unicè dubitatur, si permaneret hæc eadem voluntas incarnandi in Deo, etli non ob motivum redemptionis hominis, attramen ratione alterius; quod fortè alienum non est à divina bonitate; at qui istud prudentissimè est in divino hoc decreto conjectabile: Ergo staret, homine non lapsu. Major est communis doctrina, & minor probatur per istud satis probabile fundamentum. Deus ab æterno sua simplici notitia, vel alia sciëntia speculativa cognovit mundum possibilem creabilem cum iis rebus; quæ cum ipso factæ sunt; Angelos, &c. Gratiam, & reliqua dona gratiæ ipsis communicata, sicut & hominem etiam sic ornavit, ut paulominus ab eis spiritibus esset minoratus: & pro sua summa largitate, & horum beneficiorum cumulo similis scientia cognovit possibilem esse suum in mundum adventum, quæ translata ad suam scientiam practicam, & dispositivam determinavit esse futurum, quod purè possibile erat, & per unum decretum Christi.


Christum venturum decrevit, mundum ita creare, hominem condere, & lapsum reparare; etſi fortassis non laberetur, nil de hoc curaret, sed mundum ditaret, hominem exaltaret, & quod magis est, magnitudinem divinæ bonitatis ostenderet: ergo sine violentia pensare possumus, quod illo eodem decreto, quod nunc est de Divina Incarnatione, perseveraret in hac parte, adhuc quod homo non peccaret.

248. Respondetur ad rationes congruentiæ, & ad primam dico absque ulla assertionem, quod caret omni dubitatione, Christum Dominum esse nobilissimam inter omnia, & ideo primò intentum à divina voluntate, præviè ad omnes creaturas, etſi aliter via executionis res se habeant: in quo modo dicendi; Christus esset intentus Redemptor, & in carne assumpta mortali, & passibili venturus, quatenus peccatum hominis in alio genere causæ prævisum ad illum venturum suam præbuit motivum. Alio modo nobis apparenti asserimus; quod etſi Christus sit nobilior quid in rebus universi, non fuit primò à Deo intentum, quatenus non dicitur ad mundum prædestinatus, & missus, nisi ut hominem redimeret, & salvaret, unde solum peccati Adæ occasione in mundum veniret; sub qua ratione, & sub illa acceptione adventus Domini consideratus habet rationem boni per se, & simul occasionati, quod solum ad executionem procedere potest prævia existente occasione, per quam tale fiat, & sit: Consequenterque, non debet esse prius in divina voluntate intentum, sicut dicitur de bono in se, & per se, & absolute tali.

249. Ad secundam rationem patet per superius dicta ad primam; & addimus, quod non habemus aliud fundamentum ad stabiliendam eam rationem, quam pro solutione dedimus, nisi id, quod nobis offerunt textus, in quibus habemus, Christum Dominum in mundum venisse, sumpta occasione per peccatum Adæ, & ipsius lapsum sanandum; de quo sic Ecclesia: *O! Felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem.* Ad tertiam probationem, supponimus, quod necessario in-

cidendum est in eam negationem, quam contrarii vitare tentant: Num decretum ethicæ Dei talis debeat esse conditionis, ut non solum ponat rei substantiam, sed & circumstantiam loci, temporis opportunitati, & aliis quibus exitura est: igitur vel quaritur in præsentem contra hoc quod indubitatum supponimus, vel si fortè possit res aliter evenire, quam Deus fieri decrevit? Et totum infert volubilitatem in eadem divina voluntate.

250. Sed quidquid sit de hoc, ad principale intentum rationis hujus congruentiæ contra nostrum sensum, libenter concedimus, omnia simul præcognovisse possibilia sua ea scientia, de qua in argumento, sed non simul simulata naturæ, originis, & conceptibilitatis decrevisse fieri, & esse; sed eo ordine servato, quem rerum naturæ exegissent, salva tamen in omnibus ea reali similitudine, quæ essentialis est æternitati; nam tota simul est, & perfecta possessio: Conformiter ad quæ per prius concipimus in Deo decretum de Angelis creandis, de mundo visibili, & de homine condendo, ac de ejusdem integritate, & permissione in peccatum; ac denique de illius reparatione per unum Deum Jesum Christum: de primo præbet nobis fundamentum susticiens 1. Genes. ubi juxta ordinem illum dierum creationis erigere possumus conceptus nostros de serie divinorum decretorum: De ultimo, quid expressius, quam frequentissima sacra eloquia, quæ taliter de Christi adventu decantant.



QUÆ.

QUÆSTIO XV.

De satisfactione, & merito Christi Domini.

251. **I**N præsentem tractamus de satisfactione, & merito Christi Domini, postea de illis seorsim acturi, semel quod expediamur à communi difficultate, quæ utrumque æquè comprehendit; Dubitari enim licet; num in Christo Domino locum habeat satisfactio, & meritum; vel pro se, vel in ordine ad aliud? Et præterea, si de ipso prædicantur, sit vera, propria, & formali prædicatione? Ita quod dicatur, Christum verè, & propriè satisfecisse, & meruisse? Et cujusnam valoris sint ejusmodi opera satisfactoria, & meritoria? De primo intra suis respectivè locis; de secundo habemus expressum in Trid. Christum Dominum satisfecisse pro nostris excessibus, nobisque meruisse gratiam, & gloriam per sua excellentissima opera: Ut de satisfactione sess. 14. cap. 8. *Dum satisfaciendo patimur :: Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit :: Conformemur efficimur: Et ut de Christi merito loquar, sic etiam ait sess. 6. cap. 3. Cum ea renaissance (in Christo videlicet) per meritum passionis ejus, gratia, qua justi sunt, illis tribuatur: De tertio, infra.*

252. Sint ne verè, & propriè de Christo Domino dicenda, aut similitudinariè, & metaphoricè, ad modum quo dicitur vitis, Leo, Agnus, Lapis, Angularis, de quo Aug. tract. 80. in Joan. *Quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, &c.* est etiam sua difficultas. Ratio, quæ pro nunc occurrit dubitandi pro satisfactione, & merito in Persona Christi, oritur ab eadem Persona; nam satisfactio debet esse ad alterum, & ex propriis bonis, siquidem ejusdem ad se ipsum satisfactio non est, ac debita non solvuntur bonis alienis, nec per ea mereri quis potest.

Tom. IV.

Præterea meritum apud aliquem petit in Persona alienatam; sed Christus Dominus, etſi in Persona sua alius sit a Patre, & Spiritu Sancto, omnes tamen tres personæ unum sunt in re: Ergo una persona nec satisfacere potest aliis, nec apud eas mereri; quamvis distinctæ sint, cum non reperitur alienitas, & alteritas sufficiens inter satisfaciendum, & merentem, & illum cui fieret satis, vel apud quem esset merendum: Ergo nec proprium meritum, & satisfactio de Christo Domino dici possunt.

253. Et ante quæstionis resolutionem utrumque supponere est necessarium, quod, scilicet, Christus satisfecisset contra Phor. & alios hereticos antiquos, & etiam quod meruisset liberationem hominum à potestate Diaboli, eo modo quo circa illum suum tyrannicum imperium exercebat, adversus Pelag. negantem crimen peccati originalis, & hujus in posteros suos transmissionem. Per quos actus Christus Dominus satisfecisset, & meruisset etiam apud antiquos Theologos agitabatur: Nunc omnes uno ore tenent, & docent, teste D. Hieron. super 14. Math. *Non quod personam Domini separemus (inquit) sed quod opera ejus inter Deum, hominemque divisa sint; ex quibus sequitur, dari in eodem Christo duas species actus, quidam ex illis vocantur Theandrici, hoc est, actiones Dei viriles, in quantum vitales, liberæ, & supernæ sunt, ac in finem suæ assumptæ naturæ ordinatæ; aliæ vero, si quæ sunt, quæ ad hoc non faciunt, dicuntur puræ humanæ, quod non est adeo exploratum. Denique super sedem à placito alicujus Theologi ex antiquis, qui divisivè per actus divinos, & humanos, quos elicere poterat tanquam verus Deus, & verus homo, forte meruisset: ab hac sententia pænitus recedimus, ne ad Valentis delirium a propinquemus, qui in Christo unam tantam naturam compositam ex divina, & humana, cognovisset.*

254. Aliquas stabiliemus conclusiones pro indiviso, quæ simul faciunt, & æquè ad satisfactionem, & meritum, cum etſi differant in suis quidditatibus, & officiis, in usu tamen operum Christi Domini valde conveniunt: Est ergo satisfactio

Bbb

101

solutio debiti proprii, vel alieni contracti, vel per rem acceptam, vel per damnum illatum; meritum vero est condignitas operis proprii ad mercedem obtinendam ordinabilis; ecce vides diversitatem utriusque in se, & in suis muneribus; distinguuntur præterea per hoc, quod satisfactio respicit bonum alterius reparandum, meritum vero mercedem obtinendam. Accedamus nunc ad satisfactionem, & meritum Christi Domini; opera enim ejusdem Dei, & hominis tendunt ad divinum honorem per peccatum hominis læsum restituendum, solvendum, & reparandum; insuper ut meritoria sunt, respiciunt pro mercede Dei gratiam homini conferendam, auxilia similiter, & dona superna, apertionem januæ Cælestis, commutationem æternæ pænæ in temporalem, vel totius debiti extinctionem; cumque hæc omnia certè coincident in honorem Dei, & ejus gloriam restituendam, &c. fortè in idem veniunt quoad hoc satisfactio à Christo Domino exhibita cum ejus merito, de quo hic, & præcisit.

255. Conclusio prima: Actiones, & opera Christi Domini sunt verè, & propriè, & non metaphorice, & similitudinariè satisfactoria & meritoria, ita quod de Christo Domino formali prædicatione verè dicantur satisfactio, & meritum. Est communis in Ecclesia, & præter loca ex Trident. supra citata, dabimus textus aliquos novi Testamenti per quos convincitur. Plures afferri possent, sed uno vel altero contenti erimus, & primus sit ad Ephes. 5. & ad Galat. 3. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*: Et 1. Joan. 3. *In hoc apparuit filius Deus, ut dissolvat opera diaboli*. Et ad R. 5. *Sicut per unius delictum peccatores constituti sunt multi, ita, & per unius justitiam, &c.* Loquendo præterea de pænâ 1. ad Corint. 13. dicitur: *Absortâ est mors in victoria, quod antea prædixerat Oseas. 13. Erò mors tua, ò mors. Quid expressius ostendi potest verâ Christi pro hominibus satisfactio, verum Christi meritum ad nostram ejectionem, & à pænâ mortis utriusque liberatione, & maxime si inuitatur communi PP. sensui, à nobis sæpius declarato; quod scis*

licet, Verba Scripturæ debeant accipi in proprio, & stricto sensu, si ex eo nihil sequitur inconvenientis, ut in præsentiarum habemus.

256. Ad rationes dubitandi initio propositas, dicendum est: Quod Christus Dominus, licet sit eadem persona ut Deus, & homo, non tamen est idem in natura, alia est enim Dei, alia hominis; satisfecit, & mortuus est; quæ alietas naturarum, cum pertineat ad principium formale elicivum operum, quibus Christus meruit, & satisfecit, est sufficiens, ut verè in eodem Domino essent, & satisfactio, & meritum, sicut & hæc eadem alietas naturarum, ut ex propriis suis, & alias ex appropriatis per intimam unionem Hypostaticam, & satisfaceret pro hominum peccatis, & illis mereretur gratiam, & pænæ solutionem; licet enim suppositum sit unum, & idem, cum hoc solum vel denominative, vel ad summum ut quod sit horum principium, non obest, ut alius sit, cui sit satis, & alius satisfaciens.

258. Secunda conclusio: Satisfactio, & meritum operum Christi Domini sunt valoris simpliciter infiniti. Est D. R. expressa in hoc 3. sentent. variis in locis. D. Ang. præcindimus hic ab alia questione superius tacta de dignitate operis meritorii, & quasi in actu primo, quam dedimus tract. 14. & conformiter ad ibi dicta, de meritis, & satisfactione Christi Domini sentimus; illudque parum, aut nil facit ad institutum præsens, ubi de valore prædictorum operum agitur, qui necessario præcindit ab actu primo, & secundo satisfactionis, & meriti. Præterquam quod: Merita Christi Domini, ejusque opera satisfactoria habent in se, & ex vi præsentis decreti supponunt eam Dei ordinationem, & acceptationem ad utrumque: igitur nec questio illa ad præsens aliquid facit; & idem sentiendum nobis erit de præfatis operibus in ordine ad meritum, & satisfactionem in actu signato, & exercito.

258. Primoque probatur conclusio per varios textus, etsi non expressos, convincentes tamen; primus sit ex Psalm. 48. *Frater non rediit, &c.* vel 129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum Redemptio*

tio. Secundus, Paul. 1. ad Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno*. Petri 1. cap. 1. & Joan. 1. cap. 2. ubi idem legitur, quibus adhæret per modum explicationis Clemens 6. in Extravang. de Pœnit. ubi clarioribus verbis docuit, Christum Dominum suo pretioso sanguine nobis dedisse *Infinitum Theaurum*: Ad hæc reducuntur loca ea facta, quæ hanc Christi operibus tribuant infinitatem: Si enim Christi Domini Redemptio ita copiosa, & superabundans est, ut sufficiat non pro nostris tantum peccatis, sed & pro totius mundi satisfaciendis, & liberandis pretio magno sui effusi sanguinis; hoc solum infinito, & inexauribili thesauro posset emere tantum bonum, quod non solum sufficiat, sed & misericorditer superabundet.

259. Secundo probari potest rationibus ex duplici capite de promptis, & ex primo probatur juxta ideam R. in hoc 3. dist. 20. q. 1. art. 2. ubi satis clarè docet: *Quod oportuit Redemptionem fieri per pretium infinitum, quod solum potuit reperiri in Sanguine Christi*: Igitur in sententia R. pretium Sanguinis Christi infinitum est; sed hujusmodi pretium metitur per sua opera satisfactoria, & simul meritoria: Ergo valor horum ita infinitus est, sicut pretium Sanguinis effusi. Præterea tota Christi Domini Redemptio completa est ejusdem Dei, & hominis satisfactionibus, & meritis: Ergo superabundantia hujus Redemptionis, & infinitas Theauri sui sanguinis pretiosi est valor sua satisfactoria, & meritoria operationis: Ergo totum infinitum est. Assumptum principale probat R. hic: Pretium Redemptionis, & liberationis hominis attendi debet pænæ gravitatem offensæ, & injuriæ Deo illatæ, & ad tantum nocuementi; sed hoc totum infinitum simpliciter est, propter dignitatem infinitæ Personæ offensæ: Ergo ita erit valor operum eorum, quibus talis Redemptio constituitur, & completur: de minori infra tom. 5. cum de peccatis agamus, Deo dante.

260. Secundo probatur, & convincitur infinitas satisfactionis Christi Domini, & ejusdem meritorum ex capite Personæ satisfaciens, & merentis ex iis, quæ R. habet in 4. dist. 1. q. 6. ubi concludit sic: *Tom. IV.*

His stantibus, sententiarit Deus Pater, quod filius ejus, qui est æqualis in Deitate hominem reconciliaret. hic licet plura alia videre, ex quibus bonum fieri potest argumentum in istam modum: Homo Deo reconciliatur per satisfactionem, & merita operum Christi Domini; sed nisi essent infiniti valoris, ejusmodi reconciliatio fieri non posset: Ergo ita sunt. Major est certa, & minor probatur: Nisi esset æqualitas in Deitate inter Deum offensum, & Christum Redemptorem, non esset ea reconciliatio; sed hæc æqualitas est, & dicitur infinitatem in valore operum Christi Domini satisfaciens, sicut infinitas est in Deitate offensa: Ergo nisi hæc opera essent infinita in valore, non essent per ea homines Deo reconciliati per Christum.

261. Alio modo stabilitur hæc ratio: Valor operum, quæ à Christo Domino eliciantur in hominum redemptionem, est non solum hominis valor, sed potius suppositi divini, & divinæ Personæ ea opera elicientis; sed opera divinæ Personæ, est humana sint in entitate, & realitate physica, in valore tamen debent esse divina, infinita, & sic valorizata: Ergo sunt taliter infinita opera ejusdem Domini meritoria, & satisfactoria, ut pote Dei hominis, & aliquo jure Theandrica Major Catholica fides est tenenda, & minor probatur: Valor operis meritorii cuiuscumque, & ejus satisfactionis, attendi est necessum pænæ dignitatem Personæ satisfaciens, & merentis, quæ se habet veluti forma moralis, cui tribuitur valor prædictus: Ergo sic hæc Persona infinita est, sic & valor suorum operum erit.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

262. **A**rguitur primò contra primam conclusionem: Etsi teneamus, Christum Dominum meruisse nobis, & satisfecisse pro nobis, non tamen hoc debet intelligi in vero sensu, & strictæ satisfactionis: Ergo. Antecedens probatur: Non decet Deo pro hominibus satisfacere, adhuc quod in natura humana subsistat, vel potius non convenit

talis propria satisfactio in operibus Christi Domini: Igitur quando in sacris textibus de hoc agitur, intelligi debent in sensu latiori, & non ita proprio. Antecedens probatur, primò: Quia satisfactio hujusmodi exhibitæ à Christo Domino est contraria juri naturali, quod est omnium juri fundamentum, ut est constans in cap. *Naturale jus* hoc enim dicitur, quod qui læsit, damnum patiat, ut habetur 5. Ethic. cap. 7. sed Christus Deum non læsit, sed Adamus peccando reus factus est, & transgressor divinæ legis: Ergo hic, non vero Christus Dominus satisfacere Deo debuit, & crucifigi, ut pote justus, & innocens, &c.

263. Secundò probatur idem antecedens: Superfluere Christi satisfactio, si homo, qui læsit, & Deo damnum irrogavit, ipsum placabilem faceret, & placatum redderet; sed hoc modo potuit esse: Ergo ea satisfactio à Christo Domino exhibitæ non cecit, nec convenit. Minor probatur: Deus redditur placatus oblationibus, & sacrificiis hominum, ut habetur 7. Polit. cap. 7. Ergo his factis sacrificiis, oblationibus, & adorationibus ab hominibus posset Deus ea acceptare, ut veræ satisfactioes pro suis peccatis: Ergo tunc posset homines Deum placatum facere, ipsique satisfacere; & non sequeretur inconveniens allatum in principio hujus quæstionis de eo, quod idem Deus offensus esset, & simul, qui injuriam compensaret per veram satisfactionem.

264. Respondetur ad argumentum, quod est R. in 3. citato, negando antecedens, & ad ejus primam probationem conceditur, quod juxta caput illud, & statutum, qui læsit, & nocentem intulit, ad satisfactionem tenetur; ceterum si loco hujus subrogetur, & obligetur innocens, istud tenetur ad solutionem debiti, vel damni illati; sic Christus Dominus, cum pauperes essemus, & unde Deo reddere non habeamus, pro nobis Patri suo Adæ debitum solvit; & quia constitutus fuerat à Deo nostri fidei jussor in humanitate assumpta, & nostris meritis non valentibus, adhuc excursionem de bonis facta, necessario in ea carne, quam de nostro assumpserat, secundum totum debitum satisfecit; & insuper hoc totum

nobis contulit ad salutem; ita tamen quod transactis debitis nostris per ejusdem Christi opera, similiter in Donis, oblationibus, & sacrificiis instituit, decrevit, & ordinavit, ut aliquid de nostro apponeremus, namquamque verificaretur, quod Christi sacrificium superflueret, cum hujus virtute nostra essent Deo acceptabilia: Per hoc habes solutionem ad secundam probationem.

265. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Valor satisfactionis Christi Deo exhibitæ pro peccatis hominum, idem infinitus reputatur, quia per textus, & PP. sic extollitur, ut nobis præmium omne conferibile super excedat, ut puta, quod sit superabundans, copiosus, magnus, &c. sed ex hoc non probatur infinitas, cum non constet, sed ad summum, quod hujusmodi opera satisfactoria, & meritoria sint altioris ordinis, & valoris ad omnia qualibet nostra: Ergo ex eis locis non convincitur infinitas talis. Nec in illa Extravag. *Unigenitus* Clement. 6. declaratur, quæ infinitas competat præmio Domini sanguinis, qui cum dicatur effusus, non solum pro peccatis nostris, sed & pro totius mundi, ad hoc sufficit, esse talem sine categoria matrice infinitum, non verò simpliciter; sicut quilibet intellectus ad infinitas intellectiones hoc modo valet, quia ex eo sequatur simpliciter infinitum esse.

266. Respondetur, primò: Quod in præallegatis locis non intendimus cogenter probare infinitatem in valore operum Christi Domini; cum certe in illis hoc nobis non constet; ceterum nulli dubium erit, quod circa hoc magnam faciunt probabilitatem; nam si superabundat, & supercrefcit ad omnia omnino peccata, & hæc adhuc altiora sunt in ordine, supra quæcumque humana, immò & purè creata obsequia Deo exhibitæ; si his superestruens est valor operum Christi Domini; non modo superior erit in ordine ad res omnes, sed infinitè eas superexcederet. Benè: Ergo in illa Clementin. adstruitur infinitas in præmio Divini Sanguinis, ex eo quod in sacris litteris declaratur, pro omnibus scilicet; effundi in præmium, simul, & lavacrum; addente Ecclesia: *Qui omnipotentiam tuam*

par.

parcendo maxime manifestas: Ergo & infinitatem miserando: Ergo bene inferitur, quod sit talis simpliciter ejusdem valor operum Christi Domini, & in se, ut immediatè infra in solutione tertium.

267. Tertio arguitur: Valor operum Christi Domini ad satisfaciendum pro omnibus peccatis, idem infinitus esset, non quia peccata infinita sunt in multitudine, nam hoc non est, sed quia in sua deformitate, aut in ratione injuriæ, & offensæ Dei infinita essent; sed hoc non est ad eò exploratum, & de eo est magna ratio dubitandi: Ergo per illud probari nequit infinitas in valore, & præmio Domini sanguinis effusi. Patet. Nam per medium topicum probari non potest ea veritas determinata consequentis, quæ ut talis intenditur.

268. Ad argumentum, primò, dicitur: Quod idem, quia infinita est offensæ mortalis peccati, de quo suo loco, probatur, est à posteriori, infinitas Domini satisfactionis; unde præmium sanguinis effusi, medio, quo homo Deo reconciliatur, si in satisfactionem injuriæ, & offensæ talis offeratur, necessario infinitum erit; nec ex hoc probatur demonstrativè hæc infinitas, sed solum topicè, & probabiliter, & idem nil mirum, quod convincatur per medium topicum; ceterum convincens, & probabile. Secundò, & fortè magis ad rem, responderetur: Quod infinitas in valore, est aliquantulum probetur ex dictis; à priori tamen satis concludi potest per divinitatem, & infinitatem suppositi, & Personæ elicientis talia opera meritoria, & satisfactoria pro peccatis; et hæc est potior, & principalis ratio, quæ nos convincit, ut asseramus infinitatem simpliciter in valore eorum operum, quæ à Deo homine eliciantur.

269. Quarto arguitur: Valor operum Christi Domini ad satisfactionem, & meritum infinitus erit ratione Personæ divinæ, & suppositi elicientis; sed ab hoc principio haberi non potest infinitas hæc: Ergo non est caput, à quo oriatur. Minor probatur, primò: Opera Christi Domini, est eliciantur à divino supposito, sunt humana, & aliter esse non possunt: Ergo eis non potest obvenire infinitas, ut

cut nec divinitas, aut aliud quid ex divinis attributis: Secundò probatur illa minor, & in hoc idem concluditur: Suppositum non proprie influit in actus vitales; nam hic influxus habetur à principio totali vitali talium operum; sed hoc est natura: Ergo non est Persona: Ergo nec ab ea erit infinitas in talibus actibus. Assumptum probatur per idem: Natura humana est totum, & adæquatum principium operum Christi Domini; Ergo non Persona divina.

270. Nec respondeas: Quod suppositum Verbi, sicut & quodlibet aliud est principium quod elicitivum talium operum: Ergo ab eo sumeretur infinitas, quæ licet non sit talis physice, & entitative in actibus, erit tamen moralis; & hoc est intentum nostrum. Nam contra est, primò: Nam suppositum nec dum eliciens principium quod esse potest, sed solum denominativè; quia tale principium est natura, cui actiones tribui possunt, ut principio vitali sui elicitivo: Ergo non est ratio talis moralis infinitatis; si hæc sicut in eo, quod suppositum, & Persona sint principium quod hujusmodi operum elicitivum.

271. Ad argumentum responderetur, ut bene notat instantia: Quod scilicet, infinitas, quæ à divina Persona communicatur operibus Christi Domini est moralis; siquidem entitativa non potest esse, quia humana sunt opera, & à natura creata elicitæ, ut à principio totali elicitivo; cum quo adhuc componitur, quod suppositum in his, sicut & in aliis operibus sit etiam eliciens quod, & etiam se habet ad ea ut subjectum denominationis, quatenus ipsi attribuntur: Et hujus denominationis ratione & attributionis, Persona eliciens se tenet veluti forma moralis, & existimata prudenter, dignificans præfata opera pro modo suæ dignitatis, quæ cum infinita sit, præstat illis eandem denominationem; sicut dicitur de injuria Deo irrogata per peccatum mortale, quæ quia est in persona injuriata, sicut honor in honorante est veluti subjectum offensæ, & facit eam crescere in prudenti estimatione ad usque infinitatem. Omnia argumenta ad hoc unum reducuntur, & per hoc unum solvantur, est solum

pru.

prudens iudicium dijudicet inter principia ex adverso pugnancia.

QUÆSTIO XVI.

Utrum Christi satisfactio Deo exhibitæ pro peccato Adæ, sit ex iustitia strictæ acceptæ?

272. **R**edeunt dubia, & difficultatès, de quibus tract. 14. cum de merito iustorum egissemus, & eorum iustitia apud Deum servandam, nunquam gravius urgentia quanto altiora sunt merita Christi Domini, ejusque satisfactio ad nostram comparata; si namque ibi arduum videtur Deum hominibus teneri, & obligari ex iustitia; quanto magis hic Deum hominem eadē stricta iustitia cōstringi, ut Deo ipso fiat satis pro ipsorum hominum injuria compensanda? Ibi enim loquendo de hominum meritis tertiam speciem iustitiæ nobis proposuit Paulus, certam ex jure depositarii, & deponentis, ad quam Deus teneretur sine præjudicio suæ Majestatis, & divinitatis: hic hucusque non apparet, quomodo evadere possimus, quod Deus Deo ex stricta iustitia quasi mutuo obligentur, Deus videlicet homo factus, Deo Trine Personato existenti.

273. Propter quod DD. aliqui, & Theologi graves Deo negarunt inesse propriam rationem iustitiæ, adhuc distributivam, & vindicativam, quanto magis ab eo commutativam relegarent. Certum enim est, quod textus sacri in utroque testamento repetitis in locis de Deo enuntiant iustitiam, & aliquando determinatam ad certam speciem a hominibus; ceterum cum adhuc nobis non innotescat, num in sensu stricto Philosophorum moralium, num in alio magis lato accipi debeant? Ex his fontibus eruere non valeamus, quænam sit proximior veritati sententia? Pro ea investiganda supponimus iustitiam predicari de Deo in ordine ad

extra servandam; insuper: Quod Verbum Divinum homo factum pro nobis omnibus Deo Patri satisfecisse, & verè, & propriè; immò & ex iustitia debitum Adæ solvisse, & pro hominibus delinquentibus eo jure gratiam, & gloriam meruisse, de quo infra.

274. Addimus tom. 2. tract. 7. q. ult. veram, & strictam iustitiam de Deo dici, & predicari, quod & confirmamus tract. 14. loquendo de merito iusti; superest, ut prefatam quæstionem ad Personam Christi Domini, ejusque merita, & satisfactioem contrahamus; taliter tamen, quod id, quo de satisfactioe Christi dicamus in subiecta materia, de ejusdem meritis pro dictis habeatur, salva tamen differentia, quæ necessario intervenit inter mereri, & satisfacere; & pro eo etiam supponimus, iustitiam, & aliquas ipsius species perfectiones esse, de quibus Anst. Monolog. 13. ideoque in sensu formali de Deo predicabiles, de quo & nos locis nuper citatis; unde sigilanda est difficultas ad iustitiam operum Christi Domini, quæ respectu Dei satisfactoria sunt pro homine, & ad inconvenientia, quæ contra hoc apparere possunt. Non immemores, quod istud genus iustitiæ satisfactoriæ, si commutativa sit, & æqualiter compensativa injuriæ illatæ, mutua debet esse, & utrimque obligatoria, modo tamen congruo, & possibili.

275. De iustitia plura nobis docuit Arist. in lib. Ethicor. per varia cap. ex quibus primo aspectu obvia habemus inconvenientia, quæ prætendimus inquirenda. Primum enim docet lib. 5. 7. & 11. cap. iustitiam debere ad alterum esse. Secundo, quod servetur inter æquales, sicut amicitia; quapropter filii ad Patrem, & servi ad Dominum iustitia esse non potest (loquendo de ea stricta, utrimque obligatoria, & quæ omnimodam æqualitatem constituat.) Tertio; quod non sit faciendæ solutio, si satisfactoria esset, ex bonis ipsius creditoris: Quarto, quod ea, quæ in solutionem, & satisfactioem offeruntur, non sint aliis ritualis debita: Quinto, addi solet, quod valor satisfactiois non accipiatur ex pacto, & promissione, sed ex natura operis, alias non satisfactio esset injuriæ, sed potius offensæ condonatio.

276. Ecce

276. Ecce palam inconvenientia, si de Christi Domini iustitia loquamur in satisfactioe Deo exhibitæ pro nostris peccatis; non est enim ad alterum, cum idem Deus sit, & homo; est insuper filius, hæres, & servus, quia formam servi accepit in similitudinem hominum factus; non de suo, Patri satisfacit, cum ipse prædiceret, omnia sua, Patris sui esse; ac denique quæ ab ipso exhibeantur opera satisfactoria, tot erant gratiarum actiones debite titulo gratitudinis pro maximo inter beneficia, hypostaticæ scilicet, unionis, & assumptionis: his addi posset, quod nullo jure Deus teneretur ad quamcumque satisfactioem acceptandam, propter quod nec ex iustitiæ rigore esset ad eam obligatus, nec per consequens hic rigor strictæ iustitiæ inveniretur inter Deum, & Christi opera satisfactoria: igitur si allatæ conditiones pro stricta iustitia servanda hic locum adveniunt, & in hoc Philosophis conformemur, non habemus, quo jure Dei ad Christum Dominum, & ejus satisfactioes concedenda sit. Superfedemus nunc circa quintam; si quidem pactum, & promissio de opere acceptando non minuat ejus condignam satisfactioem, si alias in eo esset Arithmetica æqualitas in valore in actu primo, & signato ad injuriam compensandam: Præterea hic loquimur de satisfactioe Christi in vi præsentis decreti, & providentiæ, cujus ratione necessario tenendum erit, pactum hujusmodi intervenisse, immò & præceptum, & eo supposito dissertatio præsens instituitur.

277. Et ut ad eam accedamus tertio supponimus pulchram Doctrinam, quam affert R. in 3. dist. 20. q. 1. sic ergo in principio art. 1. quærit: *Quare Deus via iustitiæ, non potentia, voluit procedere contra Diabolum in hominis Redemptione?* Ad quod inter alia supponit: *Quod homo ab initio fuerat constitutus in manu Consilii sui cumque id, quod habetur pro derelicto, primo occupanti concedatur, diabolus fraudulenter hominem seduxisset, ut contra Dominum, & creatorem, se erigendo delinqueret, reusque factus læsæ Majestatis juri ipsius esset tradendus, non justæ acquisitionis, sed solum justæ carcerationis: unde, concludit art. 2. circa medium:*

Quod principalis ratio Passiois (Christi) fuit Redemptio generis humani offerendo se ipsum Deo, & ad hanc Redemptionem consequatur iusta victoria de diabolo, & iusta reparatio hominis; sed Redemptio fieri non potuit, salva, iustitia vindicativa, quæ est nobilis species iustitiæ, Arist. lib. 5. cap. 8. Ergo fuit ibi in Christo Domino iustitia vera, & prudentia summa simul.

278. Ex hoc nobis apparet via plana, ut præterea cum eodem D. R. tenamus, Christi satisfactioem, & meritum, adhuc quod sint actus iustitiæ, defacto pertinere cum proprietate ad virtutes alias, ut puta Misericordiæ, Religiois, fortitudinis, &c. Et maximè stricta amicitia, eodem Domino dicente, Joann. 18. *Jam non dicam vos servos, sed amicos; & Joann. ibi: Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: Nunc R. circa finem: Magna virtus erat, quod iustum amicitia ornaretur: De hoc non est ambigendi locus, immò nec de proprietate aliarum virtutum, & earum compatibilitate; ceterum hic inserimus præsentem doctrinam, ut videamus, si aequali formalitate currant in operibus satisfactoris Christi Domini cum iustitia in sua quidditate acceptæ?*

279. His suppositis, & intellectis, deveniendum censeo ad duo in præsentibus, & proposito dubio solvenda, & declaranda; primum erit; si hæc iustitia satisfactoria Christi Domini ad Deum sit proprie talis dicenda, cui similiter corresponderet ex parte Dei eadem ex iustitia acceptatio, & veluti passiva placatio, & suæ injuriæ, & offensæ vera compensatio? Secundum erit: Ad quænam iustitiæ speciem ex pluribus, per quas dividitur, pertineat? De quibus, etsi non pauca tract. 14. q. 3. dedissemus, alia adjicienda necessario sunt, quatenus materia iustitiæ determinata ad Christi Domini satisfactioes, & merita, diversam debet subire rationem. De varietate sententiarum in hac controversia non habemus novi aliquid supra id, quod dedimus loco immediatè citato; unde solum contenti erimus, si ea, quæ propria sunt D. R. assequamur.

280. Conclusio prima: *Christus Dominus pro peccato hominis Deo exhibuit satisfactioem ex toto rigore iustitiæ; vel*

fuit

fuit ea iuſtitia ſtriſtè talis. Eſt communis, & plures pro ſe habet Patronos, ut videre erit in 14. tract. q. 3. citat; & ſingulariter D. R. in hoc 3. diſt. 20. & in 4. diſt. 1. Habetque duplicem partem; nimirum, una eſt ex parte Dei ejuſmodi ſatiſfactionem acceptantis; & de hac ibi ſupra; unde ſemel quod iuſtitia in ſenſu formali de Deo ſit prædicabilis, quatenus in ejuſ quidditate nulla concipitur macula imperfectionis; licet in præſenti tenere eadem iuſtitia proceſſiſſe in ſatiſfactionibus Chriſti Domini acceptandis, ſicut dicebamus de meritis iuſtorum; ita quod eadem ſpecies, iuſtitia qua Chriſti & iuſtorum opera fundant juſ ſtriſtum ſibi ſervandum, ea ipſa Deus præmiat, retribuit, & ſe in offenſum, & peccatum oſtendit.

281. Omiſſaque hujus partis probatione, ut magis declaranda hic ad primum poſtea; nunc relinquatur probandum aſſertum expreſſam in conſiſſione, ſæpe per primò per R. in 3. q. 1. art. 2. Hic etenim poſtquam in 1. art. ejuſdem q. diſſeruiſſet: Num Deus ſervaiſſet ſtriſtum ordinem judiciarium contra Diabolum? At non potius potentia, quam iuſtitia vincatur? Ut conſtat ex illo Pl. 10. *Juſtus Dominus, & juſtitiæ dilexit.* Hic proſequitur per Aug. 13. de Trinit. cap. 13. *Verum tamen contra eum Deus juſtè proceſſit, hominem ſanguine ſuo redimendo, nam Deo injuriam fecit, quia ſervum ejuſ fraudulentur abduxit.* Sic legitur ad Rom. 5. Proſequitur R. D. *ſed cui facta eſt injuria, erga eum eſt redemptio primo, & ſatiſſatio faciendæ in forma juſtis debita, & hoc eſt in ſanguine Chriſti in lege promiſſi.* Sic determinat Apoſt. ad Heb. 9. Atqui attendè perpenſis doctrinis R. per Aug. convincitur formalitas iuſtitia proprie talis ſervata in ſatiſſatione à Chriſto Deo Patri exhibita: Ergo ita eſt.

282. Secundò ea conſiſſio probatur per ejuſdem R. doctrinas in eodem art. 2. Dubitat namq; ſi jure æquiliſimo Diabolus vinceretur, ſi potentia tantum Chriſtus cum illo egiſſet? Ad quod reſponder: Quod Dei attenda abſoluta potentia, ita poſſet fieri, quia utriſque, homini, ſcilicet, & diabolo præſtat Deus, ſed aliter Deus decreviſſe eſſe, ut conſtat ad Heb. 9. & 10. ubi videtur, Deum decreviſſe ho-

minem liberare in ſanguine filii ſui: & hoc ipſum (ait R. ibi) habetur in Gloſ. ad Rom. 5. *Juſtitia humilitatis hominem libera- vit, cum ſola potentia æquiliſime liberare potuerit.* Eadem Gloſ. ſupra: *Alius modus Deo fuit poſſibilis, hoc eſt, potentia, ſed nullus alius noſtra a miſeria ſanandæ convenientior: Vide licet, juſtitia.*

283. Ex quibus formatur qualis qualis ratio: Ea iuſtitia, qua Diabolus vincendus erat, homo redimendus, Deoque ſatiſſaciendus, deberet eſſe proprie, & ſtriſtè talis: Ergo ſic Chriſtus pro homine ex rigore iuſtitia ſatiſſecit. Antecedens probatur: Ea iuſtitia deberet correfpondere injuria, & offenſa, qua homo ſe erexit in Deum, ipſum contemnendo in ſuis mandatis, & diaboli ſuggeſtioni anquendo; ſed hæc injuria eſt propriſſimè offenſa, & læſio divini honoris: Ergo ſemel quod Deus decreviſſet via iuſtitia procedere in hominis delinquentis reparatione, cum aliter potuiſſet, congruum videtur, quod omnia jura ſtriſta iuſtitia ſervaret in illius redemptione, & pro illius ſatiſſatione. Quare hoc? Ad oſtendendam ſuam miſericordiam: *Et quid tarda mentes noſtra ſunt, ut in Dei amorem erigantur:* Sic R. hic docet.

284. Conſiſſio ſecunda: Chriſtus ſatiſſecit Deo pro peccatis hominum propria iuſtitia commutativa principalius; minus principaliter iuſtitia vindicativa, & retributiva. Eſt R. in 4. diſt. 1. q. 6. art. 1. Probaturque quoad primam partem, quam continet, ratione ipſius, quæ licet ibi concludat de meritis iuſtorum præmiandis ex hac iuſtitia, plurimum conducit ad præſens: Iuſtitia ea, quæ ponit poſitivam æqualitatem in commutationibus, ut inter datum, & acceptum, eſt principalis inter ſpecies iuſtitia, fundaturque in lege, & jure naturæ, & rationis; ſed ſic non modo æqualiter, verum & ſuperabundanter Deus ſatiſſecit pro peccatis hominum, ita quod juſ divinum læſum reſtitutum eſt in integrum, & copioſiſſimè: Ergo vera iuſtitia commutativa, & in vi hujus principalius. Major eſt expreſſa Ariſt. 5. Et hic. 6. Minor eſt declarata in ſacris litteris: Unde ſolum nobis probanda eſt conſequentia, quoad ſtriſtam acceptationem hujus iuſtitia; quod

alia

alia via convinci non poſſet, niſi quia non adeſt, nec apparet ratio, quæ in contrarium urgeat.

285. Probatur ſecunda pars conſiſſionis, quoad ſpaciem iuſtitia vindicativa: Chriſtus Dominus ſic pro nobis peccatoribus ſatiſſecit, ut animam ſuam poneret, & per contra paſſum nos à lapſu reparaviſſet uſque dum anima noſtra eſſet Deo plene reconciliata; ſed hoc eſt vindicta, vel hic eſt actus iuſtitia vindicativa, ut legitur in eodem 5. Ethic. cap. 8. Ergo verè Chriſtus Dominus vindicavit in ſe, & humanitate aſſumpta omnium hominum peccata, per cujuſ vindicationem damnum, quod paſſuri erant ex injuria Deo illata, reparatum eſt; & quod immediatius facit ad iuſtitiam illam; æqualiter fuit divina injuria, & offenſa compensata per Chriſtum; Ergo & hæc ſpecies iuſtitia Chriſtus ſatiſſecit pro homine. Ad hanc reduces, & non eſt alienum à Phil. ſpaciem iuſtitia retributiva, quæ per repenſum poſſibile ponit æqualitatem, ut ſi decem debeas, & reſtituas octo, quæ tantum habes: Sic erat homo, ſi ſibi relinqueretur; ſed magna Dei bonitas ſibi fieri decrevit illius redemptione iuſtitia hæc retributiva plene interveniente, ut per ſuperabundans repenſum totum quod debebat homo, Chriſtus ſolveret: Ergo ita fuit.

286. Conſiſſio tertia: Chriſtus Dominus ex harum ſpaciem rigore iuſtitia ſatiſſecit jure naturæ, & rationis, orto tamen à iuſtitia Epichejæ. Expreſſam habemus conſiſſionem in R. hic per Ariſt. in illo 5. & hic. cap. 15. Conſiſtit enim iuſtitia hæc, & virtus, quæ Epicheia vocatur in eo, quod quando lex deſicit, & non habetur, oportet per ſententiam juſti judicis per æquitatem ſententiarum; ſed Chriſtus nulla lege tenebatur, ut ſic pro hominibus ſatiſſaceret: Ergo ſemel quod feciſſet, neceſſarius fuit recurſus ad legem Epichejæ, ut per eam dignoſceretur iuſtitia hujus pleniffimæ ſatiſſationis à Chriſto Domino exhibita. Aſſumptum probatur: *Hic ſic ſtanſibus,* ait R. hic, *ſententiavit Deus Pater, ut filius ejuſ, qui eſt ei æqualis in Deitate, hominem reconciliaret.* De hoc expreſſe in utroque teſtamento: ut Pl. 2. *Ego autem conſtitutus ſum*

Rex ab eo, &c. Pl. 39. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam::: Tunc dixi ecce venio, &c. Denique Eccleſia: *Qui præcepto Patris mundum ſalvaſti.* Conſtat, quod iuſtitia hujus ſatiſſationis ab Epichejæ qualiſ dirigebatur, vel quod Chriſtus hac uſus iuſtitia pro homine ſatiſſecit.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & ſolvuntur.

287. **P**rimò arguitur contra primam conſiſſionem: Non poſſet Chriſtus Dominus ex iuſtitia rigore Deo ſatiſſacere pro Adæ peccato, quin Deus ex eadem iuſtitia teneretur ad ſe in offenſum, & placatum reddendum per hujusmodi ſatiſſationem ſibi à Chriſto exhibitam; ſed Deus nullo jure poſſet teneri, & nulla ratione obligari ex præſiſſo, & unico fundamento ſuæ ſummæ independentiæ: Ergo ſicut Deus ex iuſtitia ſtriſta nulli ad extra teneretur, ſic nec opera ulla, quantumvis infiniti valoris, poſſent Deo exhibere condignam ſatiſſationem à Deo ipſo acceptabilem ex hac eadem iuſtitia.

288. Nec respondeas: Quod opera Chriſti Domini ſub munere ſatiſſationis pro injuria Dei, & præterea quatenus meritotia ſunt omnium gratiarum, quæ poſt hac hominibus conferantur, talis ſunt conditionis, ut reducant ad æqualitatem Dei offenſam, & injuriam per infinitum valorem eorum in obſequiis Deo præſtiſtis, & honore reſtituendo, ſuperexcedantque non ſolum delictum, ſed etiam gratiam ipſam, quam hominibus mereantur: Igitur ſecluſa quacumque Dei acceptatione, & non penſato conſenſu illius, fuiſſent opera præſata condigne ſatiſſatoria pro noſtris exceſſibus, & meritotia gratiarum. Hoc ergo certum eſt, & non negamus, dicerent contrarij aliud enim eſt opera Chriſti Domini eſſe condigna ad æqualem, & pleniffimam ſatiſſationem pro peccatis hominum, & aliud, hoc illis convenire ex rigore iuſtitia; primum proprie adaptatur ejuſmodi ſatiſſationi, quia valoris infiniti eſt.

est, sicut & injuria Deo per peccatum illata; secundum non quia ad rigorem justitiæ plura obstant prædictæ justitiæ, & sanctificationi rigorosæ.

289. Primum est assumptum principale argumenti in hac forma: Satisfactio exhibita, & maximè pro injuria, quæ ab alio irrogeretur, alicui, supponere debet præter æqualitatem cum damno; & læsione, offensi acceptationem, & consensum, ut sit talis ex rigore justitiæ, & per eam obligetur offensus; sed si Deus acceptasset Christi Domini satisfactionem pro peccatis hominis, nec ad æqualitatem, aut condigne esset sufficiens; si verò præfatus consensus non interveniret, deficeret à justitiæ stricta ratione: Ergo ex uno, vel altero principio non habet locum vera justitia in opere satisfactorio Christi Domini. Probat minor: Si Deus acceptasset præfata opera Christi in satisfactionem, esset illi consentiens; tuncque non esset, sicut injuria compensatio; nam sine Dei consensu offensam fuit passus; & ut ipsi fieret satis, non aliter esset, ut dicebamus, nisi sua supposita voluntate, & acceptatione. Insuper: hac non interveniente acceptatione divina posset Deus suis juribus uti cum homine delinquente: Ergo ex utroque capite deficit stricta justitia: Patet hoc ultimum: Siquidem si inter Christum, & Deum offensam partem non intervenisset de operibus satisfactoriis acceptandis, adhuc posset Deus hominem non recipere ad suam gratiam, & in perpetuum sui visione privare; quia non habet, à quo jure Domini priveretur: Ergo quia ista seclusa acceptatione non inferrent strictam justitiæ præfata opera Christi Domini.

290. Secundum, sumi potest ex antedictis conditionibus, quæ ad strictam justitiæ desiderantur in operibus satisfactoriis, nimirum, quod alius sit satisfaciens, & alius offensus; nam justitia ad aliam est; & sicut nullus se ipsum lædit, sic nec pro se satisfacere sibi potest: Ergo opera Christi Domini, quia Dei sunt, non per ea posset ipsi Deo ex justitiâ satisfacere. Huic videtur annuere D. R. in 4. dist. 1. q. 6. art. 2. pro justitiâ nostrorum meritorum hæc commutativa, ideoque recurrit ad aliam, quæ sit juris depo-

sitarii. Alia non minus urgens conditio pro hac stricta justitiâ, quæ ejusdem Arist. est, hic adducitur à DD. pro satisfactionibus; nimirum, quod hæc exhibeantur ex bonis debitoris: Nam si creditor bona sua conferat debitori, ut per illa ipsi fiat satis, in v. num. diceretur ex justitiâ satisfactio, etsi æquivalens esset, & æqualis ad extinguendum totum debitum; atqui rotum, quod Christus habet valoris, est à Thesaurò divinitatis offensæ per peccatum: Ergo & de bonis divini creditoris extingueretur debitum humanæ naturæ. Omittuntur aliæ conditiones, quæ ad præfatas reduci videntur.

291. Pro hujus, & aliorum, quæ offerri possunt, solvendis, supponendum est, & recolendum, quod eæ formalitates, perfectiones, & attributa, quæ de Deo dicuntur frequenter in sacris litteris, & communiter Theologi de ipso verè predicari asserant, sic sunt, & in sua essentia, & quidditate, conceptibilia, ut nullum afferant inconveniens, nec per illa Deo aliquid dedecoris irrogeretur. Innumerabilia loca habemus in utroque testamento, ubi de divina justitiâ, & æquitate erga Angelos, & homines servanda, & specialiter in præmiandis meritis, & vindicandis excessibus eorum: Quid nisi ad redemptionem humani generis per adventum justii, deque plenissima ejusdem satisfactione animum intendere velimus. Maximè in hoc mirabili mysterio extollitur super omnia divina justitiâ, & æquitas: Cum etenim ab ista regula deviare non liceat, pro comperto habuimus, Deum verè, & propriè justum esse in suis operibus ad extra, simulque servare; ipsi non inconvenit, aliquas hujus justitiæ virtutis species, in quantum suæ infinitæ dignitati non obviat.

292. Ex his, & ex superius dictis in alii tract. satis constat, quod non habeamus pro inconvenienti, quod justitiâ eam, quæ servat æquitatem arithmeticam, hominis v. g. ad Deum, eodem jure sit talis Dei ad hominem, ablatis tamen imperfectionibus, quæ ad quidditatem hujus justitiæ non pertinent, & hæc semper in creaturis reperiantur admixta: Unde certantibus in Agone hujus vite, & legitime usque ad finem certantibus, corona

ex justitiâ debetur à justo iudice reddenda, ut nos Apost. docuit 2. ad Tim. 2. Ecce utriusque justitiæ, & ex parte iudicis justii coronantis; & ex parte currentis, bravium promerentis: quæ mutua justitiâ non est cur non concedatur Christi Domini operibus, & ut satisfactoria sint pro injuria Deo illata, & ulterius ut nostrorum bonorum spiritualium meritoria, maxime quando valor horum in infinitum excedat quemcumque, quæ nos exhibere valeamus.

293. Propriusque ad argumentum solvendum accedendo iterum adhaeremus doctrinæ, quam supra tract. 14. dedimus in q. 3. circa condignitatem meritorum signatè, & exercitè, sive in actu primo, & secundo, hæcque pro meritis satisfactionis condignæ Christi Domini non renuimus tenere; scilicet, quod aliter de ipsis operibus loqui possimus, si in actu primo, & secundo se considerentur, & aliter ut in actu exercitè applicata pro condignâ satisfactione peccatorum hominum. Clarius: Si Verbum divinum caro factum fuisset, ut potuit, sine respectu ullo ad redemptionem nostram, & satisfactionem Deo exhibendam; in hoc casu, opera Christi Domini essent, ut nunc, infiniti valoris, & quantum est ex se sufficientia ad superabundantem satisfactionem, si ad hoc ex actu secundo, & exercitè fuissent ordinata, & acceptata; unde eadem sunt quoad valorem, & condignitatem in actu primo, & secundo: ideoque solum exercitè satisfactionis actuale ad dicit ordinationem, promissionem, acceptationem, &c. quæ nil superaddunt ad intrinsecam sui condignitatem.

294. Et licet aliquantulum ad illud primum ibi fiat satis, non tamen adæquatè, & ex meritis, ideoque insuper respondetur, distinguendo majorem: Non posset Christus Dominus satisfacere ex justitiâ rigore, quin Deus teneretur ad se placatum, & inoffensum reddere, eadem specie justitiæ, & ex illius suppositione, concedo; antecederet, & absolute, nego majorem; & comodo distincta minori, negatur consequentia in eodem sensu. Dedimus supra, quod inter species veræ, & propriæ justitiæ est una Epicheia, quæ fundat strictum jus, & rigorosam æquita-

tem, quando pensata rerum ordinatione, & lex non apparet, & per sententiam iusti iudicis declaratur justitiâ, & jus cuiusque tribuendum: Sub qua specie justitiæ comprehendimus ex D. R. eam, cuius ratione Christus Dominus suo Patri pro injuria hominis satisfacit; quatenus Deus ipse sententiavit, quod filius Dei factus sit homo, ut in humanitate assumpta, & hominem redimeret, & Deo plena esset exhibenda satisfactio: Quo sic stante; nec Christus potuit non satisfacere ex hac justitiâ per sua opera, nec Deus ea non acceptare ex eadem justitiâ satisfactione, quatenus sententiaverat ut iustus iudex, talimodo tibi esse satisfaciendum.

295. Sed contra, & est tota ratio, & fundamentum sententiæ contrariæ: Si Deus maneret obligatus ad acceptanda opera Christi in satisfactionem pro hominis peccato, quia ita sententiavit, hoc est decrevit, tunc esset obligatus non ex rigore justitiæ, sed alio titulo, nimirum fidelitatis, & veracitatis in dictis, & factis: Ergo si hoc modo Deus teneretur ad opera Christi acceptanda, non ex rigore justitiæ ad id esset obligatus. Plura ad hoc supra dedimus, conformiter ad quæ nunc ad replicam respondetur: Certum esse, Deum fidelitate, & veritate in suis promissis acceptasse non modo Christi Domini, verum est nostri, opera in meritum, & satisfactionem, habita tamen utrorumque notabili differentia: Cum quo coheret, & bene, quod in eis servet justitiæ strictæ rigorem in nostris eam, quæ pertinet ad jus proprii depositarii at respectu aliorum operum digniorum Christi Domini, jus Epicheiæ, & propriæ hujus virtutis justitiæ; cumque hæc virtus fundetur necessario in pacto aliquo, & prævia determinatione, impræscindibilis est à fidelitate, & veracitate, ideoque actus illius erit & justitiæ, simulque fidelitatis, qui non in compatibles sunt.

296. Nec contra hoc urget primum, quod in argumentum affertur: Nam omnis injuria talis est, & esse debet, ut eidem offensus non consentiat; nam ex Reg. 27. in in 6. *Scienti, & consentienti nulla fit injuria, nec dolus*; si verò ad justam satisfactionem requiritur consensus offensis, & injuriati, legitime deducitur, quod

attentis naturis satisfactionis, & injuria, impossibilis sit satisfactio aliqua pro injuria, & offensa, quæ fiat ex justitiæ rigore; sed hoc ita esse nequit: Ergo aliquid discurrendum erit ad præsens, & sentiendum: Propter quod dicimus, quod æqualitas in justa compensatione pro illata injuria pensanda est pænes id, quod offertur ad reparandam læsionem, & damnum; si tamen hoc sit condignum, æquale, aut super excedens, & aliunde habeat alia, quæ ad strictam justitiæ desiderantur talis erit satisfactio qualibet. Sic adest in operibus Christi Domini, quæ tantumdem obsequii tribuerent Deo, quantum affectivè peccatum læsserat, immo & superabundanter in materia honoris, & pro dignitate offerentis.

297. Ad ultimum hujus primæ probationis satis supra dicebamus, cæterum pro pleniori notitia addimus, quod ex suppositione divini decreti, & sententiæ Dei Patris, qua filium sententiavit, ut pro omnibus hominibus satisfaceret, & de honore divino læso vindictam sumeret, non potuit non hominem ipsum recipere in gratiam suam, si per ipsum non steterit, nec illi januam vitæ non aperire, aut sua visione privare; nam divina sententia non solum fuit de Verbi Incarnatione, sed & de morte, & tali morte subeunda, deque æterno Patri condignè satisfaciendo, ipsoque placando, &c. cum quo est incompatibilis potentia consequens in Deo ad oppositum determinatam; quodque huic justæ Epicheiæ contrarium foret. Non enim per eam Deus abdicavit dominium super bona gloriæ, & gratiæ, sed magis illud perfecit per suam infallibilem promissionem, & acceptationem filii sui pro nobis.

298. Ad secundum argumenti responderetur: Supposita Mysterii fide, & quod idem Deus sit, qui pro peccatis satisfaciatur, & cui fit satis per opera satisfactoria, adhuc hic est sufficiens aletas, ut salvetur rigor justitiæ in satisfactione exhibenda: Est enim aliud Verbum hominifacium, & aliud ut in divina natura subsistens, sic quatenus homo Deus est passibilis, temporalis, & mortalis; ut in divinitate subsistens, impassibilis, æternus, immortalis: Ecce idem ob diversas na-

turas, quas sinit, & terminat, mortalis, simul, &c. Igitur ob istam naturarum aletatem, idem Deus esse potest satisfaciens, & læsus, aut injuriatus; sine præjudicis tamen veræ, & propriæ justitiæ; & maxime si non sit ea stricta justitia, quæ unicelicit pro commutationibus, & vindictio faciendis, & sine alicujus alterius speciei justitiæ admixtione, qualis est Epicheia, de quo infra hic.

299. Denique quod concludit probatio hæc non multum nos præmit; nam Christus Dominus solvit Deo Adæ debitum ex bonis ipsius Dei creditoris, sed alio modo acceptis, & consideratis in offenso, & satisfaciens: Deus namque ut Deus est, fuit injuriam passus per hominis peccatum; Deus verò ut homo, seu homo factus, fuit satisfactor ejusdem hominis; igitur non satisfecit absolute Christus de bonis Dei ut cumque ditatus, sed his bonis ut in humanitate assumpta elicitis, & patris: quod erat negotium illud, de quo PP. aliqui, quod Christus in mundum veniens pro hominibus egisset.

300. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Filii Dei adhuc ut factus homo, nec est, nec potest esse ad Deum stricta justitia commutativa; siquidem species hujus justitiæ exigit ratione æqualitatis, quam ponit inter partes, esse mutuam: Ergo Dei ad Christum, immo nec ad aliam quamlibet personam, non est locus huic strictæ justitiæ. Probatur antecedens, primò, propter imperfectionem Deo ex eo advenientem, si talis justitia specie teneretur; nam Deo nil æquale ipsi adaptari potest, & maxime pro injuria vindicanda: Ergo. Tum: Quia leges hujus speciei justitiæ, & sunt contra perfectam dignitatem Dei offensa; & improprie etiam sunt ipsius personæ filii, hæredis, & servi, ut jam diximus: Ergo non est cur de hac specie justitiæ cum hac proprietate loqui velimus in Deo ad Christum, & Christi ad Deum.

301. Responderetur ad argumentum, primò per communes doctrinas eorum, qui ejusmodi justitiam commutativam Deo attribuunt in retributione præmiorum, & maxime operum Christi Domini; negando, scilicet, quod ex hac specie justitiæ

Deo adveniat imperfectio aliqua, aut æqualitas cum creaturis; nam æqualitas hujusmodi non desideratur inter personas contrahentes ad justitiam hæc servandam, sed in materia ea pænes quam fiat contractus: Et sic Rex, quia vassallo aliquid iusto pretio emat, servat ad illum veram justitiam hujus contractus, emptionis, & venditionis; unde ad Deum ascendendo, dicere possemus, quod servare potest ad æqualitatem jura meritum cum præmio conferendo, quin ex eo patiat aliquid detrimenti infinitas divina: Nec filius ad Patrem, Pupilli ad tutorem, servi ad Dominum est stricta justitia, in istis tamen rebus, quæ sunt propriæ filiorum, pupillorum, & servorum; cæterum aliunde, & ex alio capiti non inconvenient; ideoque nullius inconvenientis obnoxium est, quod Christus Dei filius, pupillus, & servus, causam hominis peccatoris agens ex justitia satisfaciatur Deo Patri, tutore, & Domino pro injuria sibi ab illo homine illata.

302. Secundò, & conformius ad sententiam D. R. quam supra dedimus ex 4. dist. 1. q. 6. responderetur: Quod sicut in retributione meritum Deus servat rigorem justitiæ commutativæ, non ea, quæ sit propria commutationum, sed alia, quæ pertinet ad jus depositarii; sic & ad eum modum, justitia ea commutativa, qua Deus veluti obligatur ad opera satisfactoria Christi Domini acceptanda, est alia à communi justitia hujusmodi diversa, & quæ fundatur in determinata lege, quæ nimirum dicitur, quod sit orta a virtute Epicheiæ, cujus ratione Deus sententiaverat, ut filius suus homo factus pro homine prævaricante satisfaceret: Tuncque nec obstat æqualitas ad hoc requiritur, nec quod persona satisfaciens sit filius, pupillus, aut servus, ut hac specie justitiæ strictæ satisfacere valeat, cum sit talis per sententiam Patris, tutoris, & Domini.

QUÆSTIO XVII.

Utrum ex rigore justitiæ posset per absolutam Dei potentiam purus homo pro suo, vel alieno peccato satisfacere; & ad minus pro veniali?

303. **C**hristum Dominum plenè, perfecte, & superabundanter satisfecisse pro peccatis Adæ, & totius humanæ vitiatæ naturæ, servata in seut in ejus capite perfectione justitiæ, quidquid sit de hujus apicibus secundum Philosophos speculatis, certissimum est; sicut etiam eadem certitudine tenendum, quod ad istum gradum satisfactionis, & meriti nullus purus homo pertinere poterit per potentiam adhuc absolutam sui, & obedientialem; quia quantumcumque elevetur, & à Deo acceptetur persona ea satisfaciens, ejusque opera satisfactoria, & meritoria perficiantur, semper remanere est necessum intra limites, & veluti cancellos creaturæ: igitur nullus purus homo posset ita Deo satisfacere pro peccatis mortalibus, sicut defacto, & juxta Dei statutum suus filius satisfacit, factus homo.

304. Unde quæstio solum locum habet, meo videri, in substantia satisfactio- nis; num, scilicet, posset Deus sic elevare opera bona puri hominis, ut ea acceptaret in æqualem satisfactionem pro suo, vel alieno peccato mortali? Et hoc duplici via investigari potest, vel attentò valore, & condignitate operis hujus novi hominis, qui pertingere queat ad gravitatem injuriæ offensa, & læsionis Deo per tale peccatum illata: Vel aliter; si Deus per extrinsecam sui acceptationem, & ordinationem sic opera puri hominis valorizaret, ut adæquarent in satisfactio- ne, & merito gravitatem peccatorum; &

in vi hujus divinæ acceptationis diceretur, quod iste purus homo Deo satisfaceret de condigno pro suis, vel alienis peccatis mortalibus. De venialibus aliqua dicemus circa finem hujus quodlibet; & de alio relinquatur ut indubitatum deficere à rigorosa satisfactionis condignitate, semel quod valor operis ortum haberet à divina acceptatione.

305. Assumitur hæc dissertatio hic, ut ex ea detur intelligi, quo pertingat perfectio satisfactionis à Christo Domino pro nostris peccatis exhibitæ; & quod magis ad rem facit, est; ut per istius resolutionem videamus, quam sit necessitas Verbi Divini Incarnati, ut homo lapsus reparetur, redimatur, & ipsi Cœli janua aperiatur? Non immemores, quod ista omnia, quæ Deus in nobis, & pro nobis operatus est per unum mediator: em Jesum Christum, per se immediate, & unice facere potuisset, cæterum pure gratiosè, & omni justa satisfactione prætermissa; quod equidem ad rem præsentem non facit: Ubi agimus deliberatione à peccatis, & eorum pœnis per veram, & adæquatam satisfactionem Deo offenso, & injuriato exhibenda.

306. Pro cujus pleniori intelligentia in primis hic distinguimus, & ubique inter satisfactionem, & meritum; tum quia diversum quid sunt, & ad diversa respiciunt; tum etiam, quia separabilia sunt, & fortè defacto separantur: Satisfactio enim respicit debitum extinguendum in bonis, videlicet, famæ, vitæ, & fortunæ; meritum verò tendit ad præmium pro labore, & operibus conferendum. Ecce diversitas hinc inde: Ideòque in præsentem non quærimus de merito puri hominis; de eo iterum aliqua dedimus tract. 14. q. 6. sed uni è attenri ad satisfactionis quidditatem erimus; & de illa quærimus, si à puro homine exhibitæ Deo, sufficiens sit ad extinguendum totam debitam pro suis, vel alterius peccatis contractam, & insuper ad honorem divinum per talia peccata laesum, reparandum?

307. Supponimus item: Quod non loquamur de puro homine, hoc est, in pura natura constituto, & sine elevatione ad statum gratiæ, & amicitie Dei; nam in illo deteriori statu nil valet nuda natu-

ra, ut Deo pro injuria sibi illata fiat satis; nec in minimo, quanto minus ad æqualitatem, & ex condignos cum summe improporcionata sit pro Dei honore restituendo, quantum distat à gratia natura: Procedimus ergo de puro homine, qui videlicet, sit tantum homo, filius hominis, & non simul filius Dei, ut est Dominus noster Jesus Christus.

308. Antrahimus præterea ab eo, quod homo ille purus esset, vel non ex genere Adæ; vel quod infectus, & maculatus esset peccato saltim transacto, & remisso; nam de homine Deo inimico, & in actuali peccato existente nulla potest esse ratio dubitandi; ut per ultimam potentiam satisfacere Deo pro suo, vel alieno peccato, nec de congruo valeat; cum ejusmodi hominis persona indignissima esset, Deo exossa, & cujusvis acceptationis divinæ incapax. Denique tractamus quætionem, eo jure, quo defacto sentimus de satisfactione per Christum Dominum Deo exhibitæ pro hominis reparatione; ut puta, quod ad sufficientiam sit tantum nobis applicata, & determinata; ut autem ejusdem efficaciam adepti sumus, per nostra opera habemus simul & ejus gratiam in Sacramentis communicatam, in re, vel in voto susceptis: Sic disti currendum venit, non quia necessarium sit pro hoc sistemate, sed quia ex eo clarius apparere possent probationes, & pro utraque parte contendentiũ rationes: Diximus pro utraque parte, quia hic solum de duplici modo sentiendi sermo erit.

309. Non judico adhuc facile, duplicem hunc modum dicendi discernere; & maxime cum in antiquis Theologis, in quibus habemus majorem hujus dubii notitiam, non est una inter eos ratio dubitandi. Quærun communiter pro satisfactione æquali Deo pro peccato mortali à puro homine exhibenda, nec ne? Et in hoc quidam negant totius justitiæ rigorem, immo & condignitatem veluti intrinsecam, cum istud à divina acceptatione adhuc in Christi Domini actibus, quanto magis puri hominis, habeatur; unde consequenter, etiam teneant, quod non est impossibile præfatam satisfactionem integram à puro homine pro peccato Deo

exhiberi, hanc non esse condignam absolute, nec ex rigore justitiæ asserere tenentur. Hæc videtur esse D. Subt. in hoc 3. Durand. Joan. de Medina, Vega in Trident. & aliorum.

310. Alii docent, purum hominem sanctum, & justum sic posse Deo satisfacere condignè, sed non perfectè; quatenus condignitas, & valor operis sui, etsi adæquet gravitatem peccati, non ex se, sed aliunde habet præfatam condignitatem; nimirum vel à Deo acceptante, vel infundente, & communicante ea media, quibus ad condignè satisfaciendum pervenitur: Tribuitur Cajet. super hanc q. D. Thom. in 3. parte, & aliis, inter quos ex nostris Lumb. Lez. Zagal, & latius Vazquez, & Suarez. Nostra enim sententia D. R. præcisè erit, & maxime cum de ea expressè non semel loquatur tum in 3. tum in 4. sententiarum.

311. Conclusio prima: Purus homo quantumvis sanctus non potest Deo satisfacere ex rigore justitiæ pro quocumque peccato mortali. Hæc videtur esse mens D. Thom. est conformior SS. PP. de quo infra conclus. 2. eamque reputo propriam D. R. & ex iis, quæ habet in 3. dist. 20. & in 4. dist. 1. q. 6. & alibi. Sistitque unice in eo, quod etsi in Deo non negemus strictam justitiæ homini servandam; sicut nec hominis ad Deum, ut superius tract. 14. q. 3. dicebamus: Justitiæ hæc in opere satisfactorio puri hominis ad Deum locum habere non potest; & ratio ad hoc faciens præscindit ab inequalitate reperta inter peccatum mortale, & opus meritorium puri hominis; & alio tendit, ut detur locus secundæ resolutioni.

312. Probatumque in hunc modum: Stricta justitiæ hominis ad Deum in subjecta materia, vel esset vindicativa per contrapassum mali, & de qua Arist. 1. Ethic. vel commutativa, tantum scilicet, Deo retribuens, tantum honoris, quantum fuerat per peccatum lassus; sed nulla ex his potest verificari puri hominis ad Deum satisfaciendum pro mortali peccato: Ergo per nullam potentiam dabilis est ea satisfactio ex rigore justitiæ. Major est communiter recepta, & certa, & minor probatur quoad speciem justitiæ vindicati-

cativæ; pro qua supponendus esset homo ille purus ex semine Adæ, ut in ea peccatrice natura (si de hoc peccato loquamur) facta esset vindicta æquivalens; & præterea, quod peccatum capitis non contraxisset, & hoc utrumque impossibile non est: Vel aliter, quod talis homo esset à Deo constitutus caput morale hominum, ut in eo vindicaret peccatum, quod omnes ex alio capite contraxerant. Vel denique, si de hac specie peccati natura non procedat conclusio, homo ille purus satis patiens pro suo, vel pro alieno peccato, per satisfactionem ex rigore justitiæ vindicativæ ab omni deberet esse immunis peccato.

313. Et isto supposito, redit probatio; & sit R. in 7. dist. 20. q. 1. art. 1. d. b. b. b. expressa verba: *In vindicativa oportet etiam tenere medium secundum proportionem arithmetica, ut dicitur 5. & h. cap. 8. Quia in justitiâ vindicativa sit commutatio secundum quam quis contra pati debet; secundum quod nocuit, & læsit: nam in satisfaciendo Patri pro peccato suo esse justum erat, quod peccans è contra pateretur, secundum quod nocuit, & læsit jus Patri: Ergo justum erat, quod apud Patrem sitis vindempro per precium æquivalens, quod non potest fieri, nisi in natura Deo unita: Ergo non potest homo. Probatum consequentia R. ex qua nostra deducta est doctrina: Nullus potest contra pati æquivalens peccato, quod est gravis Dei offensiva in propria natura, quia hæc valde distat in pretio, & æstimabilitate à Dei offensa, & injuria: Ergo quia hæc natura fiat altioris ordinis, in illa non verificaretur contra passio æquivalens peccati, offensa, & injuria: Ergo puro homini talis justitiæ vindicativæ repugnat.*

314. Respondere possunt, qui contrarium teneant; quod in casu possibili puri hominis, Deo non satisfaceret in propria natura, sumpta vindicta ea secundum se, & nuda, sed gratiæ, & divinæ acceptatione vestita: Quomodo non est improporcionata ad vindicandum in se Dei injuriam; sicut nunc defacto: De severe penitentibus, ac contritis, & quasi suorum offensionum vindicibus, promississet veniam delictorum, suæ iræ everisionem, & alia quam plurima, quæ totius cul-

culpæ, injuriæ, & Domini offensæ remissionem indicant, adhuc pœnæ æternæ, & aliquando temporalis condonationem; sed hoc totum debetur pœnitentiæ, quæ pars justitiæ est, saltem potestativa, & ad vindicativam reducitur: Igitur quod hic defacto habetur per gratiam, suppositis Christi Domini meritis, posset de possibili haberi à puro homine ejusdem gratiæ vigore. Sed contrastit:

315. Ea natura possibilis, & per gratiam Dei elevata, & proportionata, ut in se sumeret justam vindictam pro offensa Domini vindicanda rigorosa hæc species justitiæ, non haberet in eo eventum ex se, & in se proportionem eam desideratam ad talem justitiam vindicativam in se complendam, & perficiendam: Ergo non satisfaceret Deo pro peccato per justitiam hujusmodi, sed sumpto à Deo ipso valore in satis patiendo, suum jus læsum vindicaret ad æqualitatem. Tota hæc ratio, vel resolutio in uno sistit, & est illius ratio fundamentalis, quam affert R. in 4. dist. 1. q. 6. art. 2. *Contra hoc arguit, quod dicitur Joann. 1. De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia; ut Aug. exponit ibi; ex quo infert, quod nulla creatura ex rigore justitiæ habeat sibi Deum debitorem; & nos cum eo D. R. quod propter hoc, nec sit possibilis hæc species vindicativæ justitiæ, & minus alterius commutativæ; nisi eo sensu, de quo tract. 14. q. 3. & hic q. præcedenti.*

316. Conclusio secunda: Purus homo de quocumque originem trahat, & adhuc a Deo creatus in statu gratiæ, immo si dabile esset, quod esset in sua substantia supernaturalis entitatis, per nullam potentiam satisfaceret Deo condignè, & ad æqualitatem pro suo, aut alieno peccato mortali. Est expressa R. in 3. & 4. citatis; est etiam D. Thom. specialiter in eo 3. dist. 20. q. 1. art. 2. quem sequuntur recentiores Thomistæ: Eam expressè habet B. Egid. eodem 3. q. 1. Pluresque alii DD. gravissimi, etsi in medio illius probativo non satis conveniunt. Nam aliqui eam probant confundentes condignam arithmeticam satisfactionem cum satisfactione exhibita Deo ex rigore justitiæ: cumque Deus nulli creature teneri possit, & obligati ex hac justitia, à

nulla creatura potest exigere condignam satisfactionem. Hocque confirmare posset per doctrinas datas ex R. quibus, quia eis assentiunt, libenter admittis.

317. Nunc dicimus, quod diversum quid est, Deo condignè satisfacere, & insuper ex rigore justitiæ; ad primum enim requiritur, quod tanta sit dignitas, & valor operis satisfactorii, quanta gravitas injuriæ, & læsionis: Ad secundum ulterius desideratur, quod hoc esset ex propriis, & alias non debitis, & in quibus non interveniat gratia, & condonatio creditoris, & alii, quam plures apices proprii strictæ justitiæ; sed primum illud potest stare sine hoc secundo: Ergo & condigna satisfactio, quæ non sit de rigore justitiæ. Assumptum convincitur: Tum in meritis æternæ mercedis secundum divinas promissiones, quæ ad hæc sunt condigni, quia æqualia, non vero ex rigore justitiæ, de qua hic, meritoria. Præterea probatur ab ipsa rei quidditate: Nam æqualitas in satisfactionibus attenditur pœnes valores honoris, vel pretii exhibitæ: Justitia vero addit, quod ulterius requiratur, proprietas, & veluti Dominium in illo; ergo aliud, & aliud sunt: Ergo ex hoc, quod purus homo non posset satisfacere ex justitia, non sequitur, non posse ex condigno.

318. Alii probant conclusionem per differentiam, quæ adest inter læsionem Dei habitam per peccatum, & honorem à pura creatura Deo præstitum pro ejus æquali satisfactione; liquidem hic semper esset inferioris ordinis quantumcumque crescat, supra valorem injuriæ; liquidem honor hic esset puræ creaturæ, injuria vero Dei: Ergo nec per ullam potentiam esset dabilis æqualitas inter hujusmodi injuriam, & satisfactionem. Et hæc ratio placet: Nam non satis probatur, quod honor cujusque creaturæ Deo præstitus sit deterioris condignitatis ad peccatum, nisi ut in probatione affertur; sed ex ea non modo convincitur superioritas in offensa Dei, sed & magis infinitas; quam in peccato vitare tentant; & de hoc nos infra: Ergo non probat facta ratio.

319. Aliter alii DD. supponentes pec-

peccatum non esse infinitum in ratione offensæ, immò & pro viribus assentes, nec esse propriam Dei injuriam, sic probant istam met conclusionem: Per peccatum mortale constituitur homo in statu indignitatis cujusvis vocationis, & auxilii congrui: Ergo quin gratiosè hoc debitum Deus remitteret, & condonaret, cum nullus opus bonum posset facere in obsequium Dei, vel pro se, vel pro alio peccato re, quia eodem debito essent obstricti; atque condonatio hæc præcedens ad quamlibet satisfactionem obellet, ut esset condigna pro peccato mortali: Ergo numquam esset possibilis pura creaturæ; cum principale debitum per peccatum contractum esset à Dei favore extinctum.

320. Sed etiam hic modus discurrendi displicet; primò: Quia etsi ratio probaret contra assentes, quod quis posset pro peccatis propriis satisfacere, non tamen si agatur de satisfactione exhibenda Deo pro alieno; & est ratio; quod homo ille sic posset à Deo creari, ut nulli crimini esset obnoxius, & totius debiti solutus: Ergo etsi alteri pro quo satisfaceret, esset à Deo debitum aliquod condonatum, ut ad gratiam Dei posset restitui, hoc haberet vel per merita alterius hominis possibile, vel in quantum per sua opera in honorem Deo exhibita, tantumdem Deo tribueret honoris, quantum sufficeret, ut ipsi fieret satis pro toto debito hominis peccatoris extinguendo. Secundo; & torrè ad rem magis: Etsi Deus illi homini puro aliquid condonaret, ut posset in opera satisfactoria, adhuc essent talia de condigno; etsi non ex justitia: Ergo semel possibile, quod purus homo posset facere opera æqualia gravitati offensæ peccati mortalis, posset pro eo condignè satisfacere; quamvis Deus ipse illi tribueret gratiosè quidquid illi deficeret, vel de virtute, vel de elevatione, &c. ad ea opera patranda; de hoc satis hic; & alibi supra aliquid adjiciemus.

321. At, quicquid de hoc sit, primò probatur conclusio aliquorum PP. sententiis; sic enim ait Amb. super 9. ad Hæb. *Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non*

possemus aliquando, nisi unigenitus filius Dei moreretur pro nobis. Ubi advertas est necessarium, si non possemus. N. Cirill. Lib. de fide ad Regin. Pretium pro universorum peccatis nequaquam sat magnum fuisset, si purus homo tantum extitisset: Igitur pretium magnum, hoc est, condignum, nequaquam posset purus homo offerre pro peccatis unius hominis, vel omnium, quod in idem facit. Denique Basil. in Ps. 48. Non homo nudus (lege purus) sed homo Deus, Jesus Christus, qui solus pro nobis omnibus propitiationem dare potest: Ergo solus homo Deus potest satisfacere pro peccatis hominum: Ergo nullus homo, qui Deus non sit, potest. Contradictoria sunt.

322. Probatur secundo conclusio unica, & fundamentali ratione, quæ est expressa in R. in 3. & 4. sentent, & eadem, quam afferunt locis supra citati DD. Ang. & B. Egid. & est in hunc modum: Ad satisfactionem condignam requiritur æqualitas arithmetica inter opus satisfactorium, & læsionem, vel injuriam, & offensionem, sive damnum offensæ illatum; sed nullum opus, quantumvis excelens, puri hominis posset tali æqualitate arithmetica gaudere cum injuria, & offensa Deo irrogata per peccatum mortale; ergo nec ulla dabilis est pura creatura, homo sit, aut Angelus, quæ pro cujusque peccato mortali satisfacere valeat Deo de condigno. Major est certà apud omnes, & minor probatur: Injuria, offensa, damnum, sive læsio, quæ Deo per peccatum mortale irrogatur, est æstimationis in se, & intrinsecè, ac veluti subjective infinita; sed hujusmodi infinitatem, & ut hæc est, nec habet, nec habere potest opus satisfactorium cujuscumque creaturæ: Ergo nec ea gaudere æqualitate requisita ad condignam satisfactionem pro peccato mortali.

323. In hoc syllogismo sistit totavis; & pondus probationis, idèdque in ejus qualificatione aliquid immorandum convenit; unde major, quæ est totum resolutionis, à nobis ut certa statuitur, de qua dabimus sufficientes probationes, quando devitiis, & peccatis sermo venerit pro nunc contenti erimus cum hac communi ratione: Peccatum accipit suam gravitatem à persona offensa, ita quod

illa crescat, quanta hujus fuerit dignitas, & altitudo; sed dignitas personæ ceteræ per peccatum mortale infinita est: Ergo & gravitas peccati, & offensæ Dei. Major accipitur à Philosophis, & specialiter Arist. 5. & 8. Eth. ubi docet, quod sicut honor est in honorante, & tantummetur, quanta sit præstantiæ persona honorans, sic injuria est in persona injuriata, & ab ea habet suam gravitatem, & talis sit dignitatis, qualiter cresceret autoritas personæ offensæ: Ergo si persona offensæ, ut Deus, infinita est, nec in se erit injuria ipsi irrogata per peccatum.

324. Ulterius: Sicut opera ea, quæ Christus elicit, infinita sunt moraliter, & in valore, ac æstimatione, quia videlicet suppositum ea ut quod eliciens se habet ut forma, à qua oritur ejusmodi infinitas in valore; sic & ad hunc modum licet discurre in offensæ, & injuria, quæ per peccatum Deo irrogatur; nam ab eo tamquam à subjecto, in quo est, & recipitur moraliter, & quod afficit, debet eandem accipere gravitatem, ita quod peccati injuria se habeat ad Deum offensum, ut forma, Deus vero, ut illius subjectum, quod offensum denominatur; sed subjectum, & forma proportionari debent: Ergo tanta erit gravitas formæ, quanta dignior persona, & substantia offensæ; sed hæc est infinita: Ergo & illa.

325. Minor illa syllogismi principalis etiam constat: Siquidem opus cujusque, adhuc sanctitatis præexcellens, non habet, nec habere potest infinitatem eam, quæ peccati mortalis injuriæ correspondet ad æqualitatem: Ergo nec per illud poterit Deo fieri satis condigno. Antecedens probatur: Nullum opus puræ creaturæ potest habere in se moralem infinitatem in æstimatione, & valore; nam Deus, ad quem respiceret, solum se haberet ut terminus, vel objectum illius, & tamquam quid illi extrinsecum, finitoque modo actum: Ergo non haberet, à quo oriretur ea intrinseca infinitas in opere satisfactorio creaturæ puræ, scilicet, nec ut forma, aut illius subjectum, quæ sunt rerum intrinseca principia, sicut de operibus Christi Domini, &

injuria peccati mortalis dicebamus.

326. Ad hanc probationem responderent contrarium tenentes, non categoricè convinceres; nam assumit pro medio, quod adeo, immo & magis obscurum, & dubium, ac minus probabile est, prætereaque ad rem aliam pertinet; igitur non bene concludens, & probans: Nam major syllogismi, qui est totum continens resolutionis, sistit unice in infinitate morali propria, & veluti intrinseca injuriæ & offensæ; sed hoc est adeo dubium, & probari debet: Ergo & probari medium, quod assumitur, & sic extra rem nostram necessario agendum, & procedendum erit, & nunquam ad finem nostræ resolutionis pertingemus. Optima solutio, & forte contra nostram conclusionem, cui breviter dicimus, & eam sic instamus: Quando antecedens infalibilibiter cum consequenti connectitur, & aliter esse non possunt, non apparet medium aliud probativum consequentis, quam unum, & idem antecedens; sed infinitas peccati ita connectitur cum impossibilitate puræ creaturæ satisfactionis pro ejus injuria, & Dei offensione: Ergo uti necessum est eo medio, & aliud possibile non est. Nunc sublimimus, sed quando res ita se habet, non est inconveniens, quod insolentia adducatur: Ergo ea nullius est vigoris, & parum urget: Et si ad aliud deveniatur semper concluderet ad intentum conclusionis.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

327. **P**rimo arguitur contra secundam conclusionem; idem enim fieret contra primam, cum ea, quæ urgent in eam æquè faciunt ad illam: Ideo purus homo nequit Deo de condigno, & ad æqualitatem arithmeticam satisfacere pro quolibet peccato mortali, quia hujus malitia, et si in se æquari posset actibus satisfactoriis puræ creaturæ, in linea tamen injuriæ, & offensæ Dei in infinitum supercrescit respectu cujusque operis satisfactorii creaturæ; sed hoc non est adeo verum: Ergo nec

nec medium conclusionis probativum. Major est nostra, & communis doctrina, minor, in qua est difficultas; multipliciter probari potest, pro nunc sufficit, primo: Quia supponitur falsum; siquidem malitia peccati est quid aliud distinctum ab injuria Dei, & offensæ; nec insuper, peccatum mortale ex sua natura est verè, & proprie offensæ Dei: Ergo undecumque corrumpit totum fundamentum conclusionis assertæ.

328. Probat hoc primum: Peccatum mortale malum est in se, quia Dei injuria, & offensæ; est etiam Dei offensæ, & injuria, quia malum; talimodo formaliter ad convertentiam dicuntur: Ergo solum nomine distinguuntur, & formaliter idem sunt; ut verificatur de omnibus prædicatis, quæ sic ad convertentiam dicuntur: Ergo in idem conspirant: Ergo si peccati malitia finita est, & proportionabilis actibus satisfactoriis operum creaturæ, ita erit sub ratione injuriæ, & offensæ: aliterque nec essent convertibiles, nec miruo prædicabilis. Secundum hujus primæ probationis convincitur: Nam peccatum solum opponitur alicui ex virtutibus juxta suam speciem: Ergo solum esset injuria, si jus Divinum laderet &c. sed nec laderet, nec potest laderet: Ergo nec esse Dei offensæ, de hoc nunc immediatè.

329. Secundo probatur illa minor: Peccatum ideo supercrescit ita infinitè super actum puræ creaturæ, quia infinitum in ratione injuriæ, & offensæ Dei est: sed unde hoc probetur, non apparet: Ergo. Major est certa, & minor probatur; tum: Quia infinitas est Dei attributum, ac de nullo alio prædicabile; tum: Quia esset taliter infinitum, quatenus Deum laderet in suis bonis, & est veluti ipsius privatio, & hoc est, esse Dei offensam, & injuriam; sed nec Deum laderet potest in suis bonis: Ergo nec esse illius offensæ, & injuria, si terminis propriis loqui velimus. Minor probatur: Peccatum omnia præterata solum affectivè habet, non verò effective; & sicut per oppositos actus, & specialiter dilectionis, & amoris nil Deo irrogatur, nisi extrinsecè, & denominativè, quia illi bonum solum affectivè desiderant, æquè

jure discurrendum est de laesione, & injuria per peccatum illata; sed hoc esse non potest propria injuria, & offensæ Dei: Ergo ita est: Ergo nec in se infinita.

330. Respondetur ad argumentum, & per prius advertendum erit, quod triplici ex capite potest hæc nostra conclusio urgeri primo si concludatur, quod peccatum mortale non sit ita proprie injuria Dei, ut in se, & simpliciter sit infinita. Secundo si, casu dato, quod taliter consideretur, posset pro ea æquivalens Deo retribui per actus excellentes puræ creaturæ. Vel denique si Deus sua absoluta potentia posset sine contradictione elevare ad talem gradum actus super nos puræ creaturæ, ut ad eandem pertingerent infinitatem, & hoc modo proportionentur, ut de condigno posset esse in eis satisfactio pro peccatis.

331. Nunc ad primam primæ probationis minoris principalis, dicimus: Quod certe aliud est malitia moralis peccati, & aliud formalitas injuriæ, & offensæ Dei, sicut aliud est conversio ad bonum commutabile, & aliud est aversio, sive à Deo recessus; primum respicit objectum delectabile, & legi consonum, ad quod accedit peccatum secundum Deum summum bonum, à quo recedit; per primum habetur species peccatorum, & eorum discretio, & differentia; in secundo verò omnes æquè conveniunt; nec est in eis magis, & minus: Primum, quia respicit objectum quomodolibet, mensuratur per ejus tendentiam, & respectum, & connaturam peccatoris, & hæc omnia cum finita sint, & limitata, solum finitam constituent peccati speciem & malitiam.

332. Aversio verò, & recessus a Deo subindunt conditionem privationis, ad modum quo accessus ad terminum ad quem in motu locali quid positivum dicit; recessus verò a termino à quo illius motus negationem dicit, & generaliter proprius terminus à quo est hujusmodi ad illum ferre modum discurrendum licet de aversione à Deo propriissima cujusque mortalis peccati; est ergo negativum quid, & privatio summi boni, & quia privationes hujusmodi mensurantur per

formas, quibus privant, idè hæc averſio à Deo pro illa via adhuc infinita dicitur. Nec ex illa mutua prædicatione, & convertentia bene inferitur, quod formaliter ſint idem; ſed quod ſine neceſſario connexa, & inelle, & prædicari, ſicut inferè infinitis exemplaribus videtur: Ergo non apparet ratio convincens illam formalem identitatem malitiæ, & offenſæ in peccato mortali: Ergo poſſet eſſe malitia limitata, ſtante infinitate in offenſa Dei, ut talis eſt.

333. Item reſpondetur ad primam ſecundi probationem: Quod Deus ſolus infinitus eſt phyſicè, eſſentive, & in linea perfectionis, & hujusmodi infinitas nulli præter Deum convenit, nec convenire poſſet. Peccatum autem ſi infinitum eſſe aſſeritur, eſt moraliter in linea privationis, & denique non in-eſſe entis, & perfecti; ſub quibus acceptationibus non modo cum Deo non convenit in infinitate, verum & hæc Deo ipſi undequaque repugnat. Conceditur enim, & de peccato hujusmodi infinitas prædicatur quia verè, & propriè Dei injuria, & offenſa eſt; ut communiter dicunt ſancti ex ſcripſis litteris, & Conciliis; & non eſt unde non debeant in ſenſu proprio accipi; cum in quolibet peccato mortali videamus non ſolum violatam virtutem eam, cui contrariatur, ſed & maximè, juſ divinum læſum, & inſuper naturale, ut ſapientius legitur in R. diſt. citatis, & quid eſt aliter injuriam irrogare, & ipſum offendere, niſi juſ ſuum violare? Quid, inquam, ſuam juſtitiam lædere, niſi jura ſua illaſa non conſervare?

334. Per peccatum ergo, & per Dei dilectionem utrumque facimus, & ipſi irrogamus injuriam, & honorem exhibemus; & utrumque eſt in re, & in entitate affectivum, quia nil poſitivum, & reale Deo derogatur per peccatum; ſicut nec ipſi accreſcit de dignitate bonitati divinæ per noſtri amoris exhibitionem; at ſi mortaliter loquamur, ut in præſenti materia ſic debet eſſe, aliter res ſe habent; nam per amorem nil intrinſecum ponimus in Dei bonitate, ſed purum extrinſecum cultum, & honorem, quia hic eſt in honorante; per peccatum autem, quia injuria Dei eſt, & offenſa, & hæc ſubjeſta-

tur in persona injuriata, Deo ad fertur moraliter intrinſecè, & veluti ſubjeſto talis moralis intimationis injuria illa, & offenſa, vi cujus, & Deus dicitur intrinſecè offenſus, & quantum offendibilis eſt, & ideo erit offenſa infinita, quia & Deum infinitum afficit, & infinite offendit: Et per hoc pro nunc ſufficienter ad dicta in primo argumento.

335. Secundò arguitur pro ſecunda via arguendi contra noſtrum aſſumptum: Eſt connaturaliter loquendo, & attenda virtutè Dei ordinata, per actus puræ creaturæ Deo ipſi non poſſet fieri ſatis pro peccato mortali, qua propter in vi præſentis decreti neceſſaria fuit Divini Verbi incarnatio ad plenam, & perfectam ſatisfactionem pro illo, ſi tamen loquatur juxta divinam abſolutam potentiam, aliter poſſet eſſe; nimirum, quod Deus ita extolleret proprios actus puræ creaturæ, ut infinitati peccati æquivalent; ſed tunc per illos ſatisfaceret Deo pro mortali peccato de condigno: Ergo ita poterit ſecundam illam potentiam. Major probatur: Infinitas peccati mortalis eſt tantum moraliter, & prudenter exiſtimata talis: Ergo poterit per actus puræ creaturæ de poſſe Dei abſolutò pro illo reddi æquivalens. Antecedens eſt certum & conſequentia probatur;

336. Primò: Actus honeſti creaturæ ſatisfactorii ſunt, & meritorii præmii ſupernaturalis, non ex ſua natura, ſed divina promiſſione, & acceptatione; ſed Deus ſua utendo abſoluta potentia poſſet actus meos acceptare taliter, & ita extollere ut infinito præmio ſint digni, & pro infinito peccato ſatisfactorii: Ergo in vi hujus abſolutæ potentie poſſet reddi æquivalens à creatura pro peccato. Probatur minor: Nam in primis non implicat, quod Deus faciat æquari finitum in re cum moraliter tantum infinito; ſiquidem, ſua acceptatio faceret in actibus illis, quod facit prudens æſtimatio in peccati gravitate: Ergo non implicat, utrumque enim morale eſt. Poſtea: Æquè diſtat ſupernum à naturali, ſicut infinitum morale à finito in entitate; ſed Deus tali modo per ſuam omnipotentiam facere poſſet, ut actus naturales acceptentur ad præmium ſupernum: Ergo poterit etiam

ac;


acceptare actum finitum, ut ſit condignè ſatisfactorius pro moraliter infinito. Et hæc eſt ſecunda probatio principalis illius conſequentie.

337. Reſpondetur ad argumentum, negando majorem, ad cujus probationem negata conſequentia, ad ejus primam probationem libenter concedimus: actus creaturæ honeſtos ſolum ex divina acceptatione, promiſſione, vel meritorios eſſe poſſe, & ſatisfactorios; ſimulque tenemus, & alio modo non eſt concepitibile, infinitatem peccati talem eſſe in linea morali, & quatenus prudenter ita eſſe exiſtimatur, negamusque, quod propter hoc poſſet Deus facere æquivalens quoddam pro peccato in noſtris actibus excellentibus; nam quantumcumque perfectiantur, & eleventur, non appareret in illis aliquid, cujus ratione in eis prudenter exiſtimaretur infinitas; ſemper enim in illis conciperetur formalitas creaturæ; non ſic de peccato diſcutimus; nam hoc, ut injuria eſt, & offenſa Dei, Deum ipſum habet pro ſubjeſto, & hujus affectionis ratione in illo prudenter exiſtimatur infinitas.

338. Hucusque perſtingere poſſet Dei promiſſio, & acceptatio in actibus creaturæ puræ, & ad infinitatem moralem numquam accederent; totum fundatur in eo, quod acceptatio, & pactum Dei nil illis ponit, aut ponere poſſet intrinſecum, in quo ea moralis infinitas fundari poſſit; nec per modum formæ intrinſecè, nec ut ſubjeſtum, quia utrumque implicat: Ergo & quod eis actibus ea infinitas adaptetur: Totum conſtat per hoc; quod Deus acceptans præfatos actus creaturæ non eos conſtituit tales intrinſecè, nec ipſi Deum afficiunt, ſed unicè ad ipſum terminantur: Ergo nec Deus eſt eorum forma, nec ſubjeſtum, aut materia. Ultimum argumenti parum urget: Nam ſi naturales actus, quos Deus acceptare poſſet, ut meritorios præmii ſupernaturalis, non quia naturales, vel ut naturales, eſſent ſatisfactorii, & meritorii, ſed ut elevati in vi prædictæ acceptationis; quod non habet locum in præſenti, cum numquam, ut dicebamus, actus finitæ creaturæ poſſent ad infinitatem elevari, ut ſatisfactioni infinite adæquarentur.

339. Tertio arguitur pro tertia via: Deus poterit ſua abſoluta potentia contrahere infinitatem in actibus honeſtis puræ creaturæ: Ergo poſſet per eandem potentiam facere, quod ſunt ſufficientes ad condignam pro peccato mortali ſatisfactionem. Antecedens probatur: Deus poterit facere infinitum in actu, in numero, qualitate, &c. ut eſt Doctrina R. quam & nos tenemus, & aliquando docuimus: Ergo poſſet eandem infinitatem facere in ratione ſatisfactionis, cum hæc non ſit in entitate, aut ſimpliciter undequaque talis.

340. Reſpondetur concedendo tale infinitum poſſibile in quantitate, & qualitate, de quo non ſequitur repugnantia, quia eſſet ſecundum quid infinitum; ſi autem Deus faceret eam infinitatem adæquatam infinitati peccati mortalis, faceret infinitum in actu ſimpliciter tale, in eſſe entis, & poſſitive; nam peccati infinitas eſt talis ſimpliciter ſumpta à Dei offenſa, & injuriati infinitate; ſed hæc eſt talis ſimpliciter, licet moraliter: Ergo & illa: Unde ſi huic adæquarentur actus puræ creaturæ non ſecundum quid, ſed ſimpliciter eſſent infiniti; & hoc facere non poſſet Deus, quia implicat infinitum poſitivum, & in entitate. De peccato verò alia pauca dicendum cenſeo, cum hoc genus peccati non ſit gravis Dei injuria, nec ipſius læſio, nec privatio ſummæ, & infiniti boni: Ergo non habet, à quo ſumeret infinitatem; ſed motivam unicam quare purus homo non poſſet pro mortali ſatisfacere, eſt infinitas: Ergo hæc deficiente, ad contrarium tenemur.



QUÆS;

QUÆSTIO XVIII.

De merito Christi respectu sui,
Angelorum, & hominum.

341. **O**portet, ut quod familiarum tractatus: Egimus de Christi Domini satisfactione, immediatè nunc de ejusdem excellentibus meritis acturi; & quia plura de his dedimus aliis in locis, & specialiter tract. 14. & non pauca residua sint investiganda, prius de eis dividendo, ut aptius postea definiendo, differendum erit. In merito enim sciendum est, quis, cui, quid, quomodo, & quando exerceri debeat, vel possit? De primò, & secundo in presenti quodlibeto erit nostra resolutio, ut locum demus ad extensionem pro aliis stabiliendis, & firmandis.

342. Quis mereri possit hic inquirendam venit, hoc est, si Christus Dominus verè, & propriè meruerit; vel an meritum formaliter dicatur de Christo Domino? De hoc expressè DD. Theologi antiqui, & recentiores, tum in 3. sentent. cum 3. part. summ. D. Thom. & inter eos N. R. ibi dist. 32. q. unica; & antèquam ejus mens aperiatur, recolendæ sunt doctrinæ, quas de merito dedimus tract. 14. per tot. & quia sunt hujus 4. tom. non reproducimus; solumquæ ad notare præcedimus illam divisionem supra tactam meriti, scilicet, in actu primo, & secundo, ut presenti instituto utilissimam; de qua solum meritum in actu secundo præ oculis habendum judicamus, quatenus de actu primo, quod præcisè consistit in condignitate, proportionè, seu coaptatione operis, & laboris cum præmiis, & mercede, nulla se offerre potest difficultas, signanter ad Christum Dominum relata.

343. Præterea convenit repeterè conditiones ad proprium meritum prævias, et si improbatas relinquamus, quia in eas omnes DD. conspirant; prima est libertas in opere; secunda, bonitas, & honestas illius; tertia, itatus viæ in operante, & supernaturalis, & habitualis sanctitatis ornato, insuperque actualis, aut virtualis ordinatio ad præmium obtinendum; pro ultima solet assignari promissio, pactum, & Dei acceptatio, & maximè si agatur de merito in actu secundo, & exercito considerato. Hæ quæ de merito in sua generali acceptione dicuntur, de Christi prædicati est necessum, semper ac meritum de ipso asseratur in proprietate Verborum; nam si deficiat ad hoc, non habemus difficultatem, nec questionem habemus.

344. Supponendum est, ut titulo proposito fiat satis, quod meritum ex sua ratione est cujuslibet, & in ordine ad se, juxta quod Paul. 1. ad Cor. 3. dixit: *Unusquisque propriam mercedem accipiet, &c. & secundum proprium laborem.* Unde aliis mereri, vel est idem ac impetrare, vel impropriè loqui, aut denique posse, & in actu primo, ut supra innuimus tract. eo 14. citato; nisi aliunde aliter Deus statueret & pascisceretur, maximè si constitueret aliquem caput morale aliorum, ut forte Adam fecisset, si gratiam, & justitiam non amisisset, vel ad minus posset, si de hoc cum eo conventum fuisset, de quo non habemus notitiam: Certè de Christo Domino scimus, & credimus, caput esse totius humani generis, immo suo modo possibili Angelorum in eosque influere tamquam in membra proprias de quo inferius.

345. Conclusio prima: Christus verè, & propriè meruit per suos actus. Est communis, & quoad rationem meriti ut sic, præscindendo ab illis prædicatis correlativis, & limitativis, de fide constat per Trident. Sess. 6. cap. 7. deducitur ex sacris litteris, et si non terminantibus expressas probarique posset iisdem testibus, sed de his infra, nuncque ratione ista probatur, primò: Opera Christi Domini dignissima sunt, laudabilia, ut in plurimum, supernaturalia, & omnia in Dei obsequium elicita; sed hoc

hoc est esse meritoria, saltem in actu primo, nam de actu secundo dicemus, cum sigillatim ea ad determinatum præmium: Ergo ita sunt meritoria præfata opera. Secundo probari posset eadem conclusio: Nam hoc, quod in creaturis dignitatis, & honoris concipitur, Christo, ut capiti concedi par est, & perfectior, ac superexcellenti modo; sed meritum dicitur de creaturis, ut prædicatum dignius: Ergo potiori jure de Christo, per Christum, & in Christo Domino.

346. Tertio, & est speciale hujus conclusionis, & coincidit cum immediatè dictis: Ea propriè, & strictè prædicantur de aliquo, quæ secundum suam quidditatem, & essentialitatem de eo dicuntur; sed nil imperfectioris, aut dedecoris esset in Christo, quod hæc ratio meriti, quæ de illo dicitur, esset talis secundum suam essentialitatem, & quidditatem: Ergo sic verè, & propriè de Christo Domino dicitur. De majori non est difficultas, minor verò probatur: Meritum secundum sua prædicata specialia dicit condignitatem operis superni ut in Dei obsequium, & honorem fiat; sed est Christi non modo proprium, & perfectionem dicens, verum & proprium inunus Redemptoris meritorium opus, ut in sacris litteris exhibetur, & legitur: Ergo non apparet in contrarium aliquid, quod sit contra assertum nostrum, & proprietatem verborum.

347. Secunda conclusio: Valor meritorum Christi est de condigno tale ad quodcumque præmium comparatur. Est certè vera, & indubitabilis resolutio, deduciturque ex dictis, & amplius dicendis, & per eam constat, nullum in Christo Domino liberè concedi meritum de congruo, quidquid sit per aliam potentiam extraordinariam loquendo. Sicque probatur: Meritum operum Christi Domini vel comparatur ad præmium sibi correspondens, si forte aliunde non congrueret, vel ad creaturarum, quarum caput est, est condignum, æquale, & superexcedens; sed de hujusmodi meritum est tale, & non de congruo: Ergo de condigno. Minor probatur: Meritum hujusmodi præcisè debet comparari ad propriam gloriam,

donæ, gratias, dotes, & reliqua, quæ sunt propria anime, aut Christi Domini Corporis; alias nondum possessa, & habita, ut infra, vel præterea similiter ad Angelorum, & hominum, sed ad omnia hæc dicit æqualem, & superexcellentem condignitatem, & acceptabilitatem: Ergo totum illorum operum meritum condignum est: Ergo hoc unico modo meritum Christi Domini accipi potest.

348. Conclusio tertia: Meritum Christi Domini est valoris simpliciter infiniti; resolutio eadem judicatur cum ea, quam de ejusdem Christi Domini satisfactione dedimus; licet non desint, qui alio, & alio modo sentiant de valore satisfactionis, & meritorum Christi, à quo pro nunc abstinemus; quia est satisfactio, & meritum in hac subjecta materia adhuc suas habeant diversas quidditates, quoad valorem in idem necessario convenire censemus, quorum hæc est ratio, & hujus conclusionis probativa: Eadem persona Divini Verbi, a qua est infinitus valor Christi Domini pro satisfactione peccatorum Deo exhibenda eadem est principium, quod sit meriti elicitivum, & moralis prima causa sui valoris: Ergo utriusque infinitus est valor, cum Persona eo modo infloat, & sit principium, & in satisfaciendo, & immerendo: Ergo eadem est utrobique ratio.

349. Contra alias conclusiones argumenta, quæ fieri possunt, suam locum habent in quodlibetis sequentibus, idèque duo se offerunt contra istam tertiam: Primum est: Quod valor meritorium mensurari debet pænes divinam promissionem, & acceptationem; sed nec infinita est acceptatio, nec datur motivum, ob quod stabiliatur: Ergo talis valor infinitus non est. Major patet: Nam meritum dependet essentialiter ab hoc divino pacto, & promissione: Ergo ab hoc erit mensura suæ dignitatis, & valor. Minor etiam probatur, & est secundum argumentum, quod contra conclusionem fieri potest: Meritum est tale per ordinem ad præmium; sed non est infinitas aliqua in præmio, quod operibus Christi Domini respondere queat: Ergo nec est mo:

motivum aliquod infinitatis valoris eorum.

350. Ad primum primò respondere possumus, non negando valorem hujusmodi haberi in meritis Christi secundum aliquid à divina acceptatione; cumque hæc sit ipsius Dei immensurabilis, & infiniti, non habemus, à quo limitari possit, ut non bene se habeat cum ea morali infinitate, quæ propria est operum Christi Domini. Secundò respondetur. Quod acceptatio ea, & promissio Dei non tribuit valorem, & condignitatem in operibus Christi ad merendum, sed supponit, & iis præhabitis valore, scilicet, & condignitate in talibus operibus, medio illo pacto, proficiunt actu secundo, & exercito, vel insatisfactionem, vel etiam ad præmium obtinendum. Tertio denique dicere possumus, quod hic loquimur de valore meritum Christi in actu primo, ut autem exercitè, & ut applicata considerantur, finito modo fortiuntur suum effectum, in ordine, scilicet, ad præmium finitum. Infinita enim virtus requiritur ad creandum, sed hoc est præsuppositivè, ceterum huic non obest, quod finito modo exerceatur; & per hoc secundum solves.

QUESTIO XIX.

An, & quid mereatur Christus Dominus sibi, Angelis, & hominibus?

351. **E**Xploratum habemus merita Christi Domini, quia infiniti valoris, & condignitatis sufficere pro præmio sibi possibili, & adhuc Angelorum, & hominum, immo & defacto applicari, à Deoque acceptari pro iis, quibus possibilia sunt, suo cujusque ordine, & proportionem; sic pro se, pro homine, & præterea pro Angelis promissa leguntur in sacris litteris, quod, quia non est

adeò expressam in eis, in quæstionem vertitur, si eo jure, quo pro hominibus descendit de Cælis, & homo factus est, ipsis Dona dedit, & meruit, sic & Angelis pariter, vel sibi ipsi aliqua ex illis Dona promeruisse? De his in & sub eodem titulo quaritur, quia in eandem conspirant rationem, quoad an est, etiam diverso modo se habeant quoad quid est eorum. De his breviter, etiam variis conclusionibus.

352. Conclusio prima: Christus Dominus meruit sibi, non Dona gratiæ, & gloriæ, sed sui nominis exaltationem, carnis resurrectionem, triumphum suæ gloriolæ Ascensionis, & alia hujusmodi. Est communis in DD. habeturque expressa in R. loco citato, & licet plura contineat, nimirum, quod meruit, quid meruit, & quid non? Uno vel altero sufficienter probato, & primum manet stabilitum; unde primum probatur in hunc modum per rationem R. ibi: Quid quid est perfectionis in homine puro, fuit perfectè in Christo Domino; sed posse mereri bonum, quod non habetur, fuit perfectè in homine: Ergo hoc erit in Christo. Atqui plura sunt bona, quæ Christus Dominus aliquando non habuit, ut puta, impassibilitatem, Dotes alias gloriæ, ejusque resurrectionem: Ergo hæc, & alia Christus meruit, ut sunt sui nominis exaltationem, &c. Ad quod alludit illud Paul. 2. ad Philip. *Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem: propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen super omne nomen*: Ergo Christus Dominus meruit, & defacto fuerunt præmia recensita sibi correspondentia.

353. Secundò probatur eadem conclusio, quo ad aliud, quod continet per R. ibi: Meritum debet esse respectu alicujus præmii, quo aliquando caruit merens; sed est contra Christi Domini præstantiam, & dignitatem, quod aliquando caruisset gratia, & gloria: Ergo & esset indecorum, quod hæc dona promerisset. Major est certa, & minor probatur: Gratia, & gloria pertinent suo modo ad perfectionem interiorem Christi Domini, licet alia dotes, de quibus supra, ad exteriorem excellentiam; Ergo sicut his carere

terè non dedecet Christo Domino, quia exteriora sunt, sic ab opposito, esset valde imperfectum alia aliquando non habere, quia ab intus se habent. Præterea: Gloria, & gratia sunt inter alia, nobiliora, & proximiora Deitati, & ipsi quasi debentur: Ergo his donis aliquando carere hominem Deum, esset valde imperfectio- nis.

354. Conclusio Secunda: Christus Dominus meruit Angelis dona aliqua gratiæ & gloriæ ut cùmque: Non est undequaque probabilis conclusio, cum non desint DD. gravissimi contrarium docentes, & tenentes, de quibus expressus in recentioribus; videtur, fuisse sensus, & sententia R. in hoc 3. dist. 1. diximus nos, *ut cumque* in resolutione quia supponimus primam gratiam Angelorum, & perfectionem illius, ac gloriam eorum essentialem præcessisse Verbi Divini Incarnationem, idèque sub hujus meritum cadere non potuerunt; reliquitur ergo, quod sermo sit de aliquibus donis, & gratiis, simulque de accidentali gloria iisdem supervenientibus; cajuratione Deus, & sit Angelorum caput, & illis Dei dona promeruisse.

355. Nunc primò probatur conclusio ex illo Apost. ad Ephes. 1. quem locum affert R. loco citato q. 2. art. 3. *Ut innotescat principatibus, & potestatibus in celestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*. Ex quibus sic formatur ratio: Locus iste procedit, & loquitur de Angelis illustratis multiformi Dei sapientia per Ecclesiam, cujus caput Christus est: Ergo illustrationes aliquas accipiunt Angeli à Christo Domino vero Ecclesiæ capite; sed hæc sunt Dona gratiæ, & non possunt non ordinari ad aliquam gloriam: Ergo Angelis per Christi merita participata. Antecedens est certum, ut habetur in Glossa D. Hieronim. à D. R. allegata hic: *Quod non solum Patriarchis, & Prophetis, sed & potestatibus celestibus multiformis sapientia fuit per Ecclesiam revelata*. Hæc est congruentior probatio asserti corroborata per illud Isai. 63. loquendo de admiratione Angelorum, ac de eorum stupore ingrediente Cælum Salvatore nostro, ad hæc verba: *Quis est iste, qui venit de Esron tintis vestibus de Bosra, &c.* Tom. IV.

356. Conclusio tertia: Christus Dominus meruit hominibus omnia Dona gratiæ à prima vocatione, usque ad perseverantiam finalem, & gloriæ consummationem. Est de fide certissima, constat in Trident. sess. 5. cap. 7. ubi definitur, quod Christus Dominus sit meritoria causa nostræ justitiæ; sed hic comprehenduntur omnia Dona gratiæ, & gloriæ recensita: Ergo omnia nobis promeruit. Hæc ergo est sententia Paul. ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem mors intravit in mundum, ita per unum hominem justitiam constituitur multi*. Et in idem facit illud Joann. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia*. Pænè innumeri textus adduci possent; sed quia in idem faciunt, omituntur: Sufficiat pro hac firmanda conclusione ratio capitis propriissima Christi Domini, de cujus communi providentia est influxus in omnes quascumque membrorum operationes, dicente eodem Domino: *Ego sum ultis, vos palmites: sine me nihil potestis facere, &c.* Joann. 15.

357. Conclusio quarta: Merita Christi Domini pertingunt, etiam non ita directè, & principaliter, ad auxilia naturalia, quæ hominibus foras conferri possent: Pro hac probanda, recolendum est, quod ut bene concordari possimus axioma commune hoc: *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam cum dogmatibus Conc. Araulic. 2.* & insuper probabilissimum quoddam R. circa causam nostræ prædestinationis cum doctrinis ejusdem D. ad alia pertinentibus, non renuimus cum aliquibus admittere auxilia purè naturalia, quæ, quia gratiosè à Deo nobis conferuntur, dicuntur, & sua ratione, auxilia Divinæ gratiæ: Constituunturque in linea, & ordine naturali, quia unicè deservire possunt ad opera, & functiones, quæ naturam non superant, ideoque à Deo descendunt, non ut Author gratiæ, sed ut conditor est natura: Hujusmodi sunt adjutoria ea divinitus data ad opus arduum bonum, & morale agrediendum; quod adhuc à Pagano, & Gentili fieri posset; ut de hoc Hieronim. lib. 3. in Math. Cap. 19. bene probat adducens pro exemplari Phyloso- phum Cratem, & multos alios, qui renuntiantes omnia, quæ habuerant, di-
Ecc vitias

vitias contempserunt; sed istud facere non valerent sine Dei adiutorio: Ergo esset de ordine naturali sicut est opus, & illius hæroicitas.

358. De hac conclusione non habeo fundamentum in R. cæterum ut ipsi non contradicente, sic probo ex Paul. ad Ephes. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo;* sed hinc constat, adiutoria Dei ad functiones quaslibet honestas, & bonas à Deo nobis conferri per Christum: Ergo ita est. Minor probatur: Hujusmodi opera spiritalia sunt, & ad Dei benedictionem pertinent ut potè bona, & honesta, & in suo ordine perfecta, & cum statu gratiæ supernæ non repugnantia; sed Deus benedixit nos in Christo omni benedictione spirituali: Ergo hæc, quæ pertinet ad opera ardua bona, & honesta naturalia, adhuc est per benedictionem, & meritum Christi. Huc tractandum erat de meritis Christi in ordine ad actus prædestinatos, cæterum cum de hoc tom. 3. tract. 9. circa effectus nostræ prædestinationis aliqua dedissemus; & hæc sufficiant pro nunc, de eo satis per dicta, ibi aliis pro solutione argumentorum relictis, ubi & de ordine horum meritorum respectu auxiliorum Dei.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

359. **P**rimò arguitur: Christus Dominus meruit, ad minus de congruo, suam Incarnationem: Ergo potiori ratione meruisset dona gratiæ, immo, & gloriam. Antecedens communiter est receptum, præterquam quod probatur per id, quod in Ps. 39. legitur: *Tunc dixi: Ecce venio: In capite libri scriptum est de me: Deus meus volui:* Super quem locum Paul. ad Heb. 10. *Idem ingrediens in hunc mundum dicit: Hostiam, & oblationem voluisti, corpus autem aptasti mihi: Tunc dixi: Ecce venio: Ut facerem voluntatem tuam, &c.* Sed hujusmodi sunt actus dispositivi ad Verbi Divini Incarnationem, & ipsius

Christi meritorii: Ergo defacto sic meruit incarnari; cum potior inter gratias internas sit Incarnatio: Ergo si hæc, etiam gloriam promeruit.

360. Respondetur ad argumentum, & in primis non est concepitibile meritum aliquod in Christo Domino respectu suæ Incarnationis; nam principium meriti non potest cadere sub meritum; Verbum Divinum Incarnatum est totius meriti Christi Domini principium: Igitur nullo modo Christus mereretur suam Incarnationem; ratio hujus est, quod nullus esse potest sui ipsius causa, adhuc moralis. Superest, ut sensus sit de Sanctissima sua humanitate pro signo prævio naturæ ad suam assumptionem, sub quod non haberemus pro inconvenienti, quod possit mereri de congruo, saltem, suam exaltationem, & ad Deum esse elevationem ad modum quo sentitur de ultimâ dispositione ad gratiam justificationis in puris creaturis intellectualibus, sub qua etiam ratione textus allegati Paul. ex Ps. possent intelligi de ingressu humanitatis in mundum à Divino Verbo suppositabilis, ibidemque conformari quoad hoc Dei voluntati, ut sic assumpta esset hostia, & holocaustum pro hominum peccatis. Doctrina hæc non bene concordatur cum nostris, ideoque in sua probabilitate relicta, tenendum censemus, textus illos loqui de Christi Domini voluntate Paternæ conformata, ut per suam mortem sacrificium offerret pro hominum redemptione, & à peccatis expiatione, & in hoc nullum apparet meritum, quod sit ad sui ipsius Incarnationem ordinatum.

361. Secundò arguitur contra quartam conclusionem (omitimus alias, quia facili negotio solvi possunt) meritum Christi Domini solum extenditur ad dona salutaria gratiæ hominibus conferenda: Ergo non pertingit ad ea auxilia, quæ sunt præcisè ordinis naturalis. Antecedens primò patet ex litteris sacris; tum etiam, quia sic expressum habemus in simb. 2. Nicæn. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, &c.* Denique Aug. in Epist. 105. ubi de retractione Pelagii, de quanos infra, hæc habet: *Nam non omnino istam gratiam commendat. Apost. qua creati sumus, sed qua*

qua iustificavi sumus; ista est enim gratia per Jesum Christum Dominum nostrum.

362. Consequentia verò primò probatur: Auxilia Divinæ gratiæ intra ordinem naturæ sunt contra Sacros Textus, Conc. PP. & de his non est dabilis probatio Theologica, & maxime cum sapiant Pelagianismum: Ergo non est dabile, quod Christus nobis promeruisse hujusmodi auxilia naturalia. Antecedens probatur per partes, & primò in sacris litteris semper ac commendatur adiutorium Dei, est in ordine ad nostram justitiam, & salutem spiritualem, vel ob progressam invirtutibus supernis, vel ad observantiam mandatorum, & resipiscenciam à peccatis, quorum probatio aliò non potest haberi, nisi contrarii afferant locum huic non concordantem: Ergo sententia hæc ad minus non habet notum fundamentum in sacris litteris: Secundo probari potest ex Trident. ubi eo ferè modo argui possent, cum in toto eo, ubi de Divinis auxiliis, non habeant locum auxilia hæc naturalia.

363. Maxime in Milevit. & Diesp. apud Palæstinam, ubi error Pelagii retractatus dolosè legitur adiutorium Divinæ gratiæ pro nostra salute aeternâ confitendo, intra metas tamen naturæ; & hoc erat apud Pelagium gratia creationis, & conservationis: In his enim Conciliis non bene auditur auxilium pure naturale, vel adiutorium Dei intra sphaeram naturæ; alias anfa præberetur Pelagianis; ut donum conservationis, & creationis pro Dei gratia, & adiutorio acciperent, & haberent; sed genus istud gratiæ Dei eisdem denegatur: Ergo & illud, quod nos afferimus: consonat PP. ut supra Aug. citatus; & certè possemus apertè dicere, quod hujusmodi auxilia naturalia in ipsis non inveniuntur.

364. Nunc secundum veram probationem urgetur consequentia illa: Auxilium de ordine naturæ non est auxilium gratiæ: Ergo verè, & propriè auxilia hujusmodi non possunt dici, auxilium Dei. Antecedens est certum: Nam quod est proprium gratiæ, non decet appropriari naturæ, alias natura, & gratia confunderentur, & redit Pelagianismum; auxilium namque gratiæ superat, Tom. IV.

re debet facultates naturæ, esseque supra illius vires, & ad ultimum extra ejus sphaeram: Ergo implicatorium videtur auxilium gratiæ intra ordinem naturæ. Præterea: Auxilium eo datur, & à Deo confertur, ut adjuvet, & proportionet naturæ vires ad opera bona paranda: Ergo supra naturam erit; tuncque supernaturale erit, non verò naturale. Ex his legitimè probata manet hujus probationis consequentia: siquidem auxilium, quod Dei vocatur, est quod ab eo confertur supra cursum, & vires naturæ, ut fiat aliquid, & patretur Deo ipsi non repugnans: Ergo si vocatis auxilia ea naturalia, non sunt Dei, ut à D. D. accipiantur, quia illis deficit esse supra vires naturæ; si verò Dei sint, non naturalia, nec consona naturæ possent esse, cum dentur ad supplendum naturæ defectum.

365. Argumentum continere videtur suam totius doctrinæ contra asserentes auxilia de ordine naturæ; ideoque per partes solvendum erit juxta ea, quæ in prima probatione afferuntur, quæ, quia in idem coincidunt antecedens, & consequens, de his æqualis erit solutio: Et in primis supponimus, quod præfatum genus auxiliorum non adstruimus pro morte, & instituto, ut videre erit in nostro modo sentiendi, sed solum, si sustineri posset, aut amamus; ideoque ad ea, quæ in contrarium adducantur, tenemur; & hoc supposito, ad primum, quod opponitur in argumento, dicimus: Quod merita Christi Domini primò, & per se meruerunt nobis ea, quæ priora sunt, & potiora, & maxime faciunt, & directè conducunt ad nostram salutem spiritualem; nam descendit de Cælis propter nos homines, & propter nostram salutem homo factus est; cum quo componitur, quod etiam propter ea, quæ aliquantulum, & veluti indirectè, & quali reductivè faciunt ad eandem animæ salutem dici posset eo jure de Cælis descendisse; ideoque homo factus propter nos homines dicitur, quasi divissim ab alio fine, nostræ, scilicet, supernaturalis salutis.

366. Dantur ergo, & admittuntur ea naturalia Dei auxilia, ut libera homi-

nis arbitrium per peccatum originale læsum, attequatum, & infirmum vulnere ignorantia, & aliorum adjacentium impedimentorum valeat in aliqua bona, vel in aliquos bonos actus morales honestos, arduos tamen intra hunc ordinem; hi iterum, etsi nihil faciant per se, & directè nec ad æternam vitam, nec ac gratiam justificationis, nec ad fidem, aut illius initium, nec ullomodo sint ad hoc dispositiones adhuc remote conducentes, ut congruum meritum proficuum auxiliorum de linea supernaturali; dicunt tamen ad hoc quædam indirectam conducentiam, quatenus in vi eorum, & per eos gratia Dei, & iustitia nullum affertur impedimentum, & obex, immo potius his actibus instructa natura, ac benè se habens in naturalibus non contradicit supernis, nec contra ea se opponit; & hæc est indirecta conducentia ad nostram salutem, & ratio quare & si non principaliter, & immediatè, indirectè tamen Christus Dominus eos mereri possit.

367. Hæc mihi videtur ratio sufficiens, quare non ita expressè in sacris litteris agatur de isto genere adiutorii Divini, cum longè sit à salute, & ita indirectè ad eam faciat, ut cum illa nullam dicat proportionem, & coaptationem; ceterum cum actus, ad quos asserimus dari, sint boni bonitate morali, & spiritali, immo ut supra dedimus tract. 14. in homine iusto æternæ gloriæ meritorii, etiam aliquid de illis, licet non terminis clarioribus, habemus in sacris litteris, e quo aptum dedimus testimonium in nostra hæc quarta conclusione. Dicamus resolutoriè, quod nullum adest inconveniens, & subtrahi, potest, quod actus hi honesti, morales, & ardui indirectè faciunt ad salutem, modo supra notato, & quod auxilia ea, quibus eliciuntur, sunt collata per Christi meritum non ad ea tamen principaliter ordinatum; ac denique quod de hoc fundamentum adest in sacris litteris, quod faciat sufficientem probabilitatem.

368. Ad PP. auctoritates, & dicta respondetur: Quod in subiecta materia expressius procedunt, & loquuntur contra doctrinas Pelagii, & Malsiliensium,

ut Divina gratia oppugnatores, & evertores, & specialiter August. & Prosper. de quo nos quondam; in presenti verò nil credo, facere ad rem nostram: Namq; Pelagius malè loquutus de peccato originali, ac perverte de Divina gratia adiutrice, vel de Dei adiutorio ad nostra meritoria opera requisito, asseruit, & docuit peccatum originale in posteris adæ esse titulum sine re, ideòque humanam naturam integram mansisse eo dono integritatis, quo in sua creatione ditata fuerat; & hujus ratione ad facienda opera æternæ vitæ meritoria alio adiutorie divinæ gratiæ non indiguisse liberum arbitrium, utpote integrum, illæsum, & cuicumque operi proportionato ex meritis suæ integritatis.

369. Doctrina hæc quoad omnia, proscripta, & anathematizata fuit in Conc. Milevit. & de eo convictus Pelagius in Die spoliæ, quasi adjurasse suam sententiam dolose; gratiam, & Dei adiutorium contestus, & dictorum fraudulenter panitens gratiam illam esse donum creationis, & conservationis autumavit, & iterum docuit: Unde tota PP. dissertatio contra Pelagium non sinit in eo, quod Donum creationis, & conservationis sit Dei gratia, vel non; de hoc nullus erat ambigendi locus; sed quod hæc gratia creationis, quam Pelagius statuerat, sufficeret possit, ut arbitrium creatum nudè sumptum, eaque sola adiutum valeat in opera æternæ vitæ meritoria; consequenterq; de divinis adiutoriis, & auxiliis intra ordinem naturæ requisitis ad opera honesta, & ardua ejusdem ordinis nil in Conc. & PP. reperimus, quod eis obesse queat; & ideo quoad hoc PP. auctoritates, quæ in medium adducantur, parum nos promovere possunt; & maxime cum nostrum probabilissimum toto Cælo distet à sententiis Pelagii. De Malsiliens. nil in presenti, quia non habemus assumptum contra nostram in PP. doctrinis, qui adversus eos disseruerant.

370. Respondetur denique ad rationem argumenti propositi: Quod gratia Dei multatariam accipitur communiter, de quo nos suo loco tract. 12. conformiter ad quod omne quodcumque sit à Deo liberaliter, & gratiose donatum. præter
est.

exigentiam, & debitum naturæ erit Dei gratia, non ea, in sacris litteris communiter, Conc. & PP. sed alia deteriori, & cum addito nominabilis; ceterum ista gratia, & favor Dei sic explicata non fuit id, in quo fuerit reprehensus, & damnatus Pelagius, sed ut supra dedimus, in eo quod diceret, gratiam istam valeret ad merita vitæ æternæ. Nec ex eo quod auxilia naturalia hæc adjuvent naturam, sequitur esse supernaturalia; nam eam solum fortificant, non verò elevant, ideòque sunt intra ipsius sphaeram. Supernaturale enim est, quod superat totam naturam creatam, & creabilem; hujusmodi non sunt præfata auxilia, cum totam naturam non superent, nam actus, ad quos eliciendos, desiderantur, possent fieri ab eadem natura, si integra, & non infirmata per crimen originale mansisset.

371. Concludimus pro hoc probabilissimo stabiliendo; quod auxilia naturalia gratiæ Dei per Christum communicata, nec habent aliquid, quod in sacris litteris absonum sit, nec ab Ecclesia proscriptum, cum maxime distent, ut a nobis explicatur, a placitis Pelagii, & aliorum ejusdem sensus, & sententiæ; immo nec ratio Theologica, aut Phyllophica contra ea urgere possit; siquidem, est Dei gratia, & divinum auxiliū juxta suam famosorem significationem sint de ordine, & linea supernaturalitatis, & quatenus mediate, aut immediatè faciunt ad opera salutaria, & æternæ vitæ meritoria; ut tamen cum addito diminuentè proferuntur, & in quantum solum desiderantur ad opera purè honesta, & moralia, dicuntur Dei gratia analogicè, & hoc modo Dei adiutorium indebitum naturæ, & à natura requisitum, ut ardua assequi possent, quæ ipsi moraliter impossibilia sunt ratione infirmitatis, & inflicti vulneris originalis peccati: ipsique Christo Domino beneficium hoc tribuimus, à quo est omne bonum spirituale, quod saltim indirectè faciat ad altissimos fines suæ Incarnationis.

QUÆSTIO XX.

Per quos actus, & quo tempore Christus Dominus meruisset, vel exerceatur suum meritum?

372.

Non dubitamus generaliter de omni actu, quem Christus in terris ob remedium hominis eliciisset, vel facere posset, supponimus enim nec fidei, nec spei habuisse, cum utriusque sint statui comprehensoris, quo Christus Dominus erat predictus, repugnantes; nam virtutes istæ sunt unice partis superioris animæ propriæ, & in hac idem Dominus fuit Beatus, & caret omni dubio, quod in eadem parte animæ fides, & spes maxime secundum proprios actus non possunt convenire cum visione: De hoc iterum fortassis infra.

Nec præterea quarimus pro actibus virtutum moralium à Religionè incipiendo, & specialiter ubi non detur ordo aliquis vel occasio peccati, ut sunt penitentia, & contritionis; alii verò, & defacto dantur in Christo Domino, & ulterius per illos meruit dona, & beneficia nobis collata, ut pax, iustitia, misericordia, patientia, &c. Tota ergo quaestio devolvitur ad actum amoris Dei, & dilectionis charitatis.

373. Difficultas est specialis circumspectionis, cum æquè urgeat pro utraque parte: Nam si velimus tenere, quod Christus Dominus meruit per actus amoris, & charitatis, cum amor hic sit Dei tentio, & inamissibilis possessio, regulaturque per divinam visionem, est undique beatificus; ex hinc sequeretur, quod Christus Dominus non solum meruisset pro tempore vitæ, & usque ad mortem, sed & adhuc meruit & per totam æternitatem mereretur sine termino, quatenus principium hujus meriti, quod Christus est,

est, invariabile perseverat, & idem manens idem, semper facit idem. Si verò ab opposito asserere tentemus Christi meritum non indignisse charitate aliis actibus virtutum Theologarum sibi non convenientibus; darètur ejusmodi meritum independentè ab actibus præcipuarum virtutum, & istud non videtur concordare cum excellentia, majoritate, & necessitate earum, & maximè charitatis, quæ omnia est; & per omnes virtutes se diffundit.

374. Propter quod DD. non solum in varias abierunt sententias, sed & in una plures modi dicendi reperiuntur: Sic Thomista cum Cajet. & Ferrariens. D. Thom. expolitoribus hic 3. contra Gent. cap. 52. illic hicq. 11. art. 1. hos sequuntur recentiores duplicem scientiam in Christo Domino cognoscentes, unam Beatam, & quæ est clara Dei visio, aliam verò infusam, per quas duplex regulatur amor charitatis, unus Beatificus, alius verò viatoris, & per hunc tenent, Christum Dominum sibi, nobis, & Angelis meruisse. D. Subr. hic sentire videtur, & asserere in Christo Domino unum Beatificum amorem charitatis, cui non obest status ille, ut ex divina acceptatione meritorius esset. Non est unicus in hoc modo discutendi, nam plures ex suis, & extantibus ipsam sequuntur, & comitantur. Santalii, qui, ut ab his expediantur, doceant, Christum non meruisse per amorem Dei, & charitatem, nec adhuc creaturarum in ipso, solumque meritum tribuunt aliis excellentibus ipsius Christi virtutibus, & harum actibus, ut obedientiæ, humilitatis, &c. Vazq. disp. 71. ab initio, & postea. Alii etiam in idem conveniunt.

375. D. R. non agit expressè de hoc puncto, ceterum ex ejus doctrinis satis conformiter ad ejus mentem possemus nostras deducere conclusiones; aut cum bene perpensis fundamentis ipsius R. utrumque extremum, & partis affirmativæ, & negativæ substinere, ideoque duabus conclusionibus, quid mihi sentiendum sit, aperiam, intertinaque aliqua adjiciam, ut titulo quæstionis hæc satis. Pro illis supponimus hic nos supersedere à communi difficultate operum, & quæ

sub Consilio, & quæ sub præcepto cadunt; ideoque præcindimus à præcepto dilectionis Dei, quod est primum, & maximum mandatum in lege, & Christus hanc non venit solvere, sed adimplere. De hoc enim latius infra, cum de speciali præcepto ipsi Domino imposito de morte subeunda, sermo venerit, ubi & de ejus impeccabilitate, & libertate.

376. Conclusio prima: Christus Dominus verè meruit per actus excellentissimos Charitatis, & dilectionis Dei super omnia. Est DD. primæ sententiæ. Probatque primò ex illo Joann. 14. *Et ut sciat mundus, quia diligo Patrem & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: In quibus commendabat Christus amorem sui per adimplerem mandatorum ad hæc verba ibi: Si quis diligit me, mandata mea servabit: Sicut enim, inquit cognoscere vos facio, quod diligam Patrem meum per hoc, quod mandatum ejus servo, in subeunda, scilicet, passione, & morte, sic & vos cognoscetis, quod me amatis, si custodieritis mandata mea; & ecce consequentia ad nostrum intentum: Ego Christus Dominus ex ordine & imperio Charitatis servavi præceptum Patris per totam suam vitam: Ergo ex hoc imperio ortum habuit totum meritum Christi. Probatur hæc ultima consequentia: Meritum Christi Domini principaliter stetit in observatione Paterni præcepti; sed hoc servavit ex ordinatione, & imperio charitatis: Ergo ex hoc actu principium habuit meritum principale Christi Domini: Et si hoc tale est in rebus præceptis ex charitate, potiori ratione in iis, quæ solum cadunt sub Consilio, quod non indiget probatione.*

377. Secundò probatur conclusio per R. in 3. & dist. citata, ait ergo ibi art. 3. *In primo instanti suæ conceptionis potius Christus habuisse scientiam infusam; sed in quocumque instanti potuit habere rectam scientiam, potuit considerare, & habere rectam affectionem; & hoc est, mereri &c.* Nil clarius ad conclusionem probandam: Nam recta affectio voluntatis Christi Domini, in qualiteret ejus meritum in verbis R. deberet est actus proprius voluntatis ipsius, quique meritorius esset; sed potior actus voluntatis Christi maximè, deberet esse amor,

amoris, & dilectionis: Ergo hic regulatur scientia sua infusa esset meritorius; atqui actus dilectionis, & amoris Christi scientia: Deo infusa directus potius Dei, quam alterius cujusque objecti esse deberet; siquidem ad alia objecta creata diligenda, & amanda ea scientia non desideratur in Christo Domino: Ergo affectio illa meritoria Christi Domini, quam Baconus asserit, est Dei amor, dilectio, charitas.

378. Tertiò potest probari conclusio: Totum meritum hominum in suis operibus fundatur in charitate, cum nil eis sine charitate vel actualiter, vel habitualiter agente, prodesse valeat: Ergo sic erit in Christo, & suo modo. Probatur consequentia: Meritum operum nostrorum est membrorum ab uno capite Christo habitum tamquam illius causa: Ergo ea ratio formalis meritorum hominum debet ipsissima esse pro meritis sui capitis Christi. Antecedens est certum, & consequentia probatur: Non solum Christus Dominus est causa moralis, & physica instrumentalis nostrorum bonorum operum salutarium, verum & exemplaris, & ad quem instat salubriter, & in vitam æternam operamur: Ergo in nostris meritis enulamur meliora charismata Christi Domini, ita quod charitas Dei sit eorum & in capite, & in membris principium, & imperium. Quomodo hoc fiat, infra in solutione ad argumenta contra istam conclusionem.

379. Conclusio secundà: Problematicè tenemus, Christum Dominum non meruisse verè & propriè per actum charitatis a se elicitem. Hanc ut probabilem, satis possumus cum aliis DD. substinere, & certè in R. habetur aliquale fundamentum; tenet enim in 1. dist. 46. q. 1. artic. 2. §. 4. Quod charitas viæ, & Patriæ, quoad quidditatem sunt ejusdem rationis, differunt verò quoad annexa, sic quod prima regulatur cognitione obscura, alia verò noticia clara visionis Dei; ex quibus profert hæc verba: *Dico, quod potius operatio charitatis viæ crescerent in infinitum, quam adequaretur charitati Patriæ; sed crescere in infinitum, est mereri. Ergo potius charitas viæ, quam Patriæ est ratio totius meriti; sed charitas Christi Domini*

est Patriæ, & non viæ, cum nullam in Christo concedamus fidem, & consequenter enigmaticam Dei cognitionem: Ergo sola stante clara Dei visione regulativa Divini sui amoris hic erit omni modo Patriæ, & non viæ: Ergo & inalterabilis: Ergo nec meritorius; cum in Patria cessent omnia merita.

380. Conclusio tertià: Christi Domini meritum conclusum fuit in tempore ab instanti suæ Incarnationis, & usque ad mortem currente. Est frequens inter DD. quoad primam sui partem communis, & de qua non est dubitandi ratio; an verò si post mortem meruisset maximè in triduo, & per inflictum vulnus in latus ejus est DD. varietas in sententiâ, nos ad hæc illi, quæ conformior sit R. eamque hic stabilimus, occasione sumpta ex præcedentibus conclusionibus: Nam si in Patria potest esse meritum per charitatem, cur non erit post mortem? Sed quidquid de hoc sit, probatur per illud Joann. 19. v. 30. *Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.* Et immediatè ante v. 28. *Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt ut consummaretur scriptura, dixit, sitio.* Quæ si atentè perpendantur, & hæc verba, *ut consummaretur scriptura,* cum aliis *consummatum est* post dictis, concordentur, satis clare manet probatum, quod finis redemptionis hominum consummatus est per Christi mortem; siquidem ad hoc erant scripturæ: Ergo & meritum ipsius consummatum est.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

381. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem, & unam partem problematis. Ad meritum requiritur libertas in opere, status viæ, acceptatio Divina, & promissio de præmio retribuendo; sed hæc omnia deficiunt merito Christi Domini, quod esset tale per actum amoris Dei, & charitatis: Ergo per hunc speciei actum dilectionis non meruit. Major est certa juxta ea, quæ communiter dicuntur de conditionibus ad meritum requisitis, & non negamus; minorque probatur quoad primum, quoad

quoad alia verò non dicit aliquam difficultatē: Amor Christi Domini ad Deum summum bonum ordinatus regulatur visione clara ipsius Dei; sed respectu hujus boni sic ostensi non est libertas in actu voluntatis, licet hæc necessitatur ad prosecutionem summi, & infiniti boni clare, & ut est in se visi, & manifestati, ut potè contentivam totius bonitatis, ideoque ab eo resiliere, vel ullomodo desecti non potest: Ergo nec libera manere in ejus amore, & dilectione.

382. Major, in qua apparet non levis difficultas, probatur: Dei bonitas vel abstractivè ostenditur voluntati, vel intuitivè cognita; si hoc modo habemus argumentum graviter urgens; nam hæc intuitiva cognitio est Dei clara visio; si verò loquamur de abstractiva Dei cognitione, hæc adhuc duplex esse potest, vel demonstrativa, & naturalis, quam habuerant Philosophi, quæque solum Dei naturalem amorem regularer; unde solum restat alia, quæ esset obscura, & enigmatica, qualis est fidei, & per quam summum bonum amari potest amore charitatis; sed hæc à Christo Domino delegatur, ut non comparibilis cum clara Dei visione, qua Christus Dominus fuit præditus ab initio sui esse: Ergo deveniendum erit ad aliam claram Dei visionem, & ad vigorem argumenti in hac parte.

383. Huc spectat summa totius fundamenti sententiæ negantis charitati Christi Domini rationem meriti, ideoque in illius solutione aequaliter immorabimur; supponimus enim ad rationem meriti requiri statum viatoris, & de hoc quaritur in præfenti, de actibus, scilicet, charitatis, quos Christus Dominus elicit, dum ageret in humanis ut mortalis adhuc, & passibilis: Præterea etiam tenemus ad meritum exercitè, & in actu secundo acceptum ulterius desiderari divinam promissionem etiam in Christo Domino adhuc sentimus; & unde his duobus contrarium? Nam charitas Christi Domini ut mortalis erat, non Patriæ, & comprehensoris adæquatè, & secundum totum, erat, sed simul, viæ, & viatoris; ex quo deducitur quoad Dei pactum, quod actus hi charitatis, sicut & aliarum virtu-

tum fuerunt ut tales viatoris, qui exultavit ut Gigas ad currendam viam, ad quod à summo Calo Paterno egrediens fuerat, & missus, ut in omnibus voluntatem suam impleteret; & hoc est divinum pactum, & promissio.

384. Unde superest, ut ad principale argumenti fiat satis, & ad probationem ultimam majoris, prætermisissis majori, & minori, consequentia in primis negari potest; nam est, dare medium inter claram Dei visionem, & actum fidei; nimirum vel scientia infusa, qua Christus præditus fuit ad cognoscenda omnia naturalia, & superna, & adhuc Deum ipsum, quæ altior est lumine fidei, de qua R. in hoc 3^o dist. 13. citat. & in q. 2. prolog. 1. sententiarum; sed hæc quia nec fidei est, nec clara Dei visionis, non infert inconveniens, quod in argumento asertur: Ergo hæc sufficeret, ut cum ea regulareretur charitas Christi meritoria. Secundò aliud medium proponere possumus in Divini Verbi Incarnati cognitione, videlicet, notitia Dei abstractiva, & clara ad suam essentiam terminata, vi cuius dirigatur voluntas Christi ad charitatem suæ viæ; & nec ex hac inferuntur inconvenientia supraposita. De ista Dei intellectione nos tom. 1. tract. 3. q. 15. cum R. in 2. dist. 4. & hæc potes probabiliter tribui defacto Christo Domino; cum eidem concedamus eam scientiam rerum perfectissimam.

385. Tertio potest concedi, & de facto concedimus actus charitatis Christi Domini visione clara Dei regulari; cæterum ex eo non sequitur, quod actus hujusmodi dici debeant Patriæ, sed viæ etiam, & viatoris, quatenus elicit ab homine, qui simul est & erat viator, & comprehensor; sed de his, ut hic agitur, loqui debemus, non ut à comprehensore essent elicitis: Ergo etsi sint comprehensoris, non absolute debent dici esse status termini, & Patriæ, ubi ex Dei ordinatione cessat omne meritum. Semper enim ac verificetur, quod actus charitatis Christi Domini sint elicit ab homine viatore, qualibet scientia regulentur, beata sit, infusa, vel alia possibili clara abstractiva, est sufficienter regulativum eorum, ut

vere sint, suppositis conditionibus aliis ad meritum requisitis, meritorii.

386. Ratio doctrinæ est e generalis, & bene ab omnibus sic recepta: Charitas viæ, & Patriæ, quacumque reguletur scientia est eadem inspecie: Igitur si ea, quæ est Beatorum propria constituitur instatu viæ, & viatorum, qualis illa fuit Christi Domini ante mortem, erit utique meritoria. Quin huic obesset necessitas talis actus elicit ratione visionis clara Dei; nam ea necessitas est talis secundum quid, ut est amoris ipsius Dei, de quo nos latissime tom. 2. tract. 7 q. 5. tom. 3. tract. 10. q. 34. atqui hæc necessitas merito non obstat, ut debent concedere ii omnes, qui teneant, Angelum peccare non posse in prima sui operatione: Immo defacto in Christo Domino eadem necessitate necessarii essent actus charitatis, si eos eliceret medio actu fidei sibi possibili: Ergo ex hoc capite non repugnat illi charitati meritum. De veniendum est ad hoc, ut si vè reguletur visione Dei, sive alia scientia abstractiva, actus dilectionis Christi Domini, verè meritorius deberet esse.

387. Secundò arguitur contra secundam conclusionem, & aliud extremum problematis: Charitas est major inter omnes virtutes, charitas necessaria est ad meritum puræ creaturæ, & sine charitate corruperet omne meritum. Ergo quânto magis in Christo, à quo tamquam à capite meritum, ad minus hominum, ortum habet. Responderetur, quod ita est, ut in argumento ad notatur; nam charitas facit, & constituit purum hominem, & adhuc Angelum acceptatum, & dignum Divinis promissionibus, ideoque sine charitate nullum opus efficere potest condignum, & meritorium: At verò Christus Dominus cum sit substantialiter sanctus Divinitate, qua intrinsicè unctus, & sanctificatus extiterat, etsi præditus esset summa Dei dilectione, Beatica tamen, per hanc non optabat ad meritum sed per actus aliarum virtutum. Sic in sacris litteris novi testamenti, & si plurimum commendetur obedientia, & humilitas, ac mansuetudo Christi Domini pro merito nostræ salutis, non tamen aliquid circa hoc habemus expressum de charitate. Ad hos terminos reducuntur

Top. IV.

argumenta, quæ contra fieri possent, & adeorum solutionem, supra superius dicta addere possumus; quod merita Christi Domini primò ordinantur ad hominum gratiam, & gloriam obtinendam: Merita verò puræ creaturæ ad propria bona superna respiciunt, ideoque pro his necessario primum locum habet charitas; ad alia verò quia alterius rationis, alia tamen via proceditur.

388. Tertio arguitur contra tertiam conclusionem, quæ factè eo modo, posset problematicè sustineri, sed quia pro ea parte, quam tenuimus, apparent solidiora fundamenta, ideo ut magis firmentur, & explicentur, contra fit: Post mortem Christi Domini, etsi non permansisset verus homo compositus, sed tantum anima separata à corpore Divino cadaverico, adhuc residuum erat sufficiens principium meriti, nimirum ea sanctissima anima propriè subsistens Divini verbi persona, quæ & ad inferos descendisset ad patres antiquos solandos, & fovendos; sed in ista anima sic subsistente, & ratione respectus, & exigentiæ, ac ordinationis ad proprium corpus potuisset residere cum radice meriti tum in lateris vulnere, sepulchro, & aliis, quæ Divinum, illud cadaver committantur: Ergo.

389. Fundamentum sententiæ affirmativæ silit, inter alia, in vulnere lateris Dominici, de quo Joann. 19. *Cum invenissent jam mortuum: Sed unus militum lancea latus ejus aperuit; & confestim exivit sanguis, & aqua;* quod equidem vulnus, & miracula in eo patrata, encomia patrum, & quod maxime mirandum est illud 1. Joann. 5. *tres sunt qui testimonium dant in celo: Tres sunt, qui testimonium dant in terra; Spiritus, aqua & sanguis &c.* Ubi communiter pro testimonio Divinitatis Christi Domini adducuntur aqua, & sanguis, qui ex ejus latere emanarunt: Huc accedit, quod ex illo vulnere per Aug. habemus, quod sacramenta emanarunt; ideoque ab eodem vulnere amoris appellatur; sed his veris existentibus, præfata, & alia quam plurima eidem vulnere non negamus, cæterum nec rationem proprii meriti concedere poterimus.

390. Nam anima à corpore separata, & ad inferos ad Patres descendens, ut

Eff

eos

eos secum deferret, & calorū januis propinquaret; non fecit per modum meriti illius status, sed antecedenter, & aliunde habiti, & pro ut viveret aliquantulum viator; quia anima separata adhuc quod subsistere, & agere posset, non tamen mereri exercite, & in actu secundo; siquidem Dei lex, & ita cum circa Christi in meritum ad mortem usque duravit, & in primo illius non esse completum, & consummatum fuit. De hoc non est, nec potest esse ratio cogens, aut convincens, cum unice dependeat a Divina lege, statuto, & ordinatione; Bene hoc stabilitur in illo Pauli ad Philipp. 2. *Factus obediens usque ad mortem*; sed hæc obedientia fuit causa salutis omnium, dicente eodem ad Rom. 5. *Per unius obedientiam sanctificati sunt multi*: Ergo si hæc finita fuit morte, & usque ad eam duravit, sic & meritum ad nostram sanctitatem.

QUÆSTIO XXI.

Quomodo meritum Christi Domini pertingeret ad sanctos veteris legis, quique ipsum præcesserunt?

391. **S**ignanter quærimus pro merito Christi Domini ad patres veteres comparato; nam de sanctificatione in lege gratiæ, & Christi temporibus non habemus specialem difficultatem, supposita de utriusque fide Redemptoris, de qua non potest esse dubitatio aliqua, cum pro omnibus, quæ facti fuerunt, & erunt, suum fuisse sanguinem, & oblatum fuisse; sacra littera decantat expressè in novo testamento, & in antiquo sub velamine ejus. Unde quando hic excitamus quæstionem, quomodo, videlicet, Christus Dominus meruisset gratiam, & gloriam veteribus Patribus, & supponimus esse defecto; ut ad Heb. 9. *In redemptionem eorum præparacionem, quæ erat*

sub priori testamento: Et ad Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*: Unde in 13. Apocalips. vocatur Christus: *Agnus occisus ab origine mundi*: & ulterius investigabile sentimus esse de hoc Divinæ sapientiæ arcanum. Sic legimus in lib. Divinarum revelationum S. Mariæ Magdalena de Pazzi 4. cap. 10. num. 2. *Et hoc est consilium inscrutabile ut non posset, nec investigari, nec a creatura capi, hac de causa cum silentio præteribo*. Loquebatur ibi Divinum Verbum de sua in mundo Incarnatione, & remedio peccatorum, & de modo ejusdem liberationis.

392. Superest, ut nostra atenta tepiditate, contenti simus in iisdem disputandis, & investigandis, quæ nostris captibus viciniora judicaverimus, ideoque modum, de quo nunc, solum solutionem desiderat, inspecta præcedentia justorum antiquatum legum, naturæ, scilicet, & scriptæ, ad gratiæ, & Evangelii. Si enim Christus Dominus voluit post tot sæcula venire, quomodo actus suos meritorios ordinare posset pro hominibus, quorum factæ memoria non erat ab Adam primo parente incipiendo; nam cum Christus in mundum venerat, ac sua merita, orationes, & præces fudisset pro hominibus, certè ad eos, qui sibi antecessissent pertingere non valerent; si verò sic non se haberent; ubi meritum est sanguinis Domini effusa pro omnibus omnino hominibus? Ecce illud quomodo tituli propositi.

393. A proponendis sententiis circa hoc abstinendum proposui, cum eam præsentem quæstionem unice excitaverim; ut bona memoria, ingenii accuminis N. Lubi. posteris perpetuetur. Supponit enim in hoc tract. q. 35. & per varios articulos, præcedentiam requisitam meriti ad præmium, hoc est enim effectus, illud verò causa: quomodo effectus prior erit sua causa, cum hæc det esse rei; hoc sic stante, gratia remissiva peccati Adamo collata, sicut & aliis iustis veteris testamenti, necessario est præmium, & effectus meritorum Christi Domini, quæ posteriora sunt ad illud præmium: Ergo verificaretur, vel quod præmium non est effectus, & prius merito, vel meritum Christi Domini

mini non esset causa moralis gratiæ, & justitiæ eorum antiquorum: Si Ergo primum dicatur, evenitur ordo, & natura rerum, nimirum, quod aliquid sit alterius causa, priusquam sit, vel quod det esse, ante quam esse habeat: Vel quod merita Christi non sint causa gratiæ, & justitiæ Adami v. g. Consequenterque nec Christus eam meruisset illi, & abis antiquis; nam meritum est causa moralis præmii sibi correspondentis; sed meritum Christi causa esse non potest illius gratiæ: Ergo nec meritum illius potest dici.

394. Et concludit asserendo, quod hujusmodi meritum ad veteres Patres ordinatum, ortum habuit principalissimè, imo & unice a contractu quodam incoïniter Verbum æternum cum suo Patre in finibus æternitatis, quatenus pro illo signo, & pro omni æternitatis, certum diceret ordinem ad naturam humanam ab ea assumptibilem, qui ordo notionalis est, & proprius hujus personæ, & in vi illius, & quatenus erit propria ejusdem naturæ suo tempore futura subsistentia, & esse; non suo nomine, sed istius humanitatis assumendæ, pactum perfecisset de mundo in ea natura redimendo, de homine reparando, & de Donis gratiæ, & gloriæ ipsi restituendis per sua merita, & satisfactiones Deo exhibendas, & ad hoc obtulisset illam a se assumendam naturam, ut satis in ea pateretur ad mortem usque, & non modo debitum ad æqualitatem solveret, sed etiam per strictam justitiam vindicativam pro eo homine penas lueret, quantum sufficeret ad copiosam, & superabundantem redemptionem illius ex omni specie justitiæ.

395. Hæc est summa doctrina hujus prælaudati carmelitæ, profese, nescio, quem asserat secum sentientem, scio enim quod hic modus dicendi fundatur ab eo & stabilitur probationibus a negativis, & positivis mediis desumptis; primò namque; quia non est, unde repugnet, aut incongruens sit contractus præfatus inter Verbum Divinum, & Patrem æternum, non suo, sed humanitatis a se assumendæ nomine ab utroque complendus, & perficiendus: Habet etiam notum fundamentum, quod ex libris intelligentiæ

Tom. IV.

rum Sanctæ Mariæ Magdalena de Pazzi de sumptis: Præterea hanc sententiam corroborat autoritate Venerab. Mariæ à Jesu de Agreda suæ concivis in 1. tom. Mistica Civitatis Dei. Denique hæc, vel illa ratione confirmat. Nolque testes, & præfentes steterimus thesibus habitis in literaria palestra Hispalensi anno 1701. ubi cum plausu, & omnium gratulatione, & assensu prædictus contractus ad agonem usque propugnatus fuit.

396. Cui sententiæ nec ad hærendum censemus nec minus eam impugnare prævidimus, sed ab ea supercedere, & communibus placitis conformari, non prætermittis ejusdem fundamentis: Primum erat negativum, & sic se habet: Non obstat contractui stabilito inter Verbum Divinum, & æternum Patrem unitas in natura, identitas in essentia, æqualitas in majestate contrahentium, siquidem contractus initus inter Personas, vel æqualis sint dignitatis, imo & superioris, ad hunc regalis, & supremæ, dummodo sit capitis, curatoris, vel tutoris, nomine minoris, vel pupilli, habet in jure firmitatem; sed Verbum Divinum est caput, curator, & Tutor humanitatis ab æterno in vi illius respectus ad eam assumendam, de quo supra: Ergo non incongruens venit, quod hujus nomine, & ut curator, ac Tutor passisceretur pro homine redimendo cum Deo; tuncque mereretur, oraret, præces funderet, non suo, sed suæ humanitatis, quam assumpturum erat, nomine; ut propterea sicut pro sponsa, minori, & pupillo vices ageret: Hoc est mereri nomine humanitatis, hoc est orare nomine humanitatis, & alia ad hunc modum non incongrua: Ergo istud non habet, ubi repugnet.

397. Assumptum corroborat aliquibus locis Sacris utriusque testamenti, ut illud Apoc. 13. Vocatur Christus: *Agnus, qui occisus est ab origine mundi*: Et aliud Isai. 53. *Et dominus voluit conterere eum*; & de inceptis, ubi ab æterno describitur voluntas Dei pactum iniens pro homine liberando nomine suæ infirmæ humanitatis. Præterea positivè assertum probat per verba Sanctæ Mariæ Magdalena de Pazzi lib. 4. divin. intelligent. cap. 7. vi sic Pater æternus illi in extasi loquebatur: *Primum*

Est 2

causa

canalis procedens à mortuo verbo in ſinu meo, quia hic ab æterno mortem accepit, & que ſe obtulit, &c. Clariora verba habentur in hoc lib. cap. 28. Quid in cruce agis? Sanguinem fundis, ſeptemque verba proferis. Totum hoc in ſinu Patris, & in Mariæ Ventre. In ſinu Patris ſanguinem quodammodo fundis, creaturam tibi ipſi ſimilem eformando, & ut ita dicam, te ipſum ad creaturæ ſimilitudinem ideando, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

398. Conformiter ad hoc, & ad dicta Sanctæ Pazzi, adjicimus alia ſervæ Dei, de Agreda in 1. part. num. 111. Fueſta voz del Hijo (inquit) en nombre de la Humanidad que había de tomar, pidiendo al eterno Padre, fueſte hecha la ſalud, &c. Y fue como una petición ante el Throno de la Sanctiſſima Trinidad: Ac immediatè poſt num. 112. addit: Fueſta fue la primera vez que el Verbo, en nombre de la Humanidad, intercedió por los hombres ante el Throno de la Divinidad, y à nueſtro modo de entender, el Padre Eterno confirió eſta petición con las Perſonas de la Sanctiſſima Trinidad. Ecce iterum modum, quo Verbum Divinum pactum inſerit nomine humanitatis cum Deo ſuper ſalutem hominum, pro eis oraſſet, &c. & ad meritum pertingeret; atqui non alius modus apparet concordandi veritatem meritum Chriſti pro veteribus Sanctis, quam hæc præcedentia eorum in æternitate, & in ſinu Patris: Ergo ita eſt.

399. Probabilitate hæc in ſuo robore relicta, dicamus ad ſenſum noſtrum Quod attento ordine decretorum Divinæ voluntatis à nobis non ſemel expoſito, habemus ſufficientem modum concordandi eam intallibilitatem meritum Chriſti Domini cum præxiſtentia veterum Patrum, qui præfata præceſſerunt merita; & antea recolendum erit quod decreta de creatione præceſſerunt in Dei ordine ad ea, quæ ſunt, vel fuerunt decreta recreationis, hoc eſt, determinatio gratiæ, & gloriæ; unde per prius Deus decrevit Cælum, & terram, hominemque creare, & condere, poſtea eum ornare juſtitia non ſolum ſibi, ſed toti ſuæ propagini, reſpectu cujus ab ipſo Deo ut illius caput fuerat inſtitutus; lapſum permiſit in eo homine, & miſericordia motus, decrevit eum erigere, fovere, reſtituere,

& à manibus diaboli, in quas ceciderat, eripere. De hoc tract. 17. q. 5. Et ex his duplex deducitur de præſenti controverſia

400. Concluſio, & ſit prima: Meritum Chriſti præxiſtitit cuicumque dono gratiæ homini pro quolibet tempore colato, in eſſe tamen intentionali, & objective expreſſum in mente Divina, & in æternitate. Sententia hæc debet eſſe communis, ut de eodẽ Domino verificetur eſſe primogenitum in multis ſtatibus, & ante omnem creaturam; ſed hæc primogenitura eſt talis in ordine gratiæ, & ad omnium hominum gratiam adminus præcedere deberet, & conſequenter ſic merita ipſius: Ergo prior eſt, & prima iſta Chriſti gratia. Præterea; Chriſtus Dominus præviſſus fuit Redemptor, & totius humani generis lapſi reparator, ex illiusque præviſſione homo alias à Deo creatus inſtaurator, & renovator, ut homo cæleſtis heret, ad gratiam iterum provedus; ſic enim Eccl. de B.V. Maria: Qui ex morte filii tui præviſſam ab omni labe præſervavi, &c. Ergo mors Chriſti, illiusque conſummata merita præceſſerunt præviſſa ad omnem cujuſlibet gratiam; ſed hæc præcedentia aliter eſſe non potuit niſi in eſſe objective expreſſo in divino intellectu: Ergo ita eſt.

401. Concluſio ſecunda: Præxiſtentia hæc objective meritum Chriſti ſufficit ad eſſe cauſam gratiæ, & donorum adhuc eorum, qui ejuſ adventum præceſſerunt. In hac ſare omnes conveniunt, & ſi eam unus ſic, alius ſic explicet; probaturque primo per ſimile de Sacramentis veteris legis, quæ ſolum per eorum moralem exiſtentiam gratiam cauſabant ſuo modo: Secundò: Per cauſalitate ſinis cujus gratia, quæ eſt eorum, quæ ad finem faciunt, & ſolum per illius intentionalem exiſtentiam cauſare poteſt ſuos reſpective effectus: Ergo etſi merita Chriſti ſolum intentionaliter præxiſtant ad gratiam Patrum veterum, hæc ſufficit ad cauſalitate prædiſtorum meritum. Denique merita ſolum moraliter ſunt gratiæ ſanctorum cauſativa; ſed ad iſtud, genus cauſæ moralis ſufficit intentionalis, etſi non ſit vera exiſtentia: Ergo ea ipſa, quæ præſuit in Chriſto Domino ad omnes homines juſtificandos, eſt ſufficiens ad hanc cau-

cauſalitate. Silogismus urget; nam major eſt certa, ſimiliter & minor, & conſequentia in ſolutione hujus iſtantiæ comprobatur.

402. Sed contra arguunt: Ea præſentia objective, & intentionalis meritum Chriſti Domini præcedens gratiam omnium hominum, certe moraliter inſiſt in eos juſtificandos, cæterum non ſtricta ea cauſalitate, & ordine, quo ſe habuit reſpectu eorum, qui poſt ſe extiterunt: Ergo non habetur intentum per illam intentionalem præxiſtentiam. Probatur antecedens: Ad meriti cauſalitate ſtrictam non ſolum expeſtatur dignitas operis, verum & ordinatio operantis, Divina acceptatio, & promiſſio; ſed hæc non præxiſtenter præviſſa; nam Chriſtus Dominus non poſſet ſua opera ordinare in executione ad gratiam Sanctorum, qui eum præceſſerunt; Ergo nec hæc ordinatio præxiſtente. Probatur antecedens, Chriſtus Dominus in executione, & ſuo tempore invenit præteritos eſſe, & fuiſſe eos ſantos, tranſactam ſuam gratiam, & vitam: Ergo ſerium non eſſet ſua opera ordinare ad horum ſalutem; ſed quod intempore non exiſtit in re, non poteſt ab æterno exprimi in Divina mente: Ergo ſi nunquam Chriſtus ordinaret ſua opera pro juſtificatione illorum Sanctorum, nec in Divina cognitione exiſtere poſſet eorum ſanctitas, quia quod non eſt, non cognoscitur.

403. Repliça, & argumentum parum urget. Nam Chriſtus Dominus ſua altiſſima prævidentia hominum milliaria, qui eum non ſunt recepturi, & mundum innumerabilem, qui eum præceſſit, vitiis adhuc, & criminibus inveteratum redemit, & pro eis omnibus ſe Patri obtulit, & pro iis, qui ſunt, & qui fuerunt, & erunt; ſic enim conſtat in variis locis, ſufficiat illud omnium Evang. Hic eſt Sanguis: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum: Igitur Chriſtus obtulit Deo Patri prætium ſui effuſi ſanguinis pro omnibus omnino hominibus; iſtud ergo valetly pro multis. Nunc contra producentem: ſed quæ exiſtunt in re in ſua temporum diferentia ab æterno præxiſtant ſaltem objective expreſſe: Ergo ſi ſi modo extiterunt Chriſti merita in tem-

pore ordinata ad remiſſionem peccatorum veterum Sanctorum, ſic Deus eas præcivit, & illis præviſſis eos juſtificavit, ſanctificavit, &c.

QUÆSTIO XXII.

De gratia animæ Chriſti Domini
quæ, & quotuplex
ſit?

404. **P**oſtquam de altiſſimo hoc myſterio, & Divino compoſito ſecundum quod totum quoddam eſt, & attentis ejus principiis intrinſecis, & extrinſecis phyſicis, & moralibus egimus, ſuper eſt, ut de ejus partibus diviſim, & ſingulatim tractemus. De Divinitate verò quoad formalitatem, & prædicatum naturæ ſupra tom. 1. tract. 1. & 2. & in quantum verbi perſona eſt, tom. 3. tract. 10. reſiduum eſt, ut hic de Chriſti Domini Sanctiſſima Humanitate tractemus; & in primis ſermo erit de ejus anima gratia, & ſanctitate, de que ejuſdem potentis, & adjacentibus, Donis, & actibus, Beatitudine, accorporis Sacro ſancti martyrio, ſacrificio, & glorioſis dotibus; nec non de ipſius Domini cultu, Religione, & Prophetia uſque dam perveniamus ad ſuam poteltatem Sacerdotalem, & Regiam.

405. Ad hanc diſputationem ordinandam, ut certum tenendum, præſupponimus, Chriſtum Dominum eſſe verum Deum, & verum hominem; inſuperque eadem fidè credendum eſſe animam rationalem eſſe veram corporis formam; & hoc eſt eſſe actum perfectiorem, & principaliorem partem hominem in eſſe talis conſtituentem; unde Divinum Verbum aſſumpſiſſe creditur naturam humanam, corpus, ſcilicet, & animam unitam de hoc PP, contra quædam Hereſarcham Apolinarem docentem primo; quod corpus ſolum aſſumpſiſſet Divinum Verbum; & pro anima illius corporis fuiſſet ſua

sua Divinitas ipsi intimè conjuncta: quem errorem, etsi quoad hoc retractasset, incidit in alium tære eundem; nimirum, quod anima ea mente caruisset, & verbum eam assumens, fuisset ejus mens, & veluti ratio, & fortè intellectus. Ut hos errores PP. confutarent, variis uti fuerunt argumentis, quæ in unum congesta inferunt, & convincunt veritatem humanitatis assumptæ per verum corpus, & animam rationalem constitutam.

406. His de anima Sanctissima Christi Domini præhabitis, & quia nil restat de ea declarandum, quod ad præsens institutum pertineat; gradum facimus ad suam sanctitatem, & gratiam, de quo, ut sensum nostrum aperiamus conformiter ad doctrinas D. R. dividamus primò gratiam, & sanctitatem, primò in substantialem, & accidentalem; hæc proveniunt à forma per modum alteri adjacentis, illa vero, ab ea, quæ per se statet; accidentalis gratia est Donum à Deo descendens, & participatum corruptibiliter, & physicè amissibiliter, estque entis naturalis ens supernum; at verò gratia, & sanctitas substantialis, & quæ per se statet, est divina forma hujusmodi inter res creatas, & creabiles, de quo nos tom. 1. tract. 4. satis latè; Sanctitas accidentalis advenit rei in actu completo efficiendi, substantialis autem constituit realiter subjectum, quod sanctificat, in aliquo sui esse.

407. Proprius ad rem nostram accedentes, iterum dividimus nunc gratiam substantialem, & sanctitatem, quam supponimus esse à se, & Divinam, ut potè implicantem, & repugnantem creaturis quibusvis, in sanctitatem, & gratiam à se, & in se habitam, & prout alteri communicatur; prima est divina sanctitas, qua Deus in se purissimus, & sanctissimus est in se, & ut ens eminenter totum omnia continens de puritate, & sanctitate; sanctitas substantialis in alio, vel ab alio communicata, est divinitas participata, & per se ipsam unita creaturæ naturæ intima unione, & conjunctione: Sanctitas hæc substantialis & à se, & in alio non habet exemplum nisi in Christo Domino vel in casu possibili alterius Deificæ assumptionis, ut in se, & etiam in alio esset, vel alteri naturæ comunetur, quate-

nus natura hæc sancta esset substantia legit divina ipsissima Dei sanctitate, quæ à se, & in se sanctus est, ipse Deus per intimam unionem cum ea natura habitam, ratione scilicet, personalis, & hipostaticæ constitutionis.

408. Doctrinam supponimus, non quia ad eam certa sit, & inconcussa, sed ut à nobis supra in hoc tract. stabilita ibi enim unionem hipostaticam distinctam ab extremis concedere renuimus, ideoque hic tenemur asserere totam sanctitatem substantialem divini compositi *Christus* à divinitate Verbi assumptis humanitatem ortum habere potius formaliter, & in quantum illud constituit in actu assendi, ut superius nunc dicebamus. De alia gratia, & sanctitate accidentali, quoad se considerata, & secundum suam essentiam, partes, & effectus formales, efficienter habitos, & adhuc moraliter, specialiter egimus in hoc tom. à tract. 12. per tot. Unde solum in præsentiarum sermo erit de ea, & aliis donis, & virtutibus respectivè ad Christum Dominum habitis, suo tamen ordine, & loco.

409. Ex his deducuntur aliæ difficultates variæ, quæ in unum congestæ, vel divissimæ, pro necessitate agitabuntur; prima erit: Num Sanctitas Christi Domini substantialis sit in illo adæquata sanctitas, & completa? A qua forma habeatur, an ab unione, vel Deitate illius? Et in ipsa queri adhuc potest, si à naturâ formaliter tali, vel à Verbi personalitate? Pro quibus recolere licet ea, quæ de sanctitate tract. 12. supra dicebamus; videlicet, quod sit puritas, mundities, nitore, & pulchritudo spiritualis, & supernaturalis naturæ intellectualis, ad quod sequi videntur denominationes justitiæ, & gratiæ, quæ secum trahunt effectus quosdam formales vel ex natura rei, vel ex divina lege, & statuto, ut puta, amabilitatem, acceptionem, gratitudinem Dei, ac Deum ipsum diligere, sperare, credere, cognoscere, videre, &c. & licet omnia hæc in natura quocumque modo sancta reperiantur vel in se, vel in jure, vel alio quovis ordine, aliter tamen, & alio modo in substantiali, & accidentali reperiri debent: A quo hic super sedemus; & super-

posi:

posita fide sanctitatis Christi Domini repetitis locis sacris firmata, ut in 2. Luc. legitur: *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*: Sic

410. Conclusio prima: Christus Dominus est sanctus sanctitate substantiali, & Divina. Est communis inter Theologos, etli non graduetur inter fidei propositiones. Quo ad hoc ultimum satis patet conclusio, cum etli hac fidei certitudine teneamus; Christum Dominum esse verum Deum, simulque sanctum, & mundum perfectiori munditia, & nitore, adhuc de forma metaphysica hujus puritatis dubitatur; videlicet, vel de unione hipostatica distincta, vel de habituali gratia huic unioni debita, ex suppositione; vel moraliter; ac denique de ipsa Divinitate: igitur apex, & formalitas sanctitatis Christi Domini non subest definitioni Ecclesiæ, & de hoc nil de fide certum habemus, sicut nec de ejus effectibus formalibus, nec de gratiâ habituali, ut de ea Theologicè disquiritur.

411. Primò probatur Conclusio: Christus Dominus est Deus, & hoc est certissimum, & de fide: Ergo substantialiter sanctus. Hæc consequentia probatur: Eo Christus Dominus sanctus est, ut potè sic revelatum B. Mariæ, *quod enim nascetur ex te sanctum, &c.* quo Deus est; nam ita prosequitur Nuntius: *Vocabitur filius Dei*; sed Deus est talis substantiali Deitate: Ergo & sanctus est idem Dominus sanctitate substantiali. Probatur consequentia: Tota sanctitas eminenter tota, fons, & origo totius sanctitatis est Divina natura; sed hæc Christus est Deus, & sanctus: Ergo substantialiter denominari debet talis sanctus; cum ipsa substantialis, & super substantialis sanctitas sit.

412. Sed dicerent in contra, primò: Quod ratio facta nimis probat: Nam ex ea non solum convincitur probabilitas sanctitatis substantialis Christi Domini, verum & hoc fide esse tenendum; patet per illud de identitate gratiæ, & sanctitatis Dei & Christi juxta communicationem Divinitatis in Christo intrinsecè habitam; sed eadem identitate se habeant inter se sanctitas substantialis, & Divinitas: Ergo sic erit certum Christum esse sanctum, ac Deum, sicut esse substantialiter sanctum.

Secundò dicunt: Quod de sanctitate Christi Domini, ut est suppositum verbi in duabus naturis humana, & Divina substans, nullus dubitare potest, substantialem esse; sed de hoc non est difficultas, nisi de sanctitate Christi ut hominis, & quæ esset participabilis, & communicabilis suæ sanctissimæ animæ: Ergo aliud queritur, & aliud probat ratio facta.

413. Ad primum scrupulum, quod opponitur, respondetur, & instatur sic: ex eo quod per aliquod de fide expressum probetur conclusio aliqua topica, & probabilis, non intenditur convincere esse de fide, sicut præmissæ sunt; ut patet in innumerabilibus syllogismis Theologicis hujusmodi, quibus utimur in nostris resolvendis dubiis; immò & hæretici ad sua falsa dogmata probanda textibus Sacris abuntantur: Ergo per hoc quod impræsentiarum de Divinitate Christi probare tentemus ad ejus substantialem sanctitatem, non sequitur, quod hoc de fide esse probari prætendatur, sed solum ut in quæsto affertur. Nec secundum cognos: Nam si in Christo una est sanctitas, eadem erit, quæ sit totius compositi, & quæ communicaretur suæ sanctissimæ animæ: Ergo benè similiter probat.

414. Secundò probatur Conclusio ratione, quam deducimus ex Matth. 17. Luc. 22. Joann. 1. & 2. in his namque locis Christus Dominus ostenditur filius Dei dilectus, & suæ Divinæ complacentiæ objectum; in Jordane à Joanne baptizatus, & in Tabore transfiguratus suæ gloriæ claritatem ostendens, prætereaque plenus gratia, & gloria, quasi unigeniti à Patre prædicatur, & gratia ea præditus, de cujus plenitudine omnes accepimus; sed hæc omnia, & quodlibet satis indicant hanc sanctitatem, & gratiæ à nobis participabilem, & Divinam per se: Ergo hæc eadem Sanctus est Christus Dominus. Probatur minor: Nam sanctitas filii Dei, & in qua Deus sibi complacet, quasi in gratia sui unigeniti, est unicè Divina, & de hujus plenitudine omnes nos accepimus; sed hoc ad litteram dicitur de Christo Domino: Ergo & quod sit substantialiter sanctus. Omittimus textus antiqui testamenti, & PP. autoritates, quia omnes ad hoc idem faciunt.

415. Conclusio secunda: Christus Dominus est substantialiter sanctus, non solum ut quoddam totum est, & veluti collectum, sed & secundum ejus partes divini acceptas: Quoad partem Personæ Divini Verbi, est de fide, & satis hac supposita, demonstrabile est, esse verissima conclusionem; unde tota devolvitur ad partem suam humanitatis ex qua, & ex Divino esse, unus est Christus, de quo, & ex sua sanctissima anima, quæ potius, & formaliter subjecti est, & denominabile à sanctitate, devolvitur resolutio, quæ etiam communis est inter Theologos, & contrarium sentientem in ejus generalitate, nullum vidi; & probatur: Anima Christi Domini, quæ de fide sanctissima creditur, hoc non ex sua natura, & essentia haberi debet; sed non ab alia forma nisi ab ea, quæ ipsum substantialiter sanctum constitueret: Ergo ita est ea anima sanctitate substantialiter prædita. Major est certa, & minor probatur: Sanctitas hujusmodi animæ esset à se, & Divina: Ergo hujus effectus sanctificationis substantialis est. Pater consequentia: Nam hæc Divina forma per se ipsam, & alio quovis medio secluso, talem communicaret sanctitatem: Ergo ut ea est in se, nimirum substantialiter, per se, & à se. Primum antecedens etiam constat: Sanctitas Christi Domini est habita à Deitate, sibi intimè unita, & hypostaticè unæ; & quis sanctus, ut est Dominus? Ergo substantialis, & à se. De hoc iterum q. sequenti.

416. Tercia Conclusio: Substantialis Sanctitas Christi Domini habetur à Persona Verbi secundum conceptum naturæ principalis, & minus principaliter per ejus formalitatem relativam. De hoc variant DD. quibusdam tenentibus personalitate sanctificari, ut immediatius dignificativam naturæ humanæ assumptæ; aliis contrarium docentibus propter suas respectivè rationes; nos fundati in doctrinis R. quas habet in 3. dist. 2. nos supra dedimus, eam teneamus, & sic probamus: Quia Divinum Verbum est subsistens in humanitate Christi, & quatenus natura hæc intrinsecè terminatur Divina hac persona, ideò est substantialiter sancta; sed

principalis, & actualius principium constituens istam Dei personam, & subsistens est Divina Essentia & natura, personalitas verò minus principaliter: Ergo sic anima Christi Domini sanctificatur substantialiter à Persona Verbi. Vel aliter: Sanctitas est de linea actus, & perfectionis; sed totum quod actualitatis, & perfectionis entitative est in persona Verbi, principaliter est à Divina essentia & natura, à qua ut primum in esse Divina entis, omnes quæcumque actualitates, & perfectiones Divinæ emanant, & originem trahunt: Ergo & ab ista est omnis sanctitas Divina, & substantialis. Alia dabimus pro argumentis.

417. Conclusio quarta: Sanctitas hæc substantialis Christi ipsi convenit ex ipsa rerum natura, quo ad omnes suos effectus. De ista nullibi videram tractari, sed quasi per transennam aliquid dicemus, ut sensum nostrum conformemus cum supradictis de eodem assumpto tract. 13. Probaturque: Effectus sanctitatis substantialis est, subiectum constituere in esse Divino, superno, gratum, & dilectum facere, Dei hæredem, ac filium: sed semel assumpta humanitate à Verbo Divino, ex ipsa rerum natura, & conditione, habere debet Dei filiationem, jus ad hereditatem, & Divinitatem ipsam insuper intrinsecam sibi: Ergo hæc munia substantialis sanctitatis illi naturæ ineffient ex rei natura, non verò ex aliquo pacto, & promissione; immò & esse Deo charam, dilectam, ea facta suppositione assumptionis, videlicet, ad Divinum esse.



PROJ

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

418. **P**rimò contra secundam conclusionem arguitur: Natura humana, & anima Christi Domini non potest sancta substantialiter denominari, siquidem à se esset talis; idem enim est sanctitas per se, ac sanctitas à se, ut est nostra doctrina: Ergo de hac anima Christi Domini ea sanctitas dici non potest. Probatur consequentia: De ipsa anima dici non potest, quod à se sit; cum sit quid à Deo creatum: Ergo nec quod à se sit sancta. Probatur consequentia: Sicut aseitas repugnat creaturæ in sua natura, sic aseitas ista videtur ei impossibilis in prædicatis supra naturam eidem advenientibus: Ergo sicut repugnat naturæ animæ Christi à se esse, ita & esse à se sanctam.

419. Argumentum secum affert fallaciam veluti dictionis; aliter enim habet esse anima Christi Domini, aliter sanctitatem; esse habet per veram creationem in corpore divinitus formato, & organizato; sanctitatem verò per suppositionem, & sui subsistentiam, & intrinsecam terminationem, quæ cum sit Dei, & divina est, & à se habet totum esse; hoc enim est propriissimum cujuslibet divini prædicati. Nunc ad formam respondeatur negando consequentiam, & ad hujus probationem, concesso antecedenti, distinguitur consequens: Repugnat aseitas in prædicatis ipsi advenientibus in esse completo, concedo; ipsi advenientibus in esse essentia, & existentia constitutæ tantum, nego consequentiam; & ad hujus probationem, distincto similimodo antecedenti, dicimus; quod sanctitas animæ Christi Domini est ipsius propria subsistentia, quæ divina est, à se; ipsi advenit constitutæ in suo esse essentia, sed non in suo esse completo, quod per subsistere perficitur: Ecce existentia ab alio habita in anima Christi, sanctitas verò à se; non aseitate absolute habita, sed sibi à Deo per intimam unionem formaliter communicata.

Tom. II.

420. Secundò arguitur contra tertiam conclusionem: Tota sanctitas animæ Christi Domini haberi debet ab eodivino prædicato, in quo facta fuit unio Dei, & hominis; sed ea unio facta fuit in Persona, non in natura: Ergo ab illa, non ab ista est substantialis sanctitas Christi Domini. Vel aliter: Sanctitas animæ Christi Domini ideò substantialis est, quia homo ille subsistens est divinitates sed hoc non est ratione divinitatis formaliter ut natura est: Ergo potius ratione divinæ Personalitatis. Fundatur doctrina in eo quod prædicta sanctitas substantialis potest utique haberi à personalitate Verbi, ut tali: Ergo semel, quod hæc formalitas sit prædicatum immediatius animæ Christi, ab illo deberet esse, & accipi sua sanctitas. Antecedens probatur: Hujus personalitatis præcisè ratione haberetur in anima Christi condignitas; proportio, & elevatio ad quodcumque supernum opus, ad Dei filiationem ad esse illi gratam, acceptam, & charam; siquidem ea Personalitas ut talis formaliter est divinum ens sub ea adhuc præcisione; sed hoc est sanctitas: Ergo præstabilis animæ Christi, quam terminat à Persona Divini Verbi sub formalitate terminantis.

421. Argumentum est totius contrariæ sententiæ summa; & contra eam fieri potest simile in hunc modum: Tota ratio sanctitatis substantialis Christi Domini est Verbi Persona; sed hæc principaliter constituitur Divina natura: Ergo ab ista formaliter, ut talis est, habetur ea sanctitas. Per quod patet ad secundam: Unio namque facta est in persona, cæterum hæc principaliter constituitur per naturam in suo esse actuali, & perfecto, à quo est sanctitas substantialis; ideòque verificatur utrumque, & quod persona sit immediate terminans humanitatem, & quod à natura Divina, per quam constituitur, & à qua est omnis actus, habeatur sanctitas substantialis. Nec sanctitas hæc haberi potest à prædicato illo personali; ut à natura distincto; quia sub hac ratione nec actus perfectivus est, nec sanctitatem dicit, nisi implicite, ut potè Divinum ens, ut notat argumentum: Erit enim conditio, &

Ggg

ve.

veluti medium, per quod ſanctitas Divina communicatur humanitati; & licet ſub conceptu peculiari perſonalitatis perfectionem dicat, eſt in linea relativa, ad quam non pertinet ſanctitas Dei.

422. Tertiò arguitur contra ultimam conſuſionem: Eſſectus omnes, quos communiter præſtat ſanctitas, accidentaliter ſit, aut ſubſtantialis, dependent à lege, & ſtatuto Dei: Ergo non eſt ſic ex natura rei habitus in Chriſto Domino ſanctitas. Antecedens probatur, & determinatè loquamur de ſubſtantialiſ primò: Si Divina Perſona aſſumpſiſſet naturam non ſpiritualem, nullum eſſectum ſanctitatis eidem præſtaret; ſed ſi hoc conveniret illi unioni ex natura rei ubique ſtatè natura aſſumpta à Verbo Divino, reperiretur ſua ſanctitas communicata; ſiquidem quod alicui convenit ex natura rei, de eo eſſentialiter dicitur, ac ſemper, & in omni ſtatu: Ergo. Secundò: eſſe caput morale eſt proprius eſſectus ſanctitatis Chriſti Domini, ſicut & eſſe principium totius meriti; ſed hæc ſanctitati Chriſti adaptantur juxta Dei pactum, & legem: Ergo idem, quod prius.

423. Quarto alia via arguitur contra idem: Eſſe ſanctum eſt eſſe Deo gratum, & acceptum ſubſectivè, & objectivè; ſed neutrum habere poteſt anima Chriſti ratione naturæ Divinæ, ſeculſto Dei pacto, & ordinatione: Ergo ab illo habetur ea ſubſtantialis ſanctitas. Major eſt doctrina noſtra, & minor probatur, quoad primum: Eſſe gratum ſubſectivè eſt poſſe Deum diligere, & cognoscere, &c. Sed nulla lege interveniente, anima Chriſti non valeret ad iſtos actus, quæ eam ſuperant in entitate, & quam elevare non poteſt Divina natura per modum principii formalis: Ergo. Minor infra probabitur q. ſequenti, ubi de propoſita difficultate diſſuſe.

424. Nuncque probatur quoad ſecundum, quod continet illa propoſitio minor: Eſſe Deo gratum objectivè, & acceptum, eſt eſſe objectum divini amoris, & acceptationis; ſed anima Chriſti neutrum habere poteſt ex natura hypoſta-

ticæ unionis: Ergo: Probatur major, & in primis per exemplum de gratia habituali, quæ non dat eſſe gratum objectivè homini, quia Deus extra ſe nihil intuetur, aut diligit: Ergo nec animæ Chriſti poſſet convenire, Deum videre, & diligere, ut objectum per ſeterminans ſuam viſionem, & amorem. Poſtea, Deus non tenetur diligere, & acceptare ſe diligentem, & amantem, niſi aliquo pacto, & lege intervenientibus: Ergo data ſanctitate in anima Chriſti Domini in vi unionis hypoſtaticæ, & ſubſectiva gratitudine, adhuc ex natura huius ſtatus non conveniret illi eſſe objectivè gratam, & acceptam. Aſſumptum convincitur ex natura Divini domini ſupra ſuos actus, & objecti, non inferentium neceſſitatem.

425. Reſpondetur ad ſecundum, quod continet argumentum: Quod ſanctitas, quæ à gratia habituali habeatur, alia neceſſario eſt à ſanctitate Divina, & ſubſtantiali; ideòque illa ſolum ſubſectivè facit hominem gratum propter rationem in argumento; iſta verò ſubſectivè, & objectivè, quia adhuc animæ Chriſti communicata ſubſtantialis, à ſe, & Divina eſt, & utrumque poteſt habere, ac terminare dilectionem, & acceptationem Dei: ad quod neceſſitari eſt neceſſum ea neceſſitate, quæ ſe diligit compatibili tamen cum libertate immutabilitatis, de qua pluries nos: Nec obest, quod anima Chriſti ſit quid creatum; ſiquidem forma cujus virtute terminat Divinam acceptationem, Perſona Divina eſt, qua conſtituitur in eſſe, & ſubſiſtere. Ad illud de morali capite, & meritò aliqua diximus, & poſtea dicemus: In præſenti ſufficiat, quod hæc munia ſunt Dei propria, & nulli communicabilia niſi pro nu-

tu, & ſua lege, & ordinatione.

ne.



QUÆ.

QUÆSTIO XXIII.

An gratia habitualis ſit in anima Chriſti Domini? Et ad quosnam effectus?

426. Determinatè tractamus, & quærimus de gratia communiter dicta habituali in ordine ad animam Chriſti Domini ornandam, & decorandam, ut modo iſto eum diſtinctione loquamur inter eam, & ſubſtantialem ejuſdem Domini ſanctitatem, de qua nunc immediatè antè: Gratia hæc habitualis multinomia eſt juxta multiplices effectus, quos de ipſa prædicant Theologi ex ſacris litteris: Dicitur ergo habitualis gratia; gratia ſanctificans; gratia gratum faciens; gratia filiorum Dei; ac denique juſtitia noſtra, vel juſtificans gratia; de quo hic nil, aut parum dicemus, quatenus in hoc tom. tractat: ſpeciales inſtitutus de ea habemus, ut 12. & 13. & adhuc 14.

427. Tota huius q. difficultas, nimirum, ſi in Chriſto Domino talis ſpecies gratiæ verè, & propriè ſit, oritur ex ſeconda illius parte; videlicet, ſi animum intendamus ad ſuos effectus formales reſatos, an ut in Chriſto Domino communicabiles, locum habere videantur, vel non? Cumque aliunde formam non concipiamus, niſi in ſubſectio, cui ſuum, vel ſuos formales effectus conferat; alias in illo inaniter exiſteret, & Deus fruſtra aliquid molliretur; ex iſta veluti complicatione offertur nobis tota ratio dubitandi: Hic ſuperſedemus à denominatione habitualis gratiæ; quia etſi certiffimum ſit apud DD. ita eſſe, & habitum permanenter inexiſtentem in anima juſti, & ſancti; adhuc non quietſcunt circæ gradum talis veritatis; & præterea ad rem præſentem non intereſt; qua propter de aliis effectibus ſingulatim diſcurrendo, ad ultimam à eveniendū erit ad noſtras reſolutiones.

Tom. IV.

428. Et primò certum videtur, quod gratia habitualis facit, & conſtituit ſubſectum Deo gratum, & acceptum; juſtum, & ſanctum; ac ſaltem reſultativè, Deo dilectum objectum congruum ſui amoris, qui omnes effectus præxiſtunt in anima Chriſti ad gratiam habitualem ſubſectantialiter communicati à Perſona Divini Verbi per unionem cum illa hypoſtaticam: Eſt enim hæc anima Deo grata non modo ſubſectivè, verum & objectivè; accepta Deo, dilecta, & chara Deo, objectumque ſuæ divinæ complacentiæ per divinitatem ſibi intimatam: Ad quid gratia habitualis in anima Chriſti Domini? Gratia præterea facit juſtos, & ſanctos, Dei filios, & ſui Regni hæredes; remittit debita, & peccata; ſi enim Chriſtus eſt filius Dei naturalis, cui ſua hæreditas debetur non ſolum in capite, ſed etiam in membris; dicente ei Pater, Pl. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.* ac nec peccatum fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus; ad quid eidem deſerviret adveniens habitualis gratia? Ergo ibi inanis eſſet, & vacua. Ad propoſitam difficultatem per aliquas conſuſiones reſpondemus ſic:

429. Conſuſio prima. In anima Chriſti Domini eſt verè, & propriè ea gratia, quæ cõmuniter dicitur habitualis. Non eſt cur ad huius authoritatè citemus DD. aliquos; nam non de eſt, qui aſſerat, de ſide eſſe, & Catholicam, ſed ab hoc abſtineo, quia de eo tract. citat. Primòque probatur per illud Pl. 44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Fære literaliter de Meſſia loquentis; qui locus ſi concordetur cum alio Paul. ad Rom. 5. *Charitas Dei diſſuſa in cordibus noſtris, &c.* Magnam facit probabilitatem; ut in Chriſto eam ipſam gratiam concipiamus, quæ in cordibus noſtris diſſuſa eſt per Spiritum Sanctum; ſed hæc communicata eſt per modum veræ, & inhærentis formæ in anima juſta, & ſancta: Ergo ſic debet conſiderari ea ipſa gratia inhærens, & afficiens Chriſti animam, & verè, & propriè.

430. Secundò probatur conſuſio ratione, quam habet R. in 3. diſt. 32. q. unic. art. 1. Quicquid eſt perfectionis in homine, fuit in Chriſto Domino perfectè; ſed eſt ſumma hominis perfectio,

Ggg 2

ha.

habere gratiam habitualem: Ergo hæc eadem gratia fuit perfecte in anima Christi Domini. Ex quibus deducit, quod gratia ista non cadit sub ipsius merito, ut nos in hoc tract. supradedimus, quatenus gratia ista est principalior de perfectionibus, & excellentiis, quæ interiores sunt, & animæ intrinsicæ; & de his idem R. tenet eas insuisse ab instanti suæ conceptionis in anima Christi Domini, quarum hoc apponit exemplum: *Quædam sunt, quorum carentia pro aliquo tempore magis argueret indignitatem in Christo: sicut sunt gratia, & scientia, beatitudo, Deitas, &c.* Ecce loquitur de gratia habituali, ut à Deitate distincta: Ergo ea gratia datur in anima Christi perfecte: Ergo verè, & propriè.

431. Conclusio secunda: Gratia habitualis inexistens in ejus anima non facit per se primò, & principaliter, esse humanitatem Christi justam, sanctam, gratam, Deo acceptam, & dilectam, sicut nec Christum ipsum filium Dei constituit, & amicum, nec sui regni heredem. Satis clara est resolutio ex supra dictis in hoc tractatu, de quibus aliqua revocabimus, & recolimus; est etiam frater communis, ut jacet, ideoque hac una ratione probatur: Christus Dominus est filius Dei naturalis, substantialiter sanctus: Ergo à gratia habituali, quæ quoddam accidens est sive animæ adveniens nequit haberi primò, per se, & principaliter esse gratum charum amicum, &c. Patet antecedens, & consequentia probatur: Non potest forma aliqua denuo adveniens præstare subiecto effectum aliquem, quo perfectiori modo erat præventum, & per superiorem formam communicatum: Ergo nunquam gratia habitualis præstaret animæ Christi eos supra dictos effectus, qui præventi fuissent per substantialem sanctitatem.

432. Conclusio tertia: Gratia habitualis non desideratur, nec deservit in anima Christi, ut sit connaturale principium suarum supernaturalium operationum. Est peculiaris apud discipulos D.R. manducataque ab iis doctrinis, quæ ex eodem dedimus com. tract. 1. q. 7. ibi enim declaravimus habitus supernaturales acti- vos non esse, nec ullo modo vitaliter

agere in suas respectivè operationes, sed unice esse elevationes quasdam, vi quarum potentia sibi correspondentes adæquate, & totaliter in suas qualque influunt operationes: Et eodem modo, & indigentia sentitur de naturalibus. Quæ doctrina supposita, probatur conclusio præcisè firmata autoritate hac D.R. Gratia habitualis desideratur in anima iusta puri hominis, ut eam elevet, & proportionet ad actus supernos eliciendos connaturaliter, quatenus in vi hujus elevativæ formæ superiorem constituunt potentias suas in eodem gradu & ordine cum actibus supernis & anima operans sic supernaturaliter tendit in ea respectivè objecta. Sed ad munera ista deservire non potest habitualis gratia in anima Christi: Ergo nec ad supernaturales operationes ullo modo eliciendas.

433. Minor probatur: Anima Christi Domini, ac ejus potentia sufficientissimè elevata est, sanctificata, & proportionata ad quascumque supernaturales operationes ratione Deitatis sibi intimata, & magis intrinsicata, quam esset ea gratia habituali: Ergo ad istam elevationem, & proportionem, adhuc connaturalem igitur habitualis non desideratur. Probatur hæc consequentia, & simul instatur solutio quadam contrariorum, quæ rationi huic dari solet: Elevatio enim, & proportio animæ Christi ad actus supernos habetur per formam substantialem, qualis est Deitas; ulteriusque hæc quasi forma est quid pertinens ad esse animæ hujus, & si non ad essentiam, est item constituens intrinsicam illi animæ: Ergo & eam constituit elevatam, & proportionatam ad superna connaturaliori modo elevationis. Probatur hæc consequentia: Natura, quæ Divinum esse habet, & per illud substitit, & ultimo est, connaturalius elevatur, & constituitur in esse superno per substantialem formam, quam si accidentaliter adesset; & hoc ipsa rerum natura docet: Ergo anima Christi Domini connaturalius elevatur ad superna per hypostaticam unionem, quam per habitualem gratiam sibi inhaerentem.

434. Conclusio quarta: Gratia habitualis existens in anima Christi Domini eam ornat, & decorat, ac dicitur per modum

dum realis participationis, & physici naturæ Divinæ consortii, & insuper eos omnes effectus formales, quos aliis communicat per se, & quorum capax sit hæc sanctissima anima ab illa habet accidentaliter præstos. Est communis apud fere omnes DD. qui supponunt, & tenent, quod per gratiam istam anima Christi sancta est, Deo dilecta, & chara, etiam accidentaliter, ipsique adaptari nequeunt ullo modo effectus alii gratiæ habitualis, quatenus repugnantes sunt summae hujus animæ Divinitati, & sanctitati, ut puta, Dei adoptivam filiationem, & peccatorum remissionem. Ratio hujus conclusionis ea esse potest. Quod effectus alii possunt advenire animæ Christi Domini, sicut ipsi adveniunt actus secundi, & exercitæ operationes; sed hæc sunt accidentales formæ, & denominationes, videlicet, charitatis, & dilectionis Dei, quæ in unum conspirant cum effectibus formalibus gratiæ habitualis: Ergo has ipsas denominationes haberet anima Christi permanenter, & habitualiter, accidentaliter verò in vi gratiæ habitualis.

435. Sed contra sit: Hucusque dicta nullam patiuntur difficultatem, sed adeo verum est, quod gratia habitualis ornet, & decoret Christi animam sicut & alias sanctas, & justas constituit; & quod hujusmodi effectus sint accidentales eidem animæ certum apparet: Nam à forma accidentali effectus solum accidentales provenire possunt: Ergo non solvitur per prædicta nodus indissolubilis de ista gratia Christi. Instantia parum urget: Nam aliud est, quod effectus alicujus formæ sit accidens, & subiecto accidentaliter adveniat, & aliud quod sit accidentalis propriæ formæ. Dealbatio enim, quæ est effectus albedinis, accidens est alabastrum, ipsique advenit, cæterum essentialis, & per se dicitur de albedine dealbare: Dicamus in nostro casu: Constituire subiectum gratum est accidens respectu subiecti, sed per ordinem ad gratiam ipsi comperit essentialiter sanctos facere, & Deo gratos; unde posita, & stabilita gratia in Christi anima idem habet, cæterum ex iis effectibus, qui essentialis sunt ei, solum aliquem, vel aliquos illi animæ communicare potest, quorum solum capax est, cæteris tantum

in eadem anima Christi existentibus per accidens, vel accidentaliter, quatenus conjuncti sunt, & a gratia ipsa inseparabiles.

436. Restat, ut omnia compleamus, quem ex his formalibus effectibus præstet, & communicet per se primò ea gratia, sciendum, ut verificetur, quod vera forma sit, non supervacanea in Christi anima, & inutiliter inhaerens, & in ea inexistens: habet ergo gratia ex natura sua esse consortium Divinæ naturæ, & hujus accidentalem cæterum realem participationem, decorum, & pulchritudinem substantiæ naturalis spiritualis, mundiciem, & primam formam inter supernas; hæc denominationes sunt primò, & per se tales à gratia habituali, ubicumque ponatur, impræcindibiles: Ergo inter primos sunt primarii effectus: Ergo inter accidentales, qui per se animæ Christi communicari non repugnat, possent & numerari; sicque verificaretur, & quod ea gratia non frustra esset in Christi anima, quatenus eidem hos suos effectus primarios præstaret, quosdam per se, alios verò per accidens, omnes autem eidem accidentales.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

437. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Existentia Gratia habitualis in anima Christi Domini non est adeo probabili ratione, aut autoritate fulcita: Ergo non est unde stabilizatur. Probatur antecedens, & in primis, semper ac in litteris sacris agitur de gratia Christi, est per respectum ad unionem hypostaticam, sic Joann. 1. & 2. extollens Christi gratiæ plenitudinem eam asserit esse, de cujus fonte omnes accepimus; immò & pl. 44. ubi noster interpres: *Unxit te Deus oleo letitiæ præ consortibus tuis: Legitur; oleo exultationis præ participibus tuis.* In versio. 70. ubi satis clarè innitur, Christi gratiam esse, de qua omnes ejus consortes participamus. Et ratio convincit: Nam ea gratia habitualis, cum animæ Christi adveniat,

veniat, repetit in ea communicatos, perfectiori, actualiori, & nobiliori modo, omnes effectus quoque præstare potest sub quacumque accipiantur consideratione: Igitur nullum est Theologicum fundamentum, ut asserere teneamur, Christo Domino in esse istam gratiam.

438. Ad argumentum, quod esset unicum contra hanc conclusionem, respondetur; & primò ad propositum textum, & alios omnes, qui in medium afferantur, quod certè loquantur de gratia substantiali, & unionis, & istud erat scopus principalis sacri scriptoris, instruere nos, & revelare altissimum Mysterium Incarnati Verbi, & nostri per illud exaltationem, & donorum plenitudinem consummatam: Ex quo sequitur, quod cum Christus Deus, & homo sit, ea gratia decoretur, & ornatur sua sanctissima anima, qua homines, quorum, caput est, insigniti existunt vi suorum meritum; & de hoc aliis in locis factis, quibus permoti Theologi in hanc unam conspirant sententiam. Nec in contrarium urget argumenti ratio. Siquidem concessio, quod effectus speciales habitualis gratiæ, qui à Divinitate substantialiter animæ Christi communicantur, possent & ulterius alia via, & ordine per accidentalem gratiam præstari, sub sua, videlicet, quidditate, & essentia, ac tanquam forma accidentalis vicinior fragili humanitati, de isto non potest dari fundamentum cogens.

439. Secundò arguitur contra secundam, & alias simul conclusiones: Gratia sanctificans, quæ & habitualis vocatur, ideo gratia est, & sic denominatur, quia subjectum, cui inhæret, & informat, gratum facit, & constituit, sicut & sanctum, in quantum etiam sanctitas est: Ergo si eam in Christo tenemus esse, suam animam gratam facit, & sanctam constituit. Antecedens probatur, primò per generalem rationem formarum: Nam sicut ab albedine album, & ab humanitate homo, ita à gratia nulla alia denominatio haberi potest, quam grati; etsi hæc sic etiam sanctitas subjectum sanctum denominaret: Ergo vi hujus gratiæ animæ Christi inhærentis gratia denominabitur, & erit. Secundò probatur illud

antecedens specialiter. Gratia Christi, de qua hic est habitualis forma sanctitatis, vestiri que debet eadem ratione quidditativa, ac gratia hæc in sua specie; sed hæc constituitur per esse sanctitatem subjecti, primusque illius effectus est subjectum Deo gratum facere, de quo nos tract. 12. cum. R. ergo.

440. Respondetur ad argumentum revocando in mentem illam speciosam divisionem vocum, & nominum in suis significatis per veram, scilicet, & famosam significationem; ut de lapide, qui a ledendo pedem usurpatur sua famosa denominatio, & aliter significat duritiem corporis in vera, & reali significatione: Dicamus sic de gratia; hæc etenim in rei veritate significat effectum formalem gratum faciendi, sed famosè, & ex usu, & accommodatione ultra, vel citra significare potest; clarè convincitur in gratiis gratis datis, quas Theologi cognoscunt, quæ in rei veritate gratiæ sunt, & suum subjectum gratum non denominant in usu famoso, quatenus invaluit divisio, gratiæ per eam, quæ est gratis data, & aliam, quæ sit gratum faciens. Conformer ad quam doctrinam asserere, & tenere possemus in Christo gratiam, & quæ ipsum gratum non faceret, in quantum pro dignitate hujus excellentissimi subjecti substantialiter grati, deficeret à ratione ea gratum faciendi talis gratia.

441. Alia via, etsi hæc non sprete, dicimus, ad utramque probationem antecedentis illius: Quod gratia ubicumque ponatur, habet esse gratiam, & sanctitatem, & hoc est sibi proprium, & vel per se, vel per accidens; sive aliis terminis, signate, aut exercitè præstat hujusmodi effectum subjecto, cui inhæret, si capax illius sit, & alium, vel alios pro naturæ aptitudine: Omnes namque formæ, & specialiter supernæ, ac maximè gratia, quia sunt altissimæ dignitatis, habent sicut & varias præstabiles denominationes, sic & nomina, & veluti effectus formales, inter quos, quia non est facilis discernentia, nec unius præ alio conceptibilis differentia, pro tanto nec ordo primarii, & secundarii, propterea que solent quandoque vocari inadæqua-

ti, & pro capaxitate subjecti his suis effectibus potiri, per se quibusdam, & exercitè, aliis verò per accidens. Modum solutionis habes in ultima hujusq. conclus.

442. Tertio arguitur, & instatur solutio: Non est in gratia habituali conceptibilis prior alius effectus, quam gratum subjectum facere: Ergo vel anima Christi Domini non informatur gratia ista, cujus primarii effectus capax non est, vel per illum grata Deo fieret. Consequentia hæc legitima est; nam ad convertentiam dici debent; informare, ac effectum aliquam primarium præstare subjecto suæ informationis. Antecedens verò probatur: Esse subjectum Deo gratum, est esse in Deo gratia habituali constitutum, & ab ea informatum: Ergo ab opposito effectum in subjecto verè, & propriè, & informativè est idem ac subjectum Deo gratum constituere; sed nil hoc effectu prius conceptibile est in habituali gratia: Ergo esse gratum haberetur in anima Christi ab ista gratia. Iterum subsumitur; sed effectus formalis omni primitate prior debet per se præstari à forma subjecto proprio; siquidem effectus hic formalis est ipsa forma subjecto communicata: Ergo si concedis in anima Christi gratiam, ibi teneris ad esse gratum per eam, concedere. Argumentum solutum habes in hac q. conclusione ultima.

443. Quarto arguitur, & roboratur præcedens: Gratia existens in anima Christi, & eam informans, nullum habet specialem effectum conceptibilem, quem ipsi communicet; sed hoc est de ratione cujusque formæ inhærentis, siquidem per hos speciales effectus innotescit formæ talis essentia, & quidditas: Ergo non assignato in illa gratia peculiari effectui, nec animam Christi informaret. Antecedens probatur: Decorare, ditare, & ornare animam Christi non est peculiare in gratia, est enim commune omnibus aliis donis, & virtutibus, nec per hoc innotescit vera gratiæ quidditas determinata: Ergo licet illi prædictum munus conveniat, non tamen ut effectus primarius, & distinctivus.

444. Respondetur ad argumentum libenter concedendo, quod esse decorum,

ornatum, & pulchritudinem est gratiæ commune quid cum aliis donis supernis, ideoque nec differentialis illius formalis effectus erit, nisi ulterius diceret, & determinaret præfata munia ad certam speciem realis, scilicet, physicæ, & immediatæ participationis Divinæ naturæ: Ecce effectus primarius per se, & specificus gratiæ in sua generalitate gratiæ habitualis, qui & communis est pro quolibet subjecto, cui inhæreat, & peculiaris gratiæ in sua essentia; est communis, & essentialis, quia gratia ea hominibus, & Angelis infusa, sub hac ratione primò communicatur eis; si autem ad Christum Dominum referatur, facit ejus sanctissimam animam, hæc eadem participatione præ omnibus gaudere: Propterea Deus illum unxit oleo exaltationis præ confortibus, & participibus suis: Est denique istud speciale gratiæ; nam alia dona decorant, sed non per modum primæ formæ supernaturalis, & ut primum Dei consortium, prima suæ naturæ participatio, sicut est Dei gratia.

445. Quintò arguitur: Præter has denominationes alia peculiaris tribui debet gratiæ, ut concordet simus cum à nobis dictis tract. 12. & maximè sententiæ R. ibi citati, ac denique communibus conformemur doctrinis: Ergo aliud debet esse, & c. Antecedens probatur. R. & cum eo nos dedimus sibi, quod primarius effectus, qui constituitivè de gratia habituali dicitur, est subjectum facere gratum, & acceptum Deo subjectivè; hoc est, ipsum potentem constituere ad opera dilectionis, & charitatis, ac perfectæ fidei, & spei: Quod aliis terminis idem est; ac esse principium primum supernaturale ut connaturaliori modo eliciantur, & perfectius opera superna; sed hoc in Christo esse, & necessarium est, & aliunde non apparet inconveniens & obex ad id in eodem Domino: Ergo hic adhuc in Christo Domino erit effectus per se primarius in gratia conceptibilis. Major videtur certa;

446. Minor verò probatur: Prædicta forma prima in ordine supernaturali faceret, quod nulla alia in Christo facit, adhuc nec Divinæ naturæ potest in ordine

ne ad operari ſupernaturaliter: Ergo & neceſſaria eſt, & ideo non incongruit. Probatuꝛ antecedens: Natura Divina humanæ hiſtaticè unita, eam facit ſanctam, gratam, &c. ſubſtantialiter, cæterum ſuplere non poteſt vices pꝛincipii connaturalis in ſuis operibus: Ergo ad hoc deſideratur gratia. Antecedens probatur: Natura Divina eſt pꝛincipium eminens talium operum, non verò formale: Ergo nec eſſe poteſt connaturale; cum non eleyet proportionando creatam naturam ad ſic operandum, & per modum formæ propriæ: Totum hoc ſiſtit in eo, quod Divina natura eſt ſolum inſtituta creatæ terminativè, & non ut forma, & ſubſtantia illius; ideoque nullomodo eſſe poteſt pꝛincipium vitale connaturale ſuorum operum.

447. In ſolutione hujus argumenti neceſſe habemus à communibus doctrinis recedere, quatenus conformiter ad dicta ſupra tom. 1. tract. 3. q. 7. tenemur ad peculiarem D. R. ibi citati; aſſeſit enim, quod actus ſuperni vitales ſolum pꝛærequirunt in natura creata proportionem, & elevationem de illo ordine, & ea poſita per modum cauſæ formalis, efficien-ter eſt tota ratio agendi in natura. Quo ſuppoſito: Anima Chriſti Domini cum ſit plenè ſanctificata per unionem hiſtaticam cum Verbo æternò, habet ſufficientem proportionem, & elevationem, ut in eſſe ſupernaturali conſtituta valeret ad omnes conſequenterque qualibet forma creata Divina per participationem, & poſt adveniẽs ſuperflueret.

448. Sed contra: Non negatur à contrariis hoc ultimum, inſiſtunt enim in hoc, quod eſſi à Divinitate haberi poſſit ejuſmodi elevatio naturæ humanæ eminenter, non verò connaturaliter; magis connaturalis eſt forma elevans creata reſpectu naturæ creatæ, quam Divina; nam hæc eminenter, illa verò formaliter ſuum præſtat eſſeſtium; cujuſ hæc elratio: Forma conformior connaturalior eſt ſubjecto; ſed forma creata conformior eſt creatæ naturæ: Ergo connaturalior: Ergo adhuc ſuppoſita Divina natura in Chriſto Domino, deſideratur gratia habitualis, ut eſſet pꝛincipium connaturale, vel effi-

ciens, vel ſaltem elevans ad actus ſupernos.

449. Reſpondetur ad inſtantiam per hanc diſtinctionem majoris: Forma elevans creatam naturam nudè ſumptam, conformior eſt, concedo; naturam hiſtaticè Divinizatam, ſubdiſtinguo majorem: Conformior eſt, quoad entitatis quidditatem, permitto; conformior eſt congruentior, & connaturalior quoad proportionem, & elevationem, nego majorem. Gratia namque eſſi in ſua entitate conformetur cum anima Chriſti, utpotè etiam creata natura, ad hoc autem ut eam eleyet ad ſupernè operandum, conformior eſt Divinitas; ſiquidem hæc elevatio eſt naturæ ſubſtantialiter ſanctificatæ, cujuſ operationes ſunt, & dicuntur Theandricæ, & à ſuppoſito Divino elicitæ; ſed ad proportionem huiusmodi congruentior, aptior, & connaturalior eſt Divina ſubſtantia: Ergo hæc ſtante, alia ſuperfluit, quæ creata ſit, quidquid ſit de forma eminentiali, aut formaliter tali, quod nil ad rem elevandi aut parum facit, & maximè inſubjecto taliter dignificato.

QUÆSTIO XXIV.

Utrum natura humana Chriſti Domini ſit ab intrinſeco impeccabilis?

450. **S**anctitas, & gratia, quæ apud Mag. & DD. alia operans, alia coöperans dicitur, quatenus in natura operatur munditiem, & pulchritudinem conſerendo, & cum ea Deus ſanctos facit, ſanctè, & juſtè operari, peccata commiſſa dimittit, & committenda prohibet, ac jubat, ut non committantur; relata hæc ad ſanctitatem ſubſtantialem Chriſti Domini, ſuiſque eſſeſtibus pro munere illius; & ſubjecti capacitate perpenſis, de hac ſanctitate prout ſuo modo etiam operans, & coöperans eſt, ſci;

circè deſideratur; num ſit ita elevatio, ut non modò in anima Chriſti operetur ſanctitatem ſubſtantialem, & totius peccati exclusionem, verum & illam conſtituat impeccabilem, taliter, quod nulla facta præciſione, & ſeparatione, per nullam potentiam ad peccandum valeat?

451. Et ut clarius in reſolutione præcedamus, ſic ſenſum quæſtionis dividimus; & primò loqui eſt neceſſum de abſoluta, vera, & propria impeccabilitate, ita ut quod nec veſtigium ad poſitivè peccandum relinquat; nam de morali non habemus dubitandi rationem. Inſuper ſcite convenit, quod quærimus de impeccabilitate iſta pro omni ſigno, & ſenſu; ſiquidem in ſenſu composito ſanctitatis ſubſtantialis, quamvis ſit ſua difficultas ſuo loco ſolvenda, non reputatur majoris notæ: Principaliſ ſiſtit, ſi accipiatur in ſenſu diſiſto ab hiſtatica unionem; & ex hinc redit noviter, quod ſupra tom. 1. tract. 4. q. ultim. dedi-mus, & latius D. R. in 2. diſt. 40. circa poſſibilitatem creatæ naturæ ab intrinſeco impeccabilis; & ad hos terminos reducitur in præſenti: An non modo eſſet impeccabilis anima Chriſti Domini ut hiſtaticè unita Divino Verbo, verum etiam ex vi ſuæ propriæ naturæ? Vel aliter: Num illa creatura poſſibilis, quam R. concedit impeccabilis, & nobis ibi, ſit anima Chriſti Domini de facto?

452. Præterea ex alio capite tractari ſolet, & agitari modus impeccabilitatis hujus ſanctiſſimæ animæ, ſumpto à beatitudine, & clara Dei viſione, quæ præditam tenemus cum communi ab inſtanti primò ſui eſſe, de cujuſ ratione inſeparabilis eſt firmitas, & poſſeſſio ſanctitatis, ideoque impoſſibilitas ad peccandum, ſicut de quolibet Beato in ſuo ſtatu dicitur. Huic accedit cumulus auxiliorum, & horum congruitas ad perpetuò in bono permanere, taliter eidem adhærendo, ut inamifiſibilitèr, & imperdibilitèr poſſideatur ab illa puriſſima anima; & hoc eſt, impeccabilem eſſe omni via intrinſecæ denominationis, utpotè ab intrinſeca forma habitæ, ut eſt unio hiſtatica, viſio Dei clara, & congrui auxiliū perpetua aſſiſtentia; ac

Tom. IV.

denique peculiaris conditio humanitatis aſſumptæ à Divino Verbo.

453. Juxta hunc multiplicem modum, & viam diſcurrendi, multiplex etiam verſatur ſententia, & modus dicendi; qui neceſſario reduci debent ad partes affirmativam, & negativam, ante quorum præpoſitionem, ut certum tenemus, prædicationem iſtam; *Chriſtus Dominus eſt ab intrinſeco impeccabilis* eſſe veritatem, contrariamque hæreticam, & vel hæreſi proximam ad minus; abſoluta etenim oratione, & deprecatione adoratur, tractatur, & reveretur ut Deus; nullo addito diminuyente; unde ſuper eſt; ut ſub aliqua reduplicatione, & limitatione procedatur, quando de hujus Divini compositi impeccabilitate agitur; ut puta; *Chriſtus ut homo; vel ſua forma humanitatis; aut ea ratione conſideratus, & ſecundum illam ſui partem quod quid creatum, & defectibile dicitur*. Et in hac acceptione locum habet quæſtio, ſalva ſemper in omnibus omni ex cogitabili Chriſti Domini ſanctitate; ad hæc ut homo eſt.

454. Et in ſenſu iſto loquuntur textus Sacri de Chriſti Domini puritate, & ſanctitate cum peccato repugnantiſ, ut declarat illud ad Hab. 7. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex Sanctus; impol-lutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelsior Calis factus, &c.* Et 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit &c.* Ex quibus, & ex rationibus cogentibus ſatis convincitur, Chriſtum Deum hominem non modo actu non peccaſſe, immo nec & poſſe, ea potentia morali, proxima, & expedita, quæ in puris hominibus viatoribus, & non confirmatis in gratia reſidet; nam hic eadem eſſet ratio potentia, ac actus, & eo jure, quo non peccavit actu, nec tali potentia expedita, potuit. Credo inſuper, quod in ea ſanctiſſima humanitate, nec fomes peccati ullius fuiſſet contractus, tum quia eſſet peccatorum veluti fomentum, rebellio appetituum; ſi ergo hæc omnia ortum habent ab infectione generali naturæ humanæ, quomodo pertingerent ad naturam illam conceptam ex Spiritu Sancto in utero matris illius, cujuſ caro non vidit corruptionem, nec virginitas experta fuit contagionem?

Hhh

455. Ad

455. Ad intentum accedendo reco-
lenda sunt ex doctrinæ, quas tom. 1.
tract. 4. q. ultim. dedimus, hęcque divi-
siones illæ de potentia ad peccandum, &
proxima, & radicali, metaphysica, &
reali impeccabilitate, revocandæ ve-
niunt in memoriam, quo facto, & præ-
supposito; una sententia tenet, Christum
Dominum, ut homo est, non esse ab in-
trinfeco impeccabilem, in hoc, videli-
cēt, sensu, quod ea natura humana est
ejusdem speciei cum reliquis à quibus
inseparabilis est contingentia libertas, &
consequenter saltim radicalis peccabili-
tas, quæ si ad actū reduceretur, de ea qui-
dam tenent, componi posse cum hiposta-
tica unione, alii, esse illius unionis de-
structivam; & omnes asserunt vi Dei
gratiæ, Donorum, & auxiliorum hæc
sanctissima natura pertingere valet ad
apicem sanctitatis altissimæ: Pro hæc est
D. subt. & Durand. in hoc lib. cum
aliis.

456. Est contraria sententia, & huic
ex diametro opposita, quæ docet, hu-
manitatem Christi Domini esse ab in-
trinfeco impeccabilem, quatenus subsistens
sit Divina personalitate; & in sensu com-
posito hujus unionis nec remote pecca-
bilem esse; dicitur ab intrinfeco impec-
cabilis per hanc unionem, quia intimior
est illi naturæ qualiter alia forma acci-
dentali. D. Thom. est expressus in ista
sententia variis in lib. & locis, cum eo
Thomist. & plures. De mente D. R. non
est locus ambiguitatis, cum de divina
Christi Domini sanctitate substantiali sic
prolixè loquatur, de qua nos hic supra
immediatè, ideòque conformari tene-
mur huic sententiæ, & unusquisq; quoad
rationes probativas in suo sensu abendet,
in quibus adhuc inter DD. sic opinantes,
est varietas, & dissensio. Per varias con-
clusiones nostram mentem aperiemus, &
sic

457. Conclusio prima: Christus Do-
minus est simpliciter, & ab intrinfeco
impeccabilis ea parte, qua homo est,
non modo proximè, verum & radicaliter
ratione unionis hipostaticæ Divini Ver-
bi. Probaturque primò resolutio aliqui-
bus textibus, & PP. auctoritatibus, qui
gigi non cogant, faciunt tamen magnam

probabilitatem. Primus sit super ad Hæb.
7. *Talis enim decebat, &c.* ubi per ly. *Exel-
sior talis factus* satis clarè demonstratur
ea impossibilitas Christi Domini cum
peccato, sicut & magis quam ea, quæ
adest in Cæli natura. Secundus: illud
Luc. 1. *Quod enim nascetur ex te sanctum,
&c.* Et quæ sanctitas? Sanctitas filii Dei;
vocabitur filius Dei; sed hæc repugnat cum
possibilitate ulla ad peccandum: Ergo
sic erit & Christi hominis. Nunc Dionis.
Alexand. contra Paulum Samosatenum;
*Nemo est, quin peccare possit, nisi unus Christus
sicut est Pater, Spiritus Sanctus*; atqui per
nullam potentiam, & sub nulla conside-
ratione Pater, & Spiritus Sanctus peccare
possunt: Ergo nec Christus sub ulla redup-
plicatione.

458. Secundò probatur conclusio
ratione nostra: In vi hipostaticæ unionis
sanctificatur substantialiter intransitivè
humanitas Christi; sed cum hac sancti-
tate repugnat, & implicat potentia quæ-
cumque ad peccandum, & inqualibet
natura: Ergo ea ratione humana natu-
ra Christi Domini subsistens æterno Ver-
bo omninò impeccabilis est. Major supra
constat, & minor probatur: Sanctitas
hæc substantialis est eadem ipsissima Dei-
tatis sanctitas, qua Deus Sanctissimus, &
mundissimus est, quatenus participatur,
& per se ipsam communicatur humani-
tati, cui intrinfecatur hipostaticè unita
media Verbi Divini personalitate; sed
impossibilis est potentia ad peccandum
cum sanctitate Dei: Ergo & cum ea sub-
stantiali sanctitate naturæ humanæ Christi
Domini. Patet totum assumptum: To-
tam munditiam, & puritatem, quam
tribuit Deo infinito modo, & a se Divi-
na natura, communicat humanitati as-
sumptæ per sui exhibitionem, participa-
tam, & finito modo: Ergo sicut à se ha-
bet Deus repugnantiam cum peccato, sic
participativè, & finito modo humanitas
Christi Domini.

459. Tertio probatur conclusio ab
inconveniēti, & fundatur ratio in hoc
axiomate philos. *Quod facit actus actū, fa-
cit hoc potentia possibiliter*: Ex quo dedu-
citur, quod subjectum, quod non esset
capax denominationis actualis actuali-
ter, nec posset subesse denominationi
po.

potentiæ possibiliter: Undè sic forma-
tur ratio pro nostra conclusione. Actū
peccare repugnat Christo Domino; ad-
huc ut homo est, quatenus hæc prava
operatio implicat divinæ hujus Domini
Sanctitati; sed cum eadem sanctitate im-
plicare videtur, & est necessum, poten-
tia quæcumque ad peccandum: Ergo
hæc relegari debet à natura Christi Do-
mini. Major est certa; tam quia actio-
nes sunt suppositorum; tum, ut aliqui
tenent, quia Verbo æterno, ut Rector,
& Director est suæ humanitatis assump-
ptæ, tribueretur peccatum illud, & defe-
ctus naturæ hujus. Minor verò satis con-
vincitur juxta axioma propositum; & le-
gitimè sequitur consequentia.

460. Conclusio secunda: Christus,
ut homo attenda præcisè visione beata,
& omni alio secluso, & adhuc quibus-
vis auxiliis, quibus muniatur, etsi impec-
cabilis sit simpliciter ab intrinfeco, in sen-
su composito visionis, vi hujus non ex-
cludit omnem potentiam ad peccandum.
Resolutio mihi probabilis apparet, sum-
pro fundamento ex iis, quæ videram in
R. & ex communibus doctrinis, quas in
hac una ratione cōcludo: Attenta præcisè
visione Dei clara, nisi aliud appareret,
solum Christus Dominus, ut homo est,
esset impeccabilis ratione status beatifici
& Dei tentionis, & possessionis, quomo-
do beati omnes Angeli, & homines Deum
possident, & impeccabiles fiunt; sed
hoc illis convenit non per omnem po-
tentiam adhuc radicalem, & suæ naturæ
veluti propriam: Ergo propter hoc Chri-
stus ut homo in sensu composito visionis
Dei, & in vi hujus visionis præcisè non
constituitur impeccabilis per omnem po-
tentiam absolutè, nisi aliud quid adda-
tur, vel sub alia ratione hæc omnimoda
impeccabilitas consideretur. De auxiliis
congruis expectantibus ad Christum Do-
minum infra q. 26. pro nostro captu.

461. Conclusio tertia: Probabile est,
& sustineri potest; quod natura humana
exle, & à sanctitate Divini Verbi præ-
sciendens, immò & à reliquis donis gra-
tiæ, & gloriæ, est simpliciter, positivè,
& ab intrinfeco impeccabilis contra præ-
cepta naturalia. Probabilitas hujus con-
clusionis habet fundamentum in doctrinis
Tom. IV.

D. R. quas nos exposuimus tom. 1. tract.
4. q. ultim. & ex illis retro trahimus nunc
illam duplicem acceptionem naturæ spi-
ritualis, ut ad rem conducentem; vide-
licet, in eam, quemodo est, & aliam,
quæ in hypothesi alia, sub qua tractabat,
fieri posset à Dei absoluta potentia; essent
aut non ejusdem speciei, & essentiali:
Quasi haberet R. pro inconveniēti, quod
natura creata, prout nunc est, posset à
Deo fieri impeccabilis ex propria essentia
cujus hæc est ratio: Natura creata spiri-
tualis, prout nunc est, est libera libertate
contingentiæ; sed cum hæc libertate est
incompatibilis impeccabilitas: Ergo de-
sideratur alius status naturæ talis, ut asse-
ri possit impeccabilis.

462. Nunc ad naturam humanam
Christi Domini ratio fortior dubitandi.
Hæc est ejusdem speciei, & quidditatis
atque hæc cum natura humana, quæ nunc
est; sed quæ nunc est, non potest à Deo
constitui impeccabilis ex sua essentia, &
meritis: Ergo nec illa à Verbo assumpti-
bilis. Major est de fide, & ut posset ve-
rificari veritas humanitatis, quæ natura
peccabilis necessario est; ac insuper, ut
salvetur rigor justitiæ Divinæ in satis-
factione vindicativa, qua Christus pro no-
bis æterno Patri debitum solvit. Minor est
doctrina D. R. & infertur contra conclu-
sionem consequentia. Quonon obstan-
te, & ut verè admissa doctrina D. R. al-
lara hic, de qua inter argumenta iterum,
habet resolutio proposita notum funda-
mentum, ut sustineri possit ejus proba-
bilitas. De hoc non videram de DD. con-
trarium tenentes, etsi nec positivè de
ea tractant, ideòque hoc prætermis-
so.

463. Probatur primò per varia
loca sacra, ubi satis expressè extolli-
tur humanitas Christi Domini, ejusque
natura ad esse Thalamum, Cælum, Thro-
num, Sponsam, & Sedem Regiam Di-
vinitatis; ut 1. ad Cor. 11. *Caput christi
Deus*; quasi Deus sit caput specialissimum
humanitatis; & illud Ps. 18. *Tamquam
sponsus Dominus procedens*: *Assumpto Cælo
egressio ejus, &c.* Sed maxime decet, &
congruit, hanc naturam à Divino Verbo
ad hæc, & ad alia altissima officia assu-
mendam, esse impeccabilem, & quoad

sua naturalia in bono firmata, & indiviſibilem ab eo: Ergo ex propriis ipſius naturæ, quæ aſſumpta eſt a Divino Verbo, erit ea naturalis impeccabilitas poſitiva, & quæ contra præcepta naturalia habetur. Insuper: Perfectiſſima iſta natura, jure optimo, Salomonico Perculo aſſimilitam legimus, & omni decoratam pulchritudine: Ergo nec maculari congruit ullâ ſpecie peccabilitatis.

464. Secundò probatur conluſio: Natura humana, quæ a Deo ordinata eſt, & prædeſtinata ad eſſe divinum, congruit, ut a Deo ipſo crearetur in omni bono per ſe ſtabilita, & firmata, quodque eſſet ſuæ naturæ conforme, ac ſuas facultates non excederet; ſed ſtante hujusmodi firmitate in per ſe bono, connaturali, & honetto, ſtaret impeccabilitas à nobis aſſerta in illa humana natura, & ex conditione ipſius habita: Ergo ita eſt. Major, in qua eſt difficultas, probatur; Deus in conditione, & fieri hujus naturæ invertit ordinem, & modum connaturalem, & univocum ſuarum per ſe cauſarum; ita quod eadem ipſa in ſpecie, quæ aliunde fieret per carnalem generationem, & propagationem, de Spiritu Sancto formata, & concepta in utero Virginali ad exiſtendum proceſſerit; ſed plus eſt, naturam hominis ita fieri, quam factam tenere in bono per ſe firmatam: Ergo hujus veritas ſufficienter convincitur ex alia.

465. Denique probari poteſt conluſio: Obſeſt huic naturæ, ut natura eſt, ad impeccabilitatem libertas contingentia, quæ inſeparabilis videtur à ratione creaturæ; niſi aliunde hoc per Dei dona extrinſecus ſuperetur, & vincatur; ſed talis ratio non urget in ea natura humana à Deo aſſumpta: Ergo non eſt caput repugnantia talis impeccabilitatis. Minor probatur: Libertas contingentia, eſt inſeparabilis à natura creata ſit, non eſt per modum prædicati eſſentialis, ſed ut pura conditio ſtatus; ſed Deus poſſet, omni bono ſuperno ſecluſſo, creatæ naturam ſpiritualem ſine iſta contingentia, & determinata ad per ſe bonum: Ergo prudenter tenere poſſumus, quod iſtud deſactò feciſſet in humanitate, quam erat aſſumpturus; & ſicut eam prælege-

rat, & in ſupernis elevaverat, ſic in naturalibus decoraret, & unam, & unicam contituſſet in operari, ad modum quo in ſuo fieri nec ſimilem viſa eſt, nec ſequentem habere.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & ſolvuntur.

446. **P**rimò arguitur cõra primam conluſionem: Omittimus argumenta, quæ ex textibus utriusque teſtamenti fieri poſſunt, non ſolum contra eam, verum & contra fidem noſtram, qua credimus, Chriſtum immunem fuiſſe ab omni peccato; ut ſunt Paul. Iſai. & Pl. in quibus Chriſtus Dominus propter ſuplicium Crucis maledictus vocatur, ita quod pro nobis non ſolum mortem ſubjerit, verum & maledictum factus eſſet: Similiterq; peccatorem, & peccatum fuiſſe denominatus, & cum impiis, & injuſtis reputari voluiſſet. Omittimus ergo hæc, & ſimilia, quia habent ſenſum propriſſimum in iſdem Sacris litteris expreſſum, ut omnia præſtata pertulerit, quatenus labores noſtros ſupra ſe accepiſſet, & peccata portaret, tamquam verus fide juſtor, ſatiſfactor, Redemptor, & Divinæ Juſtitia in ſe, & ſua natura ſtriſtiſſimus Vindex.

467. Nunc argumentatio ſcholæſtica: Poſſe Chriſtum peccare, ut homo, non implicat, aut incongruit fieri, & denominari: Ergo ſub iſta reduplicatione non eſt ſimpliciter impeccabilis. Antecedens probatur: Ideò repugnantia ea daretur in Chriſto ad iſtud poſſe, quia unum eſt in illo compoſitò ſuppoſitum Divinum, & cui tribuendæ eſſent operationes utriusque naturæ, & propria, & aſſumptæ; ſed poſſe peccare in humana, non eſt quid indecens, aut repugnans cum Perſona Verbi, cujus ratione ſubſiſtat: Ergo non eſt caput repugnantia. Minor probatur, primò: Quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ſolum ſuſſitivè, completivè, & ex hoc denominativè, non verò propriè, & ut principium, & forma eliciens, hoc eſt; ſuppoſitum eſt, in quo natura ſiſtit, & complete eſt, &

ea ſolum, eſt non ſola, elicit ſua opera, ita ut ſit eorum adequatum principium; ſed quod ſuppoſitum Verò iſto modo ſe habeat ad opera naturæ humanæ aſſumptæ, non eſt in illa inſiſtere, nec illis maculari; cum nullomodo ſit eorum operum principium propriè elicitivum: Ergo nec ſic denominari potens ad peccandum, implicare videtur.

468. Secundò probatur illa minor principalis: Denominatio mortalis, & paſſibilis, quales ſunt nati, paſſi, crucifixi, &c. ſunt ita Divino Verbo repugnantes, ſicut eſſet potentis, ut homo, peccare; ſed idiomaticæ commanone Deus dicitur natus, paſſus, & mortuus: Ergo ſic Chriſtus poſſet denominari potens, ut homo, ad peccandum. Major probatur: Sicut peccatum opponitur ſummæ Dei ſanctitati, & puritati, ſic paſſio, & mors ſuæ immortalitati, eſt enim ſolus Rex ſæculorum, & immortalis Deus; atque omnes eæ denominationes æquè pugnant cum divinis attributis; ſed primæ, quæ immortalitati opponuntur, de Chriſto ut homine, dicuntur; ergo ſecundæ dici poſſent. Concludunt argumentum hoc DD. hujus ſenſus in eo, quod abſtinendum convenit ab his loquutionibus, nè vulgus ſtultam ſcandalizetur.

469. Respondetur ad argumentum negando antecedens, & ante ſolutionem eorum, quæ ſequuntur, ſupponimus hic non inveſtigari modum, quo ſuppoſitum influat in operationes propriæ naturæ, & qualiter cum eis ſe habeat; aut qua ratione verificari poſſet dictum Philoſ. *actiones ſunt ſuppoſitorum, & ſubſiſtendum*; ſed unicè contenti erimus, ſemel ſtabilita veritate fidei, quod, ſcilicet, Deus eſt verus homo factus, & homo eſt Deus, Deus conceptus, & natus eſt, paſſus, mortuus, &c. Ex quibus clarè conſtat, quomodo, & qualiter, & qua proprietate, actiones, quæ ſunt propriæ humanitatis, Dei dicantur eſſe, immo & Divinæ: Cumque hoc alia via, & ratione concipi non poſſit; niſi dicatur, quod ſicut eſſe hujus naturæ aſſumptæ eſt divinum, ſic & operari, ideò omnes ſuas operationes fatemur eſſe Deificas, & ſuomodo Divinas.

470. Undè accedentes ad primam probationem, diſplicet admodum; ſicut quod denominatio peccatoris dicatur de Chriſto, ut homine, & ſic de illo ſit prædicabilis; ſicut de eo ſunt nati, & mortui denominationes; nam ex eo ſequeretur, quod ſi aliquando in ſacris litteris Chriſtus ut homo vocetur maledictum, Peccatum, Peccator, &c. poſſent ſine repugnantia in ſenſu proprio accipi; & hoc probatur: In ſenſu verò, & ſtriſto accipiuntur illæ aliæ denominationes, quæ deſactò de Chriſto ut homine dicuntur; ſed æqualis notæ ſunt denominationes peccati, & peccatoris in Deo homine: Ergo ſicut illæ deſactò, & ſine repugnantia, ſic iſtæ poſſent de eo prædicari. Nec vulgi indiſcreti ſcandalum ad hoc conducitur; nam ad veritatem aſſumpti parum facit, ut videre eſt in pluribus locis ſacris, quæ vulgarem loquutionem ob hoc ſubterfugiunt, quin cautela iſta ſuæ officiat veritati commaniter receptæ; ſed hic de probabilitate tractatur: Ergo.

471. Igitur, & conſequenter ad dicta addimus, libenterque permittimus, quod divinum ſuppoſitum non eſt principium formale elicitivum earum operationum, quæ ſunt naturæ aſſumptæ propriæ; cæterum ſubſtinere non poſſumus, quod in eas nullomodo influat, ſaltem, ut ſubſtentans, & ut quod operetur; nam ſuppoſitico deficiente in naturâ, hæc expertus erit torius operis, quia ſuum ultimum eſſe deficeret, & cui actio tribuatur, vel quod ageret, & operaretur: Unde per actionem adeo malam, & peſſimam, qualis eſt peccaminofa, non poſſet non maculari divinitas, cui ſub data formalitate tribuenda eſſet. Differentia gravis ad cæculum apparet inter denominationes nati, paſſi, & mortui; & peccati, ac peccatoris ex alia parte: Dantur ergo prædicata aliqua, vel formalitates, quæ eſt non in ſenſu formali, eminenter tamen ſunt in Deo, qui totum ens eſt eminenter ſubſiſtens, ut fides, & ſpes, & propter hoc Deus dicitur ſpes noſtra, vitis, Agnus, Leo, &c. dantur ergo aliæ, quæ nullomodo in Deo ſunt, nec poſſunt eſſe, ut peccata ſolum, quæ nec minimum habent de bonitate, propter quod per nullam viam Deo applicari, vel de Deo dici poſſunt

472. Ad rem noſtram: Deus homo factus, dicitur natus, & mortuus, quia etſi præfata denominationes non cohæreant cum Divina immortalitate, habent bonialiquid, cujus ratione, & in Deo eminenter contineantur, & in humana aſſumpta natura Deo nec implicent, nec alicujus dedecoris ſint: Non ſic de peccato, & peccatore dicendum de Deo homine convenit; nam peccatum, & denominatio peccatoris nil bonitatis præſeferunt, ideoque ſub nulla ratione de eo ſunt prædabilia. Præterquam quod: Peccatum ſic opponitur Divinitati, ut cum illa in quolibet ſubſiſtat, ſit illius aſſectivum ſaltem deſtructive; natiuitas temporalis, & alia ad hunc modum, etſi immediate pugnent cum immortalitate, poſſunt tamen coadunari per alietatem diverſarum naturarum, quarum una mortalis eſt, & immortalis alia. Horum ultima ratio eſt deformitas peccati ex adverſo cum Divino opoſita ſuppoſito, à quo non ſolum ſubtenetur, verum & regitur humana natura.

473. Secundò arguitur: Natura humana Chriſti Domini, ut Divinitati unita & adhuc viſione Dei prædita, ac ſubſtantialiter ſanctificata, retinet potentiam radicalem peccabilitatis: Ergo iſto modo non eſſet impeccabilis Chriſtus ut homo. Antecedens probatur: Sanctitas ſubſtantialis, & quæ à Divina natura habetur, quamvis in ſe ſit ſumma, & infinita, ut tamen in humanitate terminata eidem communicatur, eſt juxta modum ipſius creaturæ naturæ, & ſuæ capacitatis recepta; ſed ſic communicata non aufert ab ea radicem ſuæ peccabilitatis, ſicut in Beatis videmus, in quibus, ſi Deus, ut poteſt, ſepareretur videndus, remaneret ſicut antea, quoad radicem peccaticem: Ergo. Minor probatur: Hæc radix peccatrix ſiſtit eſſentialiter in deſectibilitate cujuſvis naturæ, quæ in nihilum tendit, & quæ in malum prona eſt ab adoleſcentia ſua, hoc eſt, à principiis ſuis; ſed iſtud remanet in creata natura adhuc ſanctificata ſubſtantialiter, & Beata: Ergo, &c.

474. Argumentum hoc eſt totum fundamentum contrariæ ſententiæ, & de eo nos diſuſe, tract. 4. q. ult. & ſuſi-

cienter, cui in præſentiarum addimus pro ſolutione iſtius, in primis negando deſectibilitatem moralem, de qua hic, eſſe quidditatem naturæ creatæ ſpiritualis, quiddid ſit de phyſica corruptibilitate (cujuſhæc eſt ratio: Quod deficere moraliter, non eſt quid perfectionis, & actus: Ergo nec poſſe deficere; ſed non poteſt pertinere ad quidditatem naturæ cujuſvis id, quod non ſit actus illius, & perfectio: Ergo ſi ita eſt peccatum ſervitus ipſius peccatoris, non erit eſſentia, ſed illius prava conditio. Aliter poſſumus diſtinguere ultimam minorem: Sed deſectibilitas remanet in radice naturæ creatæ adhuc ſubſtantialiter ſanctæ, permiffivè, & in ſenſu diſiſſo ab ea ſanctificatione, permiffivè, & in ſenſu composito unionis, nego minorem.

465. Supponamus deſectibilitatem moralem eſſe ſervitatem, & conditionem naturæ creatæ, ideoque nec hæc eſt metaphyſicè peccatrix, vel peccabilis; unde Deus valeret, ſi vellet, eam ab iſta conditione purificare, ut dedimus loco à nobis ſupra citato; in quo etſi in providentia poſſibili, & extraordinaria loquuti ſumus, & relatè ad naturam ſimiliter poſſibilem; quam doctrinam applicatam ad naturam humanam aſſumptam à Verbo Divino in ea reperi-mus actu exercito, quod ibi ſolum poſſibilitèr ſtabilimus; & hoc eſt fundamentum; ſi namque dono aliquo Dei poſſet creata natura fieri impeccabilis, quanto magis fieret per ipſam met Divinitatem, de quo ad Colof. Paul. 2. *In ipſo in habitata omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, ubi ita Divinizatam videmus creatam humanitatem, ut ad corpus uſque tranſcenderet; & hoc eſt, non ſolum ſanctificatam reddere, ſed extinctum fomitem peccati, & ſenſuum rebellionem: Ergo per iſtam immerſionem Divinitatis in ea humanitate, extincta maneret adhuc conditio ſervilis potentiæ ad peccandum.

476. Ad rationem dubitandi initio certæ concluſionis propoſitam tenemus, utramque naturam, & quæ delinquerat, & inſontem, eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ; nec ex eo ſequitur in una, & alte-

ra peccabilitas; nam potentia ad peccandum non eſt neceſſaria eſſentialiter in natura humana quacumque ſed ſolum in ea, quæ ſibi ipſi relinquatur, & nulla via præveniatur, ut ſua non utatur, prohibito, contingentia libertate, & ad utrumlibet indifferentis: hoc enim ſeparabile eſt ab ea creata natura, quia eſſentia non eſt, ſed conditio, & veluti adju-cens quoddam à Dei potentia amovibile, quando ipſi placuerit. Placuit ergo altiffimo iſtam ſpeciolaſſimam naturam à ſe aſſumendam ab aliis ſegregare, & ſe ligere, ſic, quod non ſolum quoad ſua extrinſeca principia, verum & in doribus naturalibus, & quæ non pertineant ad veritatem humanitatis, ab aliis ſecerneretur.

477. Duo contra hoc ſe offerunt; primum eſt: Libertas contingentia, & indifferentia reſpectu boni per ſe, & apparentis eſt à natura creata, quantumvis privilegiata, inſeparabilis; ſed ex iſto capite ortum habet peccabilitas radicalis: Ergo ex meritis cujuſvis naturæ adhuc Chriſti Domini, non poteſt haberi impeccabilitas proxima, & remota. Probatur major. Quæcumque creata natura habet pro objecto adequato intenſivo, & proportionato bonum creatum ut abſtrahens à vero, & apparenti, niſi aliunde ratione ſuperioris Domini determinetur ad aliud; ſed circa hoc bonum eſt libertas contingentia, & indifferentia: Ergo hæc inſeparabilis eſt à natura Chriſti Domini, ſi ſecundum ſua phyſica, & naturalia prædicata ſpectetur.

478. Secundum: Immobilitas in bono per ſe, quæ propria eſſet naturæ creatæ, conſtitutæ in ſtatu impeccabilitatis, illi non conveniret ex ſuis meritis: Ergo ſi concedatur humanitati Chriſti Domini, non illius ratione, ſed alterius alicujus doni erit. Antecedens probatur. Immobilitas in bono per ſe, eſt quid poſitivum ſuperadditum ad creatam naturam; ea enim ex ſe permiffivè, ad ſummum, habetur ad iſtam immobilitatem: Ergo nec in natura humana Chriſti Domini eſſe poteſt ex meritis ipſius naturæ. Præterea: Natura aſſumptibilis à Verbo, haberet iſtam determinatio-

nem ad perſe bonum, quia prædeſtinata, & condita eſt, taliter præparata, ut ſponſata divinitati; ſed nil horum eſt proprium naturæ, nec de ordine naturæ, ſed de ſphæra Gratiæ unionis. Ergo tota perfectio, quam tribuamus humanitati Chriſti, non erit ex meritis propriæ naturæ: Ergo nec impeccabilitas aſſerta.

479. Ad rationem dubitandi, & primum, quod in contrarium objicitur, reſpondetur: Quod bonum creatum ut abſtrahens objectum à vero, & apparenti eſt unquè proportionatum, & æquatum naturæ creatæ ſpirituali, ita quod ultra illud nec valeat, nec poſſit; ceterum hoc non debet inteligi collectivè, & poſitivè, ſed diſiſſivè, & permiffivè in hunc ſcilicet modum: Quod voluntas creata ut adequetur, & proportionetur cum ſuo objecto, requiritur hoc eſſe verum bonum, vel aparens, pro modo videlicet talis voluntatis; ceterum neceſſum non eſt, quod verſetur circa utrumquè immo; nec poſſet poſitivè, ſi aliunde ab authore, & conditore illius in per ſe, vero, honoſto fixeretur ſic accidit voluntati Chriſti Domini taliter à Deo creatæ ut immobiliter in bono per ſe poſitivè, & ſi aliunde ex conceptu creaturæ aliud permittat.

480. Secundum, quod in contrarium opponitur, parum urget intentum noſtrum; non enim aſſerimus naturam humanam Chriſti Domini taliter impeccabilem eſſe, in quantum utcumque natura eſt, ſed quatenus talis natura à Deo condita, & ordinata, prædeſtinataque ad eſſe aſſumendam à Divino Verbo, hoc videlicet privilegio, & ordine munita, fixata, & firmata in per ſe bono propter rationes ſuperius dictas: Dicitur hæc præminencia ipſius naturæ, non quia naturalis præciſe, ſed in quantum reſidet intransiſſivè in ea, & nullo alio ſuperaddito, pertinetque ad ſtatum ejus præviè ad ſuam aſſumptionem: Unde prædeſtinatio hujusmodi eſt præſuppoſitivè de ordine hiſtorico, quatenus, ſcilicet, in vi conditionis, & creationis per Spiritum Sanctum ut proximum principium influens in ejus formationem præparatur à Deo taliter præventa, ut dignè aſſumatur à Divino

Verbo.

QUE

QUÆSTIO XXV.

Quomodo cohereat hæc impeccabilitas Christi Domini cum ejus libertate in adimplentione præcepti de morte subeunda?

481. **C**irca libertatem in sua essentia, & quidditate, & ulterius, ut ad certas personas & naturas determinata, plura dedimus tom. 1. 2. 3. ubi de amore Dei, & Spiritus Sancti præcisione tractabamus, ex quibus, & ex his quæ tract. 4. q. ult. & hic præcedenti q. reliquimus dicta, sufficienter conjici posset, quid de præsentis sentire debeamus, immò nec facile reputamus aliquid novi supra ibi exposita super addere; sed quidquid de hoc sit, debitores sumus communibus doctrinis, & methodo scholasticorum hujus tempestatis, ideòque, & ut quid ab eis de hoc sentiantur, specialiter instituit præfens quæstio.

482. Ad quam resolvendam, & declarandam, supponimus primò: Christum Dominum libere mortem operuisse perfectissimam libertate; sic legitur in utroque testamento: Pf. 35. *In capite libri scriptum est de me: Deus meus voluit:* Et Isai. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit:* Et Joann. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam.* Præterea supponitur, hanc eandem mortem subisse Dominum nostrum Jesum expresso, & positivo præcepto sui æterni Patris; declaratur in pluribus scripturis, & maxime ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis:* Propter quod non semel dicit Ecclesia, *qui præcepto Patris mundum salvasti.* Itemque supponimus: Dominum nostrum Jesum, ut homo est, esse impeccabilem, ea impeccabili-

rate, de qua hic, ut q. locum teneat; nimirum actuali, proxima, & expedita, sicut sua libertas in præcepto adimplendo talis est. Omnia hic supposita sunt fide Catholica tenenda.

483. Quibus sic stantibus: Ecce ratio dubitationis: Si Christus Dominus libere mortem amplexus est, præceptum illud Patris transgredi potuisset; siquidem liberè moriendo, posset non morti liberè tradi, vel mortem fugere; atqui hoc est transgredi Divinum præceptum de morte subeunda: Ergo aliqua potentia proxima, & expedita potuisset, ut homo peccare, sicut ut homo capit pavere, & cadere, & Patrem exorare, ut calicem hunc à se faceret transire; sed hoc obstat assertæ impeccabilitati ipsius Christi, quam nos undèquaque tenemus, de eodem prædicari: Ergo medium desideramus, nec huc, aut illic, vel contra Patris præceptum, Christi libertatem, aut ejus impeccabilitatem desectamus.

484. Circa hoc plurificantur sententiæ, & modi dicendi pro dignitate, & altitudine materiæ, quos repetere tenemus, quidquid oblatrent novatores contra professores sacre facultatis, ac methodum suorum scriptorum; nam sagittæ talium parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Prima sententia aliquorum negat, Christo Domino impositum fuisse verum præceptum de morte subeunda, de qua non bene sentiunt DD. cum aperta sit sacra pagina in hoc præcepto declarando; undè non modo improbabilem reputant, sed ut sano Ecclesiæ sensui contrariam rejiciunt. Alii modum dicendi temperant, assentiendo præcepto tali de morte subeunda, præcisoque à circumstantiis temporis, & loci; undè quo ad has Christus saltem remanserit liber sufficienter ad merendum. Non desunt, qui teneant. solum liberum fuisse in affectu mortis subeundæ, & in motivo illius; ut videlicet, potius sit, si vè esset, humilitatis, quam fortitudinis, aut obedientiæ, qua stante libertate, stare posset & meritum.

485. Nec modi dicendi placent; si-

quis

quidem non modò nobis constat de veritate præcepti, sed etiam de suis circumstantiis, scilicet, loci antea prædicti per David, & temporis; Pf. 73. *Quod scilicet Deus Dominus operatus est salutem in medio terra:* Et Pf. 88. *Min rasti dies temporis ejus:* ac Crucis; ut in Paul. ad Philip. 2. *Mortem autem Crucis.* Præterquam quod habemus de ore Domini Joann. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ubi satis clarè exprimit Christus non solum obedisse substantiam præcepti de morte, sed & circumstantias illius usque ad ultimam. Nec in motivo mortis amplexendæ habuit Christus aliud præter id, quod à Patre intinatum habuit, servato in omnibus ordine, & serie virtutum, quæ in eo altissimo mysterio, respiciendæ fuerunt; undè quoad omnia fuit liber, & per omnia meruit absque umbra peccati.

486. Communiore sententiæ, quæ his temporibus circumferuntur sunt Thomistarum ex una parte, & ex alia scientiæ mediæ DD. Primi enim tenent cum D. Thom. Christum Dominum & esse impeccabilem, & liberum in præcepto Patris adimplendo; est ergo impeccabilis ratione unionis hypostaticæ, unionis Beatæ, & per confirmationem gratiæ inamissibilis; est tamen liber, in hoc opere mortis subeundæ, quatenus potest illi non conformari, eam fugere, aut non amplecti in sensu diviso ab ea unione, hoc est, adest, & residua adhuc est in Christo Domino hac potentia ad in sensu diviso à præcepto, vel ab unione hypostatica mori, aut non mori, in sensu vero composito cum ea illa non valeret conjungere actum oppositum, vel omissionem mortis præceptæ cum tali hypostatica unione; nam in eo casu posset deflectere à Divino mandato, & peccare, ut subsistens in Persona Divina. Aliis terminis: Natura humana in sensu diviso à supposito Divino posset non mori; cæterum in sensu composito ad illius unionem talem potentiam non habet; & primum sufficit ad liberè mori, & ad liberam obedientiam ipsius Domini Jesu.

487. Hujus sententiæ conformari non

Tom. IV.

possimus, quia sapit doctrinas pro libertatis creatæ immunitate, non obstante Divina antècedenter efficaci gratia, & physica Dei præmotione, contra quas nos diffusè tom. 2. tract. 5 & 7. & ulterius, quia hic modus concordandi libertatem Christi in præcepto adimplendo cum ejus impeccabilitate nobis non satisfacit. Prius: Quia potentia ad non adimplendū præceptum, ut liberè adimpleatur, debet esse in eo subiecto, cui præceptum intinatur; sed præceptum illud intinatum fuit, non naturæ humanæ ut divisa ab unione hypostatica, sed toti, & composito illi Deo, & homini: Ergo in hoc deberet esse ea potentia libertatis, & contradictionis ad verum liberè. Ergo hic locum non habet sensus compositus, & divissus. Secundò: Potentia ea in sensu diviso ab illa unione est naturæ; sed in natura nulla est potentia ad obediendum, vel non: Ergo nec est concepitibilis ejusmodi potentia ad non moriendum in sensu diviso ab unione hypostatica.

488. Est & alia satis plausibilis sententia, quæ per recursum ad infinitam Dei præscientiam componit libertatem Christi Domini cum ejus impeccabilitate; in quantum hac altissima scientia Deus præscit omnes voluntates creatas, ejusliberos eventus, & motus, quibus Divinis suis auxiliis, & illustrationibus assentiendæ sunt, & omnes opportunitates, & occasiones, quibus similis assensus præstandus est; & quia in hoc specialissima est voluntas humana Christi Domini, specialiter etiam Deus prævidet ipsam omnibus suis illustrationibus responsuram, quibus eam quasi moraliter tenetur juvare, ut singularis Rector, & director illius, tum ratione personæ, & suppositi Domini, in quo ea voluntas subsistit; tum ratione ipsius prædestinationis supernæ.

489. Per quæ omnia concordia habentur; primum: libertas in opere meritorio hujus sanctissimæ voluntatis, quatenus liberè eliciatur ab eadem talibus divinis adjutoris præventis; collatis eidem, iis omnibus incongruentis, quibus prævisa est consensura, & nulli eorum restituta. Secundum: Sanctitas summa, & impeccabilitas; nam in vi illius liberæ prævisæ determinationis ad omne bonum, & singulariter ad mortem subeundam, nec

lii

po:

potuit non mori, nec non adimplere Patris voluntatis; quia omne quod est, ex suppositione, quod ut, necesse est esse. Dicitur ergo libera ea determinatio ad mortem subeundam v. g. quia fuit ab ipsius intrinsecis principiis suæ voluntatis: *Oblatus est, quia ipse voluit*; et: *Nemo de tollit eius animam; sed cum voluerit ponit eam, ut iterum assumat*: Non potest oppositum velle, etiam libere determinetur, quia huiusmodi determinatio est ex omni capite, & principio intrinseco, & extrinseco rectificata, tum per personam Divini Verbi, tum per cumulum illustrationum supernarum, tum denique quia ejus voluntas prævixilla est ad hoc determinata, consequenterque cum hac libertate in adimplendo præcepto mortis subeundæ impeccabilis remaneret. Ad summum retineret potentiam physicam ad posse non obedire Patri, & peccare, in sensu tamen diviso ab unione Divini suppositi; & hoc non obest suæ impeccabilitati.

490. Hic modus dicendi, quatenus est idem cum alio supra à nobis impugnatō tom. 2. tract. 3. circa modum conciliandi Divinam efficaciam cum libertate in actibus liberis creatis, nec subtrahi potest; & pro nunc omisis ibi dictis, displicet; primo: Quia determinationem fixam voluntatis Christi Domini ad mortem subeundam reducit ad ejus infallibilem prævisionem, non verò ad propria ipsius libertatis; ex quo sequitur determinatam fuisse ad perpetuam Patris obedientiam; & ex hujus suppositione non possit aliter, & ab opposito velle; sed semper ac qualibet voluntas determinatur pro suo libito, ex suppositione; ita est: Ergo solum non habuit potentiam consequentem ad non velle mori, sed cum retentione potentie antecedentis ad oppositum; atqui hæc potentia faceret eam voluntatem peccabilem; vel ea stante non foret impeccabilis, sicut in alia quacumque videtur; Ergo.

491. Secundò: Totum negotium hujus determinationis infallibilis ad mortem in Christo Domino habetur non à scientia ea conditionatorum, sed à cumulo illustrationum supernarum debito moraliter illi Personæ, & composito Divi-

no; nam scientia illa non ponit, sed præscit eventum sub hac, vel illa conditione liberè futurum, sed opus, & labor est, num suppositum Divinum, & illustratum cumulus scientia fiat ad hoc, ut voluntas Christi liberè operari mortem per exclusionem potentie ad oppositum, ut veritetur, quod impeccabilis sit: Ergo ad aliud quid deveniendum erit, ut evacuetur difficultas. Tertio: Ea scientia Deus præscit liberam determinationem voluntatis Christi Domini, ut est, & futura erit; sed erit juxta ipsius naturam determinanda, quamvis infinitis auxiliis muniat: Ergo si ex natura sua habet voluntas creata determinari cum indifferencia, nec illa scientia, nec cumulus auxiliatorum hoc auferrent; vel si ita non est, aliter solvere tenemus nodum propositum.

492. Est denique alia sententia, quæ tribuitur Durand. Marsil. Gabriel. Ocham. à Vazq. docens voluntatem Christi Domini esse ad unum, & per se bonum determinatam, quæ quidem determinatio non lederet ejus libertatem. Hujus animum, & si in medio probativo, & in aliis non conveniamus; nam cum D. R. per istam viam conciliaturi sumus assumptum propositum; Et per prius præ oculis habendæ sunt doctrinæ, quas dedimus tom. 1. Tract. 4. q. ultim. tom. 2. tract. 7. ubi de amore Dei libero, tom. 3. tract. 10. hic de libera processione Spiritus Sancti & specialiter per definitionem libertatis, quam ex Anselm, tradit R. ex qua satis clarè convincitur, quod esse voluntatem potentem ad utrumlibet, vel à contrario infallibiliter ad bonum determinatam, non est essentia, sed conditio libertatis ab ea separabilis, vel ob ipsius perfectionem in essendo; vel propter imperfectionem in operando: Quo supposito, sic

493. Conclusio: Voluntas Christi Domini est liberè determinata, & infallibiliter ad subeundam mortem præceptam, ideoque & impeccabilis est, & meritoria in suis actibus. Deducimus conclusionem ex non semel datis doctrinis D. quarum hæc prima est, & simul probatio conclusionis: Deus liberè simpliciter se, & suam bonitatem amat, amorque suus est producti-

vris

vus etiam liberè amoris subsistentis; sed in hoc liberè amore nec est indifferencia, nec in ista libertate essentiali potentia ad utrumlibet: Ergo sua proportione sic poterit Christus Dominus liberè adimplere præceptum de mortè subeunda absque indifferencia, & potentia ad oppositum. Major est R. & nostra, locis supra datis, simul & minor; superest, ut probeur consequentia: Dei voluntas, quia perfectissima est, excludit omnem indifferenciam in suis actibus; sed suo modo actualissima est Christi Domini, quæ est non Divina, est tamen intrinseca, intimèque Divinizada, & substantialiter sanctificata Verbi æterni supposito, per quod habet esse, & subsistere; & hæc omnia satis convincunt ita perfectam debere esse suam libertatem, ut excludat omnem indifferenciam, & potentialitatem, & maxime ad oppositum rei præceptæ: Ergo.

494. Probatum secundò conclusio, seu potius roboratur ratio præcedens. Libertas immutabilitatis, quæ sic conditionatur propter perfectionem voluntatis, excludit omnem indifferenciam, & potentiam ad utrumlibet; sed sic debet esse libertas voluntatis Christi Domini in suis actibus, & præceptis adimplendis: Ergo sic adimplet ea, ut sine labe suæ impeccabilitatis jura libertatis, & meriti conserventur. Pater hæc consequentia: Nam si Christus non potest omittere adimplerem præcepti nec peccare: Ergo ibi esset meritum præcepti sine periculo delicti. Minor verò probatur; primo, ex dignitate personæ Christi, quæ talem actualitatem exigit in sua libertate. Secundò, per paritatem Beatorum; si namque Beati ex vi visionis non dicunt in suis actibus liberis indifferenciam, sed immutabilitatem, & ulterius, quia in gratia confirmati sunt; quanto magis Christus Dominus liber erit, sed immutabiliter: Ergo mereri potest, & obedire, absque potentia ad oppositum; salvaque manente sua impeccabilitate ob suæ perfectissimæ voluntatis

conditionem.

**

*** ** *

Tom. IV.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

495. **P**rimò arguitur: Libertas immutabilitatis, quæ possit voluntati humanæ Christi Domino adaptari, non supponit eam naturam simpliciter impeccabilem, sed solum secundum quid ita ut Dei suppositis adiutoriis, non posset non implere præcepta sibi imposita: Ergo per hanc conditionem libertatis non concordamus assertam impeccabilitatem Christi Domini cum adimplerem præcepti de mortè subeunda. Antecedens probatur: Libertas ea immutabilitatis non esset intrinseca, & essentialis ipsi, sed adveniret accidentaliter, & per modum cujusdam doni: Ergo non deserviret ad conservandam ejus intrinsecam impeccabilitatem cum libertate ad observationem præcepti coherentem. Patet hæc consequentia: Nam ab ista specie libertatis haberi est necessum impeccabilitas in natura intellectuali, ut taliter liberè operetur, & sine præjudicio suæ sanctitatis: Ergo semel quod ejusmodi libertas immutabilitatis adveniret illi voluntati extrinsecus, numquam dici posset ab intrinseco impeccabilis.

496. Antecedens principale probatur primo: Libertas hujusmodi, sicut & immutabilitas est Dei solius attributum, qui non est sicut homo, ut mutetur; sed attributum Dei proprium de nulla creatura predicari potest, nisi per participationem quandam, & veluti extrinsecus habitam: Ergo ita erit in Christo Domini voluntate humana libertas immutabilitatis. Secundò, & alia via probatur idem antecedens: Libertas intrinseca immutabilitatis deberet accipi, & à natura voluntatis, & à conditione sui objecti; propter quod Beati Angeli, & homines istam habent libertatem immutabilem, quatenus necessitantur à summo bono clare, & ut est in se visio; sed in casu, de quo agimus, nec ratione humanæ voluntatis Christi Domini hæc immutabilitas haberi potest, quia creatura; nec ratione objecti, quia loquimur præcisiivè à statu illius Beatifico: Ergo non

Ii 2

non habemus caput hujus libertatis immutabilis.

497. Respondetur ad argumentum, & per prius solidandæ sunt supradatæ doctrinæ circa Christi ut hominis impeccabilitatem; hæc etenim & est adveniens quid suæ naturæ humanæ, & intrinsicum illi, non solum coneritive, verum & substantialiter acceptæ: adventit ergo ei Divinum suppositum, substantialisque sanctitas, quia extra suam essentiam est, est præterea quid intrinsicum eidem naturæ, siquidem constituit ultimo illius esse: Potest denique hæc sanctitas, suppositis, &c. dici donum Dei tali naturæ collatum, cæterum hipostaticum, & personale, quatenus scilicet, Deus filius se præbuit unendus humanæ naturæ liberè ut per illum subsistat; & personetur. Ecce quomodo omnia componuntur; & clarè videtur, quod libertas immutabilitatis, quæ Christo Domino comperat ratione suæ suppositionis, non erit talis ex suppositione, & secundum quid, sed simpliciter, & absolute; & sic erit impeccabilitas.

498. Undè ad hujus primam probationem concessio, quod immutabilitas sit propria solius Dei, quia non est mutabilis, ut homo, ideoque nulli præ creaturæ adaptabilis, sicut esse substantiale sanctitatis, & alia ad hunc modum; cæterum si daretur compositum aliquod, quod sit simul Deus, & homo per unum esse, & subsistere, hoc, & esset immutabile ea immutabilitate, qua Deus immutabilis est; sicut est substantialiter sanctus, eadem sanctitate Divinâ, qua Deus sanctus est, juxta modum à nobis præscriptum supra, quando de hoc tractabamus in præsentia materia. Ex quibus liquido colligitur, quod natura humana Christi Domini ut Divinitatè subsistens est, ab intrinseco est etiam immutabilis immutabilitate intransitive participata à Verbi Divini Persona, sicut est & sancta: Ergo etiam immutabilis attributum Dei sit, posset humanitati assumptæ adaptari, sicut & Deum esse per idiomatum communicationem.

499. Ad secundam principalis antecedentis probationem dicimus; quod in Deo, Angelis, & hominibus, hæc immu-

tabilitas reperitur; cæterum non eo modo in omnibus, nam aliter gaudent ea immutabilitate in libertate Beati, aliter viatores in gratia confirmati; hi etenim adhuc sunt instati merendi, & cum ea immutabilitate est meritum compatibile illi verò ratione termini, & status nec mereri possunt, & aliunde impeccabiles sunt ab intrinseco, quatenus ad hoc per se facit intima præsentia summi boni, ut in se est vili; Præterea nec hæc, nec illa specie libertatis immutabilitatis decoratur natura humana Christi Domini, sed alia perfectiori, nimirum habita à Persona Divini Verbi cum ea intimius intrinsecata, & unita: Undè etiam in Angelis, & Beatis hominibus debilioris conditionis esset ea libertatis immutabilitas, non sic concipienda erit in natura humana Christi, in qua ita per se taliter intrinsecata est, sicut est sanctitas, & impeccabilitas.

500. Secundò arguitur: Hæc species immutabilitatis est voluntariè introducta, sicut voluntariè dicitur, quod voluntas in omni suo per se actu libera est; & maxime videtur sine fundamento dici, quod per talè libertatis actum verè, & propriè mereri possit: Ergo alia via debet conciliari libertas Christi Domini cum ejus impeccabilitate. Antecedens probatur: Nec textus dicens, nec ratio aliqua cogens adinvenitur, quibus hæc immutabilis libertas statuatur, sed potius in contrarium variis sacris in locis oppositum colligitur, & unusuficiat ex illo Eccl. 11. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit; ideo stabilita sunt bona illius, &c.* Ubi ad stabilienda in homine bona merita humana recurrit sacer Scriptor ad libertatem indifferentiæ, & potentialitatis: Ergo satis clarè concluditur, quod illa species libertatis immutabilitatis non probatur.

501. Nunc ratione probatur incongruentia talis immutabilis libertatis: Libertas ad unum determinata non est libertas, sed natura, & necessitas; sed per ejusmodi immutabilitatem voluntas ad unum determinatur: Ergo non electione, sed necessitate. Præterea; immutabilis libertas in creata natura, vel habetur in suo intrinseco, & quidditativo principio,

pio, vel à tendentia in objectum proprium intensivum, sive extensivum, non curio; sed à nullo erit in præsentia assumpto: Ergo non est, undè ejus congruitas probetur: Ergo nec medium adinventum ad conciliandam impeccabilitatem Christi cum libera adimplerione Divini præcepti. Probatür minor: Quia prædicata intrinseca natura humana, nisi aliquo Dono adjuventur, non possunt in bono per se firmari; & similiter nullum est bonum huic objectivè correspondens, quod eam posset immutabiliter determinare, bonum nisi Divinum in se visum; & ab hoc præcindimus: Ergo de primo ad ultimum non invenitur fundamentum ad hanc stabiliendam libertatem immutabilitatis.

502. Respondetur ad argumentum, in primis concessio, ad meritum requiri eam speciem libertatis, quæ sit indifferentiæ, & potentialitatis; hæc enim regulariter concipitur in natura intellectuali pure creata; quia ut in plurimum ista utuntur libertate creaturæ intellectuales in suis actibus, & alia illis non proportionatur; undè si creata natura elevaretur ad Divinum esse, qualis est humana assumpta à Verbo, pertingeret ad illum gradum libertatis perfectiorem, & actualiorem, cujus ratione posset pertingere ad summum; de bono in bonum; numquamque de bono in malum; & hac utique mereri possit nobis hominibus, & adhuc Angelis per illum libertatem, quæ ut conditio ad meritum desideratur, præscindendo à gradu, & perfectione ipsius: De hoc plura dedimus locis citatis, ibique apparet, quo fundamento hic sensus stabiliri possit in sacris litteris; siquidem in eis satis extollitur dignitas humanitatis Dominicæ, ejus voluntas, & opera in nostrum profectum elicita; sed ex hinc convincimus eam suam libertatem a frænem non esse, vel potentialem, & indifferentem: Ergo immutabilem.

503. Textus in contrarium: *Qui potuit transgredi, &c.* non est ad rem præsentem; siquidem de libertate hominis puri, & peccatoris facit transitum ad hominem Deum sanctissimum, & cui peccatum repugnat: In illo enim fuit necessarium ad meritum, posse, & non facere mala, & sine illo posse non mereretur, quia in sepa-

rabiliter eidem statui convenit posse, & bene, & malè agere: In Christo Domino, quia substantialiter sanctus, nec illud posse adhuc remotum congruit; ideoque si posset facere mala, non mereretur, ut homo Deus; nam hic homo facere malum non potest; ecce jam qualis est in hac assumpta natura determinatio ad unum, & à quo oriatur principio, sine præjudicio tamen quidditatis rerum, & quo jure dicatur necessitas cum libertate compatibilis, adhuc in creata natura, & per hoc habes solutam rationem argumenti facti.

504. Voluntas ergo ea gaudet libertate immutabilitatis, quæ vel ratione propria naturæ, vel alicujus doni à Deo dante collati, in bono fixetur, eidemque inamissibiliter adhæreat; ut ab eo nequeat deflecti; determinatur hæc voluntas ad unum, non impetu, & pondere naturæ, sed perfectione, & actualitate sua, quæ tanto magis actualis erit, quanto perfectior; hæc in Deo habetur à se in sua voluntate, in Angelis, & hominibus confirmatis in gratia, accidentaliter, & per formam ipsis participatam, vel aliter, pro ut supremo auctori libeat; at in humana assumpta natura a Verbo Divino longè diverso, & superiori modo; nimirum per se, substantialiter, & intransitive per eam mer Deitatem eidem intrinsecatam, ut complementum substantiale illius: Tuncque cum hæc libertas sic immutabiliter ad bonum determinata est, ut ulterius in suis actibus posset mereri, constitui debet in eo gradu, & statu, qui ad merendum non officiat, & hic erit necessitatis secundum quid, non verò simpliciter talis dictæ, compatibilisque cum essentiali libertate.

505. Habemus ob oculos, quod hæc libertas immutabilitatis in voluntate Christi Domini habetur ab intrinseco ipsius & simul à Dei Dono aliquo, & quod non sit à se habita; sed à Verbo Dei intransitive communicata: Est enim intrinseca ea immutabilitas in humana natura assumpta, eodem modo, quo ipsi intrinsicum est Divinum esse, à quo etiam eidem præstatur liberè taliter perfecte operari; & hoc est Dei Donum non accidentale, sed hipostaticum, & substantiale, quæ-

quatenus se dedit illi humanitati per modum suppositi, & subitentantis; & denique ista humana natura, etsi ex sua quidditate, talem dignitatem non haberet, ei non repugnabat, sed utrumque permiserat juxta conditionem status, suæ constitutionis.

QUESTIO XXVI.

De aliis Donis, virtutibus, auxiliis habitualibus, & actualibus, quæ Christo Domino infunduntur.

306. **H**Uc usque de gratia habituali Christi Domini, consequenter ad quam de virtutibus, Donis, & divinis auxiliis agendum convenit tamquam de illius affectionibus, & proprietatibus cum ea inseparabiliter connexa; de quo non semel Trident. ex locis sacris utriusque testamenti ut Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illis, & innumerabilis honestas per manus illius.* Et 2. Petri 2. *Maxima, & pretiosa nobis donavit, ut per hæc efficiamur Divina consortes nature.* Ubi satis clarè denotatur cumulus virtutum, & donorum, qui gratiam eam comitantur. Quamvis magis in Christo Domino, qui ubique prædicatur, & adoratur omni plenitudine gratiæ superabundans, omnibus virtutibus decoratus, & septem Divini Spiritus Donis repletus.

407. Inter has virtutes, de quibus est præfatus sermo, aliæ sunt supernæ, & infusæ, aliæ morales, & acquisitæ: De infusis, & supernis aliqua sunt primò, & per se tales, Deumque ipsum respiciunt, ut proprium specificum objectum; & ideo theologales dicuntur; & hæc solum sunt tres; aliæ verò infusæ suam dicunt supernaturalitatem, Deoque inserviunt, ut gratiæ auctori, ad ipsumque etsi non primò, & immediatè, ac per se, suo ta-

men modo, & ordine diriguntur, æquè pertinent ad naturam moralium virtutum, ordinanturque per unam supernaturalem prudentiam. De hoc supra latè tract. 12. Præter has dantur aliæ virtutes morales, & unice dicuntur acquisitæ, quæ & purè naturales sunt, quatenus nil curant de statu elevatori gratiæ, & gloriæ, sed solum intendunt rectitudinem moralem rationalem rationalis naturæ in suis dictis, & factis pro humana societate, & convictu.

508. Insuper, ut ab his ut distinctum quid cognoscit Theologia tertiam veluti speciem habituum, sive virtutum, quos vocant Spiritus Sancti Dona; sumpto fundamento ex sacris litteris, de quibus & nos ibidem, quæ sunt septem veluti stellæ Divinæ gratiæ firmamenti. Ex his tribus ad Christum relatis in quolibet ordine sua habetur notabilis difficultas; & primo, de fide, & spe Theologalibus in per se supernis: Secundò, in per se infusis de poenitentiae virtute, vel per modum virtutis acceptæ; ac denique non leviter torquet Theologos, quomodo ei inesse potest Donum timoris Dei; cum sit Deus, & homo totius mali culpæ incapax, à quo per timorem istum habetur recessus, & fuga. Omnia præfata per unum non concissam disputationem, sed quia contenti erimus, si de illis qualem resolutionem dare valeamus; pro tanto varias conclusiones in præfati proponemus, & præfata in hæc una q. compilabimus.

509. Et prius ex his resolutoriè perspectis dicamus, Christo Domino inesse, & ab initio sui, omnes quascumque virtutes, & dona gratiæ, & gloriæ, & adhuc eas, quæ naturales, & acquisitæ sunt, & paulatim labore perficiuntur apud puros homines; non tamen hoc modo, sed similiter per accidens infusas esse, tenendum: De isto cumulo nullus dubitat; si quidem maximè congruum videtur, quod ex virtutes, quæ membra perficiunt, decorentur in capite: Sic enim uno verbo Paul. ad Hebræos 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex iustus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cælis factus, &c.* Hæc omnia simul, & à primo sui instanti animationis, & sine tra-

tractu temporis habuit Redemptor, quia ab illo primo sui esse fuit perfectus Deus, & perfectus homo, cui istud iure suæ celsitudinis debebatur. Ab his excipere est necessum, eas virtutes, & dona, quæ vel non concordantur cum statu Beatitudinis, quæ similiter Christus Dominus fuit præventus pro illo signo, vel quæ cum ejusdem substantiali sanctitate non cohæreant. Clarius loquimur per sequentes conclusiones.

510. Conclusio prima: In Christo Domino nec fides, nec spes Theologales infundi potuerunt. Loquimur de lege ordinaria, & secundum ea, quæ defacto inesse concipimus in Christo Domino; aliter discurrendum foret per aliam potentiam. Est expressa R. in 3. tract. 15. sepius hic. citat. Est & cō. nūnis Theologorum, à quibus regulariter non recedimus; primòque potest probari per textum Paul. 1. ad Corint. 13. qui huic conclusioni obvius est: *Videmus nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem: cum venerit, quod perfectum est, evanescit, quod ex parte est.* Ex quibus ista formatur ratio: Scientia Beata, & visio evaquat omnem quamcumque Dei cognitionem abstractivam, obscuram, enigmatiçam, & adhuc imperfectam; sed in Christo Domino temper, & pro omnitate, & instanti fuit infusum lumen gloriæ, scientia Beata indita, & clara visio Dei elicita: Ergo nunquam, & pro nullo instanti infuisset illi fides Theologica. Major cum minori sufficienter constant, sicut & consequentia; siquidem non posset in illo Domino sic illustrato adesse fides Theologica, de cujus quidditativo conceptu est obscuritas, inevidentia, & enigma, quæ in linea cognitionis dicitur imperfectionem Christo Domino non congruentem, & lumini gloriæ connaturaliter repugnantem.

511. Secunda pars conclusionis probatur ex iis, quæ R. habet in eodem 3. dist. 26. ex definitione, & constitutivo spei Theologalis, quæ tendit in Deum summum bonum per se immediatè assequibile, ceterum futurum, arduum, & difficile; sed Christus Dominus per visionem beatam, & in vi illius est per suam voluntatem hujus summi boni possessor;

tenet eum, & nunquam dimittet, nec ab ejus aspectu recedet: Ergo respectu hujus summi boni spem non habet; sed spes Theologalis hoc bonum in se, & per se habet pro specificativo, sub formali ratione nondum tenti, & possessi, sed adhuc flagrante desiderio expectati: Ergo hæc virtus locum non habet in Christo Domino à primo sui esse Beato, & glorioso, summi que boni possessore. Plura alia in medio adducere possemus hoc intentum comprobantia, sed quia omnia ad hoc unum necesse est, reduci, ad alia transimus.

512. Conclusio Secunda: Poenitentiae virtus nec infusa est Christo Domino, nec potest. Per prius ad ejus probationem supponamus, hic non loqui de poenitentia, ut quadam virtus specialis est, moralis, ac suo modo infusæ, & aliquo jure supernaturalis, quæ ut in plurimum tanquam pars potentialis iustitiæ reputatur, connotans, vel supponens, charitatem, Religionem, pietatem, &c. nam de ea his comitibus annexa, alia esse potest ratio, & aliter de illa esset discurrendum ad Christum Dominum comparata. Præterea notamus, quod sensus præfati conclusionis limitari debet ad strictam acceptionem poenitentiae; nam sub alia latiori consideratione adhuc de Deo dicitur, ut in primis litteris sacris legimus: *Genes. 6. Poenituit eum, quod hominem fecisset, &c.* sicut nec loquimur de naturali poenitentia, quæ quis dolere potest de amissione boni, & proprii commodi; nam ad rem non conducit; hæc denique poenitentia, de qua hic, erit ea speciosa, de qua sacri textus singulariter.

513. Denique ut expeditius ad probationes adeamus, adjiciamus ad dicta quadam, quæ inseparabiliter pertinent ad quidditatem hujus virtutis de promptum ex Trident. sess. 6. & 14. Tum ex Decret. de Poenit. dist. 1. De quo D. R. latè in 4. dist. 14. q. 2. primum est, Poenitentiam esse virtutem hæroicam, & excellentissimam sub se comprehendentem, vel connotantem actus principalium superbarum virtutum, ab hisque veluti animari. Insuper: Hanc virtutem cum eodem D. R. tenemus, quod quidditativè

vè dicat eſſe animi dolorem verum, & cordis amaritudinem anxiam de peccatis, quæ quis commiſiſſet; ita de Pœnit. diſt. 7. cum quo conjungitur gaudium de iſto habito dolore, & ſimiliter fit per eam pœnitio quædam in ſe, & propter ſua delicta exercita; & alia, de quibus Magiſt. in 4. diſt. 14. & in eum Bonavent. Aſenſ. D. Subr. ibidem. Quibus conciliè prælibatis, reſtat, ut investigemus, ſit ne hi actus, vel alii iſtis ſimiles de natura, & eſſentia virtutis Pœnitentiæ, de qua tractamus: Horum ſolutio erit noſtræ reſolutionis probatio,

514. Primaque ſit: Virtus inſuſa pœnitentiæ ſub nulla ſui ratione, eſt concepiibilis in Chriſto Domino, qui impeccabilis eſt, & ſubſtantialiter ſanctus: Ergo nec eſt eidem inſuſa, nec poteſt illi inſundi per aliquam potentiam. Antecedens probatur: Virtus pœnitentiæ inſuſa dicit conſtitutive, & inſcindibiliter dolorem, maſticiam, & amaritudinem cordis, & animæ; propter peccata commiſſa aut committenda; ſed hæc omnia repugnant naturæ impeccabili, & ſubſtantialiter ſanctæ: Ergo maximè Chriſto Domino. Minor per ſe patet; nam natura, cui impoſſibile eſt peccatum, repugnat dolor, & triſticia de illo à ſe commiſſo, vel committendo; ſed peccatum repugnat naturæ ab intrinſeco impeccabili: Ergo & dolor de ipſo commiſſo, vel deſteſtatio, & ſimiliter poſſitum de cætero non peccandi. Major verò principalis, in qua eſt tota ratio, & difficultas, probari debet per textus, concilia, & PP. nam à ratione cogenti non datur locus in ea.

515. In primis que, ſi Canon Bibliorum legatur, vix invenietur locus, ubi de hac virtute pœnitentiæ, in quo non declaratur, & expreſſetur per dolorem, & amaritudinem cordis, & animæ ſuæ quidditas, & eſſentia; eſt quæ leguntur, aliter expreſſiva, ſaltem notarent uberrimos fructus illius: Ut: *Pœnitentiæ agite, appropinquavit enim regnum Cælorum.* Matth. 3. et: *Facite fructus dignos pœnitentiæ:* Idem. v. 8. ſupponunt tamen, eam eſſe verum dolorem, deſteſtationemque peccatorum commiſſorum. Conſonat Trident. ſeſſ. citatis, & de PP. inter omnes excellit Chriſoſtom. integris homiliis prædicans

pœnitentiæ meritum, vim lacrymarum illam comitantium: De quibus non obtulimus textus ad litteram, quia eſſet valde oneroſum referre: Ergo ſi ad litteram textus attendamus, pœnitentiæ dicit inſeparabiliter deſteſtationem proprii peccati. Nunc ſic: Sed non eſt fundamentum, ut de alia ſpecie pœnitentiæ, nec de actibus hujus virtutis accipiantur: Ergo de hac inſuſa, & de ejus primario effectu procedunt.

516. Secundò, & in idem, probatur conſuſio: Semel quod virtus pœnitentiæ ſupernaturalis, & inſuſa ſit ſpecialis quidam habitus à reliquis Donis, & virtutibus diſtinctus, ut par eſt tenere, quatenus doctrina eſt expreſſa D. R. ſupra citati, cum qua concordant noſtri ſapientiſſimi PP. Zagal. & Garzia, de quibus ſuo loco infra, non apparet alius actus principalis, primarius, eſſentialis, & ſpecificus, & in quo explicetur eſſentia hujus virtutis, niſi per eſſe dolorem, & maſticiam cordis pro perpetratis propriis peccatis; ſed iſtud dedecet, vel potius repugnat Chriſto Domino, in quem peccatum non cadit, nec cadere potuit: Ergo & talis inſuſio pœnitentiæ virtutis. Major præterquam quod eſt certa, convincitur per hoc, quod hucusque nobis non innotuit ex revelatis alius potior effectus formalis pœnitentiæ hujus; conſtat præterea ex ipſa pœnitentiæ propria ſignificatione, quæ eſt contritio, fuga, dolor, deſteſtatio de malo habito, vel habendo, vel poſſibili haberi; vel aſſignetur alius effectus, vel ſignificatum aliud: Ergo ille eſt proprius, prior, & formalis talis virtutis effectus.

517. Concluſio tertia: Donum timoris Dei verè, & propriè in Chriſto Domino fuit inſuſum. De hoc ſpecialiter agimus, quia de illo eſt aliqualis difficultas, & de ea nil vidi in R. ſed ſolum generaliter tenet de Donis Spiritus Sancti Chriſto Domino inſundi, & propter eandem rationem, quæ militat in omnibus aliis. Agitur nunc ſic, quatenus de dono iſto apparet ſua difficultas potius propter vocem, ſcilicet timoris, quam propter officium ipſius timoris virtutis. Primòque probari poteſt per quandam declarationem Inn. 3. ut fertur, habitam

con,

contra Albailardum quendam à Chriſto negantem Dei timorem ad huc purum, & perfectum; ſed ex hac veluti damnatione oppoſitum propoſitioni damnata bene convincitur, pluſquam probabile eſſe: Ergo ſic erit de timore Dei in Chriſto Domino.

518. Aliter poteſt aſſertum probari ſic: Ea virtus, ſeu forma, cujus effectus primarius non repugnat ſubjecto, et communicabilis eſt, adhuc repugnantibus eſſe deſeſtibus ſecundariis; ſed primaria ratio, & formalitas timoris Dei puri, ſancti, & permanentis in ſæcula Chriſto Domino non repugnat, imò de ipſo dicitur, & prædicatur: Ergo & in illo inſuſum eſt donum timoris Dei. Major eſt communis doctrina, & minor probatur: Primus effectus puriſſimi Dei timoris, & qui eſt valde aſſis charitati perfecta eſt ſubjectio, & reverentia humilis ad Deum; ſed per hunc Chriſtus Dominus factus fuit humilis, & obediens, ac obſequens æterno Patri: Ergo inſuit, & in eum eo primus hic effectus formalis puriſſimi timoris Dei. Legantur innumera loca ſacra utriuſque teſtamenti, ubi ſatis expreſſè videtur cum eis à nobis dicta hic concordari.

519. Superèſt, ut de Divinis auxiliis, illuſtrationibus, excitationibus frequentiſſimè habitis, & communicatiſſimè naturæ humanæ Chriſti Domini noſtrum ſenſum aperiamus: Circa hoc convenire eſt neceſſarium cum communi Theologorum; ſupponendo, & præ oculis habendo, quod cum idem Dominus eſſet ſubſtantialiter ſanctus, & inſuper Beatus ab initio ſui eſſe, hæc præſata auxilia ſungi non poſſunt iſis officiis, quibus gaudent ea, quæ puris creaturis conferuntur, ſed unicè deſervire ad ulteriorem ornatum, pulchritudinem, & quandoque ad ſolatum hujus ſanctiſſimæ humanitatis. Circa horum auxiliorum eſſentiam, & entitatem idem poſſet teneri, quod ſupra dedimus tract. 12. q. 10. de communibus auxiliis, & propter eandem rationem: ceterum ſi qui hic, & ibi reſnuant ex noſtris iſtum amplecti modum dicendi, & tenere velint eſſe actiones paſſiones de linea actus ſecundi, de quibus ſapè R. & nos aſſentimus, & ad rationes illas reſpondendo dicemus;

Tom. IV.

quod iſtud genus entitatis pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis reductive, & per modum actus ſecundi, & ex eo remanent ſolutæ rationes illæ, quæ contra hoc aſſertum ex adverſo facere poſſunt contrarii.

520. Denique inter virtutes morales ſola continentia relegatur à Chriſto in ſuis propriis terminis accepta: Nam hæc virtus moderatur concupiſcibilem appetitum, cujus æſtrens deordinatio oritur & à rebellionem partis inferioris contra ſuperiorem, & à fomite originalis peccati, quod in idem eſt; ſed hæc rebellio nec peccati fomès conciperetur in Chriſto Domino, qui ratione unionis hipoſtaticæ, ad quam creata, & ordinata fuerat ea perfectiſſima natura, immunis, præſervata, imò & condita exiterat ab illis imperfectionibus, quæ carnem vitiatam comitantur: Ergo nec ibi congrueret virtus continentia. De aliis virtutibus moralibus vel inſuſis per ſe, vel per accidens, quæ & adquirentia frequentes ſunt, diſcurrendum eſt ſic, quod ſemel ac in ſuis quidditatibus non dicant dedecorem Chriſto Domino non congruentem, ab eo excludi non deberent.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & ſolvuntur.

521. **P**rimò arguitur contra primam concluſionem: Et per prius omittenda cenſui argumenta ex textibus ſacris, quæ facere videntur pro ſpe, maximè, & ſpecialiter, quia vel textus illi poſſent ad alium ſenſum trahi, cum non ita expreſſè loquantur de Chriſto Domino; vel quod fortè conformius eſt; quod intelligi debeant de ſpe in quadam lata acceptione, nimirum ſi ſumatur pro deſiderio, aut efficaci expectatione, ut puta, reſurrectionis ſuæ; non verò de Theologiæ, & quæ unicè Deum immediatè, & inſe reſpiciat tamquam bonum arduum moraliter poſſibile, futurum, ſed nondum tentum, & poſſeſſum, quod totum eſt propriiſſimum hujus Theologiæ ſpei, de qua tractamus, & quam in eſſe Chriſto Domino negamus; quatenus cum poſſeſ-

KKK

ſio.

sione Dei visi non bene coheret; & hæc eadem ratio habetur pro fide; de qua similiter interpretandi sunt textus non in sensu stricto, sed lata quadam acceptione.

522. Unde per unam rationem sic argumentatur: Fides, & spes sunt habitus superni, immo & de primo veluti gradu supernaturalitatis: Ergo etiam infusa Christo Domino, cui omnia quæcumque talis perfectionis, & celsitudinis congruum videtur conferri. Probatur hæc consequentia: Etsi ipsi Domino non essent infusæ rationes illæ deterioris fidei, & spei, quales sunt obscuritas, & arduitas boni Divini nondum possessi, possent tamen inesse Christo Domino secundum alias, & alias rationes superiores; & perfectiores: Ergo semel quod taliter perfectæ sunt in sua superna entitate, verè Christo Domino congruum est infundi. Nec respondeas: Quod imperfectiones fidei, & spei sunt quidditivæ ipsis, ideoque inseparabiles, quæ præterquam quod sunt connaturaliter incompatibiles cum Beatitudine ejusdem, non eidem congruunt; ideoque etsi supernæ, & Theologales, deficiunt a vera perfectione, & ideo Christo negantur.

523. Nam contra est: Fides, & spes etsi dicant, adhuc primario, eas imperfectiones recensitas, possunt tamen Christo infundi, non ut tales effectus ipsi communicent, sed alios potiores, & conformes, ac proportionatos suæ naturæ: Ergo secundum hos possent illi Domino infundi. Probatur assumptum à cogenti paritate: Etsi gratia sanctificans dicat primario esse formam sanctificantem, subjectumque constituat Deo dilectum, hæredem, & filium Dei, Christo Domino infunditur defacto, non ut prædictos effectus communicet sed alios, & cum eodem Domino connaturaliter compatibles: Ergo similiter dicendum erit de fide, & spe. Probatur: Ideo in Gratia conceditur, quia in ea cognoscuntur alii, & alii effectus, quorum aliqui Christo congruunt, non autem omnes; sed idem dicendum erit de fide, & spe: Ergo eadem est utrobique ratio.

524. Secunda via arguitur, & est doctorum probativa: Fides, & spes, atten-

ta præcisè ratione habituum, & Donorum supernaturalium, & omni alio secluso, sunt perfectiones qualificativæ, quæ humanam naturam Christi Domini decorarent; sicut, & ad modum quo Gratia sanctificans, & habitualis, quia est Divinæ naturæ præiosa participatio, decorat, & ornat eam sanctissimam substantialiter naturam, non obstante, quod effectus illi, qui ipsius propriissimi sunt, ut pura, sanctificare, & filium Dei constituere, non accommodentur cum ea natura: Ergo dic idem de fide, & spe, & separa ab eis obscuritatem, & absentiam summi boni, & considera esse Dei formales participationes in suis attributis, & invenies, quod per illas possent æquè ornari, & decorari hæc sanctissima humanitas.

525. Ad Argumentum bene ibi, & ad primum instantiæ respondetur: Quod fides, & spes nullam priorem formalitatem Christo communicabilem præferunt, quæ cum ejus statu sit comparabilis; connaturaliter loquendo; nam aliter sentiendum esset, attenda Dei absoluta potentia; siquidem fides, & spes ex suis terminis dicunt exclusionem possessionis summi boni tum ad intellectum, & etiam ad voluntatem; fides est habitus enigmaticus, & abstractivus; spes verò est proprius habitus desiderii, & concupiscentiæ, & ab hoc impræscindibiles sunt, nec aliquid prius est in eis conceptibile: Quod totum non bene coheret in anima Christi Domini, quæ à primo sui esse conditi instanti Deum possidet per intellectum clarè videndum, & per voluntatem fruendum, & tenendum: Igitur in his non adest locus pro habitibus fidei, & spei, nec in eis habemus aliud distinctum, & diversum conceptibile.

526. Secundæ probationis solutio ista clarificat primam: Gratia enim, & fides, sicut spes sunt æquè entia superna, & æquè participant de divinis prædicatis, sed non æqualiter; nam gratia participat perfectissimè divinam naturam, fides verò, & spes non ita intellectum, & voluntatem; nam lumen gloriæ, & charitas longè perfectiori modo participant suum esse ab his potentiis; & hæc totius est solutionis ratio: Quod fides, & spes sunt habitus viatorum, & peregrinantium; lumen glo-

riæ,

riæ, & charitas Beatorum; fides, & spes sequantur lubrica viæ, ut est obscuritas, enigma, & anxietas, non delectationes Patriæ, quæ propria sunt luminis, & charitatis: Ecce quare decoratur sanctissima humanitas Christi Domini Gratia, & his habitibus, & his ornat, non sic decoraretur donis fidei, & spei, quæ secum afferunt inseparabiliter imperfectionem, quæ Christo non deceat.

527. Dicamus denique ad aliud argumenti: Quod in gratia præter effectus illos, qui certè primarii dici possunt, quales sunt Deo dilectum, charum, filium, & hæredem constituere, possumus & alios adjicere; unde etsi aliqui Christo Domino non adaptentur, quatenus perfectiori sanctitate, & nobiliori filiatione ditatus est; alii eidem conveniunt, ut sunt accidentalitas iustitiæ, & sanctitas hujusmodi promodo à nobis superius in hoc tract. notato; ideoque hoc, & similibus, & Donis ornaretur, & quatenus in eis nulla adest imperfectio, aut incompatibilitas cum statu suæ gloriöse Beatitudinis: At vero sub quacumque acceptione consideremus fidem, & spem, eas implicitas reperimus his notis earum essentia propriissimis, & à quibus eas depurare non valeamus.

528. Ultimò arguitur contra ultimum hujus conclusionis: Auxilia cito transeuntia, illustrationes, &c. superfluant in Christo Domino: Ergo in eo connaturaliter infusa non sunt. Antecedens probatur una via: Prostatu Beatitudinis ea auxilia nullum habent munus, & officium, non modo in Christo Domino, verum & nec in reliquis Beatis; siquidem sunt in continua Dei clara visione, & amore, & non indigent ad hoc, auxilio, adjutorio, aut motione cito transeunte: Ergo in hac parte superfluant in Christo Domino. Probatur alia via illud antecedens: Sicut in justis gratia, & habitus superni suplent vias auxiliorum de genere dispositionis sic, & adhuc singulariter in Christo Domino, quia substantialiter sanctus est, semel quod ejusmodi genus auxiliorum congruerent, suplerentur per gratiam unionis, vel ad minus per habituales: Ergo

Tom. IV.

superfluerent ejusmodi auxilia.

529. Responderetur ad argumentum, negando antecedens, & ad unam illius probationem, dicimus: Quod etsi concedi posset in Beatis puris, & non viatoribus superfluitas auxiliorum, quod non est ad eo verum, cum ad operari frequenter indigeant præter habituales elevationem, adhuc actualem, & circumstantem motionem objectivam; tamen in Christo Domino, qui præter scientiæ, & operationem Beatam præditus est alia infusa, & ad alias operationes meritorias necessario congruenti, adhuc convenit, decet, & requiritur cumulus ille auxiliorum, quem supra notavimus, ut connaturaliter suas exerceat functiones promodo & conditione naturæ humanæ. Alia via probationis non urget: Nam vel teneamus, ut supra tract. 12. q. 10. quod per gratiam sanctitatis unionis, vel habituales hoc munus supleatur, vel per distinctas entitates; nunquam superfluerent præfata auxilia: Si primum; ibi sunt, licet virtualiter, & æquivalenter in sanctitate Christi adunata: Si verò aliud teneatur, exerceat munus excitationis motionis, quod inseparabile est à quidditate objecti respectu creatæ naturæ, quamvis hujus operatio continua sit; in eo enim casu esset, & frequens, & continua excitatio motio objectiva, sicut absentia auxiliorum circumstantium.



KKK 2

QUÆST.

QUÆSTIO XXVII.

Utrum gratia habitualis infusa Christo Dño. sit alia in specie à gratia puræ creaturæ, ita quod ad infinitatem pertingat?

530. **S**upervacaneum fortè videretur ista de gratia Christi tractare, quæ ad ejus unitatem specificam pertinent; nam cum sermo sit de gratia ea, quæ communiter dicitur habitualis, & ab unionis gratia distinguitur, necessario debet esse idem accidens de prima specie qualitatis in linea supernaturalium, ex quo nullum appareret fundamentum ad rationem dubitandi inter gratiam, & gratiam Christi, videlicet, & hominum sive etiam Angelorum: Etsi, vera loquar, ut in plurimum parum de hoc agitur apud antiquos, & recentiores Theologos: cæterum Theologorum Princeps in hac p. 3. q. 8. art. 5. quærit, nam gratia Christi ut caput est, & Deus homo sit eadem specie cum ea ipsa collata, ut homo participatis; ejus methodum sequentes, & quia valdè conducit ad nostram firmandam resolutionem circa gratia Christi substantialem, & statuere clarius possumus, quid interest inter gratiam & gratiam, de illo eodem agimus.

531. Huic adhærendum censemus dubium aliud de hujus gratia habitualis mensura, & plenitudine; num, scilicet, attingat ad infinitatem? Si enim talis esset sua dignitas, & excellentia, ut sine termino à Deo esset Redemptori collata, proculdubio alia esset in specie ab illa, quæ communiter justis contertur; & est hæc ratio, saltem apparenter, probans: Infinitas etsi modus sit rei, est talis, ut in ejus substantiam refundatur; ideoque si daretur calor in actu infinitus, specie distingueretur ab omni alio calore;

siquidem calor ille possibilis infinitus esset totus calor eminenter, & formaliter; sed totus hic calor plusquam specie differre debet à quolibet particulari calore: Ergo si demus gratiam Christi habitualement infinitam esse, plusquam specie differre à gratiis aliorum justorum.

532. Pro his supponimus, hinc nos loqui de gratia habituali Christi quæ de facto est ipsi infusa, & secundum ea, quæ de lege ordinaria habitura est; nam de posse Dei absoluto loquendo, non habemus pro inconvenienti, doctrinis D. R. adhærentes, secundum illud, quod circa infinitum habet in 2. tenere, possibilem esse illius gratia actualem infinitatem, & à reliquis specificam distinctionem. Supponamus etiam, Christum Dominum plenum gratia prædicari, & repletum esse Spiritus Sancti Donis, ut non semel in Evangeliiis, & alibi in novo testamento, & adhuc in veteri legitur; undè oritur non leve motivum ad quora sit hæc plenitudo gratia inquirendum? Num ad infinitatem accedat? An sapiat saltim infinitatem? Ac denique quæ, & qualis sit plenitudo ista gratia? Expediemur a primo, quod inquitimus, ut postea ad hoc ultimum deveniamus.

533. Conclusio prima: Gratia Christi Domini, quæ habitualis est, eadem est in specie cum alia quacumque justorum: Resolutio non habetur in D. R. sed ex à nobiscum eo supra dictis satis colligitur & sic eam probamus hæc unica ratione. Gratia ista habitualis Christo Domino infusa, est accidens supernaturale de prima specie qualitatis, quæque est prima inter formas de isto ordine; ideoque participatio vera, phylica, & formalis Divinæ naturæ, & in qua Deus donat maxima, & præiosa se diligentibus; sed omnis quacumque habitualis gratia cuilibet iusto communicata hoc ipsissimum habet à Deo infusum; cum in sua gratia sit ratio eadem: Ergo non est, undè ponamus differentiam essentialem inter gratiam, & gratiam; & maxime, quando facere omnes convenimus in hoc, quod prima ratio distinctiva, & constitutiva hujus gratia est, esse formalem participationem Divinæ naturæ; juxta ea, quæ sunt expressa 1. Pet. 2.

534. Con-

534. Conclusio secunda: Christus Dominus habuit istius gratia plenitudinem à principio sui esse, & pro ipsius connaturali statu non infensibilis. Est communis, probarique posset textibus, quibus declaratur hæc plenitudo cum Joann. 1. Luc. & Matth. *Plenum gratia & veritatis, &c.* Sed ubi plenitudo est, non adest capacitas ad amplius habere: Ergo si Christus Dominus plenus gratia prædicatur à principio, gratia hæc intendi non posset. Præterea probatur: Christus fuit constitutus à principio Redemptor, caput, & propter hoc sanctus substantialiter conceptus, & natus: Ergo ad hoc habuit eam gratia plenitudinem desideratam; nam si ultra majorem acquireret, sequeretur; quod non habuisset eam à principio communicatam secundum totam intensionem, quæ tali Deo, & homini corresponderet: Ergo ne dicatur hoc, aliud tenendum erit, nimirum de lege ordinaria talem gratiam non esse infensibilem.

535. Conclusio tertia: Hæc gratia plenitudo finita est simpliciter, etsi secundum quædam, & moraliter quadam gaudeat intimitate. Hanc aliqui probant per rationem creaturæ, quæ limitata est per suam dependentiam in esse; ideoque tum ex parte naturæ humanæ receptivæ, tum ex ipsa gratia essentia, eam repugnare infinitam asserunt. Non conformamur huic modo dicendi, cum teneamus non implicare cum conceptu creaturæ infinitatem in qualitate, & aliis; quod Deo dante dabimus ex mente R. in nostris Philosophicis Commentariis; quapropter in alia providentia, gratia posset esse creatura infinita, substantiaque suæ receptionis finita, ipsa, inquam, infinita in linea qualitatis adhuc superna. Aliter primo possumus probare conclusionem sic: Non est, unde constet infinitas in Dei gratia, aliunde omnia Christi finita sunt, vel finito modo exercita, nimirum; natura, & substantia humana finita est cum suis proprietatibus, & potentiis; sua assumptibilitas, & Divini Verbi assumptio, etsi infinita, finito modo subsistunt; Ergo idem de gratia, & aliis Donis dicere debet.

536. Secundò probatur conclusio:

Tanta gratia est conceptibilis in Christo Domino, quanta sufficeret ad ejus plenitudinem, & superabundantiam, ut dicatur Spiritu Sancto repletus, &c. Sed ad hoc non requiritur vera infinitas in sua gratia: Ergo hæc non est, unde probetur. Major est certa, & minor probatur: Nam plenitudo ista est ad excellentiam, præstantiam; ad esse caput aliarum gratiarum, & earum mensuram; sed ad hoc non expectatur infinitas, sed sufficit esse ita perfectam, ut superabundet, excedatque omnes collectam gratias supernas creatas, & adhuc ordinariè creabiles; quod equidem infinitatem non convincit, sed summam præstantiam: Ergo.

537. Cum quo, jure optimo, componitur, quod hæc gratia dicat suam secundum quid infinitatem, ratione, scilicet, subjecti, quod afficit, quod per communicationem idiomatum dicitur, & est Deus, infinitus, æternus, &c. Sed aliqua forma, accidentales specialiter, potius perficiuntur, quam perficiant subjecta, & ideo magis accipiunt, quam eis tribuant: Ergo stante infinitate in gratia subjecto, nil mirum quod aliqualem derivet ad eam; sicut dicitur de Maternitate B. V. Mariæ, quæ ratione relationis ad idem suppositum Deum, hominemque, quandam contrahit infinitatem. Ex quo, & eadem via, gratia ista moraliter infinita dici potest; quatenus æstimationem, & valorem habere à supposito eo, cui inest; sed suppositum suæ innitentia, & subsistentia est Deus infinitus, &c. Ergo ab hoc sumeret valorem, & æstimationem; & hoc quid aliud est, quam esse moralitè taliter infinita, sicut est principium suæ æstimationis?



QUÆS.

PROPONUNTUR ARGUMEN-
ta, & solvuntur.

538. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Gratia habitualis Christi Domini est utique participatio Divinæ naturæ, sicut est aliorum justorum; sed hoc non obstat, ut specie ab ista differat, ticut ex eo, quod gloriæ lumen, & fidei participant de intellectu Divino, cum hoc utiq; specie distinguuntur: Ergo ex hac ratione non probatur identitas utriusque gratiæ Christi, & justorum in eadem specie. Nec respondeas ad paritatem, quod etiam ita sit in lumine gloriæ, & fidei, dicunt aliam, & aliam rationem suæ participationis; nam utrumque lumen participat summam veritatem formalem Divinæ cognitionis, sed non claritatem, & evidentiam, quæ solum propria est luminis gloriæ, & ideo habitus est fide præstantior, clarior, evidens; non sic de hac utraque gratia dici potest; siquidem gratia habitualis capitis, & membrorum participat de Divina natura esse primam, & veluti naturam in ordine supremam, & aliorum donorum radicem, & principium; & in hoc utriusque gratiæ nulla est differentia; & ideo unius sunt speciei.

539. Sed contra, & fortius: Gratia Christi habitualis verè ita convenit cum aliis iustis, quæ in argumento; ceterum valdè in suis effectibus formalibus differunt; atque per hoc innotescit quidditas formarum, & præcipuè accidentalium: Ergo licet in generali ratione participationis Divinæ naturæ coveniant, valdè differunt suisathomis differentiis. Antecedens probatur, primò: Quia in nullo ex effectibus formalibus, quæ gratiæ tribuuntur, conveniunt; vel assignent, quinam sit effectus ille gratiæ Christi Domini præter illum generalem? Secundò probatur idem antecedens: Effectus formalis gratiæ habitualis, utcumque, est filiatio Dei, & sua hæreditas, & alii, quos recenset Trident. 6. sess. sed nullus horum gratiæ Christi adaptatur: Ergo in nullo ex effectibus formalibus conve-

niunt: Ergo differunt essentia, & quidditate gratiæ Christi, & aliorum.

540. Ad solutionem hujus instantiæ, quæ in summa est tota vis argumenti, supponimus doctrinas de lumine gloriæ, & fidei, ita esse, ut in argumento adducuntur, & pro solutione superaddimus disparitatem inter gratiam, & gratiam esse notam; nam ultra eam rationem communem participationis Divinæ naturæ, in qua conveniunt, ulterius etiam utraque dicit prinitatem in linea supernaturali, & principatum in isto ordine, utraque est decor, & pulchritudo animæ, & hi sunt potiores effectus gratiæ habitualis, ex quibus sequitur sanctitas, & puritas pro modo accidentalitatis ipsius gratiæ; & quamvis alios effectus puræ creatæ animæ communicet, quos recenset Trident, & hos non præter sanctissimæ naturæ Christi Domini, non est defectus ex parte formæ, sed preventio præhabita in anima Christi per substantialem gratiam: Propter hæc dicta, & ob plura alia, quæ occurrunt, certum est, specie non differre, quatenus ad hoc non desideratur covenientia in omnibus effectibus, sed solum, quod in primoribus adinventiatur.

541. Secundò arguitur: Gratia Christi Domino infusa non habuit totam plenitudinem essentia suæ quidditatis: Ergo amplius, & amplius intensibilis est. Patet consequentia: Nam si totum perfectionis, quod habere potest, non habet, aliquid plus potest habere. Antecedens colligitur ex dictis hic 3. conc. Respondetur faciliter: Quod in sua creatione, & infusione Deus contulit illi gratiæ quantum sufficiat, ut ad dignitatem, & excellentiam Christi desideratur; per eam enim sibi nil meruit, cum principalis sanctitas esset in Domino Jesu substantialis, & Divina, ideoque in principio sui, jam termino erat potitus. Dicamus, quod ea gratia, si attendatur absoluta Dei potentia, intensibilis est, ceterum deficiente ad hoc mansit impedita.

542. Tertio arguitur contra tertiam conclusionem: Gratia infinita non implicat nec in se, nec in subiecto: Ergo de facto talis conditionis fuit, & est gratia Christi Domini. Antecedens est admissibile a nobis, & consequentia probatur:

batur: Christo Domino infunditur gratia, & insuper dona, & virtutes sine mensura: cum ita referat Joan. 3. quod non ad mensuram illi Spiritus Dei conferatur: Ergo infinita est. Respondetur ad argumentum; quod certum tenemus infinitam gratiam non implicare, sicut certum afferimus, non congruere Christo Domino, cui solum quantum sufficiat, habere de gratia, tenemus: Hæc ergo collata fuit non ad mensuram hominis, & Angeli, vel alterius cujusvis creaturæ, cum nulla sit, quæ possit hujus gradus dinumerare, ponderare, aut explicare; & huic est germanus sensus Joannis in illo passu.

eundem Dominum esse præfatæ suæ Ecclesiæ caput.

544. Ad hujus veritatis elucidationem non desunt suæ congruentiæ, quæ & veluti inservire possunt ad hujus Divini capitis extollentiam: Caput ergo dicitur Ecclesiæ ob similitudinem cum naturali, & specialiter humano, in quo concipitur præstantia in loco ad alia membra, perfectio, & influxus in ea: Unde cum de Christo prædicent Scripta Sacra, caput esse suæ Ecclesiæ, de illo & dici est necessum, quod ideo caput est, quia sit prius in dignitate, excellentius in perfectione, & activius in influenza, Hæc omnia competunt Christo Domino, & quia Deus est, & homo, & quia sic statuit, & decrevit Deus esse, & fieri: Ut in Ps. 1. legitur: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*: Ubi satis clarè exprimitur de hoc lex Divina, & statutum; quæ & necessario suppetere debuit eam duplicem naturam Divinam, & humanam in unico supposito existentem; Divinam, scilicet, per quam dignificarentur ministeria capitis Ecclesiæ quæ sine humanitate consistere non valent.

QUÆSTIO XXVIII.

De gratia Christi, ut est caput hominum.

Et an, aut quomodo sit Angelorum?

543. **I**nter omnes gratias de Christo prædicabiles, maximè resplendet gratia capitis, cui, & nos adhaerendo tenemus cum Ecclesia: *Ut quo præcessit gloria capitis, eo spes vocetur, & corporeis mytici, cujus & nos sumus membra de membro*: De isto capite aliqua se offerunt explicanda, quæ & frequentia sunt apud Theologos, de quibus & nos in hac unica quæstione agemus: & per prius supponimus, ut fide tenendum, Christum Dominum esse caput omnium hominum, juxta modum infra præscribendum, ad modum quo proter omnes venit in mundum, & omnium salutem procuravit. Hoc legitur in variis locis sacris, unum expressum pro omnibus sufficit, quem & affert Angelic. Doct. hic q. 8. art. 1. Ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam* Ubi in proprietate sermonis, acceptis illis verbis, ut debent, siquidem ex iis nil dissonum, aut incongruum sequitur, verè tenemur credere,

545. Ex his insurgunt aliqua graves difficultates, quæ taliter dicuntur esse, & quia pro eis non subest ratio cogens; nec minus in sacris litteris super eas aliquid determinatur: Una difficultas est, quorumnam hominum sit caput Christus Dominus? Scimus esse omnium Redemptorem quotquot ex genere Adæ nascerentur, & scimus, & credimus; & adhuc ignoramus, si horum omnium sit caput in sensu strictiori, & magis vero, & proprio capitis? Eorum, namque quorum caput est, est & Redemptor; ceterum omnium, qui redempti sunt, non est isto modo perfectiori caput. Ratio diversitatis hæc est, quæ primò aspectu appareret; quod scilicet, dicitur Redemptor Christus eorum, pro quibus se obtulit hostia, & sacrificium Deo Patri in Ara Crucis, quod & pro omnibus fecit, ut legitur frequentissimè in novo testamento Adesse verò horum Redemptorum caput, perfectè ulterius requiritur unio mytica, & moralis gratiæ, & charitatis cum eis, tamquam cum propriis membris,

bris, hujusmodi influxus vitalis, & supernus in hac eadem membra; cumque hoc quandoque deficiat in quibusdam hominibus ex conditis; respectu horum, quamvis redempti dicantur, caput non erit dicendus hac speciosa acceptione.

546. Procedamus clariores, & loquamur de hominibus creatis in præsentis tempore ex toto terrarum Orbe: In hoc, quidam sunt de gremio Sanctæ Mariæ Ecclesiæ in illam per Baptismum ingressi, & in accepta gratia perseverantes; alii ab ista gratia exciderunt per peccatum mortale, quod solet quandoque esse criminis hæresis, aut contumacis Ecclesiæ inobedientie, consequenterque excommunicationis vinculo constrictum, & ligatum. Alii denique ad Sacrum Baptisma non pervenerunt, vel positivè negando ejus fructus; vel negativè nil de eo curando. Pro hac etiam difficultate numerari possunt ii, qui sunt in via ad triumphalem Ecclesiam; sive in Purgatorio patientes. Secunda, quæ de hoc habetur difficultas, est; per quam gratiam Christus influat in humana membra; an per substantialem unionem, vel per creatam, & habitualem? Tertia denique est: Si sit, sicut & hominum, caput Angelorum? De his per varias conclusiones nostrum sensum aperiemus.

547. Conclusio prima: Christus Dominus est actualiter caput omnium hominum viatorum in gratia sanctitatis existentium. De hac non est ambigendi locus, cum Textus Sacri, qui loquuntur de illo capite *Christus*, propriissimè intelligi debeant de hoc hominum statu, cujus hæc est ratio, & simul probatio conclusionis: Christus Dominus dicitur, & est caput hominum, quatenus verè influit in eos, non modo transeunter, verum & habitualiter, & permanentè; sicut vivum caput influit in omnia membra naturalis corporis; sed principalissimè sic influit Christus Dominus in omnia quæque humana membra, quæ sibi charitate conjuncta habet, habituali, actuali, & strictissimo vinculo dilectionis, & amoris Dei: Ergo hæc sunt propriissimè membra de illo membro principaliori, quod est caput, & totius nostri boni origo. Major est certissima, sumpta similitudine, ut par est, ab aliis capitibus. Minor etiam est de fide, ex-

præse in Trident. 6. sess. secundum sacras litteras; ubi influxus mysticus, & moralis in ista sancta membra satis, superque declaratur juxta littera in Joan. 2. *Es de plenitudine ejus omnes accepimus.*

548. Conclusio secunda: Christus Dominus eo jure est caput totius Ecclesiæ triumphantis, & idem dicitur de illis, qui ad hunc residui sunt in Purgatorio. Hæc est eadem eum præcedenti, & eadem ferme veritate stabilienda; ista habita differentia solum inter viatores, & eos, qui sunt inter termino, vel prope terminum quoad influxus capitis; ad viatores est directus ad gratiæ infusionem, conservacionem, & intensiorem, aut augmentum; respectu verò aliorum, qui sunt in termino, ad nil horum desideratur, sed solum propter intimam, perpetuam, & inamissibilem unionem per charitatem, & gratiam consummatam inter se, & cum suo capite *Christus*; eaque munera permanent in saculum sæculi per habitualem, virtualement, & actualement influxum in eas excellentissimas operationes videndi, & amandi Deum, aliter tamen, & aliter in Patria, ac in Purgatorio; secundum condiciones utriusque status; nam his membris adhuc pertingit Divinus influxus capitis sui in satisfactionibus exhibendis pro debitum suorum peccatorum, deductis tamen ex illo inexhaustibili thesauro meritorum suorum: Sed hæc omnia satis indicant, Christum Dominum esse etiam respectu horum verum caput: Ergo. Totum confirmat illa universalis citati Paul. ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*: ubi per illud omnem satis clarè intelligitur, & eam, quæ est Beatorum; & quæ in via Purgatorii creditur comprehendit: Sic ad Colosens. 1. dicit: *Quod est caput corporis Ecclesiæ*; sed corpus Ecclesiæ comprehendit Beatos, & etiam, quæ in Purgatorio satis patiuntur: Ergo idem quod prius.

549. De aliis hominibus, in quibus vel nunquam pervenit vinculum illud perfectissimum, & mystica unio gratiæ, & charitatis cum suo capite *Christus*; Jesus est major ratio dubitandi, quomodo sit horum caput morale, sicut & aliorum, qui à gratia conditoris exciderunt per sua propria delicta; & maxime cum inter eos, quidam à recta fide, & spe superna non erraverint; alii sic permanentes ob Ec-

clesiæ inobedientem contumaciam ab ejus gremio sunt avulsi; præter hos, alii hæretici, schismatici, Pagani, Idololatra, & totius lucis supernæ quasi privati, immo, & exæcati vivunt omni lumine destituti: De his ergo, & supposito, quod Jesus Christus pro eis natus, & mortuus est, eosque omnes aquè redemit, quærimus, quomodo sit illorum caput? Et qua ratione ad illos verificetur ejus influxus, sicut est vitis in palmites.

550. Et supponamus, quod Christus Dominus sit adhuc eorum verum, & proprium caput, etsi non ea strictiori proprietate, de qua supra, & quatenus dicit speciosam illam unionem gratiæ, & charitatis, in qua singulariter exprimitur influxus divini hujus capitis; est ergo verè horum omnium caput, ut constat ex illo ad Eph. 1. *Ipsum dedit caput*, indefinitè, & absque limitatione ulla; de cujus ratione est unio, influxus, vitalitas quæ talis sit in ordine ad æternam salutem: Quid hoc erit in hæreticis, schismaticis, paganis? Ad difficultatem, quæ parum urget, respondent Catholici: Quod horum omnium peccatorum est Christus verè caput; ita quod vitalitas, influxus, & unio habeat in supremo illo capite ad hujusmodi membra: suo ordine, & proportionem, infidelibus ad fidem influit, & spem, & alias virtutes; in aliis verò saltem immittendo continuas illustrationes, auxilia, supernas motiones, vel intrinsecus habita, & adhuc extrinsecus, & per prædicatores; verificaturque per hoc, quod nullus sit, qui se abscondat ab hujus luminis superni calore, & quod in omnes homines, ut verum caput, suo modo, & juxta eorum capacitatem, influat.

551. Solet denique investigari; si esse caput, Christo Domino conveniat ex ipsa rei natura? Et ut locum quaeritum habeat, loqui est necessum de hoc divino composito, Deus scilicet, & homo: An videlicet, hic Deus homo, vel hic homo Deus sit ex sui natura, & essentia caput morale hominum; vel eidem adveniat ex Divina lege, & statuto; ideoque staret Christus intentus, & homo factus, qui non esset eorum propter quos venerat, caput mysticum, & morale, nec ne? Respondeo; quod sunt diversa; & hominem

Tom. IV.

redimere, & esse caput illius, sicut & carnem sumere, & pro homine mori; sicut enim posset Deus hominem esse factum, & delictum hominis non solvere, sic & posset hominem redimere, & in illum imperium capitis non exercere: Hæc omnia dependent à divinis legibus, statutis, decretis; ut constat variis in locis factis, de quibus sapius in decursu hujus tractatus.

552. Conclusio tertia: Christus Dominus est caput bonorum Angelorum nil de malis asserimus; nam de his, & in ordine ad hos nullum omnino habuit, aut habet influxum, nec in minimo ad primam illam gratiam, à qua exciderunt, influere potuit in vi præsentis decreti, cujus ratione Christus Dominus prædestinatus est filius Dei, & Redemptor prævisis, transactis Angelorum conditione, & casu: De primo, quod conclusio continet, non est adeo recepta resolutio, cum non desint aliter sentientes, de quo infra inter argumenta. Non statuitur per R. cum de hoc nihil dictum reliquerit; est tamen gravissimorum Theologorum, ut hic D. Thom. Suarez, Vazquez, Zag. Lumb. Lez. &c.

553. Primò probatur aliquibus locis sacris, ommissis pluribus, qui potius dominationem, & potestatem Domini indicant, quam esse illorum caput; de primo nullus dubitat; secundus verò habet pro se textum expressum Paul. ad Colos. 2. *Qui est caput omnis principatus, & potestatis*; sed eadem est ratio de aliis Choris Angelorum: Ergo omnium est caput Christus Dominus. Alii & nunc repetitum est ejusdem ad Ephes. 1. *Qui posuit eum caput super omnem Ecclesiam*; sed universalissima Ecclesia, qualis est ea, quæ in ly *omnem* exprimitur, comprehendit Angelos, & homines: Ergo horum omnium Christus est caput. Minor declaratur: Tam Angeli, sicut & homines est cætus fidelium congregatus ad Dei cultum, obsequium, & honorem, ut omnes simul ejus partes perpetua beatitudinis Deo fruantur in æterna visione, & amore; sed cætus iste sunt Angeli & homines: Ergo hæc est Ecclesia, cujus caput Christus est; ac præterea sponsus declamatus utriusque naturæ, & prædicatus caput, sicut est mulieris vir. Lll 554. Se-

554. Secundò probatur conclusio: Effe caput hominum Christum Dominum in actu exercito habet ex Dei statuto, & ordinatione; sed hoc idem habet ad Angelos: Ergo ut trorumque caput est. Minor, præterquam quod patet ex dictis, probatur ista congruenti ratione: Christus est destinatus caput hominum, quatenus in eos influit Dona gratiæ, & gloriæ, &c. sed licet propter primam, & istam principalem, seu essentialem gloriam non constitueretur similiter caput Angelorum, dantur alia dona reliqua, in ordine ad quæ posset suos influxus determinare; nimirum, illustrationes, revelationes suorum mysteriorum, & Divinorum arcanorum scrutationem: Ergo saltem erit eorum caput, in quantum hæc influit, sicut corpus naturale in sua membra. Totum assumptum sistit in hoc, quod adesse caput mysticum, & morale, solum desideratur influxus ejusdem ordinis in membra, quicumque ille sit, & in quocumque ex bonis spiritualibus: Ergo poterit a Deo institui Christus caput hujusmodi Angelorum, & hominum, quamvis esset circa diversa influxus ad utramque naturam.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

555. **P**rimò arguitur contra secundam conclusionem: Christus Dominus, si taliter est caput universale totius Ecclesiæ, ut quæ in Cælis, & quæ in Purgatorio comprehendantur, sub eo esset actualiter, & in actu eodem modo caput malorum, & peccatorum eorum, quia suo gremio exciderunt; sed contrarium asseruimus: Ergo non omnium hominum, sed solum erit caput bonorum viatorum, ut in eos influat, usque dum ad æternæ salutis portum perveniant. Major probatur: Universalitas illa fundari deberet in eo, quod Christus est universalis Redemptor, sub qua redemptione omnium hominum natura, & status comprehenditur, omnesque salvos fieri vult, omnibus auxilia

confert per sua merita velut meritória causa; sed hoc extenditur ad omnes omnino quoscumque homines, & actualiter, ac in actu exercito: Ergo & esse illorum caput similiter in actu.

556. Hujus argumenti occasione supponendum venit in præsentia, & non extra rem nostram: Quod etsi munus capitis, & Redemptoris de Christo Domino valde advenitur, & de illo propriissime dicantur, non sub eadem ratione dicuntur, aut propter idem, sed attentis diversis ministeriis, ad quæ in mundum venit, & homo factus est. Sic dicimus, esse Angelorum caput, non verò Redemptoré. Paul. ad Hæb. 2. *Nusquam enim Angelos apprehendit, seu semen Abrahæ apprehendit*; per quod denotatur, & declaratur, Angelos neutiquam fuisse redemptos: Nec in illius gratiæ collatione Christus aliquid influit, nec eorum lapsum aliquo qualiter reparavit; nec denique Angelos stantes, & in gratia permanentes, ne caderent, præservavit. Etsi aliquando Bern. diceret serm. de circum. *idem qui pater (loquendo de Christo) & Angeli salvator, & hominis*; exprimit ibi clarè, quod in principio mundi, & in eorum conditione fuisset eorum salvator per gratiæ infusionem, & ut Deus est: *Angeli verò ab initio creatura. ibi.*

557. Nunc responderetur ad illud argumentum, negando majorem; nam ex eo, quod Christus Dominus esset omnium hominum Redemptor, non sequitur, esse strictissime caput illorum actu exercito, specialiter eorum, qui propter sua enormia crimina sunt à gremio Matris Ecclesiæ separati; rationem ad hoc supra innuimus; & conviacitur ex utriusque officii, & ministerii constitutione: Christus namque dicitur Redemptor ob præteritum sui sanguinis pro omnibus effusum, ideo actu obtinet rationem Redemptoris omnium, & æquomodo: Ut autem sit caput taliter aliunde desideratur influxus actualis per strictam unionem in ejus membra. Et ut occurramus tacite objectioni, dicemus: Quod in ista putrida, & separata membra, adhuc Christus aliquo qualiter influit in auxiliorum communium collatione, ut mediis non plerentur destituta ad salutem; ceterum in-

fluxus hic non facit adesse capitis propriissimi horum membrorum, cum ad istud aliquo qualis vita habitualis desideretur in membris, & ulterius unio eorum cum præfato corpore, & capite; quod deficit his membris ab Ecclesia separatis. Unusquisque de hoc quidquid sibi bene visum fuerit, teneat.

558. Secundò arguitur contra tertiam conclusionem: Angelicò conditi fuerunt, & in gratia stabiliti & firmati, ac in æterna beatitudine constituti præviæ, & insigno antecedenti ad decretum Incarnationis Dominicæ: Ergo non est, nec concipere possumus, Christum Dominum illorum caput esse, etsi teneamus, Dominum esse, superiorem, & illorum in omnibus prælatum, ut decantant litteræ utriusque testamenti. Probatur hæc consequentia, nam de antecedenti certi sumus, ita esse, in nostris principiis: Sit tota gratia, & gloria Angelorum est prævia ad Christum Dominum, nullum influxum haberet mysticum, vel morale in bona ista, sicut nec illi tribui aliquomodo posset beneficium creationis; sed adesse caput mysticum, desideratur similis influxus: Ergo si hic abest, & etiam deficit ratio capitis. Nec respondeas per supradictas illustrationes, & revelationes, quæ unice pertinent ad gloriam accidentalem Angelorum; sed non potest concipi in Christo munus capitis per influxum in hanc accidentalem gloriam; sicut non diceretur caput hominum, si in eos solum modo hunc influxum exerceret. Vel aliter: si per istum influxum salvaretur ratio capitis, potior esset ad homines, quam ad Angelos ista dignitas; quod non videtur decere Angelicæ nobilitati. Vel denique sufficeret ad hominum horum peccatorum influxus ille per auxilia transeuntia, & adhuc infidelium esset caput.

559. Ad argumentum bene ibi in instantia responderetur; siquidem dedimus, quod cum munus capitis in actu exercito Christo non competeret ex natura rei, sed ex Divina institutione, & ordinatione, sufficeret ad illud influxus ille, in quo salvaretur analogia cum naturali capite; & hæc

semper ac verificetur; quicumque influxus sit, alius non desideratur. Certum enim est, quod aliter est idem Dominus caput Angelorum, ac hominum; horum est caput, in quantum omnia quæcumque ad gratiam, & gloriam eorum, quomodolibet attineret, ex meritis Christi ortum haberet; aliorum verò sufficit esse talem influxum in ordine ad gloriam eam accidentalem notatam obtinendam; siquidem in hoc præcisè staret verus influxus, & sufficiens, ut dicatur, quod Christus esset Angelorum caput. Nec ex eo sequeretur, magis esse caput hominum, quam Angelorum; quia cum istud dependeat à Divino statuto, semper ac verificetur influxus à Deo determinatus pro constituendo capite, salvatur præfata dignitas, licet in mediis adsit diversitas. Eadem est ergo ratio adhuc pro hominibus à gremio Ecclesiæ separatis, hi etenim non sunt membra de illo membro actu exercito, quia etsi in eos influeret in auxiliorum actualium collationem, influxus hic non est sufficiens ad esse eorum actuale caput; in illa superius notata strictiori acceptione cum lex, & Divinum statutum plus exigant secundum ea, quæ per Ec-

electam nobis constant de his

excommunicatis.



QUÆSTIO XXIX.

Utrum Christus reduplicativè ut homo sit hominum caput, & adhuc Angelorum sub ista reduplicacione? Ubi, & de communicacione Idiomatum.

360. **I**ncipimus à fine quaesiti, ut via sternatur ad principale intentum assequendum: De Idiomatum communicacione tractant frequenter antiqui, & recentiores Theologi, de ea D. R. in 4. q. 11. Prol. part. 2. ubi de hoc pauca: Et in primis Idiomatum communicacio ex parte rei significata ortum habuit ab initio hujus altissimi mysterii; at ex parte modi significandi, & in usu Ecclesiæ ab indefignabili memoria; de quo solum esse potest oppositio aliqua ab Hæreticis antiquioribus, qui vel negarunt, Christum esse verum Deum, vel asseruissent, naturalem hominem non fuisse; vel si utrumque esset, non subsisteret illa duplex natura in una, eadem persona, sed quælibet suo supposito sustentaretur: Immo apud Novatores, qui benè senserunt de veritate Dominicæ Incarnationis malè audit hæc Idiomatum communicacio, sic quod *Deus verè dicatur natus, passus, & mortuus.*

161. De his supra suis in locis promarte egimus, iisque prætermisissis; quid sit Idiomatum communicacio, & à quibus originetur cum communibus doctrinis referemus: Est ergo Idiomatum communicacio, vocum & nominum mutuum commercium, vel reciproca translatio, ita quod, significatum unius vocis sit duobus, aut pluribus communis, sive communicabilis; unde in talibus Idiomate communicantibus, una est forma

communis significata, quæ iisdem promiscuè adaptatur. Clarius dicamus: Ea est Idiomatum communicacio, quæ parit identitatem in prædicationibus quarti, & quinti prædicabilis in distinctis quidditatibus, & essentialiter: Ideoque præfatam descriptionem ad assumptum nostrum applicando, inter Deum, hominemque in uno Christo adunatos datur hæc Idiomatum communicacio, quia eæ proprietates, & attributa, quæ de Deo homine prædicantur, dicuntur & de homine Deo: sicut passiones, & alia, quæ verè, & propriè de homine illo Deo dicuntur, etiam de Deo homine dicuntur. Exempla sunt: *Deus est natus, Deus est mortuus: homo est Deus, homo est substantialiter sanctus.*

362. Fundamentum, & causa veluti formalis, & intrinseca, & quæ sit à priori ratio hujus commercii Idiomatum, est generalis, afferturque à D. R. loco ibi: Et est in utraque natura, Divina, scilicet, qua Christus est Deus, & humana, qua idem Christus homo constituitur; unum esse, unum subsistens, una persona; sed ex hoc necessaria est illa Idiomatum communicacio; siquidem natura subsistens Divino supposito, Deus est, Persona Verbi in natura humana insistentis, constituensque in ultimo sui esse, homo verè est: Ergo unice sistere debet ea Idiomatum communicacio in communitate unius Divini suppositi ad unam, & alteram naturam complendam & personandam. Pater: Nam persona Divina terminans humanitatem, hominem constituit; eà verò ut Divinitate completa, Deum facit esse compositum illud: Ergo mutua illa prædicacio attributorum, quæ ad hoc sequatur, oritur tamquam à radice ab unitate Personæ in duabus, ac distinctis quidditatibus naturis.

363. Ex qua doctrina sequitur, quomodo intelligi debeant mutua ista prædicationes de his naturis habitæ; & præmanibus jam veniunt eæ, quæ inter concreta, & abstracta fieri possent; ut sunt, concretorum de abstractis, aut è contra, abstractorum de concretis; & dabimus in Gordianum nodum hucusque non solutum; à quo expediemur sicut fieri communiter vidimus, vel per sensum materiale, & identicum; etiam istud locum non

non haberet, per conceptus specificativum, & reduplicativum: Et in hos modos dicimus: Quia quando concreta cum abstractis, vel hæc cum illis reduplicantur, omnis prædicacio, quæ inter ea versetur, & mutua sit, falsa erit, & nullo sensu vera; si autem in aliqua ratione idem sint, sub hac subire possunt æquam prædicationem; tuncque licet reduplicativè accepta non faciant verum sensum, si tamen specificativè, & secundum suas nudas entitates accipiantur, verificarentur: Sic hæc est falsa reduplicativè accepta; *Deitas est passa*; at si specificativè, & in quantum Deitas est idem cum Deo, accipiat, & vera est, ac facit hunc sensum: *Deus est passus.*

364. Accedendo ad primum quaesiti, relinquatur, ut certum, Christum, ut Deus est, & sub ista reduplicacione esse verè caput Angelorum, sicut est hominum potentia, & actu exercito: Nam Christus ut Deus, & sub hac acceptione, & reduplicacione, est Omnipotens, Creator Cali, & terræ, Conditor Angelorum, & horum Salvator, sub qua Bernardus *Angeli salvator, & hominis*: *Angeli ab initio creatura; sed esse Creatorem, & Salvatorem, esse esse verum caput, & potentia, & actu: Ergo, Prætereaque caret dubitatione, quod idem Christus, ut totum quoddam est, & in quantum Deus est, & in quantum homo, sit similiter, & juxta dicta quaestione præcedenti, caput sub ibi dicto modo Angelorum; unde, ut plenior de hoc ratio habeatur, devolvenda est necessario tota dissertatio ad aliam reduplicacionem ipsius Christi, nimirum; sit, ut homo est, verè sit, & dicatur caput Angelorum eà acceptione capitæ, de qua q. eadem præcedenti? Prævièque ad resolutionem supponamus, quod in his, & similibus præcisionibus, cum reduplicamus supra humanitatem, non quaerimus totam rationem formalem in ea natura solum, sed in ea, ut adhuc in Divina Persona subsistente; & est ratio; quod nec ad hoc, nec ad alia munera hæc nuda natura sufficeret: Igitur de ea loquimur, & procedimus, jam supposita Verbo Dei.*

365. Conclusio: Christus, ut homo,

est caput Angelorum; juxta modum supra præscriptum. De hac nil habemus in R. ut jam diximus; unde in ista parte possumus jure nostro uti, sicut ubicumque tale sit quaesitum; & ideo solum nostris superius dictis tenemur: Probari potest communibus supra relatis probationibus, sed hæc una sufficiat: Christus ut homo, passus, mortuus, & sepultus est, & resurrexit; sed per hæc, vel per horum meritum est caput Angelorum: Ergo & ut homo, est eorum caput. Probatum minor ex illo Paul. ad Ephes. 1. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in Cælestibus super omnem principatum, & postetatem*: & ipsum dedit caput, &c. Nunc Chrysostr. super hunc librum: *Unum nobis posuit caput, nempe Christum secundum carnem, omnibus inquam, & Angelis, & hominibus, &c.* Ergo Christus Dominus & homo, ac secundum carnem est caput Angelorum.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

366. **P**rimò arguitur: Christus Dominus sub alia; & alia ratione constituitur debet caput Angelorum, & hominum; sed horum est caput ut homo est: Ergo Angelorum, solum ut Deus est. Major probatur specioso loco Theodoret. super ad Colos. 2. ubi ait: *Qui est nostrum caput, quod attinet ad humanitatem. Angelis autem, & Archangelis præest, ac imperat, quod attinet ad divinam naturam.* Sic Chrysostr. & alii PP. Ergo sub alia & alia ratione est hominum, & Angelorum caput Christus Dominus. Respondetur, quod alia diversa ratione loqui, est necessum nos hic de Angelis, quam PP. nam Christus per Deitatem est caput Angelorum, & secundum eorum conditionem, & quoad gratiam, & gloriam, & in hac parte nihil novum habemus: Si autem sermo sit de ipsis Angelis, ut à Christo Domino illuminatis, & accidentaliter beatificatis; tunc, & est nostra resolutio, æque est

est eorum caput, & sub eadem ratione.
 567. Secundò arguitur: Christus Dominus, ut homo est, nil influit, aut potest in Angelos: Ergo secundum hanc formalitatem non esset illorum caput, sed unice ut Deus est. Patet hæc consequentia: Nam conceptus capitis in eo situs est, ut scilicet, in su membra operetur: Ergo ubi non est influxus in aliud, nec formalitas capitis apparet ad illud. Et Antecedens probatur: Quod dicitur de Christo, reduplicativè ut homo est, ei convenit ratione humanitatis; sed per hanc, nec per hujus rationem influit in Angelos: Ergo neque ut homo in illos influit potest. Major constat: Quia talis conditionis est conceptus hic objectivus reduplicacionis, ut denotet formam illam, quam explicat, & dicit: Ergo in hac præfatione *Christus ut homo* cadit supra humanitatem reduplicatio illa, videlicet *ut homo*. Minor verò probatur: Nam humanitas Christi, ut talis, est inferioris conditionis ad Angelos, juxta illud Ps. *Ministri cum paulominus ab Angelis*: Quomodo ergo erit horum caput?

568. Respondetur, quod reduplicaciones possunt considerari, adæquatè, & physicè; vel metaphysicè, ac veluti in adæquatè; tunc primo modo accipitur, si fiat supra formam expressio, ut est in re, & concretivè, acceptæ; sic quando dicimus album ut album disgregat visum, concipimus non nudam albedinem, quæ est illius concretiforma, sed physicè, adæquatè, & concretivè, ac ut est in re; siquidem nisi in suo esset subjecto, visum nequirer disgregare. Alia reduplicatio inadæquata, metaphysica, & abstractiva, præcindit ab existere, & nudam formam considerat, & de illa solum intelligitur reduplicatio ea; ut si dicamus: Album ut albi advenit alabastro; tunc facimus sensum metaphysicum albedinis, & de illa se sola asserimus esse accidentale quid respectu alabastri. Nunc ad intentum nostrum distinguitur major probationis: Quod convenit Christo reduplicative, inadæquatè, & metaphysicè, ut homo est, convenit ratione humanitatis nudæ, concedo; reduplicativè, supra reduplicacione physicè, & adæquatè, subdistinguo majorem: Convenit Christo Domine ra-

tionem humanitatis concretivè, & prout supposita Divino Verbo, concedo; abstractivè accepta, & ut præcindens ab ea suppositione, nego majorem, & ad hujus probationem similimodo, distinctis majori, & minori,

569. Dicimus, quod semper, vel ad minus regulariter, ac loquamur de Christo Domino, ut homo est verus, etsi supra suam naturam reduplicemus tamquàm supra propriam formam hunc hominem constituentem, non ita nudam consideramus eam, ut parè abstractivè, & quasi metaphysicè accipitur, sed etiam quatenus inest, & influit ultimo completa in suo supposito; & illud erit adæquata reduplicatio; quod idem est, ac hic concipere in recto humanitatem, & in obliquo suppositum, in quo sititur. In hac ergo acceptione accipimus naturam humanam Christi Domini, & isto modo dicimus: Christus ut homo est caput Angelorum: Nam si aliter fieret reduplicatio, abstractivè, scilicet, & metaphysicè supra eam nudam naturam, certum est, quod nil speciale haberet, cujus ratione esset caput Angelorum, respectu quorum minor est, ut optimè David dixerat; etsi intra metas humanitatis esset præ omnibus naturis selectissima, ut superius dicebamus.

570. Sed contra: Ergo sicut in alio quo vero sensu est verum dicere, quod Christus reduplicativè ut homo, est caput Angelorum, & idem ac est hominum, sic erit, verum dicere, quod Christus, ut homo sit omnipotens, Deus, & æternus, & ita non solum communicatio, sed confusio esset idiomatum; cū ex opposito similiter falsa erit hæc propositio Christus ut homo est creatura: Sequela probatur: Nam in hoc mirabili composito ita participantur idiomata, ut cum idem sit Deus, & homo, verè, & propriè, homo dicitur Deus, & Deus homo; ceterum non apparet, ubi accipiamus denominationem Dei & hominis, creatoris, & creaturæ.

571. Facili negotio respondere possumus ad instantiam, quam non ob difficultatem, sed ut elarius assumptum explicemus, proposueramus; & in idem coincidit solutio cum immediatè dictis: Hæc namque opposita propositiones, Christi

Christus ut homo est omnipotens, Christus ut homo est creatura, faciunt verum sensum, si ea reduplicatio, ut par est, accipitur: Christus ut homo, sumpta ea reduplicacione physicè, & pro substracto illius, est verus Deus, creator, & omnipotens; quia propositio ea abstractivè accepta, supponit pro substantia, & persona, quæ Deus est: Alia verò propositio; Christus ut homo est creatura, sumpta reduplicacione abstractivè, & quasi metaphysicè, ac pro ipsa natura humana, verissima est; cum natura humana Christi Domini sumpta quid creatum sit. Nec ex hoc confunduntur idiomata; siquidem hæc idiomatum diversitas, etsi connotant diversas naturas, Divinam, nempe, & humanam, pro recto tamen accipiuntur coadunatæ ab unitate personæ, in quo illæ duæ subsistunt naturæ.

572. Hic tractandum venerat de Beatitudine supernaturali animæ Christi Domini: De ea enim agit R. in hoc 3. ceterum ibi de ea solum per transfennam loquitur, & totum negotium illius reducit ad Beatitudinem in sua generali acceptione, sic & nos ejus methodo inherentes, relinquimus pro tract. 19. tom. 5. hujusmodi speculationem, contenti impræsentiarum, ut concisso calamo, aliquid de Christo Domini gloriosa Beatitudine enarremus. Certum est, & fide Divina credendum, esse Christum Beatum ab initio sui esse; sic enim decantant Sacraliter, & ita congruebat esse, immò & decēbat tanto Principi, ut omni gradu fruitionis, & gloriæ esset præditus, quantum suæ Majestati erat debitum, & consonum. Quanta fuerit gloriosa Beatitudo hujus sanctissimæ animæ, nescimus? Unum, videlicet tenemus, quod sit immensurabilis, perfectissima, & quæ sic per Joan. 3. declaratur, quasi non dederit illam Deus ad mensuram: quod sit plenissima, quasi gloria filii Dei; ut ex eodem Joan. 2. ad Thaborem relato: *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre*: Et ex eodem, quod repleverat vasa purissima suarum potentiarum: Totum exprimitur in sua gloriosa transfiguratione, ubi per ea, quæ revelata facie sunt visa, aliquale vestigium occultæ gloriæ manifesta fiebant.

573. Restabat pro coronide hujus disputationis, quæ est de gratia capitis Christi Domini, declarare, quanam esset ista gratia? Datur enim in eo Domino duplex gratia sanctitatis, ut substantialis, vel hypostatica, & insuper alia accidentalis, quæ & habitualis vocatur; & de utraque suboriuntur varæ quæstiones, à quibus expediti sumus per ea, quæ dicta reliquimus in hoc tract. ubi cum R. deditur gratiam substantialem, & unionis Christi Domini esse principium physicum, & morale totius operis superni, Theandrici, & adhuc meritorii ejusdem Domini; quatenus ad hoc desideratur elevatio, proportio, &c. ad talia opera, quæ primario habetur in Christo à Divina natura totius supernaturalitatis fonte; sed ab ea gratia, à qua tamquam à principio primario supernaturalitatis habetur influxus in membra, accipitur ratio capitis eorum: Ergo gratia substantiali primario habetur in Christo gratia ista capitis; at verò hæc eadem formalitas capitis hominis, & Angeli, accidentaliter ad summum ab alia gratia, quasi per modum adjacentis, decoris, ornatus, & pulchritudinis, ut supra.

QUÆSTIO XXX.

De scientia animæ Christi, & primò, an hæc esset ibi infusa, & ad quæ objecta? ac qualis sit?

574. **S**ignanter quæritur de scientia determinata ad animam Christi Domini, ut non immisceamur cum alia superiori, & Divina, quæ etiam, est propriissima ejusdem Domini, in quantum Deus; & de illa erit hujus instituti tractatus: Undè relicta pro aliis, num habitus sit, qualitas, passio, excitatio objectiva, sive indita species intelligibiles?

les? Solum eam hic considerare debemus ab his omnibus abſtrahendo, & unice quatenus eſt certa, firma, evidens, & clara rerum quarumcumque notitia, ſpeculanda. Prima ergo diviſio hujus ſcientiæ eſt per creatam, & increatam; etenim eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ut dicebamus tom. 1. tract. 2. & tom. 2. tract. 5. increata eſt ſubſtantia intellectus Divini, ut tali modo habita ad ſcibilia; creata verò eſt qualitas ſive accidens intellectui Angelico, vel humano adveniens. Uterius dividitur per ſcientiam viatorum, & comprehenſorum; prima eſt eorum, quæ peregrinantur à Domino, alia reſidet in termino, & Patria, & eſt Beatorum in gloria.

575. Sub iſta diviſione videtur cõprehendi punctum præſentis diſputationis; nam cum Chriſtus Dominus certiffimè comprehenſor, & viator ſimul eſſet, ideo offertur ratio diſquiſitionis, an adaptetur ipſius intellectui utraque hæc ſcientia? vel una ſuperior ſufficeret pro illius functionibus exercendis, & complendis? Ad quod iterum declarandæ ſunt eæ ſcientiæ, quæ in communibus ſententiis ſunt propriæ Beatorum, & præterea illæ, quæ in viatoribus reperiuntur. In Beatis ergo duplex datur rerum certiffima notitia; una eſt, & dicitur matutina, & eſt viſio Dei, ut in eſſe eſt, & rerum in verbo; alia terminatur ad res eaſdem immediatè, & in propria ſpecie; vel per infulſam ſcientiam, vel per inditas ſpecies, vel fortè conſervata ea, quam de illis in via habuiſſent; quod ad intentum non conducit: Videre hæc tract. 3. tom. 1.

576. Scientia, ſeu notitia evidens viatorum dividitur per adquiſitam, & infulſam; adquiſita eſt, proprio labori debita; infulſa eſt unice à Deo indita. Utraque eſſe poteſt naturalis, & ſuperior: Scientia adquiſita naturalis eſt de rebus purè naturalibus, medio & modo naturali, & juxta communes vires ipſius naturæ cognitæ: Adquiſita ſupernaturalis eſt Theologia ſcientia viatorum, quæ in quantum illativa eſt ſuarum concluſionum ex principiis per ſe notis ſupernis, dicitur adquiſita, & ſimul ſupernaturalis. Præterea hæc ſcientia, & firma notitia adquiſita, & naturalis etiam videtur dividi per

experimentalem, & ſpeculativam; de prima loquantur artiſices, de ſecunda ſatis conſtat in ſcholis ſcientiarum verſatis.

577. Dividitur etiam ſcientia infulſa per naturalem, & ſupernaturalem; hæc eſt immediatè rerum ſupernarum notitia à Deo communicata; illa verò eſt extraordinaria, & rarò conceſſa alicui firma, & clara naturæ penetratio, & cognitio, qualis de Adamo communiter ſentitur; & expreſſius, Salomoni communicata legitur, ut declararetur ſapientior illuc ulque natis, & quod ab Hiſſopo ad Cedros Libani ferret ſententias. Denique de ſcientiis infulſis, quædam ſunt per ſe tales, & quæ alio modo haberi non poſſunt; ideòque eſſe Dei Donum, tenere debemus: Dantur præterea aliqua ſcientiæ per accidens infulſa; ſicut de aliis virtutibus dicitur, quæ etſi proprio conſervantur, & labori adjuungi valeant, ſolent quandoque intundi à Deo; & regulariter accidit prodignitate Perſonæ, cui communicantur.

578. Quibus ſuppoſitis, & ut ad intentum accedamus, ut certum tota fide tenemus, animam Chriſti Domini dotalam eſſe ſcientia, & rerum notitia clara, & evidenti, immo & Dono huiusmodi Spiritus Sancti, ut ſic conſtat in utroque teſtamento: Ac inſuper dubitari non poteſt pollere ſcientia ea ſuper eminenti Beatifica ſupra omnem principatum, & poteſtatem in caeleſtibus; & de hoc non debet dari quæſtio aliqua: Tota devolvitur ad hos terminos conciſſos: Si, videlicet, ei ſufficiat una ſola ſcientia, & hæc illa beatifica, qua comprehenſor eſt, ut ſit, & dicatur ſummè ſciens pro ſtatu adhuc viatoris, vel deſideretur, ſive concipiatur in illo Domino alia diſtincta, & quæ ſit propria viatoris?

579. Præterea, ut certum ſupponi debet, quod non loquamur de ſcientia aliqua adquiſita, & proprio labori correſpondenti, vel per aliud quodcumque medium, ad quod alludere videtur ſtupor & admiratio DD. Judeorum dicentium in templo: *Quomodo ſcit litteras hic, cum non didicerit?* Joan. 7. Etſi aliquando denoteretur ſibi ſcientiam aliquarum rerum adſciiviſſe, ut conſtat ex illo ad Hæb.

3. Di.

5. *Didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam:* hic debet intelligi ſacer textus de ſcientia Chriſti Domini experimentali, quæ in oculis hominum, & ſecundum eorum iudicium videbatur didiſcere ſcienda, quod erat, exercite ſcire ea. Hanc credo, eſſe doctrinam R. ſuper c. 5. in Matth. *Anima, inquit, Chriſti ab inſtanti conceptionis fuit perfectæ ab habitibus omnium ſcientiarum. Alia experimentalis: Sicuti aliquis habens habitum ſcientiæ per doctrinam, poſtea experitur in effectu. Quo etiam modo explicamus illud Luc. 2. Puer autem Jeſus proficiebat etate, & ſapientia, &c.*

580. Concluſio prima: In Chriſto Domino datur, præter ſcientiam beatam, alia diſtincta, & infulſa. Eſt D. R. in 4. citat. hic, D. Thomæ in 3. p. q. 9. & communis, primòque probatur: Chriſtus & eſt verus Deus, & verus homo, cujus ratione habet divinam ſcientiam, & eſt præditus creata ſcientia, de quo nullus dubitat; ſic conſtat variis locis ſacris, ut: *Scio, unde veni:: Scio enim, & ſermonem ejus ſervo: Et: Sciens Jeſus, quia venit hora ejus; Joan. 8. & 13. Matth. 12. Cognita Jeſu nequitia eorum; & alibi; ubi ſatis expreſſe de ſcientia Chriſti creata loquitur, & videtur de fide teneadum propter declarationem Eccleſiæ in Conc. Baſil. ubi de ejus voluntate. Inſuper Deus ut homo, & reſpectu animæ ſuæ ſimul eſt comprehenſor, & viator: Igitur congruit, quod ſicut pro illis ſtatibus duplex munus ipſi correſpondet, ita & duplex ſcientia. Nunc ad principale intentum: ſed ſcientia correſpondens animæ Chriſti prout comprehenſor, eſt Beata: Ergo quæ ipſi correſponderet ut viatori, eſt infulſa, & ab alia diſtincta.*

581. Hæc conſequentia eſt ſumma totius propoſitæ concluſionis, quamvis partitam probabimus, & ſit ratio quoad primam partem: Dona omnia gratiæ, & gloriæ, & quæ cumquæ ex gratis datis animæ Chriſti collata ſunt, & ea habuit infulſa à primo inſtanti ſui eſſe, tali jure, quod nec intendi, aut remitti poſſint moraliter loquendo: Ergo de ſcientia ejuſdem animæ ita ſentire debemus, infulſam, ſcilicet, fuiſſe, non ſolum eam, quæ eſt Spiritus Sancti Donum, verum & ſub alia qualibet acceptione conſiderata. An-

Tom. IV.

recedens ſupra probatum relinquatur per R. & per eandem rationem conſequentia probatur: Congruit, & decet illi ſanctiffimæ animæ, quia Divina eſt, & ſubſtitens Divino Verbo habere à principio ſui ea omnia, quæ jure morali debentur ei ratione ſuæ aſſumptionis ad Divinum eſſe; ſed non modo debentur illi dona gratiæ, & adhuc gratis datarum, ſed præterea dona alia, quamvis in ſubſtantia ſua de ordine naturæ, quæ illius ſint veræ perfectiones: Ergo & habuit à principio ſui omnem ſcientiam, & infulſam adhuc habuit illam, quæ ſic taliter denominatur.

582. Probatur ſecunda pars conſequentiæ illius principalis, quæ & eſt aſſertam concluſionis: Scientia infulſa animæ Chriſti declaratur in ſacris litteris ut donum habituale ipſius, ut legitur in prophetia Iſai. 11. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini:: Intellectus, Sapientiæ, Scientiæ, & Conſilii;* atqui ſcientia alia Beata animæ Chriſti non reputatur tamquam Donum Spiritus Sancti, ſed pertinet ad aliud genus gratiæ, ſanctitatis, ſcilicet, conſummatae: Ergo utraque ſcientia, ſi animæ Chriſti concedatur, diſtincta deberet eſſe ab illa Beata. Præterea probatur per communem modum loquenti Sacre Scripturæ de hæc ſcientia Chriſti Domini infulſa; liquidem quandoque illam declarat intentibilem, ut ex illo Luc. 2. *Proficiebat etate, & ſapientia, & aliquando non ita perfectam: De die autem illa, vel hora nemo ſcit:: neque filius, &c. Matth. 24. vel ut ait Iſai. 15. Antequam ſciat Puer vocare Patrem, &c.* Ergo.

583. Denique probari poteſt à formalitate ratione ſcientiarum, & eſt communiter recepta: Scientiæ omnes ſecantur, & dividuntur per ſua objecta formalia, & ſpecifica; ſed aliud eſt objectum ſcientiæ Beate, & aliud alterius infulſæ, de qua hinc Ergo alia, & alia eſt ſcientia infulſa animæ Chriſti, & à Beata diſtincta. Major eſt certa, & minor probatur: Objectum ſcientiæ Beate animæ Chriſti eſt Divina eſſentia, ut eſt in ſe, & clarè viſa; ſed hæc non eſt alterius ſcientiæ objectum formale, & primarium; ſiquidem hoc erit, ens, ut ſic, unum proportionatum, & quatenus ſubſe comprehendit omne quodcumque ſcibile, naturale, videlicet, &

Mmm

ſu-

supernaturale: Ergo aliud erit utriusque scientiæ animæ Christi objectum. Antecedens probatur: Objectum scientiæ est id, in quod valet, & potest; sed animæ Christi potest in omne verum, & sub omni ratione: Ergo hoc erit ejus objectum, ad distinctionem Beatæ scientiæ, quæ primò, & per se circa Divinam essentiam versatur.

584. Conclusio secunda: Anima Christi Domini habet pro objecto omne quodlibet scibile ipsi proportionatum, & congruum de omni linea, naturali, & superna. Hæc videtur fuisse sententia R. in 3. dist. 13. quamvis non ita expressa: De ea variant DD. & specialiter antiqui inibis & in eodem Dominò adtribuendo scientiam adquisitam rerum naturalium, quam experimentalem vocant; eam desumpserunt ex aliquibus PP. talem speciem scientiæ in anima Christi cognoscentibus, de quorum numero poterit R. esse; cum nominatim super Matth. 8. talem scientiam Deo attribuat. Num hæc scientia experimentalis, quæ etiam adquisita dicitur, sit tali jure, animæ Christi in existens, ut esset per accidens infusa? Non æquè ab omnibus hujus sententiæ Patronis declaratur; pro nunc ab hoc abstinemus, eo pro 3. conclus. relicto.

585. Et ita primò probatur hæc conclusio: Anima Christi Domini habuit omnem scientiam tamquam totius scibilis Thesaurus: Ergo & ad omne scibile cujuscumque spheræ determinatam. Antecedens est doctrina Paul. ad Collos. 2. *Apud quem sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*; sed in thesauris hujusmodi sunt prætiosa quæque, & undique altimabilia: Ergo ne debemus ad omnia concipere scientiam inditam animæ Christi. Consequentia prima probatur; & Iulius Joann. 13. supra relatus locus: *sciens Jesus: quia omnia dedit Pater in manus*; sed perly omnia denotatur; cadere sub illius scientia omne scibile proportionatum, & cujusvis spheræ; liquidem omnia hæc Deus Pater dedit in manus filii, tam de rebus naturalibus, quam de supernis: Ergo utrarumque habuit inditam scientiam, quarum noticiarum esset in Christo Thesaurus prætiosissimus, & abundans.

586. Secundò probatur conclusio:

Earum rerum habet scientia Christus in anima sua, quarum Dominus est, Provisor, & Governator; sed est talis omnium rerum, quia omnia in Christo, omnium est caput secundum Divinam revelationem, & in Ps. 2. legitur in Persona Christi Domini: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: Ergo res omnes omnino huic Divinæ scientiæ subsunt, ut illius possent ditioni subjici. Atqui in universalissimo rerum cumulo maximè elucet supernaturalia entia, ad quæ naturalia ordinantur, vel propter illa ista fiunt, & propter quæ erant, & facta sunt: Ergo anima Christi, cui omnia subjecta sunt, juxta ea, quæ in Ps. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, &c.* concordata cum alio quod ex Joan. 13. dedimus: *Omnia dedit Pater in manus* satis nobis declarant scientiæ illius directivæ, præceptivæ, & experimentalis extensivam virtutem ad res omnes, & omnem earum spheram, activitatemque.

587. Conclusio tertia: Scientia animæ Christi Domini est suo supernaturalis, respectu cujusvis objecti terminetur. Conclusio non est expressa alicujus D. quem videram, cæterum mihi adeo probabilis apparet; primo: Semper ac in sacris litteris de hac Christi Domini scientia tractatur, sic extollitur, ut super eminens claritas Dei denominetur, Doctrina à Deo descendens, Thesaurus divinitatis, Spiritus Sancti requies, & alia quam plura ænomia de illa passim prædicantur: Ergo in hac parte superna videtur, quamvis sapius ad res purè naturales respiciat.

588. Secundò, & erit ulterior probatio conclusionis: Scientia hujus sanctissimæ animæ ex parte modi sui heri, & esse, est à Deo infusa, adhuc quod sit erga res naturales, quæ in nobis frequenter nostris actibus comparatur, ita quod de topicis ad demonstrationes communiter ascendamus; sed in hac parte apparet modus supernus, & elevatior in prædicta anima Christi Domini ad talem habendam scientiam: Ergo sic erit dicenda ea scientia in anima Christi Domini existens. Præterea ex facultate extensiva ejusdem scientiæ idem colligitur, cum per eam
Christi:

Christus Dominus cognoverit totum rerum naturalium cursum: Ergo similiter. Denique probatur conclusio: Scientia Christi, ejusque notitia rerum, vel ad Deum per se terminatur, vel saltem si ea sit, quæ ad pura naturalia respicit, quasi imperatur, & ordinatur ad finem suæ Incarnationis, Dei gloriam, honorem, cultum, hominum reparationem, & salutem suarum animarum; hæc est sana doctrina satis expressa in utroque testamento; sed scientia ea, adhuc rerum naturalium cum ibi non sistat, sed ulterius ad supernum finem ordinetur, aliquo jure supernaturalis erit. Ergo scientia omnis animæ Christi sua respectiva gaudet supernaturalitate.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

589. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Scientia ea Beata, qua Christi anima pollet, ut comprehensor, pertingit ad ea omnia scibilia, quæ conducere possunt ad finem humanæ reparationis: Ergo etsi alia deterior esset eidem animæ possibilis, non tamen conveniens. Patet hæc consequentia: Nam generaliter loquendo, quæcumque superfluant posita, nullomodo congruentia esse possunt: Ergo. Antecedens probatur: Christi anima cognoscit in verbo, & matutina visione res omnes præsentis, futuras, & adhuc possibles; & extra verbum visione alia vespertina, quæ & propria Beatorum est, videt similiter immediatè, & in se easdem res omnes, & cujusvis spheræ: Ergo non apparet necessitas alterius scientiæ distinctæ, quæ infusa esset, vel adquisita.

590. Secundò, & alia via, arguitur contra præfatam conclusionem: Anima Christi sicut substantialiter sanctificata Divinitate eadem, sic per ipsius sapientiam, & scientiam increatam sapiens, & sciens erit: Ergo non desideratur alia
Tom. IV.

scientia creata ad functiones proprias illius Dei. Tota hæc doctrina videtur esse Hugonis à Sancto Victore in lib. de Sapientia animæ Christi, fundaturque in illo supra citat. ad Colos. 2. *In quibus habitavit omnis plenitudo Divinitatis, &c.* In quibus sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi: Nunc idem Hugo: Non est, inquit, quærenda comparatio scientiæ Christi ad scientiam Dei, cum una sit, & Dei, & Christi scientia, sicut una est utriusque sanctitas: Ergo non ad est fundamentum ad talem scientiam distinctam in Christo Domino, & maximè cum sit ita singulariter sciens, juxta quod singulariter Homo Deus est.

591. Respondetur ad primum argumentum, libenter concedendo, quod anima Christi Domini per scientiam Beatam Matutinam, & in verbo, ad vespertinam, & in propria natura, res omnes cognosceret, nihilque ipsi lateret, quominus posset munia sua subire, & prosequi fines sui adventus, & missionis accommodatissimos, quantum tas sit, & necessarium, secundum ministerium intellectus; & hoc potuit fuisse, si Deus ita decrevisset fieri; sed aliter, & nostro captui probabilius, factum tenemus in præfata providentia, & hoc congruentius judicamus. Anima enim Christi Domini, non modo beatà est, verum & pro tempore à Patre definitò, ulterius, & in suo corpore fuit perfecti, & veri viatoris: ideoque non solum in ea sunt conceptibiles beatæ operationes, verum & propriæ viatorum: Hæc est asserti nostri ratio, & ob hoc, etsi sufficientem ceaseamus scientiam beatam ad ministerium Christi Redemptoris, non tamen adhuc congruam, & adhuc finem connaturalem.

592. Secundum argumentum juxta sententiam Hugonis eo modo urget ac præcedens, etsi, ut ibi notatur, alia via: Pro quo eadem doctrina, quam supra dedimus ex R. signatè loquendo de existentia Christi, hic venit reiteranda: In Christo etenim, ut quoddam compositum est, & à suis partibus divisivè acceptis distinctum, unam asseruit existentiam, & hæc Divinam; quin huic officeret, quod humanitas, ut pars similiter ab illoroto distincta, eo modo, quo partes divisivè

acceptæ à toto distinguuntur, sua gaude-
ret existentia propria, & hac creat. Nunc
ad intentum Hugonis: In Christo, ut to-
tum quoddam est, Deus, scilicet, & ho-
mo, una scientia, & hæc Divina erit; ac
cum hic procedamus non de scientia hu-
jus totius hypostatici, sed de illo secun-
dum suas partes divitè acceptas, ut est
humanitas, & anima ejus; de hac aliter
est sentiendum, sicut de sua existentia do-
cuimus; & pro certo habemus etiam scien-
tiam creatam aliam, & distinctam esse à
Divina scientia; & hæc multiplex pro mul-
tiplici ejus stata, comprehensoris vide-
licet, & viatoris. Paritas de sanctitate non
premit nos: una est ergo sanctitas totius,
& partis, quia pars illa hominis veri non
habet, nec habere potest ex sua natura
sanctitatem. Sicut potest rerum noticiam
obtinere. Scientia est homini congenita
ad sensum Arist. *Homines*, inquit, *naturaliter
scire desiderant*: Non sic discurrendum
de sanctitate, nec hæc scientiæ æquipa-
randa.

392. Tertio arguitur argumento, quo
ducti Melancthon, & Luterus tenuerunt,
Christum Jesum non modo omnia non
scivisse, verum & quod in sua pueritia
communem cum aliis pueris habuisse ig-
norantiam; fundanturque in illo Luc. 2.
*Puer autem Jesus proficiebat etate, & sapien-
tia, &c.* sed quia proficit Christus in eta-
te, non habuit à sui nativitate omnem
etatem: Ergo si eo modo habuit Christus
scientiam, non totam simul, & infusam,
sed aliter, & per profectum habitam. Ur-
getur per verba sacri textus: Apud Deum
Christus proficit scientia, sapientia, &
etiam apud homines: Ergo verè proficit
in his donis, cum talis profectus ita pro-
priè declaratur, quia ita est, & quatenus
testificatur per Divinum intuitum, &
presentiam. Ulterius: sic refert textus
profectum Christi in sapientia, & scientia,
sicut & in etate augmentum; sed verè
proficit Puer Jesus etate: Ergo verè etiam
scientia, & sapientia: Ergo non habuit
eam infusam, &c.

394. Argumentum cum suis instantiis
faciliter solvitur à DD. Catholicis per var-
ias intelligentias textus propositi, quæ
passim leguntur apud Expositores, de
quibus unam solam selegimus in medium

adducendam; & est in hunc modum:
Christus Dominus proficiebat sapientia, &
scientia *apud homines*, hoc est, in conspectu
Dei taliter se exhibendo, ut apud homi-
nes videretur proficere, & augeri in his
doctrinis, sicut homines ipsum Jesum
puerum intuebantur proficere in etate.
Quin hoc oblatet, ut detestò ordine
superioris, qua pollebat, scientiæ, ali-
quando se praberit in sapientia admiran-
dus, ut inest UD. de lege disputans, au-
diens eos, & interrogans; & pro hoc pa-
tet ad secundum de presentia Dei ibi no-
tata; nam solum adducitur in testimo-
nium veri profectus pueri Jesu in scien-
tia apud homines apparentis: Nec in om-
nibus currit proprietas etatis cum scientiæ
profectus; nam istas mensuratur tempore;
scientia verò est Dei donum, quod posset
conferri sola voluntate donantis sine juris
alicujus præjudicio; non sic etas, quæ si
rota simul conferatur, naturæ temporis
jura violarentur; unde non eodem mo-
do, sed similitudinariè tantum, conve-
niant in profectu Christi pueritia, &
scientia.

395. Quarto arguitur contra easdem
conclusiones, & ex datis textibus satis
urgentibus fundamentis: Christus Do-
minus in omnibus voluit ut homo teneri,
credi, & reputari, pro quo conceptus fuit,
ut homo, natus, passus, mortuus, ut ho-
mo, juxta illud Pt. 63. *Accedet homo ad cor
altum*, in expositione Aug. ad quod, &
ad verificanda ea omnia, quæ essentialia,
& propria sunt humana nature, nil ex
illis omisit, & ad hoc, de non ita neces-
sariis, utebatur, ut est comedere, & bi-
bere; atqui ad veritatem naturæ creatæ
corporeæ intellectivæ pertinet essentiali-
ter, res creatas, quas cognoscit, taliter ef-
se ab ea intellectas, ut prius per sensus ex-
teriores, & interiores, & usque ad phan-
tasiam, & medio intellectu agente, &
illuminante cognoscantur: Ergo sic esse
deberet in ea scientia anima Christi Do-
mini, qua ut forma vera corporis est, res
sibi traditas cognoscit: Num sic: sed cum
hoc processu cognitivo componi non po-
telt, quod, ad minus rerum materialium non
habuisset scientiam inditam: Ergo respectu
rerum materialium non indita fuisset
Christi scientia, sed acquisita: Et ex hoc
se-

sequeretur præterea eam intendi potuisse,
& crescere, ut Luc. refert.

396. Aliud non minus grave incon-
veniens dicta corroborat: Nam si anima
Christi Domini, ut vera forma corporis
est, objecta saltem materialia cognoscit
per conversionem ad phantasmata, ac
per usum sensuum materialium, non
esset infusa illi, adhuc per accidens,
scientia harum rerum: Ergo nulla esset
de hoc conclusio: Antecedens proba-
tur. Usus sensuum, & modus cognitionis
objectorum materialium per illuminatio-
nem phantasmatum ab intellectu agente
concernit essentialiter corpus, & corpo-
reas operationes præviè ad noticiam scien-
tialem horum objectorum: Ergo clarissi-
me sequitur, quod hujusmodi scientia in-
fusa non erit, sed his mediis acquisita.
Ex hoc denique satis convicti erimus, ut
cum R. supra de hoc notato, percipere
valeamus eam scientiam experimentalem,
quam ex aliquibus PP. in anima Christi
cognovit.

397. Appositè hoc argumentum in
medium adducimus, non solum, quia
ad rem præsentem faciat, sed præterea,
ut aliquid dicamus de dubio eo, quod à
farè pluribus agitur; quia videlicet via,
& ratione anima Christi res materiales co-
gnoverit? Durand. in hoc 3. D. Thom. 3.
p. q. 11. D. R. solum de scientia experi-
mentali super Matth. 8. communis reso-
lutio tenet contra Durand. Christum non
eguisse sensibus corporeis ad hæc, & con-
sequenter, quod in suis intellectibus
phantasmatibus non usus fuisset; huic
nos assentimur, & hæc via R. concludit
ista: Ab instanti enim sui esse primo me-
ruit: Ergo cognovit, & intellexit; sed
non per usum sensuum, nec per illumi-
nationem aliquam intellectus agentis:
Ergo in ea natura, & humanitate perfe-
ctissima hoc dispensatum fuerat; quæ,
quia plusquam Angelica, activior est, &
perspicacior, & illuminat, & cognoscit
res omnes materiales à se cognoscibiles,
& intelligibiles. Pertinet ergo ad perfe-
ctionem humanæ naturæ, eos habere sen-
sus interiores, & exteriores, imaginati-
vam, scilicet, & phantasiam, sed illis in-
digere, & eis uti necessario, potius in-
congruit, quam deceat sanctissimæ, &

perfectissimæ animæ Christi, & maximè
cum rerum omnium notitia tali animæ
conveniat ab instanti suæ deificationis, &
in primo sui esse.

398. Per quod solvuntur abjectiones,
quæ faciunt contra nos; & primò, prima:
Vetum est, animam Christi esse veram
corporis formam, & qua talis est, cog-
noscere res materiales, ceterum ad eas
constituere proximè intelligibiles; non
fuit necessarius recursus ad usum com-
munem intellectus agentis humani cujus-
vis; cum in eo Christi Domini adesset cu-
mulus luminum tum per naturam, tum
à Deo inditorum habituum, & auxilio-
rum, &c. intellectum, & animam ad id
exequendum idoneo: Non igitur recur-
ramus ad hunc incongruum processum
humanæ intelligentiæ puræ creaturæ, quæ
talibus adminiculis, & sensibus interiori-
bus, & exterioribus indiget. Ad aliud de
scientia experimentali Christi Domini,
quam aliqui PP. notarunt, & R. cum eis
dicimus: Quod alia est scientia experi-
mentalis famosa, & imperfectorum, qua-
gignitur, fovetur, & intenditur habitus
scientialis; alia autem propria, & perfe-
cta; & hæc est præ habitæ notitiæ exerci-
tium, expressio, & dilatatio; hujusmodi
est ea, quæ in anima Christi concipitur
experimentalis in suis dictis, & factis;
quæque talis est, non ut per eam sciens
fiat, sed ut aliis scita demonstrat. Hic
quæri solet, sit ne hæc scientia discursiva?
Ad quod breviter dicimus: Quod si ab
Angelis relegatur communiter discursus,
multò longius à perfecta, perspicaciori,
& actualiori intelligentia animæ Christi
relegandus erit; & ad summum
virtualis concedendus, ut

supra de An-
gelis.



QVÆSTIO XXXI.

Quid de ſcientia animæ Chriſti tenendum circa futura, poſſibilia, & ſecreta cordium?

399. **P**oſt certam notitiam de omnibus rebus præſentibus, & quæ ad exiſtendum proceſſerunt, reſtât inquirendum, quid de ſcientia animæ Chriſti reſpectu notitiæ futurorum, & poſſibilium: Et quia de futuris loquendo, quadam ſunt neceſſaria, libera alia, & ex iis, & dantur abſolutè, & conditionatè futura; ac præterea eis addere debemus ſecreta cordis humani, & Angelorum, quæ ſpecialis notæ ſunt, quia præſeferunt modum quemdam reſervatum Dominio cujuſque voluntatis: De iſtis omnibus in præſenti tractatur. Hiſ addenda ſunt poſſibilia; & ea, quæ ita perpèruiò remanere decreta ſunt, & alia, quæ tali determinationi non ſubierunt; ut ex iis dignoſcere poſſimus, quo perveniſſet æctivitas, & facultas intellectus humani Chriſti Domini; & præterea hæreticorum circa hoc cavillationes aperiemus.

600. Primòque ſentimus hæreſim ſapere, vel minus temerarium eſſe aſſerere Chriſti Domini animam aliquid ignorare, eſſi de Chriſto loquamur, hæreticum; & qui talia doceret, & teneret, conveniret cum Neſtorianis, Arrianis, Agnoſtis, ac noviffimè cum Melancthone, & Lutero: De hoc habemus declaratum teſtimonium infallibile; & valde ad hoc prodeſt pro anima ejuſdem Domini univerſalis PP. concordia uno ore prædicantium abolendam eſſe ignorantiam ab illo perſpicaciffimo intellectu. Aliquòs dabimus, ut Gregor. Magn. lib. 8. epiſtol. ubi ait: *Res autem valde manifeſta eſt: Qui ipſam Dei ſapientiam ſeſentur incarnatam, qua mente valet dicere, eſſe aliquid, quod Dei ſapientia igno-*

ret. Et Damasc. lib. 3. deſide: Qui aſſerunt, Chriſtum progreſſum in ſapientia ſeſiſſe, negant unionem factam eſſe à primo ortu, &c. Denique Euleb. Putabat, eſſe, ut reliqui hominum infantes, imperfectus iſſe, & abſque uſu rationis; non enim eram talis (inquit in Perſona Jeſu) licet mihi, & cæteris hominibus ſimile eſſet corpus.

cor. Per extremum oppoſitum videtur notata hæreſis ſententia Arnoldi de Villa nova aſſerentis; Animam Chriſti Domini ſcire ea omnia, quæ Deus ſcit; & quia in prætatam labem incidere videtur, aſſerunt damnatam per Dominos Inquiſitores Tarraconenſes; de hoc 1. tom. tract. 3. q. 22. num. 927. quamvis de Arnoldi nil videram, niſi purè relatum ab AA. fide dignis; cæterum pro poſitio, ut jacet, hæretica mihi viſa eſt, inſidit enim in errorem eorum, qui naturam Divinam cum humana confundunt in Chriſto Domino, quatenus æquè ſcientes utraſque naturas declarant. Unde DD. ii, qui doceant incidere in modum dicendi Arnoldi, qui teneant, animam Chriſti in Verbo omnia poſſibilia cognoscere, nec benè inferunt, nec piè ſentunt de graviffimis Theologis iſtud aſſerentibus, & hæc pro nunc eſt ratio: Poſſibile eſt, & non implicat, quod quis adhuc non aſſumptus ad Deitatem, omnia poſſibilia cognoscat; ſed poſſibile non eſt, ſed valde repugnat creatura ſciens, quod Deus ſcit, quæ erat opinio Arnoldi: Ergo aliud eſt, quod hic D. ſenſerat, & aliud, res omnes poſſibiles in Verbo videre, vel extra Verbum.

601. Major hujus ratiocinii habetur ſufficienter probata à nobis loco immediatè citato, & minor ibidem conſtat: Relinquitur, quod conſequentia legitima ſit; & quod aliud eſt, animam Chriſti ſcire, quæ Deus ſcit, & hoc eſt falſum; & aliud, videre in Verbo creaturas omnes adhuc poſſibiles; & hoc eſt ſatis probabile: De futuris abſolutis neceſſariis, & adhuc liberis non habemus ſpecialem difficultatem; nam horum habuit anima Chriſti certam notitiam, & contrarium dicere, eſt, incidere in illum errorem ſupra notatum, & tenere Chriſti animam ignorare aliquid deſtendis, & aliquando extituriſ. Immo de conditionatis purè,

&

& numquam purificanda conditione; ac de illis, quæ inconnexa ſunt, & nec cum ſuis appoſitis conditionibus connectuntur, eadem erit ratio, & ſententia, ac de poſſibilibus; ſiquidem eſſi quoad eſſe ſuum aliqualem dicant diferentiam, quoad cognosci in idem conſpirant. Denique de ſecretis cordium ſua item apparet difficultas, ideòque ſpeciali reſolutione declarabitur.

602. Pro hoc firmando, & declarando, eſt prima ſententia D. Thom. in 3. p. hic tenens quod intellectus humanus Chriſti, nec quilibet alius poſſibilis videre poteſt in verbo omnia poſſibilia, & iſtud vocat ea ſcire ſcientia ſimplicis intelligentiæ; in hac ſunt plures DD. Eſt alia ex adverſo tenens, animam Chriſti Domini videre omnia futura, & poſſibilia, & iſta vipartitur; nam alii aſſerunt, ſolum habitualiter præfatam habere notitiam; quatenus ſcilicet, à ſui primo ortu habuiſſet inſuſum habitum quædam ſcientialem, ſub cujus virtutem caderet reſeſentativitas poſſibilium omnium, ita quod valeret adhuc, & illa, & omnia poſſibilia reſeſentanda non actu, & cathegorematicè, ſed potentia, & veluti conſuſſe; hanc aſſert D. R. & licet non exprimat, cujus ſit, credo, eſſe S. Bonav. Alexand. Marfil. & aliorum, & ſic eam improbat.

604. Habitus ille à Deo inſuſſus intellectui Chriſti Domini pro tanto haberet vim eam reſeſentativam omnium poſſibilium, diceretque ad ea tot reſeſtus reſeſentativos in habitu, & in potentia, quot eſſent reſeſentabilia; deveniendumque eſſet ad hoc, quod ſi reſeſentabilia ſint in multitudinè, & in numero infinita, infiniti eſſent & illi reſeſtus reſeſentativitatis; ſed minus implicarent, vel repugnarent finito intellectui, qualis eſt animæ Chriſti Domini hi reſeſtus habituales, quam alii actuales, ſi actu poſſibilia omnia cognosceret: Ergo eadem eſt ratio habitus, & actus: Ergo in vanum aſſertur ea diſtinctio; ideòque ſi actualis repugnat, etiam habitualis. Major hujus ſilogiſmi probatur: Habitus, & quæcumque qualitas, quæ talis eſt per reſeſtum ad aliud, multiplicata alicetate terminorum, multiplicem

etiam in ſe habet intelligibilitatem comparatam ad illos reſeſtus: Ergo ſi habitus ille inſuſſus habet ſuum eſſe, quatenus reſpicit plura per eum reſeſentabilia, tot erunt hujusmodi reſeſtus in illo, quot ſint objecta cognoscibilia, & reſeſentabilia. Hoc ergo modo dicendi non admiſſo, aliter hujus quæſtionis erit

605. Concluſio prima: Anima Chriſti videt in verbo actualiter poſſibilia omnia. Hæc eſt tolerabilis, & in verbis R. in hoc 3. diſt. 3. ſubſtineri poteſt. Et diſt. 13. hic pro ſe allegat Mag. in eodem 3. diſt. 13. quæ ſequuti ſunt D. Subr. & omnes qui ſunt cum eo, fundantur in illo Joan. 3. ubi dicitur: Quod ſpiritus non eſt datus ei ad meſuram: Ac etiam Paul. ad Coloſenſ. 2. *In quo ſunt omnes ſapientia, & ſcientia abſconditi*: Adducunt etiam Fulgent. qui aſſeruit, Chriſtum Dominum ſcientiam omnium habere, in iſt locis fundatus; quæ loca iterum reproducuntur, quia in illis ſtabilita extat præſens ſententia, & modus dicendi; quæ eſſi faciant ad exiſtentia cognoscenda, pro quibus & nos illis uſi fuerimus, non minus deſervire poſſunt pro poſſibilibus ſcientiis.

606. Nunc ratio, quæ ex textibus deducitur: Chriſtus Dominus omnium ſcientiam habet, quia ſpiritus, & intelligentia ei non dantur ad meſuram, ſed ſimul, & ut in theſauro omnium notitiæ reconduntur; atqui ſub iſta univerſalitate cognitorum, & ſcitorum debent & poſſibilia, ſicut futura, comprehendere; ſiquidem ſi hæc laterent ſuo intellectui, omnia ſimul non videret: Ergo. Fundamentum hoc ſufficiens apparet, ſed ad illud poſſent dicere DD. contrarii ſenſus; quod ibi loquantur textus de illa ſcientia Chriſti Domini, ut totum quoddam eſt à partibus diviſivè acceptis diſtinctum, & hæc quidem ſcientia eſt veri Dei, ſicut & hominis veri; & non habemus pro inconveniēti, quod hujus totius una ſit ſcientia, & hæc Divina debito modo humanitati communicata, admodum quod de ſubſtantiali ſanctitate dicebamus: Si tamen loquatur de peculiari ſcientia animæ Chriſti, ut pars quædam eſt hujus totius, aliter ſentendum erit propter rationes, quas dabimus infra.

607

607. Certè præfata hæc possent ad textus respondere contrarii; at verò si attentè legantur potius de humanitate Christi Domini intelligi debent; & in primis per illud 3. Joan. *Non enim ad mensuram dat ei Spiritum, &c.* Satis clarè videtur, quod loquatur de illis donis, quæ prædixerat Ihsais 11. sed ea sunt propria humanitatis, ut sunt *Consilium, fortitudo, pietas, & timor*: Ergo etiam, *sapientia, & scientia*. Idem dicamus de Paul. allegato: Nam Thesauri sapientiæ, & scientiæ dicuntur absconditi propter humanitatem, in qua insunt, & cui communicantur sicut vere dicitur ibidem Deus absconditus: Ergo sine inconvenienti aliquo possunt præallegati textus trahi, & applicari ad scientiam animæ Christi; sed uterque locus indehinc procedit de scientia omnium rerum, & hæc sine mensura communicata: Ergo ad omne scibile se extendere potest prædicta scientia.

608. Probatum secundo conclusio ad stilum R. in aliis materiis: Quod anima Christi videat omnia possibilia, non est contra aliquem fidei articulum; prætereaque oppositum nec demonstrari potest, nec cogenti ratione urgeri; sed animam Christi videre omnia possibilia, & hæc asserere, non est contra aliquem fidei articulum, nec contra illud fieri potest cogens argumentatio: Ergo ea conclusio hæc asserens, subitari potest, & ad minus sine assertionem teneri. Tertio posset probari per hoc, quod omne, quod cadit sub scientia Dei dispositiva, pertinet ad Christum Dominum, qui omnium factorum, & factibilium Dominus est; sed anima qualibet Beata videt in Verbo omnia, quæ ad ipsam pertinent: Ergo priori ratione anima Christi Domini

609. Conclusio secunda: Anima Christi Domini similiter scit, & cognoscit omnium secreta cordium, & cogitationes intellectus humani. Credo, esse de fide expressam, ut Luc. 5. *videns Jesus cogitationes*: Et Joann. 2. *sciebat enim, quid esse in homine*; sed hoc est, scire, quid cogitaret, & intus discerneret: Ergo hujusmodi actus non latent Christo Domino. Insuper probatur eadem conclusio: Christus ut homo fuit verus Dominus omnium ho-

minum voluntatum: Ergo habuit notitiam, & habet eorum, quæ facere vult, & decernit. Denique: Christus eo modo est hominum caput à Deo sic institutum, & verè influit in suas operationes liberas, meritorias, sicut in sui esse, fieri, & operari, &c. sed ad hoc desideratur talium operum certa scientia, sine qua nil posset utiliter facere, & directè, ac sine erroris periculo: Ergo ista omnia sufficienter convincunt necessitatem hujus scientiæ in anima Christi Domini respectu eorum secretorum cordis humani.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

610. **A**rguitur primò contra primam conclusionem, & utamur argumento eo, quo utuntur novatores ad negandam Christo plenitudinem scientiæ per illud Marc. 13. *De illo autem die nemo scit: neque filius*: Ergo filius nescit judicii diem: Ergo non omnia futura, & possibilia cognovit, & videt. Omitimus aliud ex Luc. 2. *Jesus proficiebat, &c.* quia de hoc q. præcedentis: Et ad propositam difficultatem plura ex R. hic art. 4. respondere possemus attentis variis glossis, quas ibi affert, hoc uno contenti, & specialiter per glossam Matth. 24. ubi dicitur: *Quod codices, qui habent, neque filius, debent sic intelligi: Neque filius scit omnia cum Patre, quia non facit homines scire, & hoc est, quod dicit Apost. Quod omnes thesauri scientiæ sunt absconditi in eo*; concordat Beda super hunc locum concludens: *Hic Christus scientiam illius dici Apostolis negat, sed non negat se habere.*

611. Secundò arguitur: Hæc sententia multum videtur coincidere cum alia, quæ notatur damnata Arnoldi: Ergo subitari non potest. Antecedens probatur: Illa docebat scientiam animæ Christi veluti æqualem esse Divinæ scientiæ; hoc est, quod Christi anima sciret ea omnia, quæ Deus scit; sed hæc nostra sententia idem asserit: Ergo æquo modo

Quæst. XXXI. Quid de scientia animæ Christi tenendum, &c. 465

sentiant. Minor probatur: Deus videt in suo Verbo omnia per ipsum facta, factibilia; sed hoc idem videt anima Christi: Ergo idem utraque sentit sententiæ: Præterea: Hæc sententiæ ut à Mag. declaratur, docet: Quod anima Christi videat in verbo id omne, quod verbum videt; sed videre omne, quod verbum videt, est habere cum verbo æqualem scientiam, vel quod scientia hujus animæ sit æqualis cum Divina, & qualis est scientia Divini Verbi: Ergo nostra probabilitas parva, vel nil distat à placitis Arnoldi.

612. Respondetur ad argumentum, & adhaerendo doctrinis, quas tom. 1. citato dedimus, negamus nostram cum Arnoldi præfati coherere sententiæ; numquam nec R. nec nos asserimus, animam Christi scire ea, quæ Deus scit, sed quod videat creaturas omnes possibiles, & quæ subsunt suæ scientiæ dispositivæ; sed hoc non est, scire, quæ Deus scit, cum Deus adhuc habeat ampliorem scientiam; nimirum speculativam, per quam non solum scit omnia, quæ sunt, erunt, possunt esse, sed ulterius omnibus modis, quibus sunt, & sciri, & cognoscit possunt; atqui hoc non dicimus de scientia animæ Christi; neque de illa asserimus, cognoscere omnia, quæ cadunt sub scientia speculativa Dei: Nam quando Mag. docuit, & R. non negavit, quod anima Christi videt in verbo, quæ verbum videt, intelligi debet, de iis objectis loquendo, quæ cadunt sub Dei scientia dispositiva, ut ibi, & alibi se declarat. Instantiæ, quæ hic fieri soleant, videri possunt solutæ in tom. 1. tract. 3. q. 22. dum ad alia transeamus.

612. Tertio arguitur: Etsi nec opponatur sententiæ alicui articulo fidei, nec præterea obligari, & cogi intellectus ad oppositum possit aliqua demonstratione, ex hoc non habemus, probabilem esse, & subitari; plurima enim sunt taliter obscura, & recondita, quæ contra ea fieri nequeant demonstrationes, nec circa eorum quidditates, ut magnitudo Lunæ, adivitas caloris solaris, &c. sed ex hoc non sequitur, quod probabiliter subitari posset qualibet Luna magnitudo v. g. Ergo ex eo quod assumptum nostræ conclusionis ita sit, non benè proba-

tur, subitari posse. Respondetur: quod totum argumentum probaret, & convinceret contra intentum nostrum, si his non adjiceremus congruentes quasdam rationes supra textus sacros, quibus sufficienter possit, ut probabilis, subitari; sicut si offeratur ratio aliqua congruentiæ pro Lunæ extensione, non esset improbabilis extensio illius ad tot leucas, &c.

614. Quarto arguitur: Anima Christi Domini non valet ad ea omnia, quæ cadunt sub scientia dispositiva Dei: Ergo non videt eas creaturas, quas Verbum videt. Antecedens probatur: sub ista scientia cadunt res omnes futuræ, & possibiles, & de his non solum ea, quæ Deus decrevit perpetuò possibilia remanere, sed etiam illæ, quæ concipiuntur taliter possibiles esse, ut de eis Deus nil curaret; sed multitudo ista, quæ certò subsit scientiæ dispositivæ Dei, ut est R. doctrina hic dist. 14. non est intra spheram animæ Christi; vel ad minus, non apparet ratio, aut fundamentum, quare congruat Christi intellectui, ut ad eas pertingeret: Ergo. Minor probatur: De aliis creaturis jam futuris, & a Dei decreto perpetuo possibilibus, ita sentire possumus, quatenus subsistere possunt ditioni Christi, ejus imperio, & potestati; sed huic non possunt subsistere aliæ omnes possibiles, de quibus Deus nil decreverat; nec habemus, quomodo, aut cur erga eas Christus se habeat: Ergo nec quod valeat scire illa

615. Respondetur ad argumentum libenter concedendo, animam Christi Domini ea omnia cognoscere, quæ cadunt sub scientia dispositiva Dei, & adhuc possibilia ea, de quibus in argumento; hæc etenim etsi actu exercito non subsint Dominio, & potestati Christi Domini, ut potè Deus de illis nil decrevisset esse; cadunt tamen sub illius potestate, & virtute, ita ut de hoc Domino verificetur, quod non solum omnes gentes suæ potentia subsunt, sed & hanc attingere usque ad extremum terræ, hoc est, ad minimum totius entis creabilis: Istud est illud Joann. 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, &c.* Congruit denique ut Dominus ille, sub cujus dominio, & jurisdictione res omnes cadunt, vel actu,

vel potentia, eas eadem cognoscat, & videat ut possit erga illas influxum tibi correspondentem præstare. Ecce ratio, & fundamentum præfata congruentiæ, & quare dicamus, quod anima Christi videt ea, quæ cadunt sub scientia dispositiva Dei.

QUÆSTIO XXXII.

De Prophetia, & quo jure
de Christo prædicitur?

616. **P**ertinet ad hunc locum de Prophetia, quæ de Christo Sacri Textus enuntiant, pertractare; & quia Prophetia est una de gratis gratis datis, quas refert Paulus ad Corinth. 12. *Alii prophetia, alii discretio spirituum, &c.* querimus, num de Christo, verè, & propriè prædicetur, sicut aliæ gratiæ de eodem Domino dicuntur? Et per prius ad hujus dubii resolutionem, quid sit Prophetia? aperiemus. De ea tractat R. in q. 1. per tot. 3. quodlibet, eamque distinguit à lumine gloriæ, fidei, & scientiæ supernæ: Lumen namque gloriæ, & fidei pertinet ad gratiam gratum facientem, & in hac parte cum lumine prophetico convenire non possunt: De alio scientiæ expressis verbis idem Paulus quasi gratias diversas, & distinctas proclamat, cum diceret: *Alii sermo scientiæ: Alii sermo sapientiæ;* signum est satis certè indicans gratias istas, & lumina Prophetiæ, Scientiæ, & Sapientiæ esse in sua quidditate differentia: Undè signatè loquendo ad Christum Dominum, quamvis ab eo relegemus fidem, ad est locus Prophetiæ; & similiter concessis illi Domino lumine Gloriæ, Scientiæ, & Sapientiæ, habet locum dubium circa Prophetiam.

617. Prophetia in sua generali acceptione à DD. definitur ibi loco citat. ut & nos dedimus tom. 1. tract. 4. q. 4. ad 1.

per esse, scilicet, inspirationem, & revelationem Divinam rerum eventus, immobili veritate denuntiantem: hanc primò dividit, tamquam in partes potentiales, & objectivas in eam, quæ sit à Deo per modum præscientiæ, ut est illa Isai. 6, *Ecce Virgo Concipiet;* & ut pura comminationis, de qua Jon. 2. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Alias, vel subdivisiones, vel potius media, & extrinsecas causas, quibus Deus spiritum propheticum, sive prophetiam infundit, assertit ibidem R. ut est Prophetia per inspirationem, per somnium, per verba, per facta, per Ecstasim habita, de quibus extant nonnulla exemplaria in sacris litteris, ubi habemus, quod Deus loquutus fuisset Prophetis suis his exterioribus signis, sicut & aliis interioribus revelationibus.

618. Pro prius ad rem nostram accedentes, est hæc duplicata quæstio; prima, si Christus Dominus Propheta vaticinatus, & prædicatus in utroque testamento, sit verè, & cum proprietate dictus? Secunda, ad quam ex his speciebus, & veluti differentiis prophetiæ expectaret ea, quæ de eodem diceretur? Num ad omnes? an ad aliquam, vel aliquas? Ratio dubitandi pro prima quæstione habemus in 1. ad Corinth. 13. Paul. per illud: *Sive lingua cessabunt, si Prophetiæ evacuabuntur, &c.* Ubi declarat quasi virtutes, & dona gratiæ gratis data quæ per clarum Dei visionem evaquentur: Quibus ad jungendum erit, Christum Dominum fuisse Beatam, & ista visione perfruentem ab instanti primo suæ Incarnationis; per quod necessario concluditur; quod cum Christus semper fuisset Beatus, numquam potuisset esse propriè Propheta; siquidem Beatitudo est cum Prophetia incompatibilis; sicut cum fide, & spe est visio Dei, quarum evaquativa est, & quali expulsiva, ac si essent dona contraria.

619. Præterea rationem dubitandi circa secundam conclusionem fundare possumus in eo, quod Deus quandoque Verbis, ut in Jordane, Thabore, & adhuc in Cruce pendenti fuisset Christo loquutus, & quadam in eodem operatus, ut in ipso monte suæ gloriæ throno legimus fecisse, ut revelaret futuram humanitatis exal-

exaltationem; & de his potest esse difficultas; si quoad hanc partem fuerit in anima Christi verè, & propriè prophetia factorum, & operum: De somno non est locus dubitandi, cum, si malè memini, non legatur, Christo somnum aliquod irruisse: Semper enim procedimus de anima Christi, ut quadam pars est hujus totius, & compositi. Verbi, scilicet, incarnati, & de ea sic accepta procedunt quæstiones præfata, pro quibus offerimus duas conclusiones.

620. Conclusio prima: In Anima Christi Domini fuit Donum prophetiæ, & verè, ac propriè. Est communis inter Theologos, probarique potest fundamento sumpto ex sacris litteris, & insuper rationibus D. R. ex loco citato deductis; & primo in veteri testamento est textus speciosus Deuteronom. 18. *suscitavit Dominus Prophetam sicut me:* Et Luc. 4. 7. 24. sic ait, loquendo de Christo: *Fuit vir Propheta, &c.* & idem alibi dicit; sed ex his, & aliis satis conjicitur, donum Prophetiæ inesse animæ Christi, sicut de ipso prædicantur in 11. Isai aliæ gratiæ gratis data; & insuper in 1. Hierem. *Et prophetam in Gentibus de di te:* igitur ad litteram concluditur, Christum Dominum, ut homo est, & pro parte humanitatis acceptum, esse prophetiæ dono imbutum; nam ut Deus est, & homo, est author, & dator omnium munerum, donorum, & gratiarum: relinquitur, quod hæc, & aliæ gratiæ debeant intelligi infusæ, & collatæ eidem Redemptori ea parte, qua homo est, ac suæ Sanctissimæ Animæ ratione.

621. Responderet ad hoc Abulen. qui tenuit, quod in his locis, in quibus de Christo dicitur, Prophetam esse, ex loquutiones intelligi debent amplitudine quadam, & impropriè, & quatenus infallibiliter ventura præcognoscit, & annuntiat; ceterum hoc per lumen gloriæ à Deo ipsi inditum a principio sui: Prophetia enim, sicut & fides cum spe per hoc lumen, & gloriæ possessionem evaquantur; & in proprietate sermonis dici non potest, quod beatus esset simul videns à longe, & Propheta; nam prope ipsum beatum est Deus, & alia omnia bona in Deo revelabilia. Plura accumulat, Abul. Tom. II.

quæ ad hoc unum reducuntur, & corroborantur ratione ista: In intellectu Christi est inconceptibilis fides, quia eidem non congruit enigmatica cognitio, cum omnia clarè, & evidenter cognoscat, & de spe similiter sentitur; nam de eo, quod quis habet, quid sperat? Sed ratione eadem argui posset in conclusionem assertam, cum non detur cur congruat prophetia intellectui omnia præsentialiter inveniendi: Ergo eadem erit ratio prophetiæ ac est fidei, & spei, quoad hunc intellectum.

622. Sed contra sit: Non semel in sacris litteris Christus Dominus prædicatur Propheta, & semper sine addito aliquo diminutive, aut restrictione aliqua ex quo, & doctrinis generalibus tam clarè coligitur, verba sacra, quibus denotatur eundem Dominum Prophetam esse, in toto rigore, & proprietate accipi debere, si absit inconveniens, & non incongruat ea proprietate; sed in eo nec inconveniens, nec incongruitas reperitur: Ergo. Alii sumptum convincitur per ea, quæ in responsione notantur: Quia fides, & spes non coherent cum Christo Domino glorioso, & Beato, sub nulla ratione de illo dicuntur; & præterea, & quod ad rem facit; fides, & spes incongruunt eodem Domino, adhuc ut viatori; sed aliter & non sic accipiamus prophetiam; ut potè multifariam de illo prædicabilem in illis locis sacris: Ergo etsi ut comprehensor non sit dicendus Propheta, benè tamen ut viator.

623. Ratio disparitatis habetur ad manus: Fides, & spes certum ordinem dicunt ad Beatitudinem supernaturalem; ac cum clara visione Dei, & ejus fructione ita se habent, ut sint quasi via ad illam, quodam respectu generationis; clarè constat per doctrinam Paul. tract. præcedenti expositam: *Fides est sperandum substantia rerum, &c.* hoc est in æterna beatitudine sperandum: Non sic se habent scientia, sapientia, prophetia, &c. ad visionem, cum eaque nullum ordinem dicunt, nec dependentiam; ideoque tenere debemus hoc ducti fundamento, quod fides, & spes non benè coherent cum beatitudine; cum omnes pertineant ad partem superiorem animæ, in qua simul

esse in via, & termino incongruum videtur: Aliter enim discurremus de illis gratis gratis datis, quæ licet in anima Christi ut comprehensoris locum non habeant, benè tamen ut viatoris, adhuc in parte animæ superiori; quia, scilicet, nullum servant ordinem, aut dependentiam dicunt ad beatitudinem.

624. Conclusio secunda: Anima Christi Domini fuit verè prophetia dotata quoad ejus formalem, & quoad rativam rationem; ac in mediis iis, quibus Deus Prophetis sua secreta revelat, supereminenti quodam modo se habuit respectu animæ Christi Domini. De hac conclusione nil videram in DD. propriis, immo nec in extraneis; cæterum eam colligo ex pluribus, quæ de prophetia hujus animæ prædicantur: Et in primis Deuteronom. citato, declarat Moyſes Deum suo tempore suscitaturum Prophetam: Ecce peculiaris prophetia à Deo ob Christum suscitata. Præterea Luc. 7. visa mirabili resurrectione filii Viduæ Nain, exclamavit turba: *Quia propheta magnus surrexit*; Magnus propheta dicitur; in super Joann. 23. dicitur, quod spiritus omnium gratiarum datus sit eidem sine mensura: Ergo & prophetia sine medio, & modo limitativo, & coarctativo, sicut Deus cum aliis prophetis fecisse describitur. Denique variis in locis factis invenimus, Deum hanc sanctissimam animam plenam, repletam, & superfluentem, gratis caelestibus constituisse, ita quod usque ad suum corpus sanctissimum redundarent, dicente Paul. ibidem, esse in eo Domino plenitudinem divinitatis corporaliter: Quid expressius pro constituenda in eodem Prophetia, præcisus illis modis, quibus Deus communiter utitur ad alios constituendos Prophetas? Ut quandoque eis per verba, signa, opera, facta, inspirationem, &c. sua secreta revelet.



QUÆSTIO XXXIII.

Quenam potentia concipienda est in anima Christi? Et an sit ita eminens, ut ad omnipotentiam pertingat?

625. **A**D animam Christi ut quædam pars est, & ab eodem Christo adæquate accepto distincta, procedimus; nam de toto illo, ac de suis partibus simul, & collectivè sumptis nulla esse potest difficultas; est enim vera hæc prædicatio, & formalis, Christus est homo; sicut ista: Christus est omnipotens, æternus, &c. determinatur ergo quæstio ad suam animam, ut pars est, quid creatum, & à Deo productum: Et quamvis per hoc satis clarescat, quod omnipotens esse non potest; siquidem omnipotentia est attributum proprium Deitatis, ob duo adhuc illo modo de illa queritur; primum: Ut, quantum fas sit, declaremus, quanta fuerit virtus ejus sanctissimæ animæ, & activitas in agendis; secundum, quod potius est, & principale, ad dignoscendum, quomodo illi animæ Dei omnipotens virtus communicetur?

626. Pro quo ex dictis, & plurius repetitis doctrinis, supponimus omnipotentiam in rigore sermonis esse virtutem illimitatam, & omnium quorumcumque productivam, creativam, & omnibus modis factibilium factivam; ideoque solus Deus est taliter omnipotens, quia ad intra, & ad extra, & omnium producibilium infinite productivus est. De hac omnipotentia proprietate non querimus; esset enim idem, ac inquirere, si ea anima Deitas esset? Est ergo quæstio resolvenda de omnipotentia ea, quatenus solum respicit possibilia fieri; quæ cum finita sunt, & limitata in essendo, non inferunt per

per se divinitatem in principio sui productivo, & factivo: Ad modum quo de eadem sanctissima anima inquiritur, si videat, aut non, ea omnia, quæ Verbum videt? Sic in præsentiarum seire denderamus, si possit in ea, quæ per ipsum Verbum facta sunt? Et ut non oblivioni demus secundum illud supranotatum, hæc etiam dicendum erit; num sicut ea anima sancta est substantiahter divina, sibi communicata sanctitate naturæ Dei, valeat esse omnipotens sua itidem participata omnipotentia. In aliquibus discordantur dubia, cæterum hæc adunantur, quia de quadam generica omnipotentia quidditate utraque procedunt.

627. Conclusio prima: Anima Christi Domini, ejusque humanitas, ut pars quædam est ab alia Divina distincta, & à toto illo, Christus scilicet, non gaudet ea omnipotentia, adhuc respectu factibilium omnium, & possibilibus fieri. Est communis inter DD. nostros, & extraneos. De ea, ut jacet, non habemus expressionem in R. & eam conjicimus ex ejus doctrinis, per quas sic primò probatur: Si humanitas Christi Domini omnia potest vel in omne possibile fieri, posset & res aliquas ex nihilo producere; sed et si de posse Dei absoluto valeret ad creandum, ut potest alia qualibet, ut instrumentalis causa, de qua R. non semel in 2. citans 4. librum, quem ad manum non habemus, non posset tamen congruè, & connaturaliter, quod requiritur, ut in hac parte, & respectu producibilium fieri diceretur omnipotens: Ergo nullo modo posset dici ista omnipotentia de anima Christi Domini. Minor probatur: Potentia connaturalis ad creandum omne, & quodcumque creabile, et si ex sua ratione non dicat, aut inferat infinitatem in principio creativo, & productivo, ut nos dedimus tom. 1. tract. 2. q. 17. supponit tamen infinitam activitatem in eo, ut vincat eam distantiam, quæ est inter esse, & non esse, vel reducat nihilum ad esse; est enim creatio productio ex nihilo; sed hæc infinitas non apparet in illa sanctissima humanitate: Ergo nec ea omnipotens virtus factibilium factiva.

628. Sed contra, & est instantia ex

nostris datis doctrinis ex R. Nil sequitur ex eo, quod daretur hæc omnipotens virtus, quod inferret, aut supponeret infinitatem: Ergo nulla est ratio: Assumptum probatur: Producere res ex nihilo non arguit infinitatem, nec ea distantia non entis ad ens infinita est, cum terminis finitis claudatur: Ad quid ergo desideretur ullomodo infinitas ad hæc omnipotentem productivitatem? Et quæ ulterius respectu termini finiti, & finiti modo productibili exercenda erit: Ergo ex hac parte non incongruit animæ Christi Domini ejusmodi omnipotens productivitas respectu factibilium.

629. Certè hæc est nostra doctrina; cæterum per eam non benè arguunt contrariè: Nam etsi virtus creativa, utcumque infinitatem non supponat, ut benè in instantia, ea tamen ut connaturalis alicui, & congrua, aliter se habere debet, & præterea subjectum ipsius infinitate præditum inferre; tum quia est fidei articulus, solum Deum esse creatorem; ac initium nostræ confessionis docet, nos credere in Deum Omnipotentem Creatorem; tum quia ea virtus connaturalis taliter omnipotens deberetur illi naturæ, ipsique conveniret ex propria essentia; atqui nulli præter Divinæ, isto modo convenit omnipotens activitas respectu factibilium: Ergo nec humanitati Christi Domini. Sequeretur enim quod esset principium eminens virtuale æquivocum respectu factibilium omnium ex propria essentia, & quidditate; sed hoc exigit necessarium infinitatem; nam nulla limitata natura habere potest connaturaliter intra se nos sui esse, taliter continere res omnestabiles; esset namque limitata, & non esset, quod implicat: Ergo. Probatur: Nam esset limitata, ut supponitur; non esset; siquidem res omnes factibiles sub se, & in se contineret.

630. Conclusio secunda: Animæ Christi sanctificatæ Divinitate non communicatur Dei omnipotentia explicita, & formaliter, quidquid sit implicitè & identicè: Credo, quod nec in hac sententia recedimus à communibus placitis, & specialiter D. R. Pro quo revocandæ veniunt doctrinæ, quas non semel dedimus de attributis, & perfectionibus

nibus Divinis; de his quædam enim ſunt ita abſolutæ, ut nullo jure coarctari, aut partiri, ſive limitari poſſint, ideo nec in creaturis aliqua via analogizari; cujuſmodi ſunt æternitas, immenſitas, immortalitas, infinitas, &c. alia alio modo poſſunt, & de facto in ſunt creaturis ab hisque limitantur, & finito modo ab eis participantur; & in iſto ordine ſunt ſanctitas, bonitas, ſapientia, &c. diverſitas oritur in iſtis perfectionibus ex eo, quod propria uniſcujuſque quidditas ſic exigit eſſe: Hæc namque perfectiones, quæ pro formali dicunt ſummam actualitatem in eſſe, vel in modo eſſendi, illimitabiles ſunt, ut videre eſt in iis, quæ primo loco poſitæ ſunt, quæ vero ab hoc præſcindunt, ut ſanctitas, bonitas, &c. poſſunt ad creaturas trahi, & ab eis finito modo participari.

631. Nunc clareſcit noſtra reſolutio, & probatur: Sanctitas animæ Chriſti Domini ideo illi ineſt, non obſtante quod Divina eſt, & ſubſtantialis, quia in illo ſinitatur, aut finito modo recipitur, & cum perficit; ſed non ſic erit omnipotentia: Ergo eſt identicè, & quatenus eadem eſt cum Divina natura in ſi modo poſſibili animæ præſentæ Chriſti Domini, non verò formaliter, & ut talis omnipotentia eſt. Major ſupra explicata manet, minor verò probatur: Omnipotentia eſt unum ex Divinis attributis, quæ arctari, aut limitari non poſſunt, ſed impartibilia, & imparticipabilia ſunt: Ergo pro formali nequit afficere animam Chriſti Domini. Antecedens cõſtat: Nam omnipotentia, ſub quacumque conſideratione explicat, & dicit conſtitutive actualiſſimam virtutem undique productivam, & caſu quo, aliquid ab hoc deſiceret, non omnipotentia, ſed alia quædam virtus erit: Ergo eſt ex illis Divinis perfectionibus in participabilibus à creatura: Ergo nec ab anima Chriſti Domini participari poſteſt.

632. Super eſt, ut fiat ſatis rationi dubitandi initio quæſtionis propoſitæ, ad quam addimus hæc: Verum eſt enim, quod anima Chriſti videt in verbo omnia, quæ verbum videt, eſt non omnimodo, ſed ea proportione, quæ ſcien-

tia ad objectum haberi poſteſt; quæ propter dici non debet omniſcia, ſicut verbum tale dicitur, & eſt: Videt ergo illa anima, quæ verbum videt, ſed nec eo modo, quo à verbo videntur, ideo, quæ nec omnia facit, quæ per verbum, & in verbo facta ſunt; & eſt in hoc adhuc nota differentia: Quod videre, ſupponit eſſe, & fieri rerum; facere, & producere, eſt hoc eſſe dare, & tribuere, & propter quod anima Chriſti videt omnia, ſed non omnia poſteſt facere; poſteſt namque eſſe rerum cognoſcere, quia nil eis communicat, ideoque ad horum notitiam non requiritur eorum entitativa continentia; non poſteſt eas omnes producere, quia non habet in ſua virtute omnium rerum factibilem entitates, quia non eſt totum ens. Alias quam plures differentias habere poſteſt inter hoc, quod eſt eas cognoſcere, & facere, repertas, quæ, quia per ſe notæ, hic in medium non adducuntur; ſufficiat pro nunc; quod virtus cognoſcitiva eſt ad functiones intentionales ordinata; alia verò ad phyſicas, & entitativas. Totum mundum poſſemus intentionaliter circummeare in momento, quem pluribus annis phyſicè non peragraremus.

633. Hic quæri ſolet; utrùm anima Chriſti magis potens ſit, & activior in ſuis naturalibus functionibus ratione unionis hypſtaticæ, quam eſſet ex vi propriæ naturæ? Supponamus Chriſtum Dominum omnes quaſcumque ſuas operationes naturales, ut ſunt, comedere, bibere, ambulare, &c. quodam modo ſupernaturaliſſe, per eaſque miriſſe; quatenus, videlicet, eas omnes ordinari ſec ad finem illum ſupernaturalem, propter quem in mundum venerat. Ex quo ſuppoſito, hæc eſt mea reſolutio: Quod ſi eaſ operationes, ut purè naturales conſiderentur, & ſimilimodo virtus ad eas exercendas, eadem vi polleret ad illas, præciſa à ſuppoſito divino, ac valet illo ſuppoſitata; & eſt ratio: Quod ſuppoſitum ſupponit humanitatem perfectam, nihilque eidem quoad ſua propria addit, aut ponit; ſed virtus hæc naturalis eſt debita naturæ humanæ: Ergo nec major erit ratione ſuppoſiti divini, nec minor illi

illo ablato: quidquid de ea ſit, quatenus potens ad hæc opera, ut imperata ad finem ſupernum, vel ut valorizata per divinitatem; ſiquidem & valor, & ſupernaturalitas totum eſt à divina Perſona elevante, & dignificante.

QUÆSTIO XXXIV.

Quam causalitatem exercuerit anima Chriſti Domini in ea miracula, quæ idem Dominus patravit?

634. **D**e miraculis in ſua generali acceptione prius aliquid dicemus, poſtea que ad noſtrum aſſumptum accedendam. Eſt ergo miraculum ex ſuo nomine, & communi aſſenſu, res mira, & inſolita, cujuſ cauſæ, & principia latent: Eſt primò in duplici differentia conſiderandum; primò vulgariter, ſecundò, proprietate quadam; primi generis ſunt res illæ mirabiles, qui præter communem rerum ordinem, & naturæ aſſuefactionem eveniunt, ut inopinameliſis copia adhuc temporalibus contradicentibus; vel ſalus ex inſperato corpori inſirmo, & deplorato obveniens, & alia hujusmodi. Miraculum cum proprietate acceptum eſt adhuc duplex, vel naturæ, aut gratiæ: Miraculum naturæ licet fiat præter communem rerum naturalium curſum, & ordinem, non eſt tamen ſupra naturam, imò principium & cauſam ſui habet in eadem natura; & hoc evenire poſteſt à caſu fortuito ipſius naturæ, vel per miram conjunctionem principiorum activorum, & paſſivorum; vel quod frequentius, Dæmonis artibus, quia magis calleat interiora naturæ. De hoc nullum aptius exemplar, quam converſio virgarum in colubros facta opè, & directione Magorum Egypti: Exodi 7.

635. Miraculum gratiæ eſt illud factum mirabile, & ſtupendum, quod ſo-

lum à Deo fit, & Deum pro principio ſui, & cauſa habet: Nam Deus eſt, qui facit mirabilia, & ſolus mira hujusmodi patrat, eſt ut in psalmis, & Prophetis frequenter. Hoc miraculum gratiæ bifariam accipio; & in modo ſupernum, & in ſuper tale in ſubſtantia; primæ differentia ſunt, ſuſcitatio mortuorum, conversiones unius ſubſtantia in aliam, ut legitur de aquæ in vinum facta in Canâ Galilææ; Joann. 2. ſecundæ ſunt miracula illa, & res miræ, quæ in ſua entitate ſupernaturalia ſunt, & ſupernaturaliter à Deo oriuntur, ut mirabile Incarnationis Myſterium, & maximum inter omnia ſacræ Eucharistiæ, impii converſio in juſtam, & amicum, ac Dei hæredem, & filium, &c. ulterius patrationem iſtam miraculorum divides per eam, quæ unicè a Deo habentur; & aliam, quæ ſanctorum deprecatione, & oratione; de his legantur libri ſacri utriuſque teſtamenti.

636. Quæ à ſolo Deo, vel immediate à Deo patrantur, ſunt communia, & viſibilia, ac nobis noſtiora, vel ad minus ſunt hujus quæſtionis ſcopus, quæ leguntur in ſacris Evangeliiſ, & ſpecialiter Joann. facta à Chriſto Domino. Hæc enim patratio miraculorum Chriſti eſt certiffimè opus ipſius Theandricum, ſupra ſuppoſitum divinum cadens, & reflektens; ad quod alludit illud Joann. 15. *Nunc autem nullam excuſationem habent de peccato*, quod Auguſt. vocat infidelitatis; & reddit ipſe Dominus rationem: *Quia opera, quæ ego facio nullus hominum facere poſteſt; ſed hæc ſunt ſua ſtupenda miracula, quæ ad Judæos convincendos patratæ erant: Ergo ſolius Dei eſſe poterant, & ſummam ejuſdem divinitatis convincentia: igitur potius dicenda opera Dei, quam hominis, quamvis illorum author ſit Deus verus, & homo verus; & ut promptius discernamus inter Dei, & ſanctorum miracula, aliquas notulas offerimus conſiderandas, & ex iis ad inſtitutum tranſeundum; ac ſemper ſuppoſito, quod hic a Dei abſoluta potentia præſciodamus, ut bellè R. q. 4. prælog. 4.*

637. Moyſes, Joſuè, Sampſon, Elias, Eliſeus, Daniel ſua quiſque portentofa miracula patravit, & taliter, quod ex illis

illis aliqua nullus hominū simile fecisset: Quid igitur de miraculis Christi? Arguit Aug. super Joann. Homil. 9. ad quod respondet R. quod Melsiæ soli concessum est. facere miracula, ut filio Dei, & hoc modo de ipso fuerat prophetatum; quod convincit excessus miraculorum Christi super omnes sanctos in modo, & forma, quibus ea faciebat: Miracula enim sua fecit magis authenticè, quam aliquis alius, nam ea fecit verbo, & jussu: (verba sunt R.) constat in Ps. 32. & 148. ut; *implete bidrias aqua; &c.* Joann. 2. *Adolescens, tibi dico, surge, & statim resedit.* Luc. 7. Item Christus sua miracula extensius patra verat, ut refertur Marc. 6. *Quocumque introibat in vicis, aut Villas, aut Civitates in plebis ponebant infirmos; &c.* Insuperque melius, & mitius; nam Moyse, Elias, & alii multas quandoque penas in suis miraculis inflixerunt; Christus autem beneficia contulit, & nullam læsit: Sic enim de eo scriptum est: *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui:* Marc. 7. Denique intensius faciebat sua miracula Dominus, ut non solum corpora, sed animas sanaret, quod nullus sanctorum facere poterat; ut Magdalena: *Remittuntur tibi peccata; &c.* Lucæ 8.

638. Ex his jam propè habemus nostram rationem dubitandi; & supposito, quod Christus Dominus est vera, & principalis causa, & author eorum miraculorum, quibus se esse Melsiam, & filium Dei convicerat, quin huic obesset, quod simul esset verus homo, quæritur, quo jure humanitas concurrat ad ea miracula, vel quid contèrat in illorum patratiōne? Et quinam sit ejus influxus, & causalitas? Num principalis? An instrumentalis? Si moralis sit, vel physicus? Ante dubiorum resolutionem, ut certum relinquimus, miracula enarrata sanctorum in sacris litteris a Deo esse unicè physicè, & principaliter, à sanctis verò moraliter, & instrumentaliter, quatenus solum respectu eorum miraculorum habeant influxum divinæ virtutis suis deprecationibus applicatæ, & ad harum præsentiam Deum moveri, & allici ad ea perpetranda; & hic est influxus purè moralis, nilq; habet de physica influentia, sicut sentitur de causa meritoria.

639. Communis sententia Theologorum tenet; animam Christi Domini, ejusque humanitatem esse instrumentalem causam miraculorum ipsius Domini, & quia instrumenta alia sunt separata, & veluti mortua, ut malleus, & ferra; alia verò conjuncta, ut calor naturalis ad carnem generandam; de primo non dubitatur, solum ergo de causa instrumentali conjuncta DD. conspirare videtur. Differunt inter se non parum; nam aliqui cum D. Thom. Suarez, & non paucis tenent, esse physicam instrumentalem, & suum influxum esse similiter realem, quem anima Christi habet in sua miracula; alii verò cum D. Subr. Vazquez, & pluribus ab opposito negant talem causalitatem veram, & solum moralem admittunt. Videtur conclusionem istam currere cum alia, quæ circa influxum Sacramentorum agitari solet, & æqua est utriusque resolutio. His via opposita incedit D. quidam gravissimus Carmelita ex mente R. tenens nullomodo esse instrumentalem causam animam Christi suorum miraculorum, sed principalem, & propriam; sed quidquid de ea sit, nostra est.

640. Conclusio: Anima Christi Domini est causa instrumentalis verè, & realiter influens, ac physicè in sua miracula. Hæc videtur esse de mente R. quamvis apicem illius non expresserit, ideoque, & quia duas partes habet, quoad primam probatur: Anima Christi ad sua miracula patranda verè concurrat, cæterum non propria, sed superiori virtute; sed hoc est operari, & agere ut instrumentum; siquidem tale dicitur, & est, quod virtute alterius operatur, sicut causa principalis dicitur; quæ virtute propria agit: Ergo ea anima operatur in præfata miracula instrumentaliter. Major probatur: Virtus ad patranda miracula, est Dei solius; nam teste David; Deus solus mirabilia operatur; solusque Deus est Omnipotens, cujus virtus connaturaliter desideratur ad facienda miracula; sed virtus Dei, suæque omnipotentia non inest tamquam forma propria animæ Christi, ut est communis, & farè de fide ut docet R. in hoc 3. Ergo opera omnipotentis vir-

virtutis Dei, quæ exerceret anima Christi esset a Deo, ab ipso descendens, ab eoque participata: Ergo non propria, sed superioris agentis: Ergo instrumentalis.

641. Probatur secunda pars conclusionis: Anima Christi influit in sua miracula ut vera, & realis pars illius compositi Christi: Ergo verè, & realiter influit. Patet hæc consequentia: Partes veræ, & reales alicujus compositi verè, & realiter influunt in opera, & actiones, quæ ab ipso composito, ut tali, oriuntur; sed anima Christi, ejusque humanitas sunt partes constitutivæ hujus compositi hypostatici Christi, quod est unum per se in duabus naturis, & per se in sua miracula influens: Ergo utraque natura, & quælibet, per se, & constitutivè pertinent ad talis compositi essentiam. Antecedens principale probatur: Miracula, quæ fecit Dominus, non fecit propter miracula, sed ut vera essent creditibus, Deum, scilicet, esse verum, & firmum verum hominem: Nam ut ait Leo Pap. Sermon. de Nativitate. *Paris enim periculi est, si illi, aut nostræ veritas, aut Paternæ gloriæ negatur æqualitas;* at qui veritas hujus humanæ naturæ per ipsa opera, & miracula declaratur: Ergo quia hæc verè influit in ea. Constat à paritate: Æqualitas Paternæ gloriæ sic per miracula comprobatur, quia Divinitas Christi verè influat in ea: Ergo suo modo talis veritas humanitatis assumptæ, per ipsissima miracula declaratur. Alii aliter probant conclusionem, adhuc ex nostris, per simile de Sacramentis, sed quia eadem est ratio, hoc sufficiat pro ea probanda.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

642. **P**rimò arguitur: Humanitas Christi, ut talis est, semper accipi debet ut assumpta, & personata Divinitate Verbi personalitate; siquidem, si ita non est, nec quæstio

Tom. IV.

erit, cum quæstio moveatur de hac individua Christi natura; sed natura ita suppositata, & personata non instrumentum, & principale agens est suorum miraculorum: Ergo sic accepta, illorum principalis est causa. Minor probatur: Natura humana personata Divino Verbo est, & dicitur author suorum miraculorum, ipsique sua facta tribuuntur, sicut Christo; sed Christo ut principali agenti tribuuntur; ergo sic & illi naturæ assumptæ. Major probatur: Natura assumpta est compositum dicens suppositum, & rem suppositatam; sed suppositum Divinum in assumpta ab eo naturæ hoc est, & dicitur Christus: Ergo ea natura sic assumpta, & connotans Personam Divinam dicitur, & est Christus. Ad hæc summam reducitur singularis sententia supra notata, etsi pluribus aliis stabilatur rationibus; ad quam, &

643. Ad argumentum ex ea respondeatur, fere totum, quod continet, concedendo; nam certum profus est, quod natura humana hic, & nunc assumpta à Divino Verbo esse non potest adæquatè, nec primò intentionaliter concipi sine Divinitate; etiam caret omni dubio, quod ista natura sic Deificata est Christus; ac denique quod Christus est mirificus operator miraculorum; cum hoc adhuc est locus nostræ resolutioni; nam etsi hoc ita sit; fides, & Ecclesia discernunt inter ea, quæ Christo, ut Deus est, conveniunt, & quæ ratione humanitatis; ratione enim Deitatis, Deus est immortalis, & impassibilis; ratione verò humanitatis, homo natus, passus, mortuus, & sepultus; taliterque quod nec ratione humanitatis sit Deus, & immortalis, nec ratione Divinitatis esset homo legis mortis subjectus: Nunc proprius ad intentum Christus Dominus est adæquatam miraculorum suorum Author, ratione Divinitatis, ut causa principalis; at humanitatis ratione, ut instrumentalis.

644. Sed contra, & incipit vis fundamenti contrarii: Christus Dominus ratione humanitatis potest esse, & constitui homo mortalis, & passibilis, quia in natura ipsa humana concipitur sufficiens principium formalis hujus denominationis; sed hoc non consideratur in ordine

000

ad

ad patranda miracula ea, quæ Christus gessit ratione ipsius, nisi adjungatur ei Divinitas, vel ratione Divinitatis: Ergo redit tota vis argumenti; siquidem natura humana adjuncta Divinitate, est totus Christus; minor probatur. Natura adhuc ea, quæ est Christi Domini, non habet ex se, & ex propriis meritis virtutem ad patranda miracula; nam hæc, quia superna, superant totam naturam creatam, & creabilem: Ergo nisi elevetur, ad ea non valeret; atqui juxta nostrum modum dicendi, quoad alias functiones vitales elevatur vi unionis hypostaticæ, & ratione adjunctæ Divinitatis: Ergo ito modo elevaretur ad miracula faciendâ.

645. In primis potest hæc urgeri, & instari solatio sic: Non minus consideratur elevatio in natura humana Christi Domini ad faciendâ miracula, quam ad eliciendâ opera superna, & meritoria, ad quæ in hujus D. sententia elevatur per ipsam unionem hypostaticam; sed quamvis tali unione elevetur, opera Christi meritoria humana sunt, & Christo Domino attributa ratione humanitatis: Ergo licet opera miraculosa oriantur à natura humana per Divinitatem substantialiter elevata, hoc non obest, ut talia opera tribuantur Christo ratione humanitatis. Assumptum patet: Nam Christus, ut Deus, & ratione Deitatis, in qua æqualis est aeterno Patri, mereri non potest: Ergo ut homo, & ratione naturæ humanæ.

646. Nunc ad instantiam respondetur in forma; concedendo ejus assumptum; nam certum est, quod natura humana nuda, & secundum se ad nullum valet opus supernum; insuper in ea à Verbo Divino assumpta idem reperimus, hæc habita ab aliis differentia, quod ista ad opera superna elevatur hypostatica unione, quod in aliis fit per habitus, & dispositiones; ideoque in casu nostro, quia tali modo elevatur ad patranda miracula dicitur, & est instrumentum conjunctum principali agenti, ut superius notavimus; nec ex hoc sequitur, quod natura humana denominaretur Christus; cum nec pars de toto, nec totum de parte dicantur: In hac ergo acceptione natu-

ra elevata hypostaticè, est entitativè, & specificativè diceretur Christus, formaliter verò, reduplicativè, & pro recto illius reduplicationis esset humanitas, connotata tamen Divina suppositione, sub qua ratione constituitur ut instrumentum conjunctum Divinitati in ordine ad ea miracula, quæ Christus Dominus gessit.

647. Secundò arguitur: Christus Dominus ex meritis suæ humanitatis solum per modum deprecationis, & ad illius præsentiam miracula patrare posset; sed hoc est, esse morale instrumentum sicut sunt sanctorum, servata tamen differentia inter merita, & merita: Ergo non posset dici instrumentum physicum. Minor est certa, & major cum consequentia probatur, primo: Ad esse instrumentum physicum requiritur verus, & realis influxus in illum effectum, ad quem efficiendum adunatur; sed humanitas Christi Domini nullum influxum verum, & realem habet, aut habere poterat in miracula Christi; altiora enim sunt sua virtute, & plura ita remotiora à sensibus hominis, vel humanis, ad quæ nullo modo pertingere valeret: Ergo. Secundò: Ad esse physicum instrumentum respectu cujusvis effectus, requiritur coaptatio, & proportio in illo ad effectum perpetratum; sed in humanitate, ut talis est, non cognoscitur talis coaptatio, ut puta, ad resurrectionem mortuorum, restitutionem salutis, & ad alia innumera, quæ describantur, totum non caperent mundum: Ergo.

648. Respondetur ad argumentum, negando majorem; non quia ab humanitate Christi excludere velimus moralem influxum in sua miracula, sed quatenus hic solum adstruitur à contrariis; & ad hujus consequentia primam probationem, concessa majori, minor distingui potest; sed nullus influxus cognoscitur in nuda humanitate, & nudè accepta, in sua miracula, concedo; elevata virtute principalis agentis, nego minorem. Influxit ergo, & verè influxit in omnia miracula Christi Domini sua humanitas per veram actionem in eorum assequutione, ut loquendo, de ambulando, imperando, agendo, adhuc manibus, ut legitur in

in sacris Evangelii; sed istud est realiter operari, & verè influere in sua miracula: Ergo ut physicum instrumentum. Ad secundam argumenti probationem percipiendam scire convenit dissidium inter DD. contendentes; nam qui sunt hujus sententiæ, facultatem, & virtutem potentia obedientialis extendunt ad quodlibet, quod non implicet; nam quo jure aqua, oleum, & verba valent ad gratiam causandam, nisi in vi potentia eorum obedientialis ad Deum, ut cum, ex, & in illis faceret, quod decreverit. Non sic sentiunt contrarii de potentia ista; quarum est ratio probationis, quæ in argumento; & ad eam dicimus; quod in instrumentis solum expectari potest coaptatio quædam, non proportio; sicut per aquæ externam lotionem notamus aliquam coaptationem ad interiorem animæ mundationem; & hanc negare non possent humanæ naturæ Christi super illius visibilia miracula, cujus sensitivæ operationes simbolizare videntur cum effectibus supernis miraculose elicitis per eas.

QUÆSTIO XXXV.

De Sacerdotio Christi Domini secundum totum, quod continet.

649. **C**hristum Dominum esse Sacerdotem, & usque in æternum in Sacerdotio mansurum, sacra litteræ decantant; qua propter de hâc credendum, & tenendum est, ita esse. Sic in Evangelii, Epistolis Paul. & præterea adumbratum legitur in psalmis, & prophetis: Aliquos textus dabimus, in quibus hæc veritas declaratur, & primus sit ex illo Reg. 2. circa finem, ubi Propheta quidam innominatus prædixit Sacerdoti Heli, futurum tempus; ut à domo ejus auferatur Sacerdotium, & surgat novus Sacerdos, qui ambulet coram Deo omnibus

diebus, hoc est, in æternum; atqui hoc in Christi Sacerdotio solum impletum est: Ergo. Secundus Ps. 109. *Juravit Dominus: Tu es Sacerdos in æternum*: ad litteram de Christo loquens, ut constat ex illius principio: *Dixit Dominus Domino meo; quo argumento usus fuerat ipse Jesus ad Phariseos convincendam, & Trinitatem Divinarum Personarum revelandam, & simul se esse unam ex illis. Tertius est Paul. ad Heb. 10. *fære per totum: Et omnis quidem Sacerdos: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet ad dexteram Dei, &c. Quartus sit Luc. 4. Joan. 12. & ex omnibus 1. id. 22. & 23. 650. Ex quibus solum superest, ut proprietas Verbum Sacrorum comprobetur, quod adeò clarum est, ut satis convincatur per frequentissimam repetitionem hujus Divini Sacerdotii in Sacris litteris repertam sine aliqua restrictione, diminutione, aut aliquo alio addito, ex quo ansam possent hæretici formare, ut etiam contra Christi Sacerdotium non insurgant, illius æternitatem deturpent, & aboleant, ut quondam de Lut. & Calvin. scriptum legitur; siquidem ex iis clarè, & expressissimè constat hujusmodi Sacerdotii veritas, sicut æternitas in permanentia, ut idem Paul. ad Heb. 7. *Jesus autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habeat Sacerdotium. Ubi non solum affert Sacerdotium Christi Domini, verum & probat suam æternam permanentiam à priori. Nam ex sui æterna & immutabili duratione rectè concludit, Sacerdotem futurum in æternum; ab esse Christi, & ejus constitutione, &c. bene inferitur Sacerdotii æternitas probatur.***

651. Relinquitur ut certum, Christum esse verè, & proprie Sacerdotem, & solum, qui penetravit Calos, & superest, ut speculemur modo possibili, quæ sit dignitas sui Sacerdotii, permanentia, officium, & potestas? De primo antea Arist. in lib. Polit. docuerat, tranquillitatem Reipublicæ stabiliri, & firmari per sui Sacerdotis Dignitatem. Est ergo Sacerdos juxta Græcam Ethimologiam idem ac Sacra dans; vel ut apud Scriptores aliquos Ecclesiasticos, à Sacra Dote dictus, quam primitus Aaron à Deo pro-

stirpe acceperat, à qua Sacerdotes sumebantur; ideoque Dominus ei præceperat, nequidquam possideret; ait enim: *Ego pars, & hereditas tua in medio filiorum Israel.* Num. 18. Sub hac utraque consideratione vocatur Sacerdos *Angelus*, quatenus ut Nuntius Coelestis à Deo instituitur, ut doctrinam, & legem Populis annuntiet. Insignitur etiam appellatione filii Dei, juxta illud Ps. 28. *Offerte Domino filii Dei, &c.* propter rationem, quam Basil. in istum locum offert, videlicet, propter dignitatem Sacerdotii si in Dei Unigeniti acceptam ex ordine, & mandato æterni Patris sui.

652. Ideoque ut consequenter ad dicta loquamur, ab his duobus investigari debet Christi Sacerdotalis dignitas; & a sacra dante, vel à Sacra dote, aut donatione accepta; utrumque in Persona hujus Supremi & Altissimi Sacerdotis in idem realiter, & verè coincidit; dedit se, & corpus, & animam; Joan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam, &c. Corpus meum dedi percurientibus.* Isai. 50. dedit, & nobis suam Divinitatem, & totum se dedit: Et Paul. ad Galat. 2. *Tradidit semetipsum pro nobis &c.* quid enim Sacratius istis Deificis donationibus? Est præterea dos sacra, qua à Deo Patre unitus, constitutus, & consecratus est Sacerdos, & Pontifex sua ipsissima natura Divina, qua illi substantialiter coequalis est: Uadè præminens hoc Christi Sacerdotium Divinum est, tum ex Sacris datis, tum etiam à dote Sacra; dicente eodem: *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, &c.* Joan. 10.

653. Ex qua prima excellentia Sacerdotii Christi tuboritur difficultas; & est eadem cum pluribus, de quibus supra, & fortè infra offeruntur: Num enim Christus Dominus Sacerdos sit, & dicatur, ut Deus est, vel quatenus homo? Et hæc est ratio dubitandi: Christus, ut Deus, est idem cum Patre, æqualis in natura, dignitate, &c. ac creator totius Sacrificii: Ergo ut Deus non erit Sacerdos, qui offerat dona, & sacrificia pro peccatis, & qui condolare possit iis, qui ignorant, & errant; nam hoc dicitur ad Deum obsequium, & alia quæ à Deitate degenerant. Nec ut homo; nam si Sacerdos dicitur à

lacrâ dante, vel à sacra accepta dote; totum hoc Divinum est; & quod à Deo acceperat, & quod nobis donasset; totum nobis contulit ad salutem. Dicamus ad hoc concisis terminis; quod Christus Deus, & Dei filius factus, & constitutus est Sacerdos in æternum, ut per humanitatem suo Patri oblatam in Ara Crucis suam Sacerdotium exerceret; & utrumque simul coadunaret, & quod idem Deus esset, qui offerat in assumpta humanitate, idem Deus oblatum in eadem natura mortali, ac denique Deus ipse in sua propria Divinitate trinè Personata subsistens, cui obsequium præberetur. Dicidem, quod superius quæ præcedenti dicebamus de potentia Christi.

654. Permanet Sacerdotium Christi, & in finem usque mundi permanebit, & usque in æternum durans unum erit; sic enim colligitur ex verbis Paul. ad Heb. de quibus supra. *Sempiternum habet Sacerdotium: semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Nec dicas, quod esse æternum, & sempiternum in sacris litteris frequentissime habemus acceptum non pro infinitate, sed pro longissima, & dilata duratione, de quo leguntur plurima loca; & ulterius contra hoc æternum Christi Sacerdotium potest fieri non levis argumentatio, & est ita: Christi Sacerdotium est tale, quatenus mediator est inter Deum, & homines, pro ipsisque sacrificium offert pro delictis, & peccatis suis; sed hoc cessare debet cum omnia completa sint, & consummata, & quisque hominum suum promeritum statum accepisset, vel præmii, vel pænæ: Ergo non est cur concipiamus taliter durari Christi Sacerdotium.

655. Parum urget argumentum; certum quidem est; ita æternitatem in sacris litteris veteris testamenti usurpari, sed non ita in novo, & specialiter in casu nostro, ut expressè ibi notatur: *Jesus eo, quod maneat in æternum: Semper vivens, &c.* sed Jesus in æternum, & infinite vivet: Ergo sic erit sui Sacerdotii permanentia: Nec ratio est alicujus momenti nam de peccatis Angelorum, nec de eorum substantiali præmio Christus Sacerdos fuit mediator; & tamen respectu illorum adhuc suam exercuit Sacerdotium, &

& pro illis aliquid mereretur per continuas illustrationes, & frequentes revelationes, & illuminationes: Ergo sic debemus, & fortè melius, discurrere de hominibus beatis, & completè in termino existentibus, pro quibus in tota æternitate semper vivit ad interpellandum pro eis in repetitis, & continuis accidentalibus donis gloriæ citò transeuntibus, sicut sunt, quæ animæ piæ quandoque in via communicantur.

656. Sacerdotis officium, est Deo offerre sacrificia pro Populo, & mediare inter illum, & homines; unde Christus Dominus, qui primus, summus, & fons totius Sacerdotii est, cujus figura extiterat Aaronicum, cum non habuisset necessitatem prius pro suis delictis hostias offerre; principaliter eas obtulit pro populo, vel pro omnibus hominibus, ad quod à Deo constitutus fuerat, ut dicitur in Conc. Ephes. scilicet existens medius inter Deum, & homines, possent hi ad illum accedere, ut ad Heb. 7. *Accedentes per se metipsum ad Deum.* Fuit enim simul hostia, & Sacerdos, victima, & sacrificium; quod licet non a suis manibus perfecisset, sicut olim Sacerdotes, se libenter obtulit Deo Patri, & quia voluit, oblatum est, ut verè diceretur sui ipsius sacrificium, complens in se, quod dicturus erat Paul. *Obsecro, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Deo placentem, &c.* Ad Rom. 12. Et ut omnia in commodum hominum perficeret, duplici medio idem sacrificium instituit; & cruentum in vera sui sanguinis effusione, & incruentum in Missæ solemnibus peragendo. Ut adimpleret, quod David prædixerat: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Pl. 109.

657. Ut ea, quæ de incruento sacrificio Corporis Christi Domini sunt, aliquid dicamus, sciendum est, quod Christus Dominus obduo prædicatur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; primum, & principaliter est, ob præstantiam hujus Sacerdotii supra Aaronicum, & Leviticum, & ut detur intelligi, quantum istud Aaronicum deficiat à vera Christi figura; ideoque dicitur secundum ordinem Melchisedech; qui secundum declarationem Paul. in Patre, & Matre introducit; & tamquam filius Dei re-

putatur, ut ex eo discamus Christi Sacerdotium fuisse verum filii Dei, & propriissimum. Fuit præterea Melchisedech Sacerdos Dei summi, qui benedicens Abraham revertenti à cadè regum Amhorreorum obtulit panem, & vinum, sub quibus speciebus Christus Dominus in vitæ Carne, quando transitorius erat ad Patrem obtulit, & mitticè mactavit suum Corpus & sanguinem illum ipsum, quæ in Cruce effundendus erat in remissionem peccatorum.

QUÆSTIO XXXVI.

Utrum Christus Dominus reassumpserit totum sanguinem, quem effuderat in sua passione?

658. **N**ON præter eundam judicavi quæstionem, & difficultatem, quæ à D. R. assertur expressa

hic, quæ sic etiam D. R. est: Et ecce tota ratio dubitandi: Venerationi fidelium in aliquibus Ecclesiis exponitur ampulla cum sanguine Christi, qui ut talis adoratur certè in Brugis; sed in his Ecclesiis esset error, si totus sanguis, quem Christus effuderat, esset reassumptus in sua resurrectione: Ergo aliquam ipsius partem reliquit in terris. Ab opposito habemus in Sacrificio incruento, & jugi, in quo idem sanguis offertur; quod secundum Evangelitas totus sit ille, & idem, qui effusus est, & effundetur in remissionem peccatorum; sed ad veritatem hujus enuntiationis requiritur existentia hujus sanguinis in principali offerente, & consecrante, qui est Christus: Ergo nisi totus esset reassumptus nunc, non haberent verificativum præfata verba consecrationis.

659. Ad hujus resolutionem supponenda sunt aliqua, quæ in hoc, dist. 21. ubi præsens dubium pertractat, expressè at-

affert; D. D. Et sic primum: Quod quidquid pertinet ad veritatem naturæ humanæ in Christi resurrectione assumpsit, & rediit reparatum ad ipsam naturam humanam verificandam. Sic Damasc. lib. 3. cap. ult. ait. *Resurrectio est ejus, quod cecidit secunda resurrectio; sed cecidit totum, quod pertinuit ad veritatem naturæ humanæ in morte Christi Domini: Ergo totum hoc resurrexit.* Ex quo deducit R. secundum, quod præsupponendum erat, & est in hunc modum: Duplicitæ pertinet aliquid ad veritatem naturæ, primo, quoad substantiam suam eam essentialiter integrans; alio modo sine quo natura esse non potest durare, permanere, &c. De primo ordine sunt in homine caro, os, & solida ea, quibus integratur corpus humanum; & ex his sit caput, Hepar, Pectus, cor, &c. Secundi sunt humores, & fluida ea, inter quæ principalem locum obtinet sanguis; & de his aliqui sunt de veritate naturæ, quatenus deserviunt ad melius, & perfectius permanere, alii, quia superfluent, quandoque non pertinent secundum illas partes superfluas ad veritatem naturæ; ideoque emittantur extra corpus, vel arte naturæ ipsius, vel medicina.

660. Supponamus etiam secundum doctrinas ejusdem Damasc. Lib. 3. cap. 2. adhuc verba: *Constituuntur, quod non omnes naturales, & indetractabiles passiones assumpsit: totum enim hominem, & omnia, quæ in homine sunt, assumpsit, præter peccatum.* Ex quibus inferimus, quod in natura humana Christi Domini nihil inordinatum, nil superfluum, aut putridum inveniri potuit, & sub nullo sui statu decuit; horum ratio est; quod ea natura fuit optimè disposita, & ex purissima sanguine B. V. Mariæ Spiritus Sancti ope ejus corpus formatum, & compactum, ideoque benè fabricatum, & complexionatum. Nunc doctrina data Damasc. sed non ita esse, inferit impotentiam in natura, non modo ad id, quod præter naturam est, & ipsius naturæ peccatum, vel forte descendens, & originatum ab alio peccato morali, quo tota massa ejusdem naturæ infecta fuerat; cum nihil horum, vel impotentia naturæ, vel aliquid præter naturam, nec peccatum naturæ in Christo

Domino deceat, aut valeat esse; undè etiam nec superfluitas in humoribus, & maximè in sanguine, in quo secundum phyticos est vita naturæ, ullomodo decere potest.

661. Proprius ad propositi intentum accedendo, poterit esse una sententia, quod sanguis ille concretus, & servatus, expositusque fidelium patriæ cultui poterit esse ex parte illius, qui effusus est à Domino in horto. de quo Luc. 22. *Et factus est sudor ejus tanquam gutta sanguinis decurrens;* hic enim sanguineus sudor, quod non sit propriè sanguis, sed humor quidam aqueus, qui ex agitatione naturæ rubescit, & sanguinis similitudinem habet, est aliquorum opinio, & de isto posset facilius asseri, esse illum, quod Brugis, & alibi colitur. Sed quidquid de hoc sit, non enervatur vis difficultatis per talem sudorem, sit, vel non, verè, & propriè sanguis: Nam vel superfluit, vel non, in corpore Christi Domini, primum non potest esse propter dicta, secundum verò est, quod quærimus; quomodo enim in Resurrectione sua non reassumpsisset Dominus omnia, quæ sunt de veritate suæ naturæ, qualia sunt humores, qui deserviunt ad benè esse ipsius naturæ?

662. Ad quod dicerent hujus opinionis Patroni: Quod sudor potest oriri ex duplici phytico principio; uno modo propter superabundantiam humorum, & ex eorum conceptione, & hoc modo certissimum est, non fuisse sudorem illum Christi Domini; alio modo propter laborem, aut passionem, & talis potest contingere in natura benè disposita, & bono regimine utente, ut profecquitur Damasc. ibi: *Putafames, sitis, dolor, somnus, lachryma, corruptio, resurrectio, mortis timor, agonia, ex qua sudor, vel gutta sanguinis.* Ecce sudor (inquit R. ibi) ille ex timore, & agonia processit: Et ideo fuit verè in Christo absque hoc, quod in Christo esset aliquis humor non pertinens ad perfectionem naturæ. Benè: Ergo hic sudor pertinet de facto ad perfectionem naturæ humanæ Christi Domini: Ergo vel non est, quæ in Ecclesiis colitur, vel Christus non reassumpsit omnia, quæ ad veritatem naturæ humanæ conducunt.

Re;

Redit difficultas, ad quam duplici problemate conclusionem solvendam censei pe doctrinas R.

663. Conclusio prima: Potest probabiliter sustineri, quod sanguis ille aservatus, expositusque fidelium venerationi, non sit identicus cum sanguine naturæ humanæ, sed alius similis, de quo legitur, quod quondam fluxisset ex imagine Crucifixi per motum cuiusdam humoris, vel sudoris ope divina rubescentis; vel quod à Deo esset ibi noviter creatus ob fines suæ sapientiæ reservatos, hac unica congruentia probari potest; tum, quia propter adorationem Patriæ nullum apparet inconveniens; cum ita adoretur, sicut Crucifixi Imago Christi in contumeliam, percussa adoratur; tum, quia in quodam loco Judæorum ita accidisse scribitur de hostia consecrata ab eis similiter verberata, & calcata, de qua piè creditur, quod sanguis ille ab eadem, ut fertur, fluens esset à Deo noviter creatus intellimonium Sanctissimi Synapsis. Denique per istum modum consultur piæ fidelium venerationi, phyticorum littemati quoad humorum necessitatem, & Theologica communi sententiæ de reassumptione omnium, quæ de veritate humanæ naturæ sunt in Christi gloriosa resurrectione.

664. Conclusio: Satis probabile apparet, quod Christus reliquisset in terra aliquam partem sui effusi sanguinis in passione, venerationi fidelium exponendis. Est R. probaturque ipsius doctrina: Non fuit necessarium, quod totus sanguis, quem Christus in sua passione amisisset, iterum recuperaret: Ergo valde congruit, quod partem dimitteret interris, ut fidelibus esset venerationi. Antecedens: Non ad veram sui corporis resurrectionem, & dispositionem requiritur, præterea nec ad veritatem naturæ: Ergo nullo modo fuit necessaria totius effusi sanguinis reassumptio. Antecedens probatur: Ad corporis constitutionem solum sanguis desideratur, quo posset vivere, & permanere; sed illud sanctissimum Corpus verè permanet in passione vivus post multum effusum sanguinem: Ergo sic posset adhuc existere. Præterea ad intentum aliud probatur. Licet totus

sanguis desideretur ad veritatem naturæ, non tamen totaliter, & extensivè: Ergo salva ea necessaria quantitate advitam, alia residua posset esse in terra; quod valde congruum videtur; & maximè si concedamus, & teneamus, quod habuisset in corpore aliquam portionem sanguinis præter illum, qui necessarius fuisset virtuti extensiva naturæ, quæ devotioni fidelium, & miraculorum operationi dimitteret in terrâ post Resurrectionem: Ergo. Per quæ manet solutum argumentum, & concordatum, quod Christus reassumpsit totum sanguinem, qui intensivè pertinet ad perfectionem, & veritatem suæ humanitatis, dimissa parte in terra miraculis exposita; quin esset pars superfluens, sed naturaliter, extensivè tamen, eidem corpori congenita.

QUÆSTIO XXXVII.

De Oratione Christi Domini?

665. **I**nter prima Sacerdotis officia, & munera, unum numeratur oratio, quæ ipsi incumbit, quatenus mediator, & intercessor est inter Deum, & hominem: Sic Levitic. 5. *Oravit pro ea Sacerdos: & Daniel. 9. cum orarem, & confiterer peccata mea; & peccata populi mei.* Tobia dixit Angelus se obtulisse orationem suam; 12. Et quod magis est Sacerdos Summus Onias diu mortuus apparuit Judæ Machabæo orans pro Populo. 2. Machab. cap. ult. Jeremias oravit similiter, de quo idem Onias dixit: *Hic est, qui assidue orat pro Populo, &c.* Insuper, & Angeli orant pro hominibus, qui solent quandoque vicem gerere mediatorum, sic Zachar. 1. de Angelo quodam dicit sic orasse: *Domino usquequo tu non miseraberis Judæ, & Hierusalem.* Christus autem magni Consilii Angelus, Sacerdosque Summus; & in æternum à Deo

Or;

ordinatus mediator inter ipsum, & homines, sic orasse, legitur pluribus, & repetitis locis; tunc Joan. 17. *Ego autem pro eis rogo, &c.* & ad Petrum Luc. 22. *Rogavi pro te.* Matth. 27. *Factus in agonia prolixius orabat.* Multoties hoc idem habetur expressum in Paul. ad Rom. 8. ad Heb. 7. & 9. alibi.

666. Qua infallibili veritate supposita incipit Theologus disquirere; si hæc oratio, quæ de Christo Summo Sacerdote dicitur, sit propriè, & verè oratio? Qualiter eam exercuerit? An ut Deus, vel quatenus homo est? Ac denique cum idem Christus manens in æternum sempiternum habeat Sacerdotium, sic & sua exerceat munera, & officia, & maxime orationis, adhuc in Cælo, & per totam æternitatem? Ad quorum intelligentiam, ut appareat motivum, & ratio dubiandi, brevibus explicabimus, quid sit oratio in ejus generali acceptione? Relicta ergo sua grammaticali expositione, qua non multum distat ab eis, de quibus nunc: Est oratio secundum Basil. homil. 5. *Boni alicujus petitio ad Deum à piis facta.* Aliter suus consanguineus Nizenus orat. 1. sentit. *Quod sit sermocinatio & conversatio cum Deo.* Denique Paul. 4. ad Philip. inquit: *Cum gratiarum actione, oratione, & obsecratione, petitiones vestrae innotescant apud Deum.* Si enim oratio est supplicatio, petitio, deprecatio, & hoc superiori ab inferiori ordinatum; quomodo stabit oratio in Persona Divina Christi ad Patrem, cui per omnia cœqualis est? Pro his enodandis tres stabiliam conclusiones.

667. Conclusio prima: Christus verè & propriè oravit: Est communis inter Theologos, de ea nil vidi in N. R. primòque probari potest ex verbis ipsis Saceris, & textibus citatis; & pluribus frequentissimis, ubi de hoc Domino, & mediatore prædicatur, & dicitur, pro nobis orasse: Et hæc verba cum omni proprietate debent accipi, tum quia frequentissima sunt; tum propter sensum Aug. quod de promptum videtur à non aliter ff. de legatis 3. *Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem.* Cum concordant. Hic est sensus August. docentis, quod

verba sacra, ut significant, & sonant, interpretanda sunt, si aliter non appareat inconueniens; quod certè non videtur in casu orationis Christi Domini; cum tam asseveranter multoties in sacris litteris, immò ex ore ipsius Domini habetur: Ergo verè, & propriè oravit, sicut fuit verus Sacerdos, mediator, & simul omnium reparator.

668. Conclusio secunda: Christus Dominus, ut homo, vel ratione assumpta humanitatis pro hominibus oravit. Est etiam communis, ante cujus probationem reiteranda venit doctrina N. Lamb. quam affert q. 33. hujus tract. in eoque supra de ea aliquam fecimus mentionem. Aitenim ibi §. 2. quod loquendo signatè de hoc mirabili mysterio, ac de unione hypostatica hominis ad Deum, non solam Divinæ personæ Incarnatæ ad Deum habet locum contractus, de quo supra diximus; sed ulterius oratio petitiua potest cadere in Verbum Divinum ad Deum ordinata ab æterno pro hominibus, quorum fuerat constitutus mediator. Sententiam suam hanc stabilit in eo, quod Verbum Divinum potuit orasse adhuc in sinu Patris, & antequam carnem assumeret, non nomine suo, sed suæ assumendæ humanitatis, ut Caput illius, & Tutor, seu Curator; & est ratio, quam habet ibi ex P. Lessio de Justitia, & jure lib. 2. cap. 18. dicente: *Qui aliorum curam gerunt ut Tutor pro pupillo, curator pro furioso item Princeps pro subdito, &c.* Hi etenim possunt nomine illorum contractus in ire, postulare, &c. cumque Verbum Divinum sit constitutum Tutor humanitatis suæ & præterea subdita illi sit tamquam suo Principi, potest nomine ipsius Deum orare, deprecari, postulare, &c. Doctrinis S. Pazzi, & Venerab. Mariæ à Jesu de Agreda, particulariter eisdem revelatis, corroborat assumptum, sed quia de hoc supra ab eo, supersedimus nunc; & ad communem sensum accedendo.

669. Probamus conclusionem, primo: Christus, ut homo, complevit, quæ propria hominis sunt, quæ licet à Deo essent, non tamen, ut Deus est, vel ratione Divinitati sunt; sic Deus homo factus, conceptus, natus, passus, mortuus;

tuus, & sepultus dicitur; sed hæc illi non conveniunt ratione Divinæ naturæ; sed immo mediatus ratione humanitatis, dicente Aug. super Ps. 63. *Accedet homo ad cor altum: Non enim teneretur nisi homo, aut videtur nisi homo, aut caderetur nisi homo; aut moreretur nisi homo, &c. sed si ille non esset homo, non liberaretur homo: Ergo nisi homo esset, non oraret pro homine: Ergo ea, quæ erant propriè hominis, ut homo fecit, & ratione humanæ naturæ fecit; sed hominis, & non Dei, est orare: Ergo istud Christo, ut homini, competit.*

670. Conclusio tertia: Christus Dominus verè oravit in terris, & in Cælo continuat orationem suam pro hominibus hic degentibus; & in æternum duratura erit ejusdem oratio. Quoad primam partem satis probata relinquatur conclusio; nuncque quoad secundam ejus partem probatur; primo ex illo Joan. 14. ubi habetur Christum rogatum Patrem pro Discipulis suis; cum ad ipsum transiret, si mandata ejus observarent: *si diligitis me mandata mea, servate, & ego rogabo Patrem Joann. 14.* Ergo Christus pro mansens ad Patrem promissit suis postea eis orare. Idem rurè convincitur ex aliis Paul. textibus, ut ad Rom. 8. ad Heb. 7. & insuper 1. Joan. 2. in quorum expositione, & specialiter super ad Rom. 8. ait Ambros. *Christus resurgens; causam nostram agit apud Patrem: Ergo non modo objektivè, scilicet, per exhibitionem, & veluti præsentationem suæ humanitatis rubricis precantibus ordinatæ, sed etiam subjektivè activè interpellando; rogando; & orando, ut dicitur per Iy: Agit apud Patrem.*

671. Tertia pars conclusionis, in qua asseritur, quod hæc Christi oratio in æternum duratura sit, probatur per illud idem; per quod declaratur; quomodo Christi Sacerdotium in æternum manet, ut detur intelligi sensus Paul. supra relati: *Jesus eo quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium, &c.* Si ergo principaliter est Sacerdoti pro suis orare; & deprecari, sic manebit oratio Christi, quantum daret Sacerdotium ejus; sed hoc erit æternum: Ergo similiter in æternum pro nobis orabit Dominus; immò &

pro Angelis, quorum etiam caput fuit constitutus. Probatur assumptum per idem ac de Sacerdotio dicebamus: Nam Angeli, & homines beati per totam æternitatem dicantur perpetuis, & successivis illustrationibus, & revelationibus, veluti fomenta quædam suæ accidentalibus gloriæ, & perennitatis: Ergo pro his Christus dirigeret ad Patrem suam orationem, sicut & sacrificium.

672. Objicies contra primam conclusionem: Verba Sacra, quæ de Christi oratione ad Patrem, loquantur, in minus propria acceptione accipi debent, & possunt: Ergo hæc oratio de Christo non dicitur cum proprietate. Antecedens probatur: Oratio ex sua quiditate est inferioris ad superiorem, supponit genus quoddam indigentiae, & dependentiae; sed nullum horum de Christo dicitur cum proprietate; quia superiorem non habet, nec aliquo indiget, nec ita dependet à principio quodpiam; quapropter in publicis Ecclesiæ præcibus; nec adhuc in officio Canonico, aut privatis litanis dicitur: *Christe ora pro nobis;* sed hujus locutionis aliter sic oramus: *Christe miserere nobis.* Respondetur ad objectionem: Quod Christum oramus, ut Deum; & ut hominem, ad hoc ut nobis, ut Deus, remittat debitam; & quatenus homo, impetret, & mereatur nobis gratiam, & veniam; cumque principaliter sit in Christo Domino, quod pertinet ad ejus Divinitatem, ideo Ecclesia orat ut miseretur nostri, quin obliviscatur suæ interpellationis, & mediationis: non utitur illis vocibus, quæ sonant indigentiam; & inferioritatem, ne daretur scandalum occasio; iis specialiter, qui inter Deum, & hominem nesciunt in Christo distinguere.

673. Objicies etiam contra secundam conclusionem: Non est inconueniens, quod Divinum Verbum, sicut ab æterno dicit respectum quemdam notionalem, & proprium suæ personæ assumptivæ, ut talis, ad naturam humanam ad se sumendam, vltimus peculiari respectus alteri incommunicabilis, Patrem oraret, abique eo; quod ea oratio esset communis toti Trinitati; & aliunde; cum illa oratio directè sit ad Deum facta pro hominibus

in natura aſſumpta redimendis, non diceret in Verbo eam imperfectionem inferioritatis, & indigentia: Ergo non apparet repugnantia, cur repugnet oratio Chriſti Domini ad Patrem, ut Verbum eſt; ſed ut Verbum eſt Deus; nam Deus erat Verbum; Joan. 1. Ergo. Antecedens probatur: Nam hujus oratio Verbi in ſua natura aſſumpta, & aſſumenda, non eſt concipienda ut nomine ipſius fundenda ad Deum, ſed humanitatis nomine, de quo ſupra in hac q. atqui hoc modo orare non dicit inferioritatem, nec indigentiam in deprecante; cum nomine alterius, & pro aliis roget: Ergo. Minor patet: Nam deprecans nomine alterius declarat ſolum indigentem eum, pro quo, & cujus nomine orat: Ergo non apparet hujusmodi indigentia, & dependentia, ſive inferioritas in tali modo orante, & deprecante.

674. Hoc argumentum propoſuimus, potius ut pia mens N. V. Lumb. declararetur, quam propter ejus urgentiam ad aſſumptum; & ad illud dicimus, & ad ejus rationes (quas in ſua probabilitate reliquimus) quod in primis, Divinum Verbum ſolum nomine tenus poſſet dici Tutor, & Curator humanitatis, ad ſummum ſolum caput illius proprie eſt, quia Deus eſt, & homo ideoque quoad hoc non ſubragatur vis totius fundamenti; ratio eſt: Quia Verbum Divinum eſt eſſe, & ſubſiſtere humanitatis, & pertinet ad intrinſecam illius perſonationem; quomodo illius curam gereret, tamquam tutor, & curator? Nec minus illius nomine peculiariter orare poterit, nam oratio eſt actus intellectus, qui in filio notionaliter ſolum concipitur, quatenus eſt expreſſio paſſiva Paterni intellectus proprie ſubſtantia communicativi; alio tamen modo acceptus erit toti Trinitati communis; & ita erit oratio illa, communis, & non particulatis ſecundæ perſonæ, & notionalis, quod erat intentum; tuncque dicenda foret oratio Dei ad Deum impoſſibilis, fruſtranea, ut ex terminis conſtat; ſequereturque eſſe, & non eſſe inferioris ad ſuperiorem, indigentis, & non indigentis; ſiquidem, quia Dei eſſet, nec inferioris, nec dependentis denominaretur; et & non eſſet; quia

ad Deum eſſet ordinata per Deum ipſum ut videtur in illo. Joann. 1. Deus erat Verbum.

675. Denique obijciunt contra ultimam conclusionem: Chriſtus Dominus per totam æternitatem habet omnia præſentiſſima; quia de futuris cognoscit omnia, quæ ipſum Verbum, ſuo tantum, & finito modo: Ergo ad nullius futuri exiſtentiam, etiam ad novas illas illuſtrationes, poſſet ſua oratio dirigi, ſiquidem nullus prudenter orat, & deprecatur pro iſtis donis, & beneficiis, quæ facta, & poſſeſſa cognoscit. Ad hoc reſpondent aliqui diſtinguendo orationem in petitivam, & annuitivam; licet enim, inquirunt, Chriſtus primam orationem non exerceat per totam æternitatem, propter rationem argumenti, habet tamen aliam, quæ nimirum conſiſtit in annuentia quadam, & veluti complacencia de talibus collatis divinis revelationibus.

676. Alia aptiori via reſponderi poſſeſt, & eſt conformior DD. & ſpecialiter eorum, qui tenent, Chriſtum Dominum videre in verbo, adhuc in carne paſſibili futura omnia, quæ cumque ſint; & eſt in hunc modum: Futura ergo, idem dic reſpectu divini intellectus, & ſunt præſentia objective, & realiter, & in ſe, ac ſua propria meſſura futura; Chriſtus enim oravit, & orat, & orabit, ut futura, quæ nondum ſunt præſentia realiter, & in propria duratione, perveniant ad eam diſtinctionem proprie durationis, in qua exiſtunt; quatenus vi hujus orationis ad eum ſtatim perventura forent, ſi pro eis Dominus oraret; ex quibus bene componitur, & ſtare poſſeſt, quod ea præſentia intentionaliter habeat, quod pro eorum exiſtentia orat: Ad modum quo; ſi Deus cuius ſuam revelaret viſionem ſui futuram, eam objective præſentem haberet, & adhuc teneretur pro ea finaliter decernere, uſque dum præſenti ſua propria meſſura ea potiatur.

QUÆSTIO

QUÆSTIO XXXVIII.

Quid ſentiendum ſit de ſervitute Chriſti Domini?

677. O Caſione ab aliquibus locis Sacris utriuſque teſtamenti accepta, ubi de Chriſto Domino prædicitur, & enuntiatum eſſe filium, & ſervum Dei; ut in Pf. 115. O Domine, quia ſervus tuus, ego ſervus, & ſi ſuis ancillatus: Et Pf. 39. ad illum verſum; Aures autem perfecisti. Ubi Paul. 10. ad Heb. connectens illa verba cum ſequentibus: Corpus autem adaptasti mihi: Concludit ſecundum quandam lectionem ex 70. Me tuum ſervum effeciſti; & hoc expreſſius habetur in Novo Teſtamento pluries; ut Paul. ad Galat. 4. Quanto tempore hæres parvulus eſt nihil differt a ſervo, cum ſit Dominus omnium; & ad Philip. 2. Humiliavit ſemetipſum Dominus Jeſus Chriſtus: formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus. Ex his ergo oritur difficultas; num ſervitus de Chriſto dicatur, ut homo eſt, ſicut de illo dicitur eſſe ſpretum, ludibrio expoſitum, a lapſu caſum, &c. an non? Et ad modum quo ipſi Domino negamus eſſe filium Dei adoptivum, quatenus adoptio non bene cohæret cum Divini Verbi perſona, a Chriſto inſeparabilis, ſic de ſervitute ſentiamus.

678. Semper etenim obſervare debemus quantum fas ſit, proprietate Verbi Sacri in Theologicis deſiſſionibus, ne exponantur illuſioni hæreticorum noſtra dogmata blphemantium, & maxime cum in ſupra dictis reſolutionibus totum noſtrum fundamentum a proprietate literæ accepimus. Pro quo ſupponimus, quod proprietates hujusmodi poſſeſt in locis ſacris concipi immediate, & in ſe; & præterea mediate, & in alio per rem expreſſam ſignificato: Plura circa hoc exempla habemus, ſed hoc unum ſufficiet

ex illo Joan. 15. Ego ſum vitis vera, hoc eſt, ego ſum vitis proprie, & in rigore ſermonis; ſic de ſe dicit Chriſtus Dominus: Et quid ergo eſt vitis vera? Inquit Aug. ſuper Joan. tract. 80. dicitur ita vera, ſicut vera eſt illa vitis Chriſti per propriam; cæterum mediatam ſignificationem, ſicut dicitur: Agnus, Leo, Lapis Angularis, &c. Præterea voces, & termini habent quandoque duas ſignificationes ulteriores; una eſt famoſa, & hæc eſt vulgaris, & talis dicitur in prophaniſ; & in rebus ſacris habetur per uſum, & accommodationem Eccleſiæ; & aliata lis eſt in rei veritate; v. g. Lapis in rei veritate eſt corpus durum, & famoſe vulgariter pedum laſionem dicit. Perſona in rei veritate dicit ſubſtantiam ultimo exiſtentem; & juxta Eccleſiam uſum ſubſtantiam per ſe non dicit, ſed hujus incommunicabilitatem.

679. His præintellectis, ſi forte ad noſtrum inſtitutum deſervirent, neceſſe habemus ſcire, & ſupponere, quod ſi de ſervitute velimus loqui pro ſua vulgari, & famoſa acceptione, quatenus ſervus dicitur a ſerviando, & inſervientes ad hoc conducti communiter denominantur ſervi; in hac acceptione Chriſtus Dominus dicitur, & factis manifeſtavit ſuam veram ſervitutem, jam in lotione pedum Diſcipulorum, ut legitur Joan. 13. jam ex ore ipſiſ: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Matth. 20. Sin autem de ſtrictiori, & veluti rigoroſa ſervitute procedendum ſit; per prius, quid de ea in jure habeatur, declarabimus. Eſt ergo ſervitus in jure ſervitus. Inſtitut. de jure Perſonarum. Vivere, & eſſe ſub alterius dominio. Triplex eſt genus ſervorum; primi ſunt proprie tales; alii adſcripti, & tertii originarii; ſuntque tales horum ſervorum filii. Servi proprie tales adhuc ſunt in triplici diſtinctione; ut nativitate, captivitate, ac venditione; conſtat in jure citato. Quibus prælibatis, ſi

680. Concluſio prima: ſervitus ſecundum juris rigorem nequit de Chriſto Domino dici; verbaque ſacra, quæ de hoc Domino ſervitutem prædicant, & enuntiant alio ſenſu latiori, & minori trahenda ſunt: Concluſio eſt communis

inter DD. qui præsentem exagitarunt quæstionem; probaturque unica ista ratione: Servitus sicut & libertas sunt affectiones personarum secundum dispositionem juris, in quo, ubi tractatur de jure Personarum, per liberum, & servum dividitur: igitur libertas, & servitus sumptæ secundum rigorem juris sunt affectiones personarum. Nunc sic: Sed Christi Domini persona adhuc in humanitate subsistens subire non potest denominationem juridicæ servitutis; siquidem hæc dicit totius domini negationem per nativitatem, aut captivitatem habitam; & quod non est minoris notæ, contra pondus, & inclinationem ipsius naturæ: Ergo hæc servitus, sicut adoptiva filiatio personæ Christi Domini adaptari nequit, adhuc in sua natura assumpta.

681. Conclusio secunda: Sub alia acceptione propria, etsi famosa, & mediata, potest Christus Dominus dici servus, vel haec propter homines subire denominationem. Nullum in hac reposito inveniri inconveniens, immò per eam concordantur textus supra positi cum rationibus in contrarium similiter allatis, omittisque aliorum placitis, & fundamentis, quæ parum, aut nil à nostro distant, probatur conclusio: De Christo dicitur esse nativitate servum, in quantum filius ancillæ prædicitur: *Et filius ancillæ tuæ: Ps. 115. Ecce ancilla Domini. Luc. 1. De eodem Domino, quod Judæis esset venditus triginta argenteis, ut Matth. 27. & alibi, ac quod esset constitutus sub dominio & potestate voluntatis eorum: Jesum vero tradidit voluntati eorum. Luc. 22. Ac denique ascendens in Cælum captivam duxit captivitatem; hoc est, eam captivitatem, quam secum in mundum pertulit, factus in similitudinem carnis peccati secum ad Cælum iterum detulit: Ergo sub his terminis, & acceptionibus potest Christus Dominus servus denominari, & si non rigore juris, famosè tamen, & in communi modo intelligendi scripturas sacras.*

682. Ad rationem dubitandi sufficienter per dicta satisfactum habemus, & ulterius addimus, quod textus ii solum loquantur de servitute Christi Domini ea communi, & in usu usurpata ratione, &

quatenus denotat ministerium alteri exhibendum, & ad hoc veluti mancipationem quandam ostendit, sub qua ratione servitus nec dedecet, nec repugnat Verbo Dei in natura assumpta, sicut de illo dicitur, quod factus fuisset pro nobis maledictum: Hæc ergo, quæ ita prædicantur, & dicuntur de aliquo secundum usum, & accommodationem gentium, non sunt taliter enuntiata metaphoricè, sed propriè, non proprietate rei veritatis, sed famosè, & mediatè in alio prius significato; & isto modo Christus est propriè servus factus, nihilque ab aliis servis differt, cum sit Dominus omnium, non verò secundum allegata juris supra.

QUÆSTIO XXXIX.

De Religione habita in Christo Domino, & erga ipsum habenda; ubi de ejus Matris Sanctissimæ, & de Sanctorum reliquiis, adorandis.

683.

Agimus nunc de Religione, quatenus quoad nostrum institutum idæ valet ac Adoratio Christi, de qua disputatur hic à D. Thom. in sua summa, & communiter; est enim adoratio actus proprius Religionis non modo elicitus, verum & formalis, & elicitivus, quod satis demonstrant, quæ de Religione dixerunt antiqui, & recentiores, Theologi, & Prophani. Prima Religionis acceptio fuit cultus Dei, & hoc evincunt prophana historia; & non est longè à divinis, ut Paul. ad Coloss. 2. vocatur Religio à religendo, vel religando; aut in quantum ea, quæ sunt ad Dei cultum pertinentia sapè debet esse animo revolvenda; vel quia Deum strin-

git,

git, & alligat ad nos benefaciendum. Aug. Lib. 10. de civitat. Dei. Isidor. Lib. 10. Ethimol. alii PP. unde ex pluribus sic concinnat Aug. lib. 8. de civitat. Dei quandam Religionis definitionem: *Est, quæ se anima unit Deo, unde se peccato separaverat, reconciliatione ligat.* Ab ipso denique vocatur Divina virtus ibi propter Dei cultum quæ secum adfert.

684. Religio generaliter æquivocè dicitur ad cultum veri, & falsi numinis, solumque in nomine conveniunt; immò cultus Dei alieni, vel de ordinatus potius dicitur esse idolatria, & superstitio, quam Religio; est ergo verè, & propriè Religio, quæ cultum, adorationem, oblationes, & sacrificia Deo vivo, & vero tribuit, & offert. Hæc communiter à Theologis, & casuistis describitur per esse habitum supernaturalem; non ex Theologalibus virtutibus, cum proximè, & in bonis intrinse is Deum pro objecto non habeat, sed reductivè eum attendat, mediatè, & quasi in suo cultu, qui illius bonum extrinsecum est, splendens. Dicitur habitus, virtus, vel actus supernaturalis vera Religio, & aliter non esset vera, quatenus necessario supponitur ad proprium Dei cultum vera confessio in Deum Patrem omnipotentem, filiumque ejus unigenitum, & Spiritum Sanctum vivificantem; quod per hoc convincitur: Nam Religio immaculata Deum verum colit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ad minus implicite; sed cultus supernus est, & dicitur ille quatenus dirigitur, & ordinatur per fidem supernaturalem, & sine ea non daretur: Ergo optimè ipsi tribuitur sua supernaturalitas pro modo Divini consortii, & participationis Dei eidem competentis.

685. De virtute Religionis loqui possumus, prout est talis in Christo respectu Dei, & præterea de eadem, quæ in nobis debet esse in ordine ad Christum: De primo non est cur immoremur, cum juxta superius dicta Christo Domino tribuamus, & in eo concipiamus actus primarios, & proprios Religionis, ut sunt, Adoratio, Sacrificium, Oratio, Sacerdotium, &c. sed aliunde virtus Religionis non dicitur in sua quidditate aliquid

imperfectiōnis, quod Christo Domino non deceat, aut incongruat: Ergo actus illi sunt vera Religionis, & hæc cum aliis virtutibus decorant compositum illud. Superest, ut de Religione nostri ad Christum aliquid dicatur juxta assumpti necessitatem, quod ut fiat clarius, dividamus cultum, & adorationem, qui sunt actus formales Religionis in Patriam, Duliam, & Hiperduliam, de qua divisione frequentissimè, & communi Theologorum assensu. Nomina enim, & voces hujusmodi, quæ Græca sunt, significant Dei adorationem, suæ Sanctissimæ Genitricis, & aliorum Sanctorum cultum.

686. Jam ex his insurgunt difficultates solvenda: utrum Christus Dominus adorandus sit adoratione Patriæ? An eadem adoratione sua humanitas, Crux, & reliquiæ spinarum, clavorum, ac suorum vestium? Si ad hanc adorationem pertingat sua Dei Genitrix, & mater propter respectum realem maternitatis, quam ad ipsum Dominum Jesum dicit? Incidenterque ad hæc adjiciemus quædam alia, quæ ad cultum Sanctorum, & suarum reliquiarum pertinent; & per hoc distributa maneret illa triplex species adorationis supraposita: Præter hæc suum locum in præsentem habent; quatenus DD. prædecessores nostri illam communiter delegerunt: Plura ab aliquibus circa hoc afferuntur, nos autem contenti erimus iis, quæ sufficienter ad eorum notitiam, quæ per varias conclusiones dabuntur.

687. Et per prius aliqua circa hoc scitu digna supponenda veniunt; ut ex iis facilius, quæ dicenda veniunt, capiantur: Pro quo adducimus in medium iterum triplicem illam adorationis acceptionem juxta ea, quæ ex Græcis fontibus ebibuntur, nimirum, Patriam, Hiperduliam, & Duliam, quæ licet in rei veritate juxta peritos in illo idiomate, idem significant, pro usu tamen, & accommodatione Ecclesiæ DD. tripartitam eam, & diversam constituent adorationem; in qua secundum ea, quæ conjunctio ex horum dictis triplex ea divisio unum analogum constituit, cujus principale analogatum est Patria, sive Dei adoratio, secundum illud, quod Dominus

minus Diabolo dixerat: *Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Matth. 14. De hac specialiter loquebatur idem Dominus conquisitus de adoratione Pharisæorum: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me:* Matth. 15. Veluti si docere velit, & nos instruere sui adorationem à nostricordis cultu, & humilitate oriri debere: Unde secundum hic notata, duo concludimus; unum, quod Latria, sive adoratio Dei est per se talis, reliquæ verò per analogiam ad istam.

688. Secundum, quod concluditur, est, quod adoratio in sua generali ratione est duplex, nimirum, intrinseca, & cordis, & exterior, sive operum; principaliter hæc residet in actu interioris intellectus, & voluntatis secundum suam cuiusque officia; alia, quæ est talis minus principaliter, consistit in externo corporis cultu: utraque cadit sub præceptum, sed quia affirmativum est, non obligat semper, & omni hora; sed admodum aliorum præceptorum ejusdem ordinis positivi: Constat assertum per essentiam, & quidditatem adorationis secundum suam analogum conceptum acceptam: Nam hæc apud Sanctos, & DD. est honor Deo exhibitus, humilis, obsequens, &c. propter sui excellentem præminentiam: igitur corde, & corpore debet perfici, quando, ubi, & quomodo oporteat. Constat ex variis locis sacris de utroque cultu, ut in superius datis, & aliis: ut: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris, &c.* Et: *In nomine Jesu omne genu flectatur:* Paul. ad Philip. 2. Et mille alii.

689. Conclusio prima: Christus Dominus adorandus est adoratione Latriæ. Est de fide secundum assensum DD. uno ore docentium, Latriæ adorationem utur pari pro cultu, honore, & obsequio Deo debitus, ipsique exhibitus. Sic habemus in textibus citatis, ubi modus profundissima adorationis Christo Jesu tribuendæ declarat. *In nomine Jesu omne genu flectatur:* Ad Philip. 2. confirmat ad aliud ejusdem Paul. *Flecto genua mea ad Deum, &c.* Ubi per externam corporis profundissimam, & intimam suamissionem exprimitur, talem esse debere cordis, & animæ: Omittimus alia loca, & concilia;

decisiones, & ista probari potest ratione: Deus adorandus est adoratione Latriæ; sed Christus est verè, & propriè Deus: Ergo Christus eadem Latriæ adoratione adorandus est. Major est certæ, & minor de fide, & ut Theologica conclusio legitime inferitur, & totum sistit in hoc; quod taliter Verbum Divinum factus est homo, ut non destiterit esse Deum.

690. Probatio præsens immediata est, & cogenter convincit, sed quia adhuc potest fieri instantia de eo, quod Christus Dominus Deus verus est, & etiam verus homo, & utrumque constituit unum Christum Jesum, qui nisi homo esset, nec angelus, nec Redemptor diceretur; ideo, etsi ut Deus, taliter adorandus sit; ut homo tamen, inferiorem petit honorem, & cultum; unde instantia præfata respondemus. Quod Christus Dominus ut quoddam totum est, & indistinctum à suis partibus simul, & collectivè acceptis, est Divinum quoddam sic simpliciter dictum, & taliter intrinsece denominatum; siquidem in quolibet toto, & composito denominatio sumi debet à perfectiori, & actualiori, quod quidem obtinet rationem formæ, actus, & perfectionis; sed Divinum esse intrinsecum, propriè, & simpliciter Latriæ adoratione debet obsequi, & honorari: Ergo quamvis Christus sit simul & verus Deus, & verus homo, etsi sub ratione præfata humanitatis, istam non exigat adorationem, ut tamen est vera pars essentialis compositi *Christus*, hac eadem Latriæ adoratione adorari debet.

691. Ut ad eam resolutionem secundi dubii transeamus, distinguere debemus in humanitate Christi Domini multiplicem conceptibilitatem; primo enim concipi potest ut pura natura est, & intra metas, & terminos naturæ, perfectissima, & ope Divini Spiritus fabricata, à quo & impræscindibilis est eadem sanctissima humanitas. Secundò accipi potest, ut præelecta, & ordinata à Deo ad esse assumptibilem à Divino Verbo. Tertio, ut substantialis natura sanctificata accidentaliter, & ornata donis gratiæ, & virtutum creaturarum. Quarto, ut hæc omnia habet per respectum ad Divinum

Ver-

Verbum, & ordinem ad illud, & quatenus quodammodo representatur Divinitas in hac perfecta natura, ita bene disposita, & præparata. Quintò, denique concipimus hanc sanctissimam humanitatem subsistentem, unum per se constituentem hipostaticè cum Divina, medio verbi supposito, ab eoque substantialiter sanctificatâ, Deificatâ plenitudine Divinitatis corporaliter adhuc: Quibus præintellectis de hoc secundo dubio dabitur aliqua conclusiones.

692. Conclusio secunda: Naturâ humana Christi Domini sub quacumque præcisione adæquatè, & primò intentionaliter accepta (de secundo intentionaliter non loquimur) est adoranda vero cultu, & propria Religione. Credo esse aliquorum PP. & D. August. etiam non sub his terminis; probaturque: Natura humana Christi Domini in qualibet præcisione est dignissima cultu, obsequio, & honore: Ergo veneranda. Antecedens probatur: Ea natura dicit specialiter esse, à Deo factam, & in spiritum sanctificationis ordinatam, miraculosè, ac divinitus dispositam, ut esset Dei habitaculum: Ergo digna concipitur adhuc in abstractione hipotesis hujus, & præcisione adorationis, cultus, gloriæ, & honoris. Assumptum corroboratur Nam ipsa eadem natura excellentior est aliis; quæ etsi non excedat limites naturæ in suo esse, est tamen à superna & Dei specialissima; & miraculosa providentiâ ordinata in suo fieri, & esse de Spiritu Sancto formatum, &c. ad primarium gradum supernaturalitatis: Ergo illa excellentia est præminentior, & qua talis digna fieret cultu, obsequio, & honore: Ergo ea sanctissima humanitas adorari deberet propriè, & obsequi vero cultu.

693. Conclusio tertia: Humanitas Christi Domini sub ista præcisione adoranda est hiperdulia. De hoc non habemus communem consensum, sed nec oppositum; & antè scire debemus, quod adoratio hiperdulie sic introducitur à DD. & Theologis, quatenus superaddita ad vocem Græcam *Dulia*, alia, quæ est *Hiper* etiam Græca, superlativum significat, sicut apud Latinos, *valde Ad-*

modum, &c. ut modum, & medium habeamus ad denotandam singularem excellentiam sanctitatis, & gratiæ, vi cujus dignitas hujusmodi exigat excellentiorem cultum, & honorem; ex quo orrum habuit, quod cum Beatissima Virgo Maria specialissima fuisset, & singularis inter omnes puras creaturas visibiles, & invisibiles in præminentia gratiæ, & donorum quorumcumque; & ulterius ut notavit D. Thom. quadam infinitate polleret ratione respectus maternitatis, quæ ad Deum hominem dicit, horum ratione Adoratio exhibitâ huic Domine Cœli dicitur *Hiper Dulia*; hoc est maxima, unica & singularis inter adorationes Sanctis aliis adhuc illatibus præstandas.

694. Et ex hac præfata doctrina ad idem probare poterimus conclusionem nostram: Natura Christi Domini sub illa abstractione, in primis, est in ordine naturali omnibus quibuscumque præstantior, in ratione suæ ordinationis, & creationis nulli similis, quatenus præterquam quod fuisset ope divina specialiter fundata, creata, & formata, admirabili, miraculoso, & inefabili modo, dicit ulterius infinitatem quendam per relationem assumptibilitatis proximæ, & expectatæ; quam in illo priori naturâ diceret ad Personam assumptivam Divinam Verbi. Denique si attendamus ad Dona gratiæ, & ejus quæ gratum faciat, & alterius gratiæ data; super excedit physicè, & in infinitum saltim moraliter illam, quæ omnibus sanctis, & adhuc suæ Matri esset conferenda: Ergo his titulis, etsi hæc humanitas sic abstracta à suo supposito, deberet adorari, nulla alia specie, quam præminentis *Hiper Dulie* esset adorabilis inter, & super omnia.

695. Conclusio quarta: Reliquiæ Christi Domini, quæ sint repræsentativa, vel intentionaliter, sive moraliter suæ passionis, & mortis; ut Crux, clavi, spiciæ, sepulcrum cum sindone, & Sudario, & quotquot hujus sunt estimationis, adorandæ veniunt adoratione divinitatis propria, quæ & Latria dicitur, primòque probatur ex communi usu Ecclesiarum, in quibus, ubi jacent præfata reliquiæ, in tali veneratione habentur, & simi-

limi-

similiter adorantur; sic vidimus cum Ligno Crucis fieri, & spina Hispani, & idem cum clavis, & aliis ubi talibus muneribus ditantur. Præterquam quod: Eadem ratione, qua Imago Salvatoris ad vivum expressa Patria adoratur, deberent etiam tales reliquiæ; sed primum est certa fide tenendum: Ergo & nostra conclusio. Assumptum patet: Ideo namque tales imagines ad vivum expressæ nec coluntur, quia dicunt ordinem representativum ad Personam Salvatoris; sed hunc ordinem, et non physicum, & intentionalem, morale tamen dicunt ad illam ipsam divinam Personam passam, & mortuam: Ergo debent Patria coli.

695. Conclusio quinta: Sancti Dei, omnes Angeli, & homines, de quibus per Ecclesiam habemus revelationem suæ sanctitatis, & iustitiæ, ejusque reliquiæ adorandi, colendi, & honorandi sunt dulia; hoc ergo honore puris creaturis communiter exhibito pro sua excellentia, quia in Gratia, & aliis donis supernaturalibus eminent. Est ab Ecclesia declaratum, pluribus Conciliis firmatum, & de hoc non est opinio aliqua nec ratio dubitandi: Immo supposita in hoc fidei dignitate sanctitatis, & Gratiæ, non est ambigendi locus, ut digni habeantur honore, cultu, & obsequio: Tum per divinum consortium in ipsis splendens, propter inamissibilitatem ejus, & permanentiam, & quia digni habiti sunt, ut à nobis cultu perpetuo prosequantur; nec in valet in Ecclesia usus, & devotio; sicut & de suis reliquiis, ossibus, pelle, vestibus, & c. & quia partes illorum fuerunt, insuperque ratione contactus cum suo vivo, & sancto corpore; ac denique propter memorabilem recordationem, quam de eis ingerant, ideoque & representiva sunt illorum gratiæ, & sanctitatis: Ergo sic debent, coli, &c.



QUÆSTIO XL.

De Adoratione, & Cultu Sanctarum Imaginum.

697. **S**eparatim de Sacris Imaginibus tractamus, ut demus aliqualem notitiam eorum, quæ pro omni statu Ecclesiæ circa eas grassabantur, & insuper quia diversa sunt, quæ de illis scienda veniunt. Primum enim de usu Imaginum agere debemus, postea de eorum cultu, & adoratione. Denique aliquid declarare licebit circa Imagines substantiarum spiritualium, quia de his omnibus habemus DD. doctrinas, & si inter se conformes, & sæpe in unum convenientes. Omnes ergo tenent usum, & cultum Sanctarum Imaginum esse quid diversum; nam etsi frequentius connexa sint, solent quandoque separari in rei veritate: Et est horum ratio; Quod cultus, & Adoratio est honor, & obsequium humile propter alterius excellentiam; usus vero rei cujusvis est illius ad aliquem finem agentis ordinatio; ecce quam diversa sunt in subjecta materia usus, & cultus Imaginum. Immo teste experientia, habemus adhuc in nostris partibus plures hæreticorum, quia tolerati nobiscum commorantur, utunturque sacris Imaginibus ad ornatum, & decorem; ni dicamus propter picturæ, & colorum speciositatem: igitur certissimum est, differre hic usum, & cultum.

698. Licet ergo Populo Christiano usus Sacrarum Imaginum ad ornatum Templorum, Domorum, & adhuc cubiculorum, dummodo absit sordidum aliquid, & indecorum, vel loci seditates, aut aliud quod posset offendere dignitatem, & excellentiam earum. Hujus alia ratio non datur, nisi exemplum repetitum, visum, toleratum, & approbatum ab Ecclesia semper, & in omni ætate, us

ut bene consonum cum iis, quæ Templorum sunt propria, & Sacris Imaginibus debitum. Fundamentum congruum poterit esse, primo: Quod hic usus non contrariatur adorationi, sed potius per illius frequentiam fovetur, & maxime in representatione, quam ut in plurimum præferunt, illustrium facinorum Sanctorum, his excitantur fideles, & moventur ad imitationem, amorem, &c. ac denique ad cultum, & obsequium eorum. Per hoc satis clarè convincitur, quod usus hujusmodi non est alienus viris Catholicis, quatenus nil derogans de honore Imaginibus debito.

699. Proprius ad adorationem Sanctarum Imaginum, potius lachrymis deploranda, quam litteris exprimenda esset perfida Cæcitas Hæreticorum tanto conatu è medio tollere tentantium cultum, & honorem eorum. Nihil dignum majori reflexione reperio, quam pertinax, perpetua, & omni loco, & tempore stabilis hæresis, & omnium errorum mater, detestatio honoris, & cultus Sacris Imaginibus conferendi. A temporibus Christi, & adhuc antea originem duxerat hic detestabilis error, diu perseveravit, & adhuc usque ad Antichristum hæresium Antesignanum, durabit. Ulterius: Inter hæreticorum deliria non omnes æqua labe maculantur, sed alii aliis erroribus imbuti, unusquisque in viam suam declinaverat; ac circa Sacrarum Imaginum adorationem omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui hoc bonum amplectatur, non est usque ad unum: Priscillianistæ, Manichæi, Viclephistæ, Euterrani, & omnes quicumque, per quos nomen Domini blasphematur.

700. Quænam hujus causa? Nisi quod in Sacris Imaginibus Christi Domini, suæ Matris Mariæ, nec non & Sanctorum, reperitur, experitur, & admiratur, fomentum pietatis, serboi fidei, desiderium æternorum, ardor in charitate, & omnium virtutum incitamentum: Cumque ille hostis antiquus ardens invidia pellere nitatur, quos Cælo Deus advocat, suis membris, qualia sunt hæretici, præmunitionis, tentat evertere, etsi posset, è medio tollere ita potentem,

Tom. IV.

& efficacem viam ad omnia Divina percurrenda; nullumque in hoc negotio non occupatum relinquens: *Opporiet etenim & hæreses esse in Ecclesia Dei, ut qui probati sunt, manifesti fiant, &c.* 1. ad Cor. 11.

701. Ita creverunt zizania in Ecclesia contra Sacrarum Imaginum cultum, & adorationem, ceterum Ecclesia pro omni tempore, & ætate non cessavit semper in vigilans ea eradicare, & poenitus evellere, sic fecisse legitur in actis Conc. 2. Nicæn. ubi attempta Divina traditione, & Apostolicis institutionibus fides illarum proclamata fuit: Postmodum in novissima Sinodo Generali Trident. sess. 25. expressè, iterum hæresis damnata fuit serpentina illa doctrina vomens errorem istum contra honorem Imaginum Christi, & Sanctorum: Hæc enim ibi compilando docet, & dicit: Imagines porrò Christi, & Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas, & retinendas; eisque debitum honorem, & venerationem impertiendum; non quod credatur inesse aliqua in eis Divinitas, vel virtus, propterquam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ representant; ita ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Ecce in compendio tota Sacrarum Imaginum adorationis doctrina.

702. Superest, ut de Imaginibus rerum spiritualium decertaturi, aliquid prius de ipsis supponamus. Etenim non fuit ad hoc certum, & stabilitum in Ecclesia Dei, licitum esse usum Imaginum rerum spiritualium, videlicet, Sanctissimæ Trinitatis, & Angelorum, de quibus potest esse difficultas: Nam non desuerunt Theologali qui, inter quos refertur Durand. & Abulens. asserentes non licere; in eo fundati, quod ejusmodi Imagines

Qqq

gines

gines prohibita legantur in aliquibus Textibus Sacris: Caterum re bene perpenſa, hodie, præterquam uſus invaluit in Eccleſia erigendi Imagines, & ſtatuas rerum ſpiritualium, ut eorum Angelorum; quos apparuiſſe credimus, & Sanctiſſimæ Trinitatis, in Trident. Seſſ. citata ita docemur: Quod in ſimilibus picturis, & Imaginibus: *Cum id indoctæ plebi expediat, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quaſi corporis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit.* De utriſque rerum generibus per aliquas reſolutiones ſenſum noſtrum declaravimus.

703. **Concluſio prima:** Chriſti Domini Imagines, Beata V. Mariæ, & aliorum Sanctorum, ſunt erigendæ; & adorandæ: Eſt deſide tenenda reſolutio, ac ſemper bene in Eccleſia Dei recepta, & Chriſti Domini exemplo confirmata; quaſi nimirum in ſindone, & Sudario ſuam expoſſerit adorandam Imaginem; & vultum: Iplaque Beata Virgo ſuam Imaginem transportari fertur ad oras Iberias ad Sanctum Jacobum, ubi hodie colitur in eadem columna, in qua reportata legitur, vulgo Cefaraugula; Eſt divus Marcus aliam Divi Petri adhuc in Carne poſiti Alexandria adorandam conſtituit; S. Lucas venerabilem etiam Imaginem Sanctiſſimæ Mariæ pinxiſſe dicitur, quæ in majori Carmelo Neapolitano adoratur; & quid de Imagine Salvatoris in Laterano Populo Romano apparente: Probat ex actis Nicæni Conc. 7. Generalis, & ſpecialiter Trident. Seſſ. 25. ubi ſtabilita hac veritate, ut fidei dogma, iſtam de illa format rationem.

704. Per hiftoriam miſteſiorum noſtra fidei, & redemptionis, picturis, & Imaginibus expreſſis, aliſque ſimilitudinibus, ſufficienter inſtruumur de credendis; in eis Populus Chriſtianus confirmatur in perenni credentia articulorum ejus, admonetur, & recordatur beneficiorum, quæ a Deo receperat, memoratur munera Divine largitatis; Sanctorum miracula, oculis objecta ad imitationem provocant intuentes, ut Deo de iis gratias agentes eos imitentur, & mores componant; ac denique excitantur ad diligendum Deum: Ergo ad oculum

habemus per doctrinas Eccleſiæ congruentem utilitatem Imaginum. Aſſumptum corroboratur per hoc: Quod fides ex auditu eſt, auditus autem per Verbum Chriſti; ſic per oculum hæc fides etiam ingredi poſſet per ſacratum Imaginum uſum, in quibus prædicetur Dei Verbum picturis, & lineamentis expreſſum: Ergo in idem deſerviret, ac auditus.

705. **Concluſio ſecunda:** Licet uſus Imaginum rerum ſpiritualium juxta præcautionem ſupra notatam ex Trident. & primo de Angelis probatur per hoc, quod ſe ipſos in ſuis apparitionibus delinearunt, & pinxerunt, ut legitur in Lib. Dan. & Tob. ubi Sanctos Angelos vidimus, & legimus expreſſos ad modum Principis, & strenuorum juvenum; prætereaque ut virum quaſi alatum, & ad volandum aptum, Gabrielem legimus apparuiſſe; ſed nil aliud eſt hoc, niſi ex corpore aëreo picturam ſui etingere: Ergo ipſorum exemplo inſtituimus, ut eos depingere valeamus juxta modum ſuæ apparitionis, ut Principes, Juvenes formoſos, &c. De Sanctiſſima Trinitate expreſſius habemus documentum; hanc enim pro poſitionem 25. damnavit Alexand. 8. *Nefas eſt in Templo collocare Imaginem Patris æterni:* Ergo fas eſt, & licet, eam collocare: Ergo colere, adorare, &c.

706. Sed contra dicta duo ſe offerunt, primum in primam concluſionem ex illo Exod. 20. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem:* Proponimus iſtam unicum locum, quaſi alia, quæ afferri poſſent, idem convincunt: Ergo ab adoratione Populi excludit Deus Imagines omnes, quæ quomodolibet ſunt ſimilitudines, & opera manuum hominum: Contra ſecundam eſt locus ſpecioſus Mai. 40. *Cui ſimilem feciſtis eum, aut quam Imaginem ponetis ei;* per quod ſatis clarè denotatur, immo & per verba ſequentia, non ſolum non licere, aut decere Dei ſimilitudinem, aut imaginem erigere, verum & implicare; & hujus ratio eſt, ſumma in proportio, quæ reperitur inter ſpiritum purum, & res materiales; quibus conſtant artefacta Imaginum; ſed hæc ſtante diſtantia, eſt impoſſibilis ſimilitudo inter Imaginem

mem compactam, & rem ſpiritualem: Ergo & Imago, quæ ut rom. 3. tract. 10. dicebamus, eſt idem ac *imitago*, implicat

707. Ad primum ex illo Exod. reſpondetur: Deum Hæbreis prohibuiſſe communem uſum Imaginum ob pronititudinem eorum ad Idololatriam, non quia hæc eſſet connexa cum Imaginum cultu, ſed ob abuſum ab eis expellendum; prohibet enim Deus ſculptile, & ſimilitudines, quæ in ſe, & propter ſe adorentur; ea verò, quæ ducant, & moveant ad adorationem rerum, quæ per eas reſeſtantur, atque cultu & honore dignæ ſunt, præcipit adhibere; ut cum Imagine ſua feciſſe Dominum Jeſum, ipſa Eccleſia Magiſtra inſtruitur. De ſecundo argumento habemus in citato Frid. ſolutionem; docet enim, quod hæc veluti hiftoriæ, quæ pinguntur, ut Pater æternus ad ſpeciem ſenis, & Spiritus Sanctus ſub ſpecie columbæ, non ſunt ſimilitudines, & Imagines Deitatis; & earum Perſonarum, ſed ſigna quædam, quibus ducimur ad Deum Patrem ut totus Trinitatis principium adorandum, & etiam Spiritum Sanctum puro, & ſimplici amplexu amoris procedentem; ſic enim in Jordane apparuiſſe legitur, & creditur.



Tob. IV.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Dominio, & jurisdicatione ſpirituali, & temporali Chriſti Domini. Ac de illius naturali jure ad Regnum Iſrael.

708. **P**ro pleniori noticia eorum, quæ hic declaranda veniunt, non erit inutile, recollere, quæ non ſemel ſupra dedimus de multiplici illa conceptibilitate vera, & primo intentionali, quam in mirabili hypſtatico illo composito; quod eſt Chriſtus, conſideramus. Eſt enim verus Deus, & homo verus, quatenus natura Dei, & hominis Divino ſuppſito perſonata, & ſubſiſtentes unum per ſe faciunt, & conſtituunt, quod & præterat eſſe Dei propter formam Dei; & eſſe hominis propter formam hominis: Unde & concipi poſſit, ut Deus; & ſicut homo; & utrumque ſimul. Ex quo ſequitur, quod ex iis, quæ de hoc Divino composito formaliter dicuntur, vel ipſi adaptantur, & ab eodem ſiant, quadam ſunt ratione formæ, quæ Deus eſt, alia ratione alterius nature; quæ homo; & denique non nulla quatenus utriſque naturis communia habentur. De hoc aptiora dedimus ſupra. Unde ad intentum noſtrum, quod continet dominium, poteſtatem, jurisdicationem, & regale imperium; non parum deſervit ea ſupra notata diverſas conceptibilitatum, ſub qua capere poſſimus illud, & ad hoc nobis ſermo erit.

709. Quibus ſuppſitis, ſi de Chriſto Domino, ut Deus eſt, & ſecundum ea, quæ habet propter Divinitatem ipſum conſtituentem, loquamur, nulli dubium eſſe poſſe, quod ſit Dominus omnium, ipſique ſubſtantur res viſibiles, & inviſibiles,

Qqq 2

cui

cui solidebet esse tamquam Regi seculorum, & immortalis honor, & imperium, ut fides docet, & ipsa natura proclamatur. Sin autem de Christo, ut Deus est, & homo, loqui velimus, idem Dominus de se dicit Marc. ultim. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra; ubi per ly data declaratur, quod loquatur de se ut notionaliter Divini Verbi persona subsistente, & per illud omnis in sua universalitate acceptum, doceatur credere, in Christo Domino residerè universalem potestatem super ea, quæ in Cælis, & quæ in terris sunt, sub quâ, Dominativam, & naturalem, jurisdictionalem, & adhuc Regalem comprehendit necessarium. De hoc prædixerunt Prophætæ, prædicant Apolloli, & Ecclesia prædicabit; sic denique Petrus primæ fidelium congregationi, & toti Hierosolimitanæ Plebi. *Hic est qui constitutus est à Deo iudex vivorum, & mortuorum.* Act. 10.*

710. Dabimus de hoc fundamenta facta, non tantum ad convincendum, quantum verò ad fidelium solatium; ea purè deducimus ex R. q. 11. Prolog. 4. lib. ubi sic ait: Primo enim pertinet ad Christum illa omnimoda potestas, quantum ad res humanas, ex merito mortis ejus; sic Daniel 7. dicitur de Messia, quod Deus dedit ei honorem, potestatem, & regnum, cui serviant, & obsequantur omnes; ut etiam David prædixerat Ps. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ &c.* Nunc Paul. ad Rom. 14. *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut vivorum, & mortuorum dominetur.* Item pertinet ad istam Christi Domini potestatem visio Dei per argumentum à majori ex eodem Paul. 1. ad Corinth. 2. *Si enim omnia judicat homo spiritualis; in regeneratione cum sederit filius hominis; sedebit & nos, &c.* Ergo à majori Christus iudex erit omnium. Denique ratione vitæ æternæ, ad quam res omnes humanæ ordinantur, ista declaratur potestas in Christo Domino, de qua idem Jesus definitivam proferet sententiam, ut ibi Matth. 25. *Venite Benedicti, &c.*

711. De potestate dominativa, secundum rigorem juris loquendo, certissimum est, Christo Domino competere in primis super homines, quatenus sunt illius filii, ipse verò Pater; ille Dominus,

& verè Dominus, ejus servi homines, emptitii, nati, & captivati; est denique nostri Tutor, & Curator; atqui Pater, Dominus, & Tutor possent hujusmodi potestate Dominativa in filios, servos, & pupillos: Ergo hanc habet in homines Christus Dominus. Genuit nos verbo veritatis suæ; emit nos magno præcio suo sanguinis; quousque parvuli eramus sub elementis mundi serventes, sub tutoribus nos duxit, & gubernavit, quanto magis facti filii, & hæredes. Habet præterea idem Dominus potestatem istam in res omnes distributivam, scilicet, dispositivam, & translativam de persona in personam; hoc illi convenit ratione plenitudinis potestatis præhabita, quia filius Dei, & filius hominis est, sic in Ps. 23. & 103. & millies.

712. Huc usque de iis, quæ de Christo, ut quoddam unum est, Deus, scilicet, & homo, nunc de ejus Dominio, & potestate aliqua adnotanda veniunt, ut homo est, vel sub ratione hominis, aut per humanitatem habita; cui præcissioni locum dedit illud ex illo Joann. 5. *Omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est.* Ubi satis clarè habetur, quod vi naturæ humanæ aliquid verè, propriè de Christo Domino dicatur, quod ad ejus potestatem faciat. Et in primis Adamus fuit Dominus temporalis totius mundi; ut ex 1. Gen. *subiicite vobis terram: Dominamini eis;* sed quod Dominus Adæ contulit, totum fuit proprium humanitatis Christi Domini tamquam naturæ integriore, & perfectiori de ejus semine: Ergo, Noè, quia perfectus coram Domino, idem Dominium exercuit in mundo; Christus Dominus fuit formosior, & perfectior in stola sua, & talis præ filiis hominum; igitur idem. Abraham, quia obediens, fuit Dominus omnium gentium, cui Deus dixerat: *Et in te benedicentur omnes gentes.* Gen. 12. Christus, ut homo, quamvis ejus caro infirma ab ipso declaratur, factus fuit obediens usque ad mortem. David propter misericordias suas Rex, & Dominus unctus fuit, & constitutus, Christus verè misericors, & Pater misericordiarum prædicatur: Ergo de ipso ratione hu-

humanitatis dici debet; quod sit Dominus, Iudex, & Potens, &c.

713. Suppositis, quæ superius dedimus, ut omnibus obvia, & communia, relinquatur; ut de Dignitate Regia Christi Domini, formalitèr, & propriè accepta aliquid differamus, quatenus assumptum suam patitur hinc inde probabilitatem, & quia in ejus resolutione D. R. particularis est, & ad communem sensum DD. non accedit; ut videre erit apud eosdem; cum solum ex Baconitis aliquos possemus afferre Patros, & ex extraneis Armachanus lib. 4. de quæstion. Armen. cap. 15. Pro parte verò opposita citantur primi DD. Scholastici, ut N. Vvaldens. lib. 1. Doctrinal. Fidei, &c. Tenemur ad sententiam D. R. cuius hæc Commentaria propria sunt; & antea prædicta difficultas potest intelligi de dignitate Regia Christi ad totum mundum comparata; vel prout limitatur ad Regiam Sceptrum Davidis. De utraque eadem est ratio; & ideo per resolutionem hujus solvantur argumenta alterius.

714. Omitimus imperium regale Christi, quia de illo supra dedimus; aliqua, & solum de Regia Dignitate super Regnum Israel tractabimus; & pro eo iterum advertimus; tamquam certum, Christum Dominum verè traxisse originem secundum humanitatem ex Regio Semine Abraham, & Davidis; tum per Salomonem, tum etiam per Nathan; unde data hypothèsi, quod hæc natura ex Spiritu Sancto concepta, esset sibi ipsi relicta, quod nec implicat, nec ex natura rei repugnat, & esset dignissima super omnes homines; ipsique competeret Regale Imperium mundi, semel quod de Semine David oriretur, esset ipsi debitum Sceptrum, & Solium Israël. Si namque tunc de facto jus istud servaret, & illud non abdicasset, est prima difficultas? Secunda: Num per Beatam Virginem Mariam, vel aliunde? Armachanus tenuit, quod per ejus Sanctissimam Matrem; aliter discurret Baconius.

715. Conclusio prima: Christus Dominus est verè, & propriè Rex Israël jurè naturæ suæ humanæ; non

possessione, sed debito; & ex eodem jurè qualito. Est R. ut supra. Prædicta que probari potest Prophetis veteris Testamenti, & Novi, uocamentis expressivis; ut est istud Michæ 5. *Et tu Bethelchem terra Juda: Ex te enim orietur Dux, qui regat populum meum Israel.* Et Jerem. 33. *Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & justitiam in terra.* Ex doctrinis novi Testamenti inter plurima habemus ante omnia publicam, & generalem proclamationem capitalis Hierosolimæ in ingressu Redemptoris, patratum miraculo ab eo resuscitati Lazari: *Benedictus Rex;* dicebat populus, *qui venit in nomine Domini.* Marc. 11. Præterea Pilato interroganti Domino; si Rex es: *tu es Rex Judæorum?* Respondit dedit per consentum; & annuentiam: *tu dicis.* Matth. 27. Insuper titulus Crucis Divinitus obfirmatus, & quasi Dei manu firmatus, ut asseruit Hieronim. Matth. 27. *Jesus Nazarenus Rex Judæorum;* Illiusque usque nunc conservatio ex Prætoris mandato ibi: *Quod scripsi, scripsi.* Satis clarè probant Christi regalem dignitatem super Judam, & Israel.

716. Quod dignitas ista Regalis Christo Domino obveniat sui sanguinis jurè satis clarè indicant quæ Matth. 1. & Luc. 17. in ejus Genealogia describunt; ubi videmus Beatum Joseph Patrem reputatum Domini: *Ut putabatur filius Joseph;* rectam originem trahere ab Abraham; & David per Salomonem, & similiter Sanctissima Mater Maria eandem generationem, etiam per lineam Nathan; utroque enim origine verificari posset in Christo secundum suam naturam jus quæsitum, & testitatum ad Regnum Israel, secundum quod Deus Davidi promissit: Ps. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* Et hoc antea Abraham: *Sic erit semen tuum.* Gen. 12. Ergo benè, & congruè convincitur jus, quod Christo Domino competit ad regnum istud temporale: Cujus possessionem, cum nunquam amplexus sit, quia regnum spirituale promittebat omnibus; juxta illud Apocalipf. 5. *Et fecisti nos Deo nostro Regnum;* nil de temporali curabat. Am-

Ambiebat enim Regnum, in quo omnes cum eo regnarent, & coregnarent; sed in temporali fieri non potest: Ergo hujus possessionem exercitam abdicavit, ut æterni Regni hæreditas ad omnes pertingeret.

717. His textibus; & PP. auctoritatibus stabilitur apud R. hæc sententia, & quæ placet aliis pluribus; qui in idem conspirant; & illis non acquiescunt communiter reliqui DD. nam respondent ad eos: omnes textus, intelligi debere in sensu spirituali, & morali; tum ex verbis ipsius Christi, ex ejus exemplo, & doctrina; nam sapè dixit, & repetit, Joann. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo, si de hoc mundo esset, mundus, quod suum erat, diligeret, &c.* Ex eodem Joan. & aliis Evangelistis: Ergo juxta Verbum Christi semper ac de eodem Regno fiat mentio, spiritualiter intelligi debet. Solutionem corroborat duplex ratio; prima: Quod doctrina Christi, & exemplum ejus declarant, se non venisse in hanc mundam, nisi ut spiritualem erigeret societatem, & ut ad æternum Regnum, & immarcescibile perducatur homines cum eo perpetuo coregnaturos: Ergo textus ii de hoc Christi Domini Regno loquantur. Secunda: Quod Regnum, de quo in illis locis, verum non fuit in Christi possessione; sed solum spirituale sic possedit: Ergo non de illo temporali deberet concipi scriptura.

718. Sed contra hec; & ante omnia sentimus, quod textus allegati, & plures alii, similitè PP. interpretationes, & sententiæ non probant cogenter; sed solum tenemus, quod faciunt magnam probabilitatem, quibus adjungitur; primo, quod non incongruit Christo Domino secundum humanitatem hæc temporalis dignitas regalis, nec quid indecens est, nisi de se pater. Secundo: Quia in ejus Genealogiis satis clare exprimitur sua regalis progenies ab Adam incipiendo; tertio: Quia nobis non constat fuisse alios Successores legitimos, & naturales filios David, quibus temporibus Christi propitius, & immediatè pertingeret jus sanguinis ad illud Regnum; atqui secundum naturalem originem de Christo nobis apparet certissima ejusmodi origo, & propago in illis genealogiis: Ergo hæ-

beremus in textibus allatis sufficiens fundamentum ad hoc jus stabilendum.

719. Nec hoc jus habet incompatibilitatem aliquam cum Regno spirituali; quod Christus principaliter intendebat; siquidem posset ad utrumque Sacra littera applicari; sic in historiis Divinis sæpè numero legimus prophetias quasdam duplici via completas, & spiritualiter, & temporaliter, ita quod eventus temporalis sit, & teneatur quasi figura spiritualis; sic, & in hunc modum, quis non credet, quod Prophetiæ de Regno Christi, & Evangeliorum dicta duplicem hunc sensum faciant, & spirituales, & temporales, qui nulla ratione incompatibiles sunt: Ergo utroque modo possunt accipi. At quia aliter, & aliter evenire solent, alio, & alio modo prædicantur, & enuntiantur; ideoque Regnum spirituale Christi prædicatur possessum, & hæreditaria Petra fundatum, temporale verò, quia deterius, nec principaliter intentum, ideo solum in jure remansit, & noluit illud ad possessionem reducere.

720. Adhuc dicerent ad ea, quæ pro nobis afferuntur; certissima esse; ceterum ex iis nihil probari pro nostra conclusione: Certum est enim, quod Regnum temporale, & spirituale possent in eodem conveniri, & quod inter se non implerent; at ex eo non sequitur, ita esse in Christo Domino. Indubitatum etiam est, quod Christus descendit secundum hominem ex David, & de semine ejus trahit originem, sed non est adeo certum, quod traxerit jus ejus regale; cum contra hoc extent Sacra littera; de quibus infra inter argumenta. Clarum est jus hoc, si attendatur natus de descensus, ut notatur in Genealogiis, sed ex eo non probatur, quod esset, sed quod possit esse Rex temporalis Hæbraicæ Monarchiæ: Ergo de primo ad ultimum adhuc non afferuntur rationes sufficienter probativæ propositæ conclusionis.

721. Iterum contradicemus, & nos; Quod, quæ in favorem nostræ resolutionis proposuimus, accepimus ex litteris Sacris congruenter intellectis ad assumptum nostrum; cum non solum probemus jus quæsitum Christi Domini ad Regnum temporale Israel per hoc quod

spirituale primo ab eodem Domino intentum, cum eo compatiatur; sed ulterius dicebamus; quod non obstat, quod textus allati ibi possint intelligi spiritualiter, ut simul pro Regno temporali accipiantur: Ergo utrumque Regnum in Christo Domino adunabitur, & hoc ex eadem littera Sacra, ut ibi innuimus: Nec aliud quidquam proficit, semel concessio, ut necessum est, quod Christus Dominus secundum carnem descendat ex David, & alius ex descendantibus non apparet melioris conditionis; sed nullus ex filiis hominum ita probare potest descensum ex David secundum carnem, nec constat: Ergo de nullo verificatur jus præfatum sicut de Christo Domino.

722. Conclusio secunda: Christo Domino competit jus ad Regnum Judæ secundum carnem; & naturam per Salomonem per lineam descendantem usque ad Joseph: Est R. citati. Primòque probatur ex Matth. 1. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ; de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus: Ubi satis notorie notorietate facti, Christus Dominus fuit reputatus filius Joseph, quatenus hæc legitime Sponsa filius erat secundum carnem, de illoque curam gessisset, in Egyptum portaret, & reduceret, traducendo Matrem prægnantem in Bethlehæm, ubi illam peperit; sed filii hujusmodi nutriti, curati, reputati, & tali modo adoptati tamquam legitimi habentur, & adeunt Paternam hæreditatem, & maxime in defectu aliorum propriè genitorum: Ergo sic Christo Domino pertinuit jus ad Domum Judæ, & Regnum ejus per Joseph, qui non quidam popularis homo erat de Domo Judæ, sed de familia Regia David, ut notavit Matth. 1. *Joseph fili David noli timere, accipere Mariam conjugem tuam: Ergo jura omnia, quæ ad Joseph pervenerant per Stirpem Davidicam, ad Christum usque descendunt: Ergo & jus illud regale totius Regni, non modo Judæ, verum Israel, quod erat proprium Domui David, in solidum.**

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

723. Primo arguitur contra istam conclusionem: Christus Dominus esset verè, & propriè Rex Israel,

vel ex parte Matris, aut Patris putativis sed neutra stirpe, & via: Ergo nullomodo. Minor probatur: Non pro parte Matris; nam B. V. Maria traxit originem à David per Nathan, ut constat Luc. 17. sed hæc via non fundat jus ad Regnum Judæ; quia non fuit linea prædilecta, & perquam descendisset sceptrum, sed per Salomonem, cui Pater transtulit, sicut promiserat: Ergo. Nec pro parte Sancti Joseph, cum non esset verus illius Pater, nec Christus Dominus ejus verus filius; cum tantum putaretur talis; atqui filii hujusmodi, qui possunt denominari quadam adoptione filii, non fundant jus strictum ad bona Patris, & maxime ad Regnum: Ergo ex parte Sancti Joseph non potuit Christo tale jus verum obvenire.

724. Respondetur, concessa majori, & ad minorem, permitimus, Christum non fundasse jus ad Sceptrum Israel pro parte suæ Matris (non est adeo improbabile, Beatam Mariam traxisse lineam Salomonis per Divam Annam) & ad rationem repugnantiam, quæ tum in Beato Josepho, & adhuc Christo Domino apparet ad tale jus regale; dicimus cum D. R. Quod Josephus, etsi non esset Christi Patris naturalis, fuit tamen legalis, & à Deo ordinatus, ab hominibus receptus, & notorietate facti, ut verus filius suus existimatus, & hoc sufficit nunc, & secundum præsentem legem ut quis adeat quilibet Patris hæreditatem: Sic in publicis circa hoc declaratorijs testimonijs, solum testificari est necessum, quod ut filius sit in Domo Patris natus, nutritus, educatus, obediens, subditus, & quod mutuo tractentur ut Pater ad filium, & filius verus ad Patrem; cumque hæc omnia cum Domino Jesu, & Beato Joseph contigisse declarant Evangelia, certum debet esse, fuisse illius hæredem, transisseque in Jesum omnia sua jura, quorum principale erat Regnum, & Sceptrum Israel.

725. Nec obstat ad hoc, quod Christus Dominus non trahat originem naturalem per viam generationis à Joseph, siquidem sæpè vidimus, & legimus hæreditatè pertinere ad aliquos, qui talè lineam non trahunt, sed per adoptionem sit æquivalenter, quod naturæ non fuit concessum: Pro omnibus loquatur hæreditas Jacob præ Elau; quis eum fecit hæredem Isaac?

Non:

Nonne adoptio Patris, qui illi primam impertivit benedictionem: *Major seruiet minori?* Ergo potiori jure adoptio Joseph respectu Christi Domini, notorie per factum proprium transtulit totum jus, quod illi competerat in Christum: Tota hæc doctrina fundatur in eo, quod Deus donavit specialiter Regnum istud familiæ Abraham cum jure tamen, ut succederent etiam ii, quos in filios adoptarent, vel hæredes constituerent, ut exemplum de Jacob, & insuper hujus de Judâ respectu Ruben primogeniti: Similiter inquit R. cum dedit filio Virginis Solium David (Isai. 9.) & Solium David ad Joseph per lineam descendente venerit, Joseph illum (hoc est Jesum) in filium adoptavit notorie, &c.

726. Secundò arguitur forti argumento, quo etiam utuntur Judæi, ut evellant fundamentum Christianorum sumptum ex illo Gen. 49. *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus donec veniat Messias* ad probandum expletum tempus illius adventus juxta præscriptum Romanæ Ecclesiæ, & est in hunc modum: Sceptrum Judæ, & Israël solum duravit usque ad Jechoniam, qui & vocatur Sedechias, qui ductus, & captivus cum principalibus Judæorum translatus fuit in Babylonem, Regno, & Sceptro privatus, non solum violenta captivitate, sed Dei supremo decreto in poenam gravissimi peccati perjurii, & revellionis contra Nabuchodonosor, cui adjuraverat obedientiam, etiam Domini Religionem, & cultu contemptis, & jurejurando interposito totum constat 4. Reg. 24. & 25. & specialiter 2. Paralip. 36. Nunc Hierem. 22. *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jochonias filius Joachim annulus in manu mea, inde evellam eum: Hæc dicit Dominus, scribe virum istum sterilem: Nec erit de semine ejus vir, qui super solium sedeat David, & potestatem habeat ultra in Judâ* sed ex his satis colligitur, Sceptrum hujusmodi non pervenisse ad tempora Joseph, & Christi Domini: Ergo nec Joseph habuit jus ad illud, ac per consequens, nec ad Dominum nostrum descendit.

727. Supponamus ante argumenti solutionem, hunc Jochoniam, alias Sedechiam filium habuisse superstitem Zolathiel, cui successit Zorobabel, ut 1. Matth. & alibi, hocque etiam Sceptrum, &

regnum non obtinuisse, ut Reges, sit notorium; præfuisse tamen more Sacerdotum, sumpta tali potestate ad jutorio Ciri persarum Regis, pro comperto habetur: Ideoque ubi nos legimus Jerem. 22. *Virum sterilem. Aquila, qui non crescat. Simmachus Inanem* vertunt. Ac Sanctus Hieron. & Theodoret. putant exposteris Jechonia non obtinuisse solium, & Regnum, Zolathiel, Zorobabel & successores, nec absolute reterunt more majorum suorum imperium; etiam qui, longo post tempore, regnarunt, fuerunt exterimine Sacerdotum, ut Herodes, Archelaus, Joannes Hircanus, Aristobolus, mixti tamen sanguine, & semine regalis familiæ Judæ, cui unica Sacerdotali licebat. Ex qua doctrina supposita habemus, quod pæna lata à Deo contra Jochoniam, & successores, non fuit omnimoda privatio Regni Judæ, sed solam opulentiam, Magnitudinis, & autoritatis, ut potest colligi ex Pl. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum: Est postea; Misericordiam meam non dispergâ ab eis; & sic in hac parte, etiam diminutè, ad Joseph usque descendisse creditur jus saltem ad istud regnum, abdicata tamen ejus possessione, ut sic conveniebat Christi Dñi. humilitati, & ut jacentem mundum erigeret.*

728. Dicamusque ultimò, & finaliter, quod usque ad adventum Messie perleveravit in Domo Judæ jus ad regale solium Israël, privatum tamen, eò splendore, solio, & Throno, quibus antea præfulgebatur cum Joseph esset de Domo, & familia David notorie, & propinquiorum non cognoscamus alium, in hoc tenemus residere jus illud, eoque deficiente, filius ejus specialiter adoptatus, & notorietate facti ut talis filius acceptus, & reputatus loco illius confurgat, secundum quod Moyses Deut. 18. prædixerat: *Donec surgat Prophetâ magnus. Hic ille Rex est Gentium Populiq; Rex Judaici promissum Abraham Patri, ejusque ævum semini! Huic sit honor, gloria, imperium, potestas. Huic sit laus, gratiarum actio, & benedictio: Et illius nomine suæ Matri Sanctissimæ, Patriarchæ sponso prædicto, & pro me præfens opus consummatum Trinitati Divinæ præsentet Sancta Virgo Maria Magdalena de Pazzi, cujus auspiciis speculum hoc incepit, ejusque intercessione perfectum spero.*

TRA.



TRACTATUS APPENDIX DE PURISSIMA, ET INTEMERATA CONCEPTIONE B. MÆ V. MARIE.



Ullam hic intendimus dissertacionem circa puritatem, sanctitatem, & integritatem Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, cum extra quæstionem sit in Ecclesia altitudo, perfectio, & dignitas

hujus venerabilis Mysterii, in quo reveretur super Angelorum conditionem elevatum, & exaltatum primum instans generationis dignissimæ Dei Matris, ita sanctificatum, celebratum, prædicatum in toto terrarum Orbe fidelium, & Catholicorum. Non, inquam, quæstionem texere tentamus, sed tantum historiographi partes gerimus; sive potius litteræ D. R. Joannis de Baccone fidelis expositoris; ideoque de nostro parum, aut nil adjicimus, unice dictis illius stando,

Rrr

quid

Tom. IV.

quid de Beata Maria, generatione passiva, sive Conceptione senserit, aperimus: Et usque quo increverit festivitas publica, & cultus solemnissimus purissimæ hujus Conceptionis. Superfedendo ab antiqua illa disputatione, qua de peccato originali, vel de necessitate contrahendi eidem Sanctissimæ Dominæ insideret; dicente Magnò Aug. de Natura, & Gratia: *De Beata Virgine Maria propter honorem Domini, quem contempere, & parere meruit (quem constat nullum habuisse peccatum) nullam prorsus, cum de peccato agitur, volo habere questionem.*

2. De hoc purissimo Mysterio agit D. R. extenso calamo in 2. sent. dist. 30. per tot. quam hic ducimus omittendam, quia in hoc Ecclesiæ statu non benè audit apud fideles, immò, & in Trident. sess. 5. circa finem decreti: *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem: Sed observandas esse Constitutiones felicis record. Sixti Papæ 4. & c. Et præterea quia, ut ipse ait in 4. de quo infra, ubi piissimè, & sincerissimè de veritate hujus sanctificationis: Licet alibi (hoc est in 2. dist. 30.) attendens ad jus commune aliter dixerim. Aliiter in 4. dist. 2. qq. 3. & 4. & in 3. quod lib. 1. præcedit, & loquitur de intemerata B. V. Conceptione. Igitur in eo 4. ductus reperitis, & bene visis Canonibus Biblior. & Ecclesiæ, ac SS. doctrinis; ni dicamus, etiam apertis miraculis: Infuperque quod ex inopinato, librum specialem Divi Anselm. qui sic incipit: *Principium, quo salus mundi processit, & intitulatur, de Conceptione B. V. Mariæ, ad manus haberet legendum Parisiis in Domo cujusdam communis stationarii (verba sunt D.) his per motus longam de Purissima B. Mariæ Conceptione textum esset sermonem; quod totum cum inoffenso pede currere possemus, Mysterii hujus notitiam huic nostræ opellæ applicare proposuimus.**

Ac per prius sensus exprimitur D. R. quem ut exponamus, & declaremus, hæc in primis dabimus ex eodem: *Ad honorem igitur gloriosæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli,*

*ego pauper Carmelita, ac Cantuaren-
sis ejus patrocinio confusus humiliter
intendo prædictum titulum, Dei gra-
tia mediante, secundum modulum
insufficientiæ meæ declarare, interpre-
tando dicta Doctorum Sanctorum, &
specialiter venerabilis Anselmi circa
hoc referendo; omniaque correctio-
ni, & judicio sacro Sanctæ Sedis A-
postolicæ submitto. His nos eod-
dem jure innixi, quæ specialiora nobis
visa sint ex doctrinis, & littera ejusdem
in medium offeremus; duoque faciemus:
Primum; Puritatem Conceptionis,
& ejus Mysterii Sanctitatem, quæ
est B. V. Mariæ declarando; secundum:
In omni eventu celebrari debere; & quod
festivitas hæc est propriissima diei octavæ
mensis Decembris.*

4. Primum, quod ex R. habemus, & prima illius particula circa intemeratam B. V. Mariæ Conceptionem, convincitur; primo per locum specialissimum Gen. 3. ubi Dei ad Diabolum: Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum:* Sed hæc Prophetia, & Domini comminatio ad Serpentem de nulla qualibet muliere intelligi potest, nisi solum de ea, cujus semen posset contra Diabolum præstare: Ergo hæc erit præcisè ea mirabilis Mulier, quæ paritura erat, & conceptura hñum Dei, juxta illud Isai. 7. *Eccce Virgo concipiet, & pariet filium; & postea 9. Et vocabitur Deus, fortis.* Subsumit nunc D. R. ibi: Sed qua ratione illa, ut filium Dei conceptura, fuit privilegiata, ut caput Diaboli inimici nostri foret contritura, hoc de illa diceretur, in quocumque instanti, & eadem ratione, in primo sui esse; quia ratio est eadem pro omni instanti suæ vitæ; nimirum quod esset talem filium conceptura: Ergo in primo instanti, quo erat concepta, fuit privilegiata ad caput Diaboli conterendum. Iterum subsumimus; sed in eo instanti, quo caput Diaboli contrivit, in eo, non modo à peccato quocumque fuit exempta, verum & ab ea necessitate contrahendi originale, quæ incipit ab instanti conceptionis cujuslibet hominis, qui per carnalem generationem ab Adamo origi-

nem

nem traheret: Ergo ab hac etiam fuit exempta.

5. Declaratur data probatio, & roboratur per satis fundatam doctrinam. Aug. lib. de Natura, & Gratia cap. 36. & Anselm. de Concept. Virginæ cap. 18. apertè docuerunt B. V. Mariam omnino caruisse peccato; sub qua universalitate necesse est, & originale, ac necessitatem contrahendi illud comprehendis at propter reverentiam scripturarum, & quatenus hæc Sanctissima Virgo futura est filia Adæ, ac per concubitum genita, est peccatum originale non contraxisset, saltem necessitatem contrahendi habuisse asseruerit, si mox, ut est destinata ad esse Matrem Dei, reale debitum non extingueretur; ergo privilegiata extitit à peccato, & necessitate contrahendi, & propter inimicitiam inharentem inter mulierem, & serpentem & quia electa, destinata, creata, & concepta est, ut Deum pareret, & esset filii Dei incarnati vera Mater: Hac eadem præcisione legitur usum D. Joannem Damasc. orat. 2. de Dormitione B. Mariæ; et de pœna peccati originalis loquitur: *Sed cedit legi læta ab eo, ut filia veteris Adæ: ut autem Dei viventi Mater, ad illum digne assumitur.* Quomodo utrumque cohareat? Luculenter D. R. Docet enim, quod B. V. Maria pro illo signo originis, & naturæ prioritate priori tantum, & non temporis, & in quo, vel reali præcedentia, & ut conceptibiliter, & præcisive ab omni alia ordinatione, fuit per concubitum carnalem concepta, & ut filia Adæ genita, ut Christus verè filius hominis dicatur, quia originem ex primò homine traheret; sub qua prioritate, & conceptibilitate, & in ista præcisione posset necessitatem contrahendi originale maculam contrahere, si aliunde, & pro eodem instanti reali, & in quo, sive temporis non fuisset illud debitum extinctum, quatenus simul & fuit concepta filia Adæ, & ordinata ad esse veram Dei Matrem: Taliter, quod eo instanti reali temporis nullomodo posset dici, vel quod maculata foret, vel quod necessitatem ullam contrahendi peccatum haberet; cum non esset reale instans temporis, in quo extitura non sit Dei Mater.

6. Exemplificat R. positionem suam duobus exemplaribus satis convincentibus; primum est desumptum ex 1. Gen. ubi dicitur: *Terra autem erat inanis, & vacua; id est, sine forma,* ait Aug. super Gen. ad litter. cap. 18. Quomodo sine forma existeret terra, contra sensum Philosophorum cum Arist. 1. & 2. Philic. Ecce in duobus exemplaribus ratio. Primi ex loco citato Aug. *Terra de se fuit inanis, quia non habens formam de se: Et quia de se non habuit formam, ideo in ea fuit causa, & necessitas, quia deberet dici prius in formis, quam formata; prius non secundum tempus, sed secundum ordinem originis, & hoc est naturæ prioritas. Secundi ratio ex eodem Arist. 1. Philic. textu coment. 69. *Materia enim de se nullam habet formam; ideo tam quodammodo præcedit, sicut perfectibile suam perfectionem; non prius secundum tempus, sed secundum ordinem originis: Et quia prius secundum ordinem naturæ oriebatur materia de se in formis, quæ erat informanda, ideo fuit in materia causa, & necessitas, ut esset sub priuatione priusquam sub forma.**

7. Deducimus ad assumptum ea, quæ satis ad rem nostram facere videntur, & sunt verba D. R., Similiter, inquit, quia caro Mariæ in quantum per concubitum genita, & in sua carnali Conceptione, ac in illo priori originis, sub quo filia Adæ concipiebatur, nec de illa dici poterat in illa præcisione, & prioritate naturæ, aut prædicari promittendo ad obediendum spiritui, usque dum in sequenti signo esset Mater Dei ordinata, concepta, & ut talis considerata; suo primo, non accipitur extincta illa necessitas contrahendi, nisi per secundum perficeretur, & de ordine in ordinem extraheretur, & elevaretur; Quo habito in uno (nunc vero, & reali temporis instanti, in illo eodem, mox ea præfata necessitas, quæ sequitur humanam naturam, ut per concubitum, habitam, extincta extitit, & non introducta, aut in re traducta in Beata Maria ut ad filium Dei concipiendum ordinata: Quemadmodum mox cum materia ponatur ens in rerum natura, cessat ejus informitas secundum Arist. & Aug. sic in proposito: posita in esse Carne B. Mariæ, sta-

Rit 2

tum,

tim, Deo prædestinante, acceptante, & ordinante introducit obedientialitas illius ad Spiritum, & nullum debitum in tali carne contrahitur.

8. Per alium locum satis speciosum Paul. confirmatur hic modus sentiendi, & habetur in Exordio suæ Epistolæ ad Rom. 1. sic enim ait de filio Dei: *Qui factus est ei; hoc est, ipsi Paulo, & in sua persona totum humano generi: Ex semine David; non ex feminibus, ut idem Paul. ad Gal. 3. notavit, referens illud Genes. 12. quod & Abraham promisserat: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Genes. 12. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis.* Nunc ratiocinatio. In omni tempore, & pro omni instanti sui esse, verum est dicere de Christo Domino, quod factus sit ex semine David secundum Spiritum Sanctificationis, secundum quem concipiendus est: Ergo pro omni tempore, & pro omni instanti verum est, dicere de ejus Sanctissima Matre, de cujus semine concipiendus erat, quod eum conceptura sit secundum Spiritum sanctificationis. Antecedens est certissimum, & consequentia legitima, satisfique aperta per regulam relativorum ut sunt conceptivi ad conceptibile, sicut calefactivi ad calefactibile: De his Arist. in Lib. prædicam. in ad aliquid docens, & tenens, quod unum relativorum semper intelligitur in alio. Igitur si Christus concipiendus est ex semine B. Mariæ secundum Spiritum sanctificationis, hæc sancta Mater illum conceptura erit secundum Spiritum sanctificationis; atqui Christus pro omni sui esse instanti dicitur ex hoc semine concipiendus secundum Spiritum sanctificationis: Ergo Beata ejus Mater pro omni instanti sui esse diceretur eum conceptura secundum Spiritum sanctificationis.

9. Proprius ad rem nostram; ulterio-rem, & expressiorem possumus subiungere hanc cogentem probationem: sed pro omni eo tempore, instanti, aut signo, quo verè dicatur de B. V. Maria, quod filium Dei ex suo semine conceptura sit secundum Spiritum sanctificationis, non modo ab omni specie peccati immunis censenda est, & privilegiata, verum etiam à debito, & necessitate contra-

hendi maculam per hoc, quod genitrix esset per concubitum carnalem contracto: Ergo ex loco citato ad Rom. benè concluditur puritas hujus Sanctissimi Mytteri, & B. Mariæ Intemerata Conceptio. Minor hæc subsumpta probatur: Primo: Pro illo tempore, instanti, aut signo, quo B. V. Filium Dei sit conceptura secundum Spiritum sanctificationis, comprehendenda est sub lege Christi, quæ hominem liberat à lege peccati, & mortis, ut ejusdem Apóst. ad Rom. 8. habetur, & in 7. ibidem declaratur loqui adhuc de originali: Igitur pro illo instanti, quo B. V. conceptura esset filium Dei, libera est ab omni lege peccati; hoc est, quod maculam, & debitum contrahendi peccatum penitus excludat.

10. Aliter, & secundò probatur minor ultima subsumpta, duobus locis factis; unus Itæ 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini;* Ibi loquitur ad litteram de filio Dei incarnato, cui consonat citatus Paul. ad Rom. 1. *Secundum Spiritum sanctificationis:* Alius est Luc. 1. *Eccc concipis:* ad Mariam Virginem; qua interrogante; quomodo fiet istud sine viri consortio; fuit per Nuntium responsum: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi;* sed pro omni tempore, & instanti vitæ Christi concepti requirevit super illum Spiritus Domini, sicut & sanctificationis: Ergo ab illo tempore, & instanti, in quo verificatur, quod B. V. Deum conceptura sit, supervenit illi Spiritus Sanctus, qui est idem Spiritus sanctificationis, & puritatis. Sic. Paul. ad Gal. 3. & 2; ad Cor. 3. *Ubi Spiritus, ibi libertas.*

11. Confirmatur assertum per Canones Ecclesiastic. Et primo: 19. q. 2. cap. *Dua sunt,* dicitur: Qui privata lege Spiritus Sancti ducitur, nulla ratio exigit, ut publica lege, quæ propter transgressores posita est, constringatur; sed B. Maria privata lege Spiritus Sancti adducitur, ut illico concepta, conceptura sit Filium Dei in Spiritum sanctificationis: Ergo obligata non extitit publica illa lege, quæ propter transgressores posita est: Ad hoc facit natura privilegii veri, & perfecti per legem privatam habiti, quod est su-

per

perfecto provisorium, & contrarii facti exclusivum: De Verbor. Significat. C. *Abbas:* Nam privilegium, quo B. V. Maria fuit in sua Conceptione exempta, fuit provisorium, contrarii facti exclusivum, & per privatam legem Spiritus Sancti habitum; sed hujusmodi privilegium, ut quædam lex privata est, & spiritualis, excludit omne peccatum; siquidem ubi spiritus, ibi libertas, per quam extinguendum est omne debitum contrahendi illud; & est eadem ratio: Quia spiritus totaliter dominatur: Ergo in illa hora, & reali instanti hujus privilegii provisorii, & legis privatæ Spiritus Sancti liberantis, & dominantis, nec umbræ peccati, nec debitum contrahendi apparuit: Ergo in illo facto Conceptionis B. Mariæ ut conceptura filium Dei in Spiritum sanctificationis, privilegium extitit contra peccatum, & ejus necessitatem contrahendi.

12. Præterea: De Privileg. Benefic. constat, quod in Beneficiis Principis plenissima adhibenda est interpretatio; at qui fuit beneficium Patris Æterni, quod B. Maria esset conceptura filium suum secundum Spiritum sanctificationis: Ergo remissio totius peccati, quam secum affert Beneficium istud, cum sit Spiritus Sancti, cujus est, peccata remittere, plenissime interpretanda, & accipienda est: Ergo excipit omne, quod peccatum redolere possit in illo instanti, & signo, in quo de illa dicatur, quod sit filium Dei conceptura: Ergo & peccatum, & necessitatem contrahendi peccatum. Ulterius: De Privil. in 6. cap. *Si Papa,* datur hæc regula; quod si Papa aliquos recipiat in proprios sibi subiectos specialiter, tunc censentur omnimodè exempti; sed Deum ordinare B. V. concepturam ab initio sui, esse filium suum, est, eam recipere in sibi specialiter subiectam: Ergo & plenissime à lege ipsi Deo contraria exemptam.

13. Insuper: Ibidem cap. *Volentes* cavetur: Quod libertates, & immunitates privilegiorum coarctantur vel ratione delicti, sive per contractum; rei videlicet, de qua agitur; sed contra privilegium Maternitatis B. Mariæ, nec delictum extitit, nec contractus cum Diabolo ini-

tus locum habuit, ut dictum est: Ergo nulla via privilegium illud coarctari posset: Ergo manet, undecumque in B. Maria libertas, & immunitas. Denique Aug. loquens de privilegio Gloriosa Assumptionis ejusdem Mariæ docet: Quod quando in scriptura authentica non invenitur, quod assumpta sit in corpore, vel non; ignotum est, quod hoc indagatioui Sanctorum studiorum scriptura reliquit. Igitur, concludit D. R. & nos cum eo: si hucusque non nobis autentice constat de hoc privilegio exemptionis B. Mariæ à lege peccati; standum erit indagatioui Sanctorum DD. sed inter cæteros Anselmus specialibus rationibus, & cogentibus indagavit veritatem istius purissimi Mytteri: igitur ad eas proponendas erit, pro nostro instituto, congruum pervenire.

14. In libro etenim, quem scripserat de conceptu Virgin. vocatum, ita incipit: *Principium, quo salus mundi processit mihi considerare volenti, occurrit hodie, nam spiritus de Conceptione Mariæ Matris Dei:* In quo plures prædicat excellentias istius Sanctissimæ Domine, & specialiter cap. 4. habet aliquas rationes pro veritate sanctificationis, & puritatis in sua Conceptione, de quibus unam vel alteram dabimus, quasque in D. R. legimus, ut DD. studio Sacrarum Litterarum adherere valeamus, & indagatioui veritatis accedamus. Prima per ordinem est D. Anselmi citati sumpta à materiali similitudine: Nam Nux, Castanea, Lilium, Rosa inter spinas procreantur, & suis aculeis nullo modo punguntur: Ergo Mater Christi potuit concipi inter peccatores expectatoribus gigni; & procreari, & tamen peccati maculis non deturpari. Ad quod alludunt plura loca quæ in medium posset afferri ex Sacris Litteris de hujus Sancti conceptus puritate qui Liliis, Rosis, & aliis floribus, fructibus mysticè comparatur in ea materia, de qua in presentibus ut: *sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* Et, *sicut plantatio Rosa in Jericho. Cant.:*

15. Secunda Anselmi ratio desumpta habetur ab hac congruentia: Beata Dei Mater ordinabiliter, & acceptabiliter itatura, & ordinata est ab eo primo sui

sui esse instanti, ut Sanctum Sanctorum esset conceptura: Ergo in illo eodem instanti, & pro signo hujus ordinationis esset similiter acceptabiliter, & ordinabiliter Sancta, Pura, Intemerata. Patet consequentia: Nam Deus hoc tali instanti potuit facere, sicut eam illico conceptam ordinare adfore suam Matrem: Ergo voluit ita facere; cum contrarium rationabile non appareat. Ulterius roboratur congruitas hujus rationis: Deus predestinavit Matrem tuam concipiendam, ut esset totius universi, Angelorum, Hominum, Caeli, & Terrae Domina, Imperatrix; sed hoc totum eidem B. Virgini attribuitur, quia concepta fuisset, ut esset Sancti Sanctorum Mater, cui ex privilegio gratiose annexum est tam praeexcellens praedominium: Ergo ipsi non est negandum privilegium propriae sanctitatis, & gratiae in tali instanti. Clarefcit haec consequentia per locum arguendi a majori bene ab omnibus Philo- sopheris cum Arist. receptum: Si quod magis est habemus in illo instanti, quis dubitaret, de eo quod minus est?

16. Hac etiam utitur argumentandi ratione D. Ans. ibi: Deus est artifex, Sapiens, praepotens, & Sanctus Sanctorum, & ideo fundamenta suae mirabilis in tempore Incarnationis in Montibus Sanctis stabilivit, & quasi in munitionissima Civitate fundari fecit; Gloriosa dicta sunt de hac praeeccelsa Civitate! atqui fuit singularissimum Mariae privilegium, ut illico concepta, & in instanti, & pro signo primo suae Conceptionis esset ordinata, & ad esse primum hujus Incarnationis fundamentum erectam; ut per Ps. 86. canitur: Ergo in eo signo, & instanti ad esse Sanctam, conceptam. Roboratur haec consequentiae ratio: Si Deus assumpsisset unum bonum Angelum pro salute hominum, & in sui creatione illum ad tam sanctum finem ordinasset, esset & ab ipso Deo constitutus sanctus in praefata sui conditione, ceteris adhuc majoribus, & peccatoribus existentibus; sed hic est in proposito Conceptionis purissima Maria, quae ad salutem salutis humanae ordinata est Mater Redemptoris in Spiritum Sanctificationis concipiendi, in quo & requiesceret idem Domini Spiritus:

Ergo & suae Matri supervenit, & in omni instanti sui esse eidem inhabitavit. Sit denique ultima Ans. ratio ex Philosophia, quae tantum curat de fine, & in eo actuum species adinvenit, & nos docuit de ista Conceptione; quod enim, quia pro fine habuit hominum salutem, & sanctitatem, ea consequenter salva, & sancta declaratur esse, vel ad minus congruit ita esse, & concipi.

17. Et ne insoluta relinquamus dubia, quae a Sanctis contra praedicta offeruntur, & in hoc etiam ductum Anselmi sequamur, brevibus, iis propositis, solventur. Primum dubium insurgit ex eo, quod omnis praedestinatus a primo instanti sui esse est ad gloriam destinatus, & ordinatus; siquidem ubicumque concipiatur praedestinatio, ac de quocumque dicatur, est in lectione Aug. Preparatio gratiae, & gloriae; sed in illo instanti nullus fuit a peccato immunis, quia praedestinatus: Ergo et si B. Maria esset praedestinata ad esse Dei Matrem, non sequitur illi infuisse tantam immunitatem, ut adhuc necessitatem contrahendi originale non habuisset. Respondet R. ponens cum Ecclesia Canon. duplex genus privilegiorum; nimirum, communia, & personalia; ad primum genus pertinet praedestinatio communis Sanctorum; ad secundum, specialis praedestinatio B. Mariae ad esse Dei Matrem. Privilegium commune Praedestinationis Sanctorum vocatur privilegium protectionis, cujus virtute Deus protegit praeelectos ab aeterna damnatione; aliud est, ad iudicium perceptio libertatis, per quod & a damnatione, & peccato liberatur persona sic privilegiata; de hoc valet ad illud, de illo vero non tenet ad istud. Dicamus expressius: Quod privilegium communis formae, qualis est praedestinatio Sanctorum, indefinitum est; privilegium vero specialissimum Maternitatis B. Mariae est determinatum, & tale, ut sequatur personam, & semper eam comitetur; sic Reg. juris in c. Ergo pro omni illius instanti, & essendi signo eidem personae in est.

18. Dubium aliud, & ponderis non levis oritur ex eo, quod si B. Maria nec debitum, nec necessitatem contrahendi

peccatum originale habuisset, nulla via Redemptore indiguisset; cum non esset unde, vel propter quiddiceretur Mater Dei redempta, & liberata per filium suum, huiusque Redemptio; & si copiosissima ad suam Matrem non pertingeret; quia saltem redemptione sua non reguisset. Ad hoc quidam dicunt: Quod B. Maria verè, & proprie diceretur redempta, immo & magis privilegiata quam omnes alii homines, videlicet non remissione, sed per praeservationem ab omni debito, & peccato divinitus habitam; & valde consonat Ecclesia de ista Domina canenti: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum filii sui habitaculum preparasti; ecce ordinatio Mariae, quae filia Adae concipitur ad esse Dei Matrem; prosequitur: Ut qui ex morte ejusdem filii sui praevisa, eam ab omni lae praeservasti.* Vides etiam omnimodam redemptionem; perly *Ab omni lae;* & adhuc quod solum esset liberatio praeter activa; igitur & vera fuit Mater, & similiter proprie a filio redempta, & ab omni lae immunis ab eo signo, in quo destinata erat ad esse Dei Matrem.

19. Quamvis solutio non displiceat, sed valde congruat, praeterea addimus, certissimum esse, primam illam, & singularem gratiam primi instantis purissimae B. Virginis Mariae Conceptionis, dona omnia superna, & virtutes infusas eidem Sanctissimae Virgini collatae fuisse in vi meritorum Christi Domini, quatenus & filius suus est, & ut sic dicamus, immediatus illius caput; est etiam haec Domina hujus Mystici corporis; ejus Christus caput est, collum; nam per ipsam ad nos transeunt istius superni capitis influxus; unde cum munera, & officia Redemptoris essent, & pro peccatis hominum satisfacere, ut canit Ecclesia ex sacris litteris: *Qui pro nobis Adae debitum solvit, & ulterius; gratias omnes suis membris promereri; de quo Paulus non semel docet, dicens, quod per unius hominis obditionem justii constituuntur, sicut per unius inobedientiam peccatores: De quo tom. 4. tract. 14. & 16. a q. 13. Possemus addere addita: Quod quantum ad officium satisfaciendi, Christus pro B. Maria non exercuisset munus*

Redemptoris; quia nullum contraxit in sua persona debitum, quod solveret; bene vero dicitur, & est sua Matris redemptor secundum aliud officium capitis, quod est, suam, & omnes illius gratias mereri.

20. Et si haec solutio non appareat sufficiens, superaddi potest: Quod redimere, & liberare triplici via fieri potest; primo: Lapsam, & jacentem erigendo. Secundo: Labentem, & prorsus ad calcem inclinatum manutenerè, vel manum supponere, ne cadat; tertio: Non modo lapsum praeveniendo, & vires gratiae tribuendo, quae casui oblitent, ut est gratia sanctificationis, verum etiam extinguendo prorsitatem, & naturae pondus; & inclinationem ad lapsum; & hanc esse necessitatem contrahendi peccatum originale, supra dicebamus: Exhibitis tribus solum tertium modum Redemptionis B. Mariae adaptamus cum Aug. & Anselm. quia primus supponit peccatum; & cum de hac Sanctissima Domina loquimur, nullus de peccato sermo habendus est: Nec secundus: Si quidem licet peccatum non inferat, debitum tamen, & necessitatem ad illud contrahendam supponit; & B. Maria habuit hanc prorsitatem illico extinctam, cum esset per mortem filii sui praevissam, vel per ordinem, & relationem ad hunc filium, ab omni lae mundata: Relinquitur tertius modus Redemptionis ipsi adaptabilis, filio congruus, & sacris litteris, & PP. conformior.

21. Ad eum reduci potest solutio alia, quam afferit D. R. ad praesens debitum, & illi videtur annuere. Distinguit enim, & nos cum eo distinximus in illo reali facto esse primi instantis Conceptionis B. Mariae, unum signum naturae prius origine, sub quo concipitur ut filia Adae per carnalem concubitum genita, & in eo signo debitum, & necessitatem ad peccatum contrahendum, quae necessitas mox in illo eodem instanti, et si pro alio signo posteriori, ut scilicet est concepta ad esse Dei Matrem in Spiritum Sanctificationis, extincta fuisset, taliter, quod pro eodem reali instanti non verificetur, quod hanc necessitatem, & debitum ad peccatum contraxisset: Consequenter

quenter ad quæ; & quia in B. Maria illico extincta fuisset ea necessitas, quia conceptura erat filium Dei in Spiritu Sanctificationis, & in vi hujus relationis Maternitatis, dicendum venit, quod etiam quoad hoc posset dici cum proprietate esse à filio suo redemptam, sicut & Christum suæ Matris Redemptorem.

22. Solutio in hoc modo dicendi istam patitur gravissimam objectionem: Videtur secundum dicta, quod includitur implicatio in doctrina: Nam ex ea sequitur, quod in eodem reali instanti primo Conceptionis B. Mariæ sit, & concipiatur eum necessitate contrahendi, & exempta ab ea necessitate, & hoc est, esse exemptam, & non exemptam; solutam, & debitorem; tum: Quia in illo instanti fuit filia Adæ, & Dei Mater: Ergo necessitata ad peccatum contrahendum, ut filia Adæ; & exempta, ut Mater Dei. Assumptum objectionis declaratur: Signum illud prius natura, & originis Conceptionis B. Mariæ, ut filia Adæ, vel est esse vitale, vel factum esse talis instantis; primum non potest dici; quia in via ad esse adhuc non concipitur proles, & consequenter nec peccatum, nec debitum, nec necessitas contrahendi ipsum peccatum, & pro tanto nec questio: Si verò dicatur secundum, reddat vis dubii, & apparet, quod in facto esse illius instantis verificatur ille duplex conceptus in B. Maria, & quod esset filia Adæ, & debitorum Deo, & simul Mater Dei ac exempta, & ita coadunarentur, sicut lux, & tenebræ in uno instanti gratia cum macula peccati.

23. Solutionem ad hæc prævenit D. R. & ante omnia eam per ista exemplaria cum eo stabilimus: In facto esse unius realis instantis, et si pro diversis signis coexistunt forma, & privatio, gratia, & peccatum, lux, & tenebræ; in eodem facto esse unius instantis concipitur juxta Arist. materia informis, & formata; & de eodem instanti passiva creationis terræ, dicitur quod sit inanis, & vacua, & suis debitis formata, & plena: Ergo pro illo primo instanti, in quo verè, & realiter incipit esse B. Maria, quod est vel ultimum sui non esse, sive primum sui esse, & purissima passiva

Conceptio ipsius, pro uno signo prioris originis conceptibilis est ut filia Adæ, & obnoxia necessitati peccandi, & pro alio signo posteriori, ut Deum conceptura concepta, conceptibilis est pura, immaculata; ita quod tale signum consummativum, & terminativum, in quo perfectum, & completum est factum esse primi realis instantis ejusdem Immaculate Conceptionis, constituatur prorsus Sancta, & intemerata B. Maria, & ab illius initio.

24. Alia insuper possunt, quæ ex Sacris litteris, & Ecclesiæ Canon. offeruntur dubia, impræsentiarum adducere: Sic Ps. 13. & 12. legitur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum; id est, ut ait Glos. Præter Christum. Hunc versum tractans Apost. ad Rom. 3. prædicat, quod non est justus quisquam præter Christum ut in Glos. & Eccl. 7. Virum unum de millibus reperi; Glos. Christum, qui solus est perfecte bonus: Mulierem ex omnibus non invenit. Præterea: Solus Christus est Sanctus, sic prædicatur, & annuntiat ratione personæ, quæ est filius Dei Luc. 1. *Quod enim nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei; sed privilegium personale sequitur personam: Ergo solum erit hujus Divinæ, vel æqualis dignitatis: At qui inter puras creaturas nulla est taliter possibilis: Ergo solam hæc Divina humanata Persona annuntiat, & est ab initio sui sancta, & immaculata; & de ea vates prædicant præexcellam exemptionem, ac puritatem absque labe minima peccati, & delicti.**

25. Hi inter alios sunt peculiare textus, & qui possunt circa assertam sententiam maximam inherere dubitationem, propter illam generalitatem sine exceptione aliqua notatam; ut *omnes declinaverunt; & Omnes peccaverunt, &c.* sed qui dicit *omnes* nullum excipit: igitur B. Maria sub illa generalitate comprehensa, non habet undè à communi lege lata eximi possit. Ad quæ cum nota sufficientis veritatis, & probabilitatis dicimus: Quod si benè perpendantur, non obstant illius puræ integritati, nam illa universalis per ly *omnes* notata modificabilis est juxta plures Canon. Bibl. & Eccl.

cles. ut primò de ingressu in Noè arcam dicitur: *Ipsi, & omne animal secundum genus suum.* Genes. 7. & insuper de oblatione jejuniorum idem, eo modo cavetur: Cap. *Omnia;* sed hic, & alibi modificatur universalitas notata per ly: *Omnes, omnium, &c.* & excipitur in Glosa illud pro quo etiam cavetur: Ergo & in nostro casu secundum dicta ex cap. *Dua sunt,* circa contractum originalis, quo ad factum communi lege statutum, de Matre Dei, potest, & accipi debet. Dicamus clarius, & expressius: Quod loca ea Sacra, & textus debent accipi sub notata universalitate juxta Dei statutum generale, & commune; aliter enim possent accipi juxta legem privatam, & privilegiativam; tuncque simul utrumque statutum permaneret, ut habetur Reg. jur. in 6. *Generi per speciem non derogatur;* nimirum quod, & lex generalis, & peculiaris exemptio compatiantur circa diversità.

26. Textus a ii in medium denique offeruntur solvendi, ex quorum solutione plures reliqui, qui contra hoc faciant, enodentur; primo: Ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ex quo arguitur per cap. *Quisquis:* Et de Baptismo cap. *Majoris.* Nulla persona, quæ æguit Baptismo Spiritus Sancti, est immunis ab originali; sed B. Maria Baptismate illo eguit: Ergo immunis non fuit à lege peccati. Major constat in cap. *Quisquis:* Minor, in cap. *Majoris;* & de consec. dist. 4. cap. *Bapt.* Undè concluditur, quod B. Maria, quia Baptismo æguit, immunis non est à necessitate peccati, & quod sine Baptismo decedens non ingrederetur in Cælum, quod est Regnum Dei per Joan. notatum; cum igitur huic ingressui solum obesset peccatum originale; quapropter, qui cum illo solo decedunt, ad Limbum damnantur; immò & omnes quotquot mortui essent, adhuc justificati per Dei gratiam per Christum venturum collatam, illico non evolarent in Cælum, usque dum idem Dominus, & Redemptor januam illam per suam ingressam per eam, aperiret; ut canitur Ps. 23. *Atollite portas Principes vestras, &c.* Legitimè se- Tom. IV.

quitur, quod hæc janua clausa est originali crimine infestis: Ergo B. Dei Matrem similiter hoc statutum comprehenderet; cum & Baptismo ægillet; & ipsi esset porta Cæli clausa, casu, quod diem obierit ante Christi Ascensionem gloriosam.

27. Non possumus præterire cap. *Firmissime* de Consec. dist. 4. ubi secundum legem statutam declaratur, quod omnis, qui genitus, & conceptus sit per concubitum carnalem viri, & femine, obnoxius esset peccato originali: Immo, si Christus isto carnali concubitu fuisset generatus; cum hoc fieri non posset sine concupiscentia parentum peccati originalis illativa, neceriam esset ab eo immunis; insuper: 27. q. 2. cap. *Omnes* habetur: *Quod omne bonum nuptiarum ponitur in parentibus Christi, præter concubitum nuptiarum:* Et reddit rationem: *Quia hoc in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato originali.* Horum probatio videbitur in Pauls ad Ephes. 2. *Natura sumus filii iræ;* quasi diceret: Quod primum Adæ peccatum fuisset quasi quædam pestis humanæ naturæ; ideoque quilibet ex ista natura per carnalem concubitum genitus, hac peste necessario concipitur infestus; siquidem eam accipit per ealem propagationem rebellatam Spiritui; quatenus taliter per peccatum fuerat constituta: Ergo ex his non leve sumeretur argumentum, et si non factum; quia à Deo esset exempta, & privilegiata, ad minus graviter convincens, in B. Maria necessitatem contrahendi illud peccatum.

28. Et ut prædictis fiat satis ante omnia circa Baptismum B. V. Mariæ in re susceptum, & fortassis respectu Joannis Baptistæ, atque Apostolorum, nil certum positivum statuere possumus: Scimus Baptistam ex utero Matris sanctificatum, & credimus ita fuisse; & quod Baptismo in re non ægisset pro remedio peccati originalis. De Apostolis in Actis Apost. cap. 1. legitur: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Igitur & Joannes baptizatus extitit in utero Matris sanctificatus, & justificatus, & Apostoli in Cænaculo per descensum Spiritus Sancti in

igne super eos, vel etiam per modum impulsus vehementis, baptizati fuissent: Ergo non apparet, unde probari posset, quod per aquam, & Spiritum Sanctum renati fuissent: Neque quod fuisset illis necessarium baptismum aquæ in re susceptum, ut regnum Christi introite valerent.

29. Nunc discurre, seu conjectare possumus in hunc modum de B. Maria, & quod in primo sui esse instanti gratia sanctificationis fuisset ornata, plena, & superplena, & quod ab illo eodem instanti, quo filium Dei conceptura erat, supervenisset super illam Spiritus Sanctus, de quo Luc. 1. & similiter, ac superexcellso modo spiritu eodem baptizata, sicut de Apostolis in Act. 1. vidimus: Tuncque baptismum illius instantis esset flammis flagrantissimi, ut de Baptismo Canaculi congruum est sentire. Nec ex eo, quod Baptismum hoc esset institutum in remedium peccati originalis, sequitur B. Mariam baptizatam æguisse Baptismo in illius remedium, de quo in medium adducere possemus, & rationes, & exemplaria.

30. Et in primis Christus Dominus venit ad Joannem prædicantem in deserto Baptismum Penitentia, ut baptizaretur ab eo. Matth. 3. & pro nullius remedio indigni tali Jordanis ablutione, & nulla alia aptiori via ad Jordanem illum accessisset, nisi ut ejus aquas sanctificaret, & veri baptismi constitueret materiam: Sic enim circumcid. voluit, etsi non æguit, ut esset aliis in exemplum, & legem non solveret, sed adimpleret: Ergo dato, quod B. Maria, ut cumque, esset baptizata, adhuc Baptismo aquæ in re suscepto, non ex eo probatur, quod æguisset Baptismo illo in remedium peccati originalis. Diximus; quod fortè fuisset sic baptizata, & certè sine omni assertionem tenemus, quod sicut de Apostolis plures ex PP. docent, eos baptizatos fuisse, vel antequam Dominus Jesus binos ad prædicandum mitteret, vel potius in nocte Canæ præviè ad sui sanctissimi Corporis Communionem; ita de B. Maria sentiendum, si in his occasionibus; vel aliter secretius factum fuisse, credendum videtur.

31. Ob plura itaque tenere possumus,

hanc sanctissimam Dominam baptizatam; primò: Ut prima esset, quæ adimpleret primam, & novam legem, ac mandatum novum Evangelicæ institutionis. Secundò: Ut admitteretur, & reciperetur jure, ut sic dicamus, externo, ad novum fædus Ecclesiæ cum Deo initum per unum Mediatorem Christum Jesum, ut de Apostolis tenent aliqui Expositores cum PP. & idem, & potiori fundamento de B. Maria discurre licet. Tertio, ut Ecclesiæ Janua, quæ clausa erat, per claves Baptismi ipsi appareret aperta; quod etsi sit pæna peccati, vel residuum peccati, sicut est mors, & aliæ calamitates, non infert necessitatem peccandi, sed solum ejusdem fuisse speciei cum vitiata, & delinquente natura. Per quod etiam solum manet dubium de apertura Januæ celestis, & quo jure adhuc B. Mariæ esset clausa, quin fuisset peccato originis inquinata; sicut nec ex ejus morte, angusticiis, & aliis panis idem licet inferre.

32. Et ut de hoc omnia compleamus in honorem hujus Sanctissimæ Matris, memores erimus doctrinæ cujusdam D. Anselmi ibi circa hoc traditam: Et antea discurremus in hunc modum; Ecclesia ita canit: *Paradisi porta per Habam clausa est, & per Mariam Virginem iterum patefacta est.* Si namque per Mariam Virginem Cæli porta clausa per peccatum appetit omnibus, quanto magis ipsi semper aperta foret? Nuntenus, & sententia Anselmi; tenet ergo: Quod decretum, & Divina dispositio de B. Mariæ ordinatione, ut esset filium Dei conceptura, pertingit à primo instanti usque ad ultimum suæ vitæ, ita quod tempore illo sui gloriosi transitus portam Cæli haberet apertam, quatenus post Christi Domini Ascensionem in Cælum fuisset impletum; unde in vi præsentis decreti, & scholasticè loquendo, insensu composito illius, moti non posset illa celesti Januam clausam, usque dum Christus Dominus eam suæ Matri aperuisset.

33. Concludamus ad litteram solutionem hujus dubii, & dicamus: Quod locus ille Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* si tinemus adhuc B. Mariam comprehendere; ex dictis immediate hic concluditur, quod ipsi fuisset clausa Janua, celestis

lestis absque eo quod contraheret necessitatem peccati, cujus delicto porta Cæli clausa fuerat; siquidem porta Cæli aperiri non potuit nisi Rege Gloria ingrediēte per eam; quatenus ita determinatum, & decretum erat; ut scilicet, usque dum Deo offenso per hominem, per hominem Deum fieret satis; unde bene componitur, quod B. ejus Mater luat pœnas peccati, absque eo contraheret ejus maculam; & hoc esset legem omnem implere: Sin autem aliter sentiamus; non erit absque fundamento stabilitum; nam cum sub aliis legibus, & statutis generalibus non sit hæc Domina comprehensa sed ab iis privilegiata concipiatur; sic lege ista sensè amuse exemptam; ita, quod supposita Dei ordinatione, & electione ad eam Matrem suam constituetur, sub edito eo pœnarum latarum non intendet illam comprehendere: Congruit, ut legem, quam non solvere venerat, sed adimplere, in honorem suæ Matris quantum fas esset, observaret; de hac violata reprehendit Phariseos, cum ipsi suos coarguerent discipulos: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei::: Nam Deus dicit: Honora Patrem, & Matrem.* Matth. 15.

34. Ad ultimum, quod ex cap. *Firmissimè*, assertur, dicimus: Quod homo ille, qui ex concubitu carnali nascatur, contrahit carnis rebellionem, & ad spiritum inobedientiam, quod est originis læ peccatum; ortum tamen ab ea concupiscentia carnis necessario concubitu comitante; & ideo nascitur homo natura iræ, & Adæ peccatoris filius; & solus Christus Dominus, quia ex illo concubitu non fuit genitus, solus non nascitur natura iræ filius, quia scilicet, concipitur, nascitur, & est filius Dei, & solus sub hac speciali ratione in sua Conceptione, & generatione, & quatenus originem trahit ex homine, nullum ex homine contrahit debitum: At verò ejus gloriosa Mater non ista via, & ratione, & quia ex concubitu carnali concepta non sit, sed quia in suo fieri electa, & concepta extitit, ut ad esse hujus filii Matrem ele-

vetur, privilegiata est pro illo signo talis ordinationis à concupiscentia orta ex carnali concubitu nuptiarum; & hæc lex pro aliis generalis, passa fuit limitationem, & exemptionem in B. V. Maria propter ea, quæ superius dicta, reliquimus.

35. Secundum punctum, quod declarandum suscipimus, erat: Quod primum instans hujus Purissimæ Conceptionis B. Mariæ deberet festivissimè celebrari in Ecclesia: Hoc ab immemorabili habet in usu carus fidelium ubique terrarum, & temporibus D. R. Romæ plura majori apud Carmelitas festum Purissimæ Conceptionis B. V. Mariæ solemne erat; & Britannia Magnæ anno suprâ millesimum trecentesimo in Conventu generali Regni statutum, & firmata fuit festivitas Conceptionis B. V. Mariæ; & quid hodie solemnius in utroque mundo? Ad hoc faciunt, & ad hujus Mysterii sanctitatem celebrandam utriusque testamenti Pagina, in Sacris Canonib. non leve fundamentum hujus veritatis, in PP. encomia repetita ad primum esse B. V. Mariæ ordinata; & quod jam super omnia viget, consensus communis Ecclesiæ, assensus fidelium DD. Prælatorum; Regum, Principum ob hujus Mysterii cultum, & venerationem; & quod potius est, desideratam, & diu sollicitè expectatam infallibilitatem: Huc usque nunc habemus de B. Mariæ Religionem: O si fidem haberemus! Hoc denique erit, quod Theologi vocant desinibilitatem proximam hujus venerabilis Mysterii.

36. Et ut plenior de puncto præsentis notitia habeatur, & quæ ejus ratio dubitandi perveniat, triplici via de illo loquendum convenit; prima erit: inquirendo, si; habito, ut vidimus, quod hæc Conceptio, & instans primum facti esse B. V. Mariæ consideratur sanctificatum, & purum ab omni labe, & macula originalis peccati; ita quod in eo instanti nec illud contraxisset, immò nec debitum; aut necessitatem contrahendi permitteret, ex supposito Divino privilegio,

de quo nos supra latissimè; deberet ita festivè Ecclesia celebrari? Secunda via est. Si præcindamus B. V. Mariæ conceptum primum sui esse ab illa puritate, & sanctitate, ut potest, solum attendentes ad respectum illum, & ordinem, quem ab illo initio sui esse dicit ad nihilum Dei in utero, & ex semine suo concipiendum, vel in quantum concepta fuit, ut esset Deum hominem conceptura; anigitur in ista consideratione affecti Mysterii teneamur ad ejus condignam venerationem? Tertia via potest addi, videlicet: Si hæc festivitas, & cultus intelligi debeat pro omni tempore, & circumstantiis connaturalibus talis instantis primi Mariæ conceptæ; seu expectetur adhuc hora suæ animationis; utpotè, quia per Philosophos benè receptum habetur, quod post instans, & tatus jam geniti existentiam, aliqua temporis spatia præcedant ad ejus animationem: Quo sic stante in B. Maria, & benè recepto, est ultima præfens difficultas: Num celebrari deberet, ubi concepta, & nondum animata concipitur; vel alio tempore relinquendum?

37. Ad primum ergo deveniendo, sentimus cum doctrinis expressis D. R. loco supra citato, quos nunc compulatas dabimus; quod dignè, salubriter & debitè festivissimè celebratur in Ecclesia instans primum, & primum esse B. V. Mariæ, quia in factu esse illius sancta, & pura, privilegiata, fuerat, & immunis ab omni peccato, & labe, sive macula illius. De hoc nulla ratio afferretur aptior, & probabilior, quam plura ea, quæ in primo puncto dedimus de Sanctitate B. Mariæ à primo instanti reali sui esse intus, & inamissibiliter communicata eidem; sed quando per Canon. Bibli. Ecclesie, & PP. sententias hoc convincitur, & ulterius accedit assensus communis fidelium, est sufficiens Mysterii declaratio, ut debeat pro meritis festivè celebrari, & solemnizari: Ergo eo probato in Mysterio Conceptionis B. Mariæ, habemus probatam condignitatem ad ejus festivitatem. Plurimum ad hoc facit, quod superius notabamus de illo Paul. *Qui factus est ei ex semine David secundum spiritum sanctificationis; & quod idem Paul.*

ad Galat. 3. notat, quod scilicet non dicitur *in seminibus, sed in semine*, & quod ad Abraham Deus quali unum semine declarat, esse, in quo esset filius Dei genitus; quale foret suæ Sanctissimæ Matris materia pro illius generatione ministrata: Ergo hoc solum erit semen, ex quo esset filius Dei genitus in spiritu sanctificationis: Sed hoc deberet assumi à Deo in eodem Spiritu, quatenus relativum est ad filium genitum: Ergo æquo jure deberet & festivè celebrari, sua habita proportione, filii generandi primum esse in Spiritu sanctificationis, & Matris eum conceptura in eodem Spiritu.

38. Declaratur per hæc assumptum; & pro illius confirmatione dabimus statutum quoddam Concilii Cantuariensis in forma expeditum: *Quia inter omnes Sanctos memoria Beatissimæ Virginis Mariæ, & Matris Domini eo frequentius agitur atque festivius, quo majoris gratiam apud Deum, qui ejus Conceptionem prædestinatam ad Unigeniti sui temporalem originem veraciter ordinavit creditur invenisse venerabilis Anselmus, &c.* Nunc idem Anf. cap. 18. de Concept. Virg. *Dignum erat, ut ea puritate, qua major sub Leo nequit intelligi, virgo illa niteret: Vult tamen, & ibi declarat, ideo celebrandam esse ejus Purissimam Conceptionem, quia ut prædestinata ad esse Dei Matrem, plena fuisset gratia, & nullam culpæ maculam contraxisset. Theologicè convincitur: Nam prædestinati in forma, & ut tales, præsciti sunt, & præparat ad gratiam, & gloriam; ideoque sunt etiam censendi finaliter sancti, & pro tanto venerandi, ut ait Paul. ad Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit, hos & justificavit, & magnificavit; sed quod iusti magnificentur, est, quod ii inter Sanctos venerentur: igitur cum B. Maria esset prædestinata ad Deum concipiendum, & propter hoc nunquam peccatura, ut Aug. Anf. & Mag. docent, ac quia præterea ejus Sanctitas est major excogitabilis, majori cultu, & veneratione debet sanctitas suæ purissimæ Conceptionis venerari.*

39. Pro secunda via tenemus: Quod primum instans Conceptionis B. Mariæ, ut præcisè est ad filium Dei concipiendum ordinatum, & omni alia quacumque

grat;

gratia, & privilegio præscisis, debet festivissimè celebrari, & in Ecclesia, venerari; primo: Quia in hoc instanti omni gratia, sanctitate, & privilegio præscisis, incipiunt primordia lucis novæ, specimen Evangelicæ legis, & gratiæ Redemptoris. Secundò: Quia in tali instanti fuit verum dicere: Nunc est esse Matris filium Dei, Redemptorem mundi, & illius, qui vicit culpam, & eidem finem imposuit, concepturæ; sed relativa sunt simul natura, & cognitione; ergo in illo nunc, & instanti primo esse Mariæ, & est esse Redemptoris conceptibilis, & simul cum tali esse, esse Matris suæ Sanctissimæ; sed instans, in quo talis ordo, & respectus est conceptibilis, est omni veneratione, festivitate, & celebritate dignum: Ergo licet primum instans Conceptionis B. Mariæ, adhuc quod in eo gratia sanctitatis non concipiatur. Unde Anf. in Epist. ad quosdam Episcopos Angliæ dicit: *Erubescant omnino insensati, qui tantum diem, tanquam mysteria, ac sacramenta, tenebris ignorantia excacati, respuunt celebrare::: Et concludit: Celebrantes suo die dignis officiis alacriter utramque ejus honorabilem conceptionem spirituales scilicet, & humanam.*

40. Tertio, viam istam corroborat D. R. hic: Nam veneratio, & cultus pertinent ad voluntatem, ideoque, ut hæc exerceatur, sufficit diversa intellectus consideratio, scilicet, quod B. Maria ut in primo sui instanti considerata ad filium Dei generandum, est sufficiens materia cultus, & venerationis, omni alio secluso: Ergo hoc instans unice, deberet sic festivè celebrari. Antecedens probat R. per exempla logicæ, philosophiæ, Medicinæ, & juris Canonici; & in hoc ultimo, quod specialius ad rem nostram facit, concludit per id, quod statuitur de consecrat. dist. 3. cap. 1. videlicet, quod dedicatio Ecclesiæ debet celebrari, non in quantum la. idea structura ornata, sed ut ad Divina officia deputata: Igitur ad hujus instar, illud primum esse primi instantis B. Mariæ, in quo ordinata est ad esse Dei Templū, & Spiritus Sancti Sacramentum, potius quam materialis Ecclesia, deberet venerari, licet de Gratia illius, & sanctitate nil pensetur. Similiter de reliquiis mortuorum, & eorum of-

sibus, quæ juxta. canonicas Sanctiones, non ut ossa, sed ut sanctorum ossa venerantur: Ex quibus conruit, ut dicamus finaliter cum Anf. *Prædestinata fuit* (B. Maria illico, & in primo sui esse instanti) *& præordinata in hoc opus mirabile, quod Dei sapientia sibi Matrem elegit.* Ergo ob præcisam rationem, qui futura erat Dei Mater, dignis officiis venerari deberet, quamvis motivum aliud non adesset.

41. Circa tertiam viam, in qua de purissima B. Mariæ carnali Conceptione loqui intendimus; vel nunc procedimus juxta primum sensum aliquorum PP. & D. D. qui tenuerunt, fuisse adhuc à communibus legibus naturæ exemptam Dominam istam, salva in omnibus veritate suæ humanæ carnalis generationis; & quod pro hac parte, illico, & in primo sui esse fuisse genitam, & animatam, sanctam, & adhuc gloriosam, omniaque in unico illo instanti perfecta fuisse sensere: Sic inter omnes Damasc. orat. 1. de Nativitate Mariæ; inquit enim: *Quoniam futurum erat, ut Dei Genitrix. & Virgo ex Anna oriretur, natura gratia factum antevertere minime ausa est; verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum præduxisset. Siquidem oportebat eam primò genitam in lucem edi. &c.* Et sub ista via nullam habemus rationem dubitandi; cum propter hæc, & superius dicta de Sanctitate, & originis alii justitia hujus Conceptionis, quibus ornatur in omni suo esse, & in quolibet ipsius vero, reali instanti, juxta citatos Canon. debet venerari, coli, & festivè celebrari; & maxime si totum, ut nunc est, per idoneos testes comprobatum extaret.

42. Unde de hac tertia via loquendo, & isto modo omisso tota posset devolvi difficultas ad illud instans primum, prævium tamen, & præexistens tempore, & duratione ad ejusdem B. V. animationem; an, iis videlicet diebus, quibus juxta Physicos præcedit factus ad animæ informationem, & communiter dicuntur dies Embryonis, debeant utique festivè venerari? An, scilicet, hoc instans, & similiter tempus designatum, in quo hæc gloriosa Dei Genitrix non consideratur animata, debeat esse venerabile nobis; & eodem jure celebrari factus ille adhuc inanimatus? Certè pluribus titulis, &

no.

notis fundamentis affirmativè respondere possemus. Primum: Quia tatus ille, & hembriion est verum ens reale, & compositum, ad quod sequitur naturali sequela anima ea Sanctissima, quæ ut vera illius forma simul cum suo corpore esset Deum conceptura; & cum illo, & ex illo nunc primo habito incipit quasi initiativè verus ordo, & realis relatio in talia tu glorioso ad filium Dei generandum: Igitur & condignitas adesse objectum cultus, & venerationis. Hæc consequentia patet ex dictis de veneratione ossium, reliquiarum, vestium, Templorum, & platum, quæ inanimatorum sunt, & ista digna existimantur veneratione exhibenda sibi: Ergo promodo debito B. Dei Matri, & sua servata proportione, ita coli debet fructus ille primus ventris Beatæ Gratiolæ Annæ in primo instanti suæ germinationis.

43. Præterea magis urgens ratio habetur ex doctrinis D. R. quæ in hunc modum formatur: Fatus ille purissimus prævius ad suam animationem est verum Corpus, vera caro B. V. Ergo deberet religiosè, & festivissimè celebrari sub eo statu. Antecedens satis constat ex R. in 3. dist. 19. q. 1. art. 1. Tener enim, formam corporeitatis distingui ab anima rationali, esseque verum terminum formalem humanæ generationis, ac præcedere ad eisdem animæ creationem, ad cuius ingressum solum perficitur corpus, & illius organizatio completur: ideoque verificatur generatio humana per hoc, quod generetur corpus, & ab agente naturali educatur forma corporeitatis eisdem; sed stante fætu illo, stat vera humana generatio, & vera corporeitatis forma, ut formalis ejus terminus, verum corpus, vera caro: Ergo fatus purissimus, de quo loquimur, & pro omni illius esse, instanti, & tempore, est verum corpus, & vera caro Beatissima Mariæ; cum eadem in specie sit cum illa itatus animationis, & in utroque statu una vera forma corporeitatis, una scilicet, in essentia, & individuo.

44. Principalis consequentia probatur: Verum corpus, & vera caro B. Mariæ est verum illud semen, de quo Paul. ad Rom. 1. & quod annotavit ad Galat. 3. & nos superius; sed semen, ex quo prodiit Dei filius in Spiritum sanctificationis, de-

bet festivè celebrari, quia est Christi caro; cum sit Mariæ caro; insuper, & est verum illius templum futurum, nam ad Christum respicit, ut Incarnati Verbi futura ministra, &c. Ergo. Assumptum convincere possumus variis textibus, & exemplaribus: Ex lege naturæ, & scriptæ, in quibus per fidem in Christum futurum, & venturum gratiam accipiebant fideles, & gloriam spectabant. & per sacrificia, & adorationes cultum Christo futuro tribuebant, & venerationem; & propterea, si forte fuisset Imago aliqua ejusdem Christi coli, & venerari deberet: Ergo in hunc modum, caro, & corpus Mariæ Virginis, quæ vere sit, & tale denominetur, utpote futurum Christi semen, Templum, tabernaculum, & sacratium, eodem jure coli, & adorari deberet: Ergo instans illud, de quo procedimus, & Mariæ Virgo in illo concepta festivissimè, & optimo jure colitur, & veneratur, quatenus futurum est filii Dei Templum, &c.

45. Dictis superaddimus ex littera etiâ D. R. quod festum Conceptionis B. Mariæ, quoad omnia præfata; nimirum in quantum dicit primum respectum adesse Dei Matrem, Gratiâ etiam primæ, & originis sanctitatis, ac denique ut secum præcisè affert factum illum primogenitum, & germen purissimi corporis, scilicet, & carnis Mariæ Virginis, dignis laudibus celebratur, colitur, & venerari congruit, & hæc quidem festiva celebritas quantum fas fieri potest, vel potius debet, die octava Decembris. Hujus non habemus probationem aliâ, quam ejus Sanctissimæ Dei Matris peculiare revelationes; possemus tamen aliquam deducere congruentiam pro sua purissima Conceptione illa die festivè celebranda: Una sit, de Helfmo Abbate Remensi, qui cum ex Dacia ad Angliam rediret, obtrita pro Anglis pace, horrida oborta tempestate, ac spe salutis amissa, invocantibus omnibus Beatissimæ Dei Genitricem Mariam, apparuit quidam intermedias undas Pontificali Infula decoratus, qui ad Abbatem dixit: *Si vis sanus ad Patriam redire, diem Conceptionis Matris Dñi. nostri Jesu Christi octavo die Decembris devotè celebra, & prædica celebrandam: ita evenisse legitur, omnesque sedatis fluctibus Maris, incolumes evaserunt. Aliud est de*

Dia-

Diaconò quodam Regis Ungariæ Germano, qui de Consilio Parentum voluit nubere: Huic enim, cum horas Canonicas recitaret in quodam festo B. Mariæ, ad illam antiphonam: *Pulchra es, & decora filia Jerusalem*; apparuit Gloriosa Deigenitrix, & dixit illi: *Si ergo pulchra sum, cur me dimitis, & aliam accipis?* At ille: *Quid vis ait, Domina mea ut faciam?* At illa: *Si Conceptionis meæ festum octavo die Decembris annuatim celebres, & celebrandum prædices; in Regno Unigeniti mei eris laureatus.* At ille, Monachalem habitum accipiens, & tandem Patriarcha Aquileiæ factus, hoc devotissimè adimplevit, & perpetuo prædica vit.

46. Alia miracula ad hunc modum, quæ idem Anf. affert in citato lib. de Concept. Virg. possemus adhuc adducere, sed quia æquè convincant sicut præcedentia, ideo illis omisis, cum eodem ibi concludimus. *Merito igitur colitur & filii generatio, & Matris Conceptio: Merito etenim Ecclesiâ festivè celebrat hunc diem octavum Decembris Sanctissimæ Mariæ Virgini consecratum, quia titulus illi est sine omni dubio Sanctus; constant siquidem forma ea, qua Sancti coluntur, & in suis respectivè diebus venerantur; qualis est Sancta Vita miraculis comprobata; ut de venerat. sanct. cap. I. Ipsius præterea Ecclesiâ approbatio per factum suum; ut de secundis nuptiis: *si Papa*; assensus fidelium; fuit suavis puritatis Deificæ propter ordinationem ad filium Dei in Spiritum sanctificationis concipiendum; revelationes frequentissimè habitæ in variis particulatibus Ecclesiis pro hoc die festivè celebrando, ut à tribulationibus, discordiis, & aliis emergentibus malis ejusdem Dominæ elegimus in speculo Vincent. & Joanne Belet factum, correspondentem ad diem octavum Decembris suæ intemeratæ Conceptioni dicatum.*

47. Diximus, quod sub eo titulo debet statui festivitas Beatæ Mariæ, quam veluti canonizatam reperimus, & sub his terminis concisis determinata: *Conceptio Beatæ Deigenitricis Mariæ*; quia per istam formam Verborum, & digna

causa venerationis exprimitur, & omne peccatum, & macula excluditur: exulat ergo per eam peccatum, cum Dei genitrix nominatur; quomodo enim esset genitrix Dei, quæ peccati labe inquinaret? Datur insuper tamquam illius cultus objectum, illud primum instans, quo adesse processisset ea gloriosa Dei Mater. Nam si primordia terminum in omni lege venerantur; ut de Abraham, de Isaac; & de Jacob dicitur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et in litanis in præfenti Christi lege canimus: *Omnes Sancti Patriarchæ, & Propheta orate pro nobis*: quanto magis veneratio hæc; quæ generalis est Sanctis illis; debet esse ita specialis Sanctissimæ Mariæ; sicut distat excellentia Matris, & præstat in officio Genitricis, & immediati illius principii aliis Sanctis Progenitoribus Christi.

48. Concludamus assumptum, quod præ devotione erga eam Sanctissimam Matrem, & Dominam ab incubulis habuimus; tamquam nativam hæreditatem Patrio solo congenitam; & ob nostri ad eam Sanctissimam Matrem singularissimum tutamen explicemus, istum minutissimam laborem in sui obsequium litavimus: qui etenim ut compendiosè nostris tironibus proponetur breviter illius terminos compilabimus in hunc modum: Primum, quod instans primum esse purissimæ Virginis Mariæ est Sanctum, & purum, ab omni labe peccati; ad quod etiam ut filia Adæ saltem necessitatem diceret, eam tamen habuit extinctam, ut ordinata ad esse Dei Matrem: Secundum, quod illud primum, vel in vita, & animatione; vel adhuc prævium ad animæ illius creationem, debeat esse hujus cultus, & venerationis objectum; utroque modo accipiatur, est festivissima celebritate dignum, creditorque solemnitatum, quæ in tota Ecclesiâ die octavo Decembris habentur: Sic extitit miraculis, & revelationibus ejus Dominæ comprobatum; & unanimitus Ecclesiæ assensu; & Pontificum totius Ecclesiæ firmiter firmatum.

49. His pro nostro modulo, & reverentia perfectis, concludamus; ut D.


R.

R. finem posuit suæ 2. dist. in 4. Humiliterque ac enixè ad Sedem Sanctam accedentes pro hoc festo canonicè celebrando agamus, noltris ad Deum suis præcibus devotis, ut hujus mysterii dignetur arcanum revelare; sic in Domino confidimus, quando sibi placuerit, fieri nobis: Sicut enim post longam Theologorum discussionem, & disputationem habitam inter Abbatem Joachimum, & Petrum Lombardum, Ecclesia determinat credendum, & tenendum cum Petro: Et idem Summi Pontifices Joan. 22. & Benedict. 12. super Christi paupertatem, & visionem Dei statim possidendam ab animabus plene

purgatis tenerè, & sentire deberi præceperant; sic & in hunc modum confidimus, quod publica, & diuturna hujus mysterii devota festivitas, Theologorum concors sensus, & sententia; ac fidelium omnium assensus, tandem tandem ad finem desideratum perveniant: Interim huic supremæ Autoritati mentes nostras, doctrinas traditas; & quæcumque hucusque dicta sint, subjicimus, & pro omnibus suam Definitionem expectamus. Ita Domina, & Coeli Regina, si Dei gloriæ, & altissimæ tuæ dignitati congrueret, fiat.
Amen.



THEO.



THEOLOGIÆ
BACCONICÆ
SPECULI
TRACT. XVII.
DE HOMINE, EJVS NATVRA,
AC STATIBUS, QUIBUS
POTEST CONCIPI.

PROEMIUM.



HOMO CUM IN HONORE ESSET NON INTELLEXIT, canebat Himnidius Propheta. Quid ergo homo? Quis honos? Quæ utilitas in sanguine ejus? Quid est homo, quod memor, es ejus? aut filius hominis, quia magnificas, & reputas eum? Est homo paulominus minoratus ab Angelis; gloria, & honore coronatus, & super omnia opera manuum Dei constitutus. Est homo ad Imaginem, & similitudinem Dei plasmatus; erit ergo speculum Divinæ Bonitatis, & in quo invisibilia Dei intellecta conspiciuntur: Deus Unus, Trinus, Spiritus, vivens, immortalis, omnia, luce diminuta, in homine. De homine in hoc loco tractabimus, ut finis cui totius Scholasticæ supernaturalis, & moralis Theologiæ: Hæc est enim viatoris excellior habitus, lumen, doctrina, ratiocinatio. De ejus morali naturæ quidditate, præstantia, operibus, virtutibus, lapsu, & reparatione. Ecce compendium totius vitæ moralis, & supernæ hominis. De supernis quamvis supra diffusè, & variis in locis, sicut de moralibus pro opportunitate infra. Aramen necessum habemus, ut aliquid de Beatitudine supernaturali immisceamus inter ea, quæ dicenda residua sunt; quia natura hominis, de qua hic, ad id omne provocat, & invitat.

Tom. 1^o.

Tit

Quest.

QUÆSTIO I.

De homine, ac de statibus naturæ humane.

1. **E**ST homo in Catalogo sex dierum conditionis, & creationis rerum inter omnes Cælestes, & sublunares prima, perfectior, & nobilior creatura. Sic de homine D. Gregor. homil. 29. *Omnis creatura nomine signatur homo. Omnis autem creatura aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.* Igitur homo est omnia, quæ Deus creavit, cujus rationem reddit Gregor. ibi: *Juxta aliquid omnis creatura est homo, sicut enim homo est ens ita nobile, præexcelsum, & omnium creaturarum suo modo contentivum formale, aut quod habet tanquam formam propriam, quæ sunt aliorum quidditates, & essentialia, ut vivere, sentire, & intelligere, ac esse; ac pœnes totum ordinem creaturæ divagatur nulli dubium esse potest, quod primas inter omnes dicatur homo. Solus homo præfert Dei similitudinem, cum solum præcontineat gradus omnes perfectionales, per quos se Deus communicat imitandum, immò & se præbet cognoscendum.*

2. Aliqui errores, & hæreses pro omni ætate irrepserant de fieri, & esse hominis in sua conditione, præcindendo à principiis illius intrinsicis physicis, & naturalibus nunc, quia alterius instituti sunt propria: Omnes enim hujusmodi falsæ sententiæ, ut in plurimum, ortum habuerunt à Doctoribus Hæbreis, & maxime Talmudistis, & ex his descendisse videtur ad primos Hærestarchas legis gratiæ usque nunc. Et in primis Judæi aliqui censerunt, Deum habuisse Domum Iudicij ad res magni momenti

de liberandas, ut fecisse tenent in hominis conditione; secundum quod in 1. Gen. legitur: *Faciamus hominem*; ubi, Angelis consiliariis, determinata fuit hominis creatio; non intelligentes, quod stante eorum falsa acceptione in littera, non modo Consiliares, verum & concreatores hominis, Angelos fecisse denotatur; ut per *ly faciamus*, declaratur. Platonici docuerunt, minimos Deos fuisse Conditores corporum, & animarum; maximumque Deorum his inferioribus præcepisse, & imperasse hujusmodi hominis fabricam, ad quod alludit illud: *Faciamus.*

3. Aliter Philo tenet, superiores potentias Dei inferioribus præcepisse, quod hominem effingerent, & ista fecerunt quiddid corruptionis, & imperfectiois est in homine. Ex his fontibus sumptisse creditur Tertullianus, quod Deus creasset hominem quantum ad animam, Damon verò secundum id, quod corruptibile est. A quo specialiter Manichæi duos Deos statuerunt, unum, qui esset animarum, alium, qui corruptibilitatem curam gereret; vel aliter: Deus unus Author bonorum, & alius Conditor malorum ab eis fingebatur. Non est minoris notæ error veterum Judæorum, & recentiorum, qui autumant, omnes simul animas hominum, quas Deus decrevisset, creatas fuisse, & in Eden viridario stetitisse temporibus, quo mundus creabatur, eisque dixisse: *Faciamus hominem*, pro hoc allegantes illud Sapientiæ 8. in persona Salomonis prolatum: *Sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoquinatum.*

4. Vetus fabula, quæ in Simposio Platonis habetur, tenet, Deum tres hominum species creasse, virum scilicet, feminam, & tertiam mixtam ex mare, & feminam, quod nempe erat androginum quoddam duobus corporibus humanis integris se mutuo unitis compactum. Rabi- ni quidam duas primas uxores Adæ somniarunt, quæ cum non bene se gererent per intercessionem unius ab alia restituta fuisset Pax in Domo Adæ. Non minoris deliramenti habetur illa maxima statuta corporis hominis primi, quæ juxta Thal-

rudistas, brachiis expensis terram totius mundi inferioris usque ad terminos ejus pertingebat; ideoque homo primus non solum corpore Gigas reputari debere, asseriebant, sed inter illos mundi Gigantes, de quibus Textus Sacri, maximus, & altior: hujus fundamentum sumpturunt ex Jotue 14. & 15. *Adam maximus ibi inter Enacum situs est.*

5. Sed quidquid sit de his deliramentis, certum est, hominem esse nobilissimum inter omnia entia visibilia, quæ hucusque Deus condiderat; aliter de possibili discurrendum fortè foret; clarissimè statuitur Verbis expressivis suæ creationis: *Faciamus*, inquit Deus, *hominem*; quæ indicant supremam auctoritatem facientis, & dignitatem simul rei factæ extollunt, ac Deum ut in se, & trinè personatum ex primam. Ita PP. communiter. Ad Imaginem, & similitudinem Dei factus est homo: Imago propter quandam Majestatis speciem, quam præfert, dicit Aug. cujus ratione dicitur Divinitatis contors. Similis in Ethicis virtutibus per innocentiam, justitiam, sapientiam, & alias, per quas ad Divinum esse accedit. Similis, & Imago simul in animæ, & doctibus corporis futuris immortalitate, & spiritualitate intellectu, & voluntate. Ex quibus consurgere vita est auctoritas, quam Deus illi contulit super alias res visibiles creatas: *Us præsit, &c.* Denique homo benedictus creditur super reliqua creata: *Benedixit illis*: ut exponunt PP. Benedictione ea, quæ non solum fit per affluentiam pulchritudinis, valetudinis, &c. verum & potius ob munera naturalia, & superna eidem conferenda, scientia, videlicet, prudentia, innocencia; &c.

6. Homo iste communiter consideratur sub triplici statu, vel potius in quadruplici, ad quod præbet fundamentum non solum ipsa rerum dispositio in conditione hominis, sed etiam, quod ex relatione Moyses, & per PP. expolitio nem exprimitur. Homo namque primò potest considerari in statu naturæ puræ; secundò, in statu suæ naturæ innocentis, & in originali justitiæ ac ac elevatus ad ordinem Gratiæ, & capax Donorum supernorum ad quod principaliter extitisset conditus; insuper, ut per peccatum le-

thale lapsus, & corruptus; quibus adjungi potest quintus status ejusdem hominis; videlicet reparationis, & restitutionis ad gratiam corruptam, & deperditam, per unum mediatorem illius, & Dei Christus Jesus, per quem fracta sunt tartara, redempta plebs captivata, & homo ille ex torris, & veluti profugus a facie Dei in Paradysum æternorum restitutus, ad novumque Edem vocatus per Cælestem Adam particeps fieret immortalitatis; quatenus voluntariè mortis legibus, se subijci voluisset.

7. Est ergo status primò conceptibilis in homine; puræ naturæ, non ea, in quantum physicè tractatur, sed alia via, & ratione accepta, nimirum, ut humana, vitalis, libera, rationalis; & pro eo statu omni perfectione ipsi debita ornatas quod aptius applicari non potuit nisi ad illa verba Gen. 1. *Faciamus hominem ad Imaginem :: nostram*, super quæ strenuus, & novissimus Sacre litteræ Commentator: Non poterat Moyses homini humana forma ideam sublimiorem ingerere; & Deus, qui per Moysen loquebatur, hominem sibi neque fortius, neque officiosius devincere poterat; quam dicendo, se illum ad suam similitudinem condidisse. Perfectio hujus naturæ hominis in suis præcisse naturalibus dotibus satis, & efficaciter declaravit Scriptor Sacer eum *Adam* nomine decorando; nam si oculos injiciamus ad linguam Ethiopicam, in ea videbimus: quod idem est *Adam*, ac *Pulcher*; certè quod pulcher homo fuisset Adam, respicimus; rubicundus, & rubeus, ut etiam ex Hæb. notatur, & omni formolitate decorus.

8. Secundus hominis status est Innocentiæ; & justitiæ originalis, cui annectit Deus immortalitatem, ut prima dos illius; insuper Dominium super omnia animantia, & bestia terræ; ut textus ibi Gen. 1. & Eccl. 7. *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram, possuit timorem illius super omnem carnem.* In quibus Deus exprimere vult subjectionem appetituum inferiorum primi hominis ad superiorem per rationem regulatum, quod & ipsi declaraverat postea: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; ibi 2. Ad hæc accedunt accidentia ea, quæ magis sunt

propria, & accommodata illo foelicissimo statui, concordia, pax, unitas, sanitas totius languoris, & doloris expert, lætitia absque ullius mœroris specie, ac tandem umbra aternæ foelicitatis. Hæc omnia primo homini Deus contulerat sibi, & successoribus post se, vel quatenus illorum esset constitutum morale caput, vel quia essent cum eo unus homo in lumbis ejus contenti, & de lumbis illius nascituri; unico solum intervenienti pacto Dei ad ipsam inito, ut ab essu ligni scientiæ abstineret.

9. Comedit homo ex illo verito fructu, transgressus fuit Divinam legem, se & posteritatem infecit, & natura, quæ singularibus doribus innocentiae pollebat, in baratrum corruptionis demersa fuit, & ecce status naturæ humanæ lapsa, in quo factus fuit sub Diaboli potestate constitutus, passionibus bestialibus subiectus, morti damnatus, & totum humanum genus ab eo descendens de malis in mala prolapsum. At Deus omnipotens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut diabolica malignitas hominem mortificavit, pietatis suæ remedia per Christum in carne venturum Deum, & hominem perditum per sui mortem ad caelestia revocavit; simulque ordine quodam inefabili naturam illius capacem donorum gratiæ, & gloriæ constituit, & primordia ordinis superni præparavit, contulit, & donavit; vel si aliter, & conformius ad placitam communia Theologorum de hoc sentire velimus, ipse status innocentiae, & prævius ad lapsum primi hominis est gratiæ supernæ, & ordinationis ad gloriam, de quo nos, plura dedimus tract. 12. tom. 3. & in hoc tract. 16. in quibus probatam relinquitur innocentiam primi hominis, ejusque originalem justitiam esse intransitive gratiam primam justificationis Adæ, hoc, vel illo superaddito connotato.

10. Hi summam didi sunt status naturæ humanæ primi hominis, de quibus ex textibus Sacris. DD. & in eis omnes concordantes, caterum supposita hac ultima sententia immediate dicta, residua sunt alia, de quibus hic agendum: **Una est**; Si status naturæ puræ fuit

set permanens per aliquod, etsi breve tempus, vel an solum ordine quodam prioris, & posterioris, qui etsi realiter distincti, non tamen essent in primo homine separati ab aliis statibus innocentiae, scilicet, & gratia? Alia difficultas est, quænam scientia debeatur huic statui? Tertia est ea quam supra tetigimus, nempe status innocentiae, & originalis justitiæ fuisse in Adam, intransitive, ordo ad superna, & ad ea elevatio, simulque justitificatio, & filiatio, & amicitia Dei? Quarta deberet esse de lapsu, & corruptione hujus naturæ; & de lapsis hominibus, qui ex stirpe, & generatione primi hominis descendissent. Sed quia infra tom. 5. in tract. de peccatis, de originali agendum erit, Deo dante, in ibi dictis invenietur de hac difficultate resolutio. Denique de hujus naturæ reparatione latissime tract. de aliis persequentes conclusiones.

11. Conclusio prima: Status naturæ puræ in primo homine, etsi realis fuisse, non tamen prævius tempore ad statum innocentiae, sed solum naturæ ordine, & a quo prior. Resolutio præscindit ab alio dubio, si status innocentiae sit quid à gratia sanctitatis distinctum? De quo postea; & solum loquimur de illo statu primi hominis, quem purè naturalem vocamus, vel naturæ puræ seclusa omni gratia gratis ipsi collata, & veluti superaddita ad beneficium creationis: Præterea non agimus de determinato tempore hujus status prævio ad statum innocentiae, sed solum de instantanea præcedentia non modo naturæ, & a quo, sed temporis, & in quo, sub quibus terminis est communis opinio, quam in præsentiarum attulimus, etsi non ita certa, & generaliter sit recepta, ut non desint ei DD. tenentes, & asserentes per prius Deum Adamum creasse, & condidisse in pura, natura posteaque gratis evedum innocentiae statum, & etiam justitiæ originalis, non ordine naturæ, & conceptibilitatis, sed re, & temporis præcedentia.

12. Probatur primò conclusio ex litera Sacri Textus, quæ non expressa, est, sed satis congrua quam probationem unice asserre possumus ad rem præsentem: Est sit unus locus 1. Gen. *Faciamus hominem* ubi

ubi PP. explicant illud *faciamus* per respectum, & correlationem totius Trinitatis Deificæ, quasi exactum ad hominis conditionem; sed ad eum in puris naturalibus creandum, non expectaretur expressio illa tanti Mysterii: Ergo quia præterea fuisset conditus innocens, & justus. De majori non habemus difficultatem; minor probatur: Hominem esse factum, & conditum, ut Deo similem, & illius imaginem, etsi verificetur in natura sua pèrfectè intellectiva, & volitiva, deficit in naturalibus puris ab ista excellentia; cum naturalia non sint ita propriè Deo similia, sicut superna, & gratuita, quatenus constituentur per esse Dei ipsius participationes, & similitudines. Ergo parum stare similitudo in homine condito si præter dona naturæ aliquid non esset ei supra ea additum.

13. Secundò probatur conclusio sumpto fundamento ex illo Eccl. 7. *Deus fecit hominem rectum*; sed in pura natura non potuit esse, aut concipi ea reductio moralis, de qua textus ibi: Ergo ut verificetur, deberet creari innocens simul. Minor probatur: Homo in pura natura consideratus, haberet appetitum inferiorem non adhuc subiectum rationi, immò & rebellionem expolitum; sed hoc sic stante, deberet à reductio in sui creatione, sicut sunt reliqui homines post lapsum humanæ naturæ: Ergo ut creatus fuisset rectus in naturalibus, deberet simul esse præditus innocentia. Major probatur per doctrinam DD. hujus ejusdem sententiæ: Innocentia donum, & originalis justitiæ à gratia sanctitatis præscindunt, & solum dicunt constitutive subjectionem partis inferioris ad superiorem, appetitus sensitivi ad rationem; quæ homini ex sua natura non inerant: Ergo homo in pura natura constitutus, & esset expolitus rebellionem carnis, & certè nec esset propriè creatus in reductio.

14. Conclusio secunda: Status Innocentiae, & justitiæ originalis primi hominis est conjunctus essentialiter cum gratia justificationis. Est etiam communis inter DD. etsi aliter de ea discurrant aliqui non deterioris notæ, quos insimulant de Pelagianismo; de quo nos longè aliter sentimus. Resolutio nostra est doctrina D. R.

non ex instituto, sed supposita in aliis tractatibus, & maxime in 2. dist. 46. ubi latissime de peccato originali: Si enim tenet, quod originale peccatum dicat constitutive privationem gratiæ (etsi probabilissimo quodam aliter discurrendum posse ceaseat) igitur homo primus prævius ad peccatum hoc, & Divini mandati transgressionem, fuit gratia sanctitatis præventus: Atqui hæc gratia fuisset conjuncta cum justitia originali ad minus: Ergo homo creatus his gratiis extitit ante peccatum; & gratia sanctitatis, & originalis justitiæ: Igitur licet non teneret D. R. quod originalis justitiæ, in qua fuit homo conditus, formaliter esset gratia gratuita faciens, negare non posset juxta à se dicta, quod cum illa fuit saltem concomitanter concreata. De hujus sententiæ nos tract. 12. late.

15. Pro hac resolutione, sicut de pluribus Scholasticis, textus non habemus expressos, nec adhuc convincentes: Etsi recursum sumamus ad extrinsecum PP. asylum, non parum favere videntur contrariæ, & maxime Aug. sapius citatum à fundam. D. in 2. dist. 29. à q. 1: ubi suam mentem satis declarat, de quo inter argumenta; sed quidquid de hoc sit: Probatur primò ex Gen. 1. *Faciamus* (inquit Deus) *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: Super quæ Nissen. de hominis opificio loquens, dicit, quod hæc duæ voces *Imago*, & *similitudo*, simul junctæ maximam significant similitudinem cum Deo; sed maxima inter similitudines unice habetur per gratiam sanctitatis, quæ est maxima, & prætiosa, per quam efficiamur participes, & similes in Divina, & per Divinam naturam: Ergo sic fuit homo creatus, & conditus, ut etiam per hoc verificaretur, quod superius dicebamus ex Eccl. 7. *Deus creavit hominem rectum*. De indefinita videlicet reductio loquitur textus, ideoque non pro qualibet innocentia, sed pro sanctitate accipi debet.

16. Præterea probari potest conclusio: Homo habuit in sua conditione auxilium, quo posset non cadere, etsi non habuisset, undè stare, ut est commune, & fide certa tenendum; hoc est, habuit sufficiens, licet ipsi defecisset efficax ad per-

perseverandum; sed hoc supponit in homine gratiam ante peccatum primum: Ergo in ea fuisset conditus. Minor probatur. Auxilium hujusmodi, & simul illustrationes, quas Deus primo homini immisit, notitias myfteriorum suorum, & ipsiusmet Divinitatis, quantum fas esset viatori, & maxime homini tali modo privilegiato, satis demonstrant gratiæ præventionem; sed ut homo ille perseverare posset, illa omnia desiderantur, & valde congruunt statui illi, & ad arduam præcepti superandam: Ergo & gratia. Patet assumptum: Nam auxilia illius status essent Dei gratia superna, sicut etiam Divinae illustrationes; sed eis consonum, quod simul essent conjuncta cum gratia sanctitatis, ut homo taliter justus posset vitare grave illud peccatum, quod ipsi possibile erat, supposita lege Dei: Ergo ista gratia præditus etiam fuisset.

17. Conclusio tertia: Homo in statu innocentia habuit plenitudinem scientiæ naturalis à Deo infusa supra omnes puros homines; & quantum fuisset ad mundi gubernationem sibi commissa. Videtur esse fære omnium Theologorum, & à PP. deprompta, conformisque textui Sacro: Convinciturque ex eo, quod Deus præposuit Adam omnibus viventibus, & manui suæ alia omnia tradita fuerunt; ac omnibus nomina imposuit, omneque ab eo rebus impostum, ipsum est nomen ejus; quasi diceret Moyses: Sic primus homo cognitionem habuit omnium rerum comprensivam, & res omnes calluit, ut cuique proprium nomen accommodaret, quod verè esset suæ essentia, & naturæ compendiosa definitio: *Omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus; sed sine scientia singularissima homini primo data, & aliis non concessa, istud non pararet; cum sibi soli inter natos congrueret ea talis rerum cognitio, & comprehensio; nam nulli pertinisset hucusque totius sublunaris dominium, potestas, & nomen impostio: Ergo habuit scientiam ad hoc desideratam; quæ videlicet, deberet esse omnium naturalium scibilem. Postea q. sequenti de supernis.*

.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

18. **P**rimò arguitur contra primam Conclusionem: Rectus ordo naturæ rerum petit, quod naturalia præcedant supernis, ut sic vi generationis, quæ propriissima est processus creaturarum in suo fieri, & esse, progrediantur de imperfecto ad perfectum; sic enim de Divinis decretis dedimus, & discutimus; nam per prius Deus decrevit esse, & non esse rerum naturalium, & pro posteriori de supernis sua exercuit decreta; sed hoc sic stante, status naturæ præfuisse deberet ad statum innocentia, & justitia originalis; & maxime cum ex ea præcedentia pro aliquo, quamvis esset brevissimo tempore, sicut de existentia hominis in gratia, & innocentia statu discutitur: Ergo ita esset. Minor probetur, & supposito, quod de illius assumpto nec textum habemus, nec rationem cogentem, utimur congruentia ista: Status innocentia præfuit tempore aliquo reali ad statum peccati, & hic status ad reparationem post lapsum: Ergo status naturæ puræ, qui est primus conditionis hominis, præcedere debuisset isto modo in instanti reali temporis saltim ad statum innocentia.

19. Respondetur ad argumentum, libenter concedendo seriem illam, & temporis præcedentiam status innocentia primi hominis ad lapsum, & hujus ad reparationem per poenitentiam: Nam per aliquod, etsi brevissimum, tempus præfuit homo justus ad suum peccatum, quoadusque fortiretur effectum prævaricationis colloquium serpentis cum muliere; sicut & ad eorum relapsionem, conversionem, & contritionem debuisset etiam præcedere morula quædam, ut vi veluti generationis ad hoc disponerentur: Ratio, qua raliter istud ita fieri exigitur à natura rerum, & ab ordine connaturali, qui versari debet inrer integritatem, & lapsum, & hujus ad sui remissionem, restitutionem pristinae gratiæ, & reparationem à vulnere, nulla fortior, & cogens assignari potest, quam repugnantia saltim con-

connaturalis gratiæ cum peccato, quæ talis est conditionis, ut non patiatur, quod in eodem tempore, aut reali instanti, nec Divinitus, vel saltim connaturaliter coexistant: Igitur in eodem tempore, in quo fuisset homo justus, non caderet à sanctitate, sed pro posteriori tempore; similiter in instanti reali lapsus non resurgeret, sed in sequenti, ut nunquam verificetur, quod realiter coexistant gratia, & peccatum, ideoque quod se tempore præcedant, & subsequantur, necessarium judicatur.

20. Non sic discurre licet inter status puræ naturæ, & innocentia, non enim sunt contrarii, oppositi, vel incompatibiles, sed à contrario mutuo se jubant, unusquisque sua ratione: Status innocentia, ut perfectivus, elevativus, & ordinativus ad finem ultimum, & irrefribilem; naturæ verò ut substractum, & sustentativum status gratiæ, & donorum: Status enim naturæ puræ est conditio illius, quatenus perfecta exultat intra illius terminos, & vestita iisdoribus, quæ ipsam naturam, ut naturam, & ut talis natura est, comitantur: At status Innocentia, & justitia originalis ultra addit, quæ superius dedimus de subjectione appetitus ad rationem, & hujus ad Deum, simulque elevatiorem ordinem ad ipsum Deum, gloriam, & æternam beatitudinem: Et cum ordo hic, & elevatio non sit destructivus naturæ, sed tantum, ut notavimus, elevativus, nec opponuntur, nec incompatiuntur, immò mutuo foventur. Ecce ratio quare in eodem tempore homo fuisset conditus perfectus in naturalibus, innocens, & justus in supernis.

21. Hoc satis convincunt Textus Sacri à nobis supra allati, ut illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* Non enim homo esset Dei similitudo, & rectè similis Deo, ut colligitur ex Eccl. 7. *Deus fecit hominem rectum,* nisi esset ornatus justitia sanctitatis Togæ; siquidem similitudo Dei in purè naturalibus est valde imperfecta, & deficiens in analogia; similitudo autem in donis gratiæ, sanctitatis, & supernaturalis est strictior, conformior, quatenus homo sic Deo similis potest elicere propriissimas

Dei operationes, quales sunt visio, & sui ipsius dilectio. Hic apparet speciosus, & rectus gradus similitudinis hominis ad Deum, in quo evectus, & simul creatus, & cõitus est, & verificatur, quod Deus fuisset eodem temporis instanti, & condens naturam hominis, & largiens gratiam: Eum enim creavit non solum ad imaginem, verum & ad similitudinem suam. Ratio cogens, & obligans ad disparitatem in argumento allatam, non invenitur alia præter assignatam in decursu solutionis. Deicit enim, & congruit Divino opifici ita elevatiorem condere hominem, & sic voluit fieri, & esse.

22. Secundò arguitur contra secundam conclusionem: Status justitia, & integritatis originalis non est conjunctus ex genere suo, vel ex natura rei cum gratia sanctitatis: Ergo potuissent à Deo se juncti, & esperati constitui ad esse primi hominis, ita quod per prius fuisset conditus homo originali justitia præditus, & postea, si dignus extiterit, & se disposuisset, pertingat ad alium statum sanctitatis. Antecedens est certum; nam sunt valde diversa, quod appetitus subjiciatur rationi, & quod hæc summo bono adhæreat, & ad id convertatur; & hoc est quod per gratiam sanctitatis habetur. Consequentia autem satis sequitur; nam si nullam dicunt connexionem status cum statu, à Deo fieri possent divisim. Nunc sic: Atqui hæc veritas conformior est doctrinis Sacris, Sanctorum Autoritatibus, & maxime Aug. ac Sententiarum Mag. igitur potius hoc tenendum erit.

23. Probatum primò ex illo Paul. 1. ad Corinth. 15, & ad Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestra, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Declaratur Joan. 6. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis:* Ex quibus istam deducimus probationem; justitia, sanctitas, & libertas, qua filius Dei nos donavit, & constituit in filios adoptionis, est renovatio quædam, quam per unum Dominum nostrum Jesum Christum habuimus, unice, sic, quod non esset in alio aliquo ista salus: Ergo ante Christum, & ejus merita non fuisset justitia in veritate sanctitatis, libertas, aut Dei filiatio: Ergo Adamus ante lapsum

ca.

talem sanctitatem, & gratiam gratum facientem non habuit; cum pro signo suae creationis, & conditionis nondum intentus esset Christus mediator, & Salvator. Probari potest illa antecedens propositio per D. Aug. in q. q. Veteris testamenti q. 127. ubi tractans. Num Adam accepit Spiritum Sanctum? haec inquit: *comperi quosdam ex fratribus nostris non plene discussisse scripturas, sed simplicitate animi asseruisse, quod Adam factus, Sanctum accepit Spiritum, quem peccans, amisit, sicut nunc datur credentibus, &c.* & reddens horum rationem, statueret videtur assertam nobis contrariam sententiam.

24. Videtur inter alias, his rationibus fundati vis argumenti ex Aug. Nam in primis sic est accipiendus quatenus doceat, & teneat, primo, quod modus iste dicendi sit scripturis conformior: Secundo, quod si Adam fuisset in gratia ea sanctitatis constitutus, non solum habuisset auxilia ea communia, quibus posset stare, & non cadere, verum etiam undè proficeret; siquidem vi Spiritus Sancti per gratiam in eo inhabitantis mereri posset, & progredi invitam aeternam; & hoc est negatum per ipsum Aug. pluries, & in dist. 29. lib. 2. negatum à Magist. ex Joann. 17. *Hec est vita aeterna ut cognoscant & Jesum Christum.* Et Paul. ad Rom. 6. *Gratia Dei vita aeterna.* Denique non leve inter inconvenientia, quae à contrario sequuntur, esset, quod si homo primus fuisset in gratia sanctitatis creatus, status ille innocentiae, & originalis justitiae fuisset beatior, & foelicior statu filiorum. Avam secundi, & caelestis, quia esset remotior à peccatis, cum homo ratione originalis justitiae, & ex defectu fomitis peccati longè esset à factione eorum, & maxime in juri naturae violatione; sed hoc est contra scripturas, praeferentes statum redemptionis ad statum filiorum Adae: Ergo,

25. Per prius ad hujus solutionem, supponimus: Quod quidam tenuissent; hominem sicut & Angelum in gratia sanctitatis fuisse creatum, & conditum; haec opinio frequens est apud Theologos recentiores, & antiquos, ut magis rextibus conformior, & specialiter, quia secundum illam de peccato originis promptius de sua quidditate discurremus. Est & alia

sententia veluti media, quae docuit, hominem non sic fuisse in gratia conditum; ut pro alio signo, & instanti non se disposuisset, sicut & Angeli fuerunt, peractus proportionatos, ut pura, charitatis, & fidei ex auxilio gratiae elicitos ad ejus receptionem, vel potius meritum de congruo. Non displicet modus discurrendi; dummodo solum de signo naturae loquatur, ut solet de Christo Domino respectu Incarnationis, & B. V. Maria ad suam Maternitatem, loqui; dummodo salvetur, quod hoc totum perfectum fuit in unico nunc temporis. Tertia opinio est, & quae hic contra nos urget, asserentium, hominem fuisse in pura natura creatum, ceterum iis praeditum auxiliis, & donis Divinae gratiae, ut posset adimplere Dei praecepta superna, & promereri de congruo suam sanctificationem per gratiam gratum facientem, habendam: Quibus cum malè uteretur, spoliatus fuit originali innocentia, & loco sanctitatis, maculatus fuit peccato, quod originale constituebatur, quia à primo homine, & omnium capite perpetratum fuisset.

26. Est expressa, ut jacer B. Aegidii in 2. dist. 29. quam stabilis locis sacris, & PP. Authoritatibus, de quibus nunc, & eis nobis reddenda est ratio: Et primo; cum de nulla ex his sententiis habeamus expressiora loca Sacra convincentia, ad eam tenemur, per quam magis adhaeremus Ecclesiae doctrinis, & maxime de peccato originis, & à Pelagio recedamus; ideoque mihi hoc unum contra eam se offert; si nimirum, primus homo non fuit in gratia sanctitatis creatus, sed solum originali justitia praeditus, quae necessario, in isto modo dicendi, quid aliud est à Dei gratia, homo primus per peccatum, & inobedientiam, non esset gratia privatus, sed solum innocentia illa, taleque peccatum non constitueretur in sua essentia privatione gratiae, & amicitiae Dei, sicque transferebat ad suos posteros, & est ratio: Quod peccatum illud solum posuit objicem ad gratiam, ceterum ea non privavit hominem, cum nondum eam habuisset: Ego non esset formaliter gratiae talis privatio. Quidquid de hoc sit, & suppositis notatis; nunc pro nobis

28 Rej

27. Respondetur ad argumentum; & ad primam probationem ex locis sacris dicimus, certissimum esse, quod semper ac de Dei gratia loquuntur; solum de ea procedunt, quae est filiorum, & coheredum Christi, qualis non fuit gratia ea, quae Adam habuit ante peccatum; ceterum hoc est argumentum parum urgens; cum affirmatio unius non sit alterius negatio; ideoque etsi solum tractetur in sacris litteris de Gratia per Christi merita homini infusa, non sequitur aliam primam primi hominis negasse; siquidem aliis in locis sufficienter declarata extitisse creditur; dicente Domino: Quod hominem creasset ad imaginem, & similitudinem suam, & rectum in conspectu suo. Nec de est sua congruens ratio, cur, scilicet, de Gratia Redemptoris solum agatur expressius, & eam esse vitam aeternam asseveretur, & ad hunc modum alias; ac non ita de prima primi hominis, & istam reperio esse: Quod Gratia haec, etsi esset semen gloriae, filiatio Dei, suae naturae participatio, &c. & in hoc univocetur cum alia, ei defecit ordo efficax intentivus, & executivus ad aeternam gloriam; & propter hoc, & quia nullum, ut sic dicamus effectum sortitura est in homine primo in ordine ad vitam aeternam, nec ad hoc à Deo proventa est, & instituta, de illa non fit ulla mentio, sed solum de alia per Christum empta, & communicata.

28. Ad Aug. citatum librum supersedendum censui, sicut & à placitis, & modis dicendi variis circa illum in q. q. veteris, & novi Testamenti; de quo cum non desint plures tenentes, non fuisse Aug. sed ipsi attributum, ut per super scriptum Authorem defenderetur à haereseis censura, qua dignus fuerat; immo quia in eodem lib. inter alias doctrinas annotantur, quas in medium adducimus. Ab hoc, inquam, supersedeo, tum, quia talem librum non videram iter opera Aug. quae prae manibus habui, tum, & maxime, quia à B. Aegid. asseritur ad suam fundandam sententiam, & non videtur verisimile, vel quod ignorasset librum illum esse suppositum falso, & Aug. attributum; vel quod tali utatur probatione vir adeò doctus potens opere, & sermone; ideoque respondeo ad illam auctoritatem: Quod

29m. IV.

à tempore legis gratiae, & Christi Domini dabatur gratia fidelibus, & insuper per externam manuum impositionem eis conferbatur Spiritus Sanctus; & hucusque durat, & ad finem saeculi durabit in solemnitate receptione Baptismi; & hoc est, quod ibi negat Aug. quod, scilicet, Adae esset collatus Spiritus Sanctus, sicut in Ecclesia Christi per ipsius merita nobis confertur. Act. 8. *Baptizati tantum erant: Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et ad hoc alludit, quod concludit Aug. ibi: *Sicut nunc datur credentibus.*

29. Ad rationem in contrarium, quae credo, esse potiore, respondetur: Quod status innocentiae, & justitiae originalis est sine dubio foelicior quoad naturalia, quam status legis gratiae; siquidem in eo statu homo fuisset suae defectuosa passivus Dominus, & tu dominaberis illius. Gen. 2. *Expers totius doloris, infirmitatis, &c.* Quo supposito, non est tolerabilis argumenti ratio, & fundamentum: Nam licet hoc ita sit, non ideo homo redemptionis facilius est ad lapsum; ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia: Ad eò certum est, quod homo in natura lapsa prior est ad peccandum, insultant enim ei gravissima tentationes, ex concupiscibili, & irascibili insurgentes propter carnis rebellionem; at in Christi meritis, & statu gratiae abundat uberiora auxilia, frequentiores illustrationes, & propinantur remedia efficaciora. Una enim Mulieris voce, & Demonis ingestio, ne per os Serpentis loquentis Primus homo labitur in crimen atrox; quid ni difficultas ad lapsum? Quae utilitas in praedominio appetitum? Perpende Gratiae virtutem; una guta sanguinis Jesu Christinos liberat à corpore mortis hujus. Sufficit nobis sua gratia. Igitur nec ex hoc capite apparet ratio, qua possit negari gratia haec in primo homine infusa ante lapsum.

30. Tertiò arguitur contra tertiam conclusionem: Videtur ex sacris litteris Salomonè sapientiore fuisse primo homine: Ergo hic non fuit omnibus praestantior in scientiis naturalibus. Antecedens probatur: Scientia Salomonis fuit à Deo ipsi collata specialiori signo suae benevolentiae, de quo nobis non constat taliter cum

Vv

alio

alio factum; legatur 2. Paralip. 1. Ergo signum est altiore fuisse, quam ea, quam primo homini contulit. Respondetur; certum esse, quod ita fuit sapientia præditus Rex Salomon, ceterum supra illam extollitur, quæ primo homini communicata fuerat; nam Salomon solum pro suo Regno regendo, & omnibus aliis, quæ in illo continentur, vel facere potuissent ad Templi extruentionem, &c. sibi infusam scientiam legimus; quanto magis primus homo ea ditaretur scientia, loquendo de naturali, quando omnia creata ea subderentur suo imperio, & directioni.

31. Ultimò arguere possemus, sumpto argumento de Adam peccatore ad Adam innocentem: Peccante primò homine, ait Dominus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum, & malum.* Gen. 3. Ex quibus formatur argumentum: Transacto peccato, primus homo factus est in sapientia similis uni ex Divinis personis, ut ex textu satis colligitur; sed in statu innocentia non ita extollitur ejus scientia: Ergo hæc perfectior fuit in eo post lapsum, ac fuerat in statu justitiæ originalis. Respondetur ad argumentum, negando, quod scientia Adæ in naturalibus perfectior extiterit post lapsum, ac antea erat, & ad probationem in contrarium, & interpretationem litteræ textus hanc præ aliis eligimus versionem, quæ videtur esse Simm. *Ecce hominem, qui fieri voluit velut unus ex nobis.* Per quam liquido apparet, quod Adam non habuisset scientiam ita excellentem, ut Verbo Dei assimilaretur, sed quod voluisset, & veluti

tentasset eam habere; alludens ad illud hujus cap. v. 3.

Et eritis sicut dii, scientes bonum, & malum.



QUÆSTIO II.

De Scientia, & Dotibus supernis hominis in statu innocentia.

32. **H**ucusque de istis perfectionibus, quæ adesse naturæ, & gratiæ hominis pertineant, nunc de aliis, quæ ad gratis datas, & communiter ad ordinem supernum spectantes agendum erit; inter quas primum locum obtinent, quæ ad intellectum, nam est prima potentia, tum, in præstantia, tum, in morali, & rationali operatione, idèoque ab omnibus tenetur, quod nihil sit volitum, quin præcognitum; & magis ad rem nostram loquendo, primas inter alias gratias inditas gratis Paul. 1 ad Corinth. 12. enumerat, quæ ad intellectum, ut: *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ: &c. Alii, &c.* Ad hujus propositum, & intentum per prius de scientia hominis quatenus gratia est, sermo erit.

33. Et antea hic recolendum censeo, quod scientia alia dicitur naturalis, alia supernaturalis est, & nuncupatur; prima est de objecto purè naturali, alia de objecto superno; unde scientia, ut supernaturalis sit, necessario petit esse non præcisè de re supernaturali in se, & in suâ entitate, sed de objecto, quod ut tale sit supernè cognoscibile, & intelligibile, hoc est, sic debet esse præsentatum intellectui, ut medio, & modo supernaturali cognoscatur, & ita verificetur pro dignitate quidditas objecti supernaturalis sub ratione tamen objecti. Exemplo clarificatur doctrina: Deus ut unus in se est entitas superna, & superexcedens res omnes creatas, & creabiles; at quia à Philosophis cognoscitur, & demonstratur medio, & modo naturali, non est

quid

quid supernaturale formaliter, & quatenus objectum est hujus naturalis scientiæ; liquidem objectum est, quod ut tale objicitur potentiæ: ab opposito; ignis inferni v. g. in sua substantia naturali est objectum supernaturale nostræ cognitionis, in quantum medio, & modo supernaturali scimus, an sit, & quid est illius.

34. Quibus præintellectis, & quod Deus communicasset homini scientiam rerum naturalem quantum sufficeret illi statui, & congrueret dignitati primi hominis capitis, humani generis, totius mundi Rectoris, Gubernatoris, & Domini, eidem attributa hujusmodi potestate à Deo, Creatore, & Conditore, juxta illud: *Pl. 8. Omnia subjesciisti sub pedibus ejus.* Inquirere prætendimus de alia scientia hac superiore, supernaturali, scilicet, & gratis data, quæ cum absolute necessaria non fuisset pro statu primæ conditionis naturæ, sed in quantum elevata esset ad gratiam, & gloriam, & in istos fines ordinata, ex ista facta suppositione, & quam esse fide Divina tenendam asserimus; quid de scientia superna, & de illius objectis pro statu innocentia hominis sit tenendum, intendimus?

35. Super istum felicem innocentia statum, & præviè ad speciei humanæ multiplicationem per illud, 1. Gen. declaratum: *Crescite, & multiplicamini,* impartitur Deus viro, ac mulieri singularem sui benedictionem: *Benedixit illis:* quæ non solum præfatam fecunditatem pertingit, neque ad ceteras dotes corporis, ut pura, pulchritudinis, valetudinis, ac fortitudinis; verum etiam est propriissima, & potior aliorum munerum naturalium, & supernaturalium animæ; nimirum ordinatur ad affluentiam scientiæ, æquitatis, innocentia spiritus, imperii in corpus, perfecti amoris erga Deum, illiusque in omnibus summisionis. De Dotibus corporis infra; & quia de iis, quæ sunt animæ connaturales, aliqua supra dedimus; super est, ut de supernis, quæ faciliori calamo aptentur per sequentes conclusiones declaremus.

36. Conclusio prima: In homine primo Deum scientiam supernaturalem communicasse, probabile est. Est communis; ac per prius supponimus, hic non loqui de illis notitiis supernis, quæ propriè sunt

Dona Spiritus Sancti, ut sunt sapientia, scientia, & intellectus; nam ista, ut potè inseparabiliter connexa cum gratia sanctificationis, semel, quod teneamus Adam innocentem esse iustum, & Sanctum, consequenter iis donis dari deberet; unde præfens resolutio, alio tendit, ut novam ingerat difficultatem: Dicimus enim, quod Dona ea Spiritus Sancti ad cognoscitivam potentiam pertinentia gratiam sanctificantem sequuntur, & comitantur, ac per supernorum practicam notitiam promovendo eorum donorum habitam, fovetur, conservetur, perseveret, & crescat; Alia verò notitia infusa desuperis, & quæ ab istis donis distinguatur, speculatur, & considerat superna, non tantum propter scire, sed insuper, ut ad sacram doctrinam deservientia. De ista specie scientiæ supernæ, credimus, ditatos Apostolos, Patriarchas, & reliquos eximia prædicationis viros ad adextentionem Ecclesiæ, & Evangelii, & hæc quidem gratis datur, & cum peccato coherere potest.

37. Probatur jam conclusio: Primus homo innocens fuit perfectus in decoro suo benedictione plenus, *Paulominus minoratus ab Angelis, Pl. 8.* Et ut ibi dicitur: *Gloria, & honore coronatus;* sed ut istud verificetur, non solum deberet esse Sanctitate, & gratia ornatus, sed ulterius his, quæ ad intellectum pertinent, notitiis vestitus, & imbutus, non modo in naturalibus, verum, & insuperis: Ergo istam scientiam à principio habuit; non adquisitam, ut par est: Ergo infusam. Minor principalis probatur, primò: Quia gloria, & honor quibus homo conditus fuerat, paulominus minoratus ad Angelis, non solum, quoad naturalia intelligi debent, sed potius in supernis, cum ad hoc homo sicut, & Angelus, creati fuissent, ut Deo famulentur; obsequia præstent, venerentur, diligant, & serviant; sed ad hæc necessario desideratur Dei ipsius notitia, non in natura pura, sed in aliis, quæ super naturam Deus in nos operatur: Ergo notitia ista ipsis Angelis, & hominibus fuit infusa.

38. Secundò probatur illa minor: Homo fuit à Deo creatus primus, & caput aliorum. juxta illud: *Pl. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo &c.* Caput, videlicet, *Nvy 2* sua

suae posterioritatis, & omnium hominum, qui ex illius lumbis fuissent geniti; non tantum caput, & Pater in naturalibus, & moralibus, sed in supernis, ideoque tenetur ad sacram doctrinam filiis communicandam, & in illa intruendis sicut Patriarchae, Prophetae, Apostoli, Doctores, ii maxime; sed nisi esset scientia ea superna ditata, quae ad objecta sacrae Doctrinae pertingeret, quaeque necessario supernaturalis erit, non valeret sic ministerium Patris, & capitis explere: Ergo ea infusa scientia, certum est, fuisse donatum, ut conditincta à Donis Spiritus Sancti, quae potius sunt in ordine ad se, quam ad alios, quales sunt gratiae gratis datae.

39. Conclusio secunda: scientia hac infusa est in primo homine conceptibilis in ordine ad Deum ut unus est omnipotens, aeternus, simulque remunerator explicitè; implicitè verò, & umbraticè ad omnia gratiae mysteria, post Deum Trinum revelata. Non indiget cōclusio speciali probatione; cum pro illo statu deberet homo conscius esse divinitatis, quam attributa ea rei ipsius natura comitantur, ut attributum v. g. iustitiae, cujus ratione praemiatur merita, punit demerita; & haec quidem, etsi lumine naturae nota sint, & homo in suis naturalibus conditus ea sciret, & cognosceret; cum ulterius fuisset ad ordinem supernum, & gratiae evectum, & haec etiam caelestia mysteria callere deberet; sed hoc ordine stante, non modo medio naturali habere debet eam istam notitiam, sed lumine supernaturali: Ergo istud esset ea infusa scientia, de qua hic: Ergo per eam ista praeovisset mysteria. Dixi, quod tantum illa assignata mysteria gratiae cognosceret explicitè; quia Mysterium Sanctissimae Trinitatis, Verbi Domini Incarnationem, & alia, quae in Evangeliiis, Deus pro tempore filii sui reservavit revelanda; unde ad summum in umbra quadam de illis habuit notitiam, & hoc est, ea implicitè scire, & intelligere: Sic sentiunt communiter DD. & PP. ita interpretantur locum Gen. de somno illius, pro Hebraeae formatione, quod Extrahim vocant, & tenent; in ipso enim talia secreta caelestia sic revelata asserunt. Aug. tract. 9. in Joan. Epiph. haeres. 48.

Idem, quod de scientia dicimus, & eadem ducti ratione, de aliis gratis datis, quae communiter sunt ea, quas recenset Paul. 1. ad Corinth. 12. tenendum, & discurrendum in praesenti est.

40. Conclusio tertia: Primus homo, ut primus, & caput humanae propaginis fuit dote immortalitatis insignitus. Est dehinc expressa in littera Genesis, ceterum indiget sua in hac parte explanatione, pro quo supponimus; quod immortalitas potest dupliciter accipi, vel intrinsecè, vel extrinsecè: Immortalitas intrinsecè est, quae habetur à forma ei intrinsecè, sive à se, ut est Dei, sive ab alio, ut est Angeli, & animae rationalis: Alia immortalitas, quae ab extrinsecò habetur, reputatur frequenter tamquam Dei Donum (semper loquimur de ea immortalitate proprie tali, & quae unice viventibus adaptari debet) & ideo pro ipsius voluntate potest esse perpetua, ut est hominum post diem iudicii; & temporalis, quam Adae promisserat ob suae obedientiae praemium; & haec immortalitas non explicatur per non posse mori, sicut prima, sed per posse non mori, ut est doctrina Aug. super Gen. ad litteram cap. 1.

41. Probatur jam conclusio, primò ex illo Gen. 2. *In quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini*: Sic enim formatur ratio: Adamus ex sua natura subiectus creatus est legibus mortis, quatenus nodus, & vinculum, sive unio corporis ad immortalem animam dissolubilia sunt ob plura, & specialiter propter actionem, & reactionem pro nutrimento necessario exactas, & juxta illud: *Agens agendo reparitur*; relinquitur, quod paxa illa, & comminatio Dei pro transgressione sui praeepti, & propter esum ligni veriti supponeret donum gratuitum immortalitatis in homine, & ipsum ab extrinsecò immortalem: Ergo ita fuit à Deo conditus, & constitutus: Ergo per modum gratiosae dotis: A congruenti insuper ratione posset colligi ejusmodi immortalitas, in istum ferè modum: Nam homo ille innocens esset in naturalibus cum qualitativè ad pondus, rectè regulatus in parte inferiori, quietus in animo, nulla esset iactantus temporis, elementorum, & aliarum rerum injuria; non esset à quo infirma-

retur;

retur, doleretur, pateretur, nec insuper haberet à quo, vel per quam fenestra in ingrederetur mors: Ergo supposito statu illo felici, cetera sequuntur, ceterum ab extrinsecò, & gratis.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

42. **P**rimò arguitur: Supposita primi hominis conditione, & quod esset gratia sanctificationis donatus, ipsi fuissent ab instanti sanctificationis. Dona Spiritus Sancti: Ergo superflueret alia quavis infusa notitia de mysteriis Divinis. Probatur haec consequentia, primò: Quia stantibus Donis Scientiae, & Sapientiae, de quibus nunc supra, ea haec facerent, quod fieret per istam scientiam infusam supernaturalem: Ergo illis stantibus superflueret qualibet alia scientia infusa. Consequentia etiam patet: Nam sicut natura abhorret superflua, sic & in supernis discurrere libet; sed per unam scientiam infusam, vel sapientiam, quae dona sint Spiritus Sancti, cognoscerentur omnia mysteria, quaecumque cognoscibilia forent pro illo statu innocentiae primi hominis: Ergo scientia alia non haberet officium. Secundò: Scientia primo homini infusa de supernis mysteriis, vel esset evidens notitia, aliàs non esset scientia, sed opinio; vel si fortè certa sit, & obscura, fides diceretur, & ex hoc majus sequeretur inconveniens; scilicet, de primo, verificaretur coexistentia utriusque notitiae clarae, & obscurae de eodem mysterio; vel si secundum dicitur, ea scientia Adamo infusa proprie non esset scientia, sed lato modo cognitio abstractiva à certa, & topica notitia; sed sic non loquimur doctrinaliter: Ergo de stricta scientia fit sensus.

43. De hoc argumento plura dedimus dispersa in hujus operis decursu, quae hic necessario repetuntur, ut de illis plenior notitia habeatur: Et in primis, nec incompatiuntur scientia hac infusa supernaturalis cum illis donis Spiritus Sancti, nec praeterea superfluit; quia ut supra no-

tabamus, habent diversa officia, & munia; tum: quia in Christo Domino utrumque concessimus; ac denique; quia ex ratione saorum objectorum, quae diversis modis, & mediis exigunt, & permittunt cognosci, multiplicatur series, & ordo scientiarum; unde mysteria, & arcana Dei, eo quod ita sint, plura lumine naturae cognoscuntur; deinde simul attinguntur perfidem; ac deinceps, per altiore etiam notitiam supernaturalem, quae est infusa scientia, valent cognosci, de qua hic loquimur; & denique per dona illa Spiritus Sancti, & de quibus Spiritus Sanctus revelare, & illustrare dignetur: Et haec quidem notitiae optimè cohaerent, & inter se conveniunt, & coadjuvantur saepius propter diversitatem mediolorum, quibus utuntur in suis functionibus. Cumque primus homo innocens, etsi de terra terrestri, à Deo taliter esset elevatus ad superna, congruum videtur, quod omnibus Divinis notitiis ornaretur, nimirum scientia naturali de Deo uno, infusa, & superna, ac Spiritus gratiae afflata comitata, & fidei lumine adhuc roborata: Ecce multitudo luminum in uno Adami intellectu sese mutuo comitantibus, & benè cohaerentibus. Per quod omnia solves, quae contra hoc offerantur.

44. Secundò arguitur: Non ita congruum videtur, hominem primum innocentem taliter locupletem fuisse illis dotibus scientiae, sapientiae, intellectus, tum in naturalibus, tum in supernis, quorum haec una, & gravis offertur ratio, quae in 2. Genes. habetur: Homo enim conditus, & adhuc iustitia originali praeventus, constitutus, & collocatus fuit in Paradiso, ut operaretur, & custodiret illum, ibique praecipit ei Dominus: *Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiae boni, & mali ne comidas*. Nunc argumentum: Arbor scientiae boni, & mali complectitur rerum omnium notitiam, maxime moralium, ut est communis sensus Expositorum cum PP. Ergo Adam cognitionem horum non habuisset: Ergo etiam supernorum. Assumptum probatur: Ex ipsa et Divina prohibitione; siquidem, si Adam prohibitus erat, ne comederet de illo arbore scientiae: Ergo notitiam non ha-

ha-

haberet earum rerum, quam arbor ille nutrebat, vel potius generabat; sed erat rerum omnium moralium: Ergo ista caruit: Ergo & alia supernaturalia, quæ istam supponit.

45. Solutio hujus argumenti dependet à communi sensu Explicitorum in hoc uno conspirantium, quod scientia, de qua hic Sacer textus, sic debet intelligi, quod arbor scientiæ sit quoddam symbolum, quod Adam admoneret nullam aliam scientiam, seu lumen querere debere, nisi ut voluntates Dei scrutaretur: Alii tenent, hunc esse illius sensus, scilicet, quod arbor illa esset, quæ ostenderat Adam, quomodo malum sit fugiendum, & bonum prosequendum, & ut rerum universarum periculum inerat, discernereque valeat inter bonum, & malum: Cum his, & aliis explicationibus, immò stando in littera, certè compati possunt, quod Adam habuisset etiam de assertis, & adhuc de supernis, & quod Deus ipsi prohibuisset etiam de illo ligno scientiæ nuncupato, quatenus secretum aliquod contineret circa bonum, & malum postea ipsi Adæ aperiendum; ad quod alludit illud cap. 3. *Et aperti sunt oculi amborum: Cumque cognovissent, se esse nudos, &c.*

46. Tertio arguitur: Non benè sequitur ex sacris litteris, hominem fuisse à Deo conditum tali plenitudine gratiæ abundantem, circa naturalia, moralia, & superna; sed nec est, aut potest esse ratio, quæ ad hoc suffragari possit: Ergo non habemus de hoc principium probativum. Major cum minori sic probari possunt per successum, colloquium Havæ cum serpente, à qua seducta fuit, & ex eo persuasit viro suo, ut devoto ligno comederet: sic enim ait historia Genes. 3. *Sed & serpens erat callidior: qui dixit ad mulierem: Cur præcepit Deus, &c. dixit autem serpens: Nequaquam morte moriemini, &c.* Nunc ad litteram: Non apparet verisimile, quod homines primi ita scientia locupletes, possent ullo modo præstare assensum animali reptanti, & verbis humanis loquenti: igitur si per ista verba fuissent seducti, ut sic est, non benè cohæret factum istud cum illa scientia, de cujus plenitudine tractamus.

47. Ad solutionem hujus supponimus, quod homo primus seductus non fuisset, nec item viderit serpentem loquentem, ita expressè 2. ad Timoth. 14. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in pravaricatione fuit.* Undè quoad hoc, argumentum non est ullius vigoris respectu scientiæ primi hominis. Loquendo verò de muliere; aliqui ex Theologis tenuerunt, quod ibi Sacer Scriptoris usus fuit sermone allegorico, ut ostenderet quid in corde Havæ, & in suo spiritu à Dæmone tentatæ contingerit, denotando per serpentem Diabolum: PP. verò, ut Basil. Ephræm loquentes de Paradiso, contrarium docuerunt; serpentem, scilicet, verè fuisse loquentem cum Havæ voce à Dæmone efformata, sicut de Alina Balaam legitur num. 22. immò & quod serpens ab initio sui erectus incederet, ac Dei maledictione repræsenteret. Sed quidquid de hoc sit: Concupiscentia, quæ vitiauit Angelos in scientia, vulneravit, & hominem; de hoc latius infra; præterquam quod superius de eo non pauca dedimus.

QUÆSTIO III.

Utrum Homo in statu innocentia potuisset leviter in intellectu delinquere, vel venialiter peccare?

48. **D**E peccato veniali in sua quidditate, effectibus, & demerito postea, tom. 52 tract. 21. à q. 12. ubi de peccatis; nunc solum de ipsius cum statu innocentia coherencia; immò & de quolibet alio levi defectu tum voluntatis, tum intellectus loquendum venit, præscindendo à materialia, & specie deformitatis, & maxime à gratia sanctitatis, quam justitiam originalem esse dedimus non semel, ut tract. hoc, & 12. Ratio hujus præscitionis ea est; quod semper, & in omni eventu, & sta-

tu naturæ rationalis lapsæ, & gratia, & peccatum veniale quodcumque defactio, & tæpe sapius coadunantur; ut experientia est compertum, præterquam quod est doctrina Trident. Sess. 6. Canon. 6. cap. 11. Unde quantum hic de statu naturæ integræ, & innocentis loquamur, præcisivè à gratia sanctificationis procedimus, unicè, quia hæc gratia impertineus est ad resolutionem propositi dubii.

49. Defectus enim in intellectu accidere potest, vel ex ignorantia, & per scientiæ defectum, vel ex inadvertentia, & inconsideratione; de primo non habet locum questio, cum ex antedictis primus homo omnigena scientia esset præditus in sua conditione, & creatione, quæ omnem ignorantiam excludit: Inadvertentia verò, sive inconsideratio nec cum scientia incompatibilis est, nec scientiæ contrariatur; & de ea communiter sentitur, quod Angelis desertoribus accidisset, & ad hoc, de homine loquendo, alludit illud Ps. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, &c.* Hæc igitur inadvertentia evenire potest circa res purè politicas, & civiles, morales, & supernas; & in illis ut graviter, vel leviter obliquantibus. Ad hunc modum de eutere licet de motibus voluntatis, quæ sive levi ducta motivo, vel gravi, semper tamen apparenti, deficere potest à rectitudine, & conformitate cum recta ratione pro libito sui, & sua libertate, graviter, vel leviter delinquendo prodignitate materiæ, & munere deliberationis.

50. Quibus suppositis, & intellectis inconcussa res videtur apud DD. Adamum, sive esset conditus gratia justificationis, sive solum originali justitia, ut ab ea gratia distincta, non deliquisse leviter nec ob inconsiderationem, & inadvertentiam, vel nec ob ab usum bonæ voluntatis, temporis, & circumstantiæ suorum operum; nam ea, quæ in ejus casu acciderunt, satis clarè hanc indicant veritatem; unde solum querimus pro extraordinaria potentia; an videlicet, possibile esset statui illo innocentia peccatum hujusmodi leve? Nec inanis est questio; cum per eam inquirere, & investigare tenemus, quanta sit perfectio scientiæ illius status, & conformitas volunta-

tis cum ratione. De hoc D. R. in 2. dist. 22. per tot. & in 4. dist. 1. q. 1. & præterea in quodlibet. Ex quibus ad istam, & præcedentes rationes, & resolutiones edidimus fundamenta, quæ extensius sequentibus conclusionibus declaravimus.

51. Conclusio prima: In hominis statu innocentia non potuit esse error, inconsideratio injudicando, vel consiliando: Est R. expressa in dist. 22. sequitur D. Thom. in de veritat. q. 6. art. 18. & eam iisdem rationibus probat; primò: Quia inconsideratio, & error sunt falsæ opinioniones, & ab his oriuntur, sed falsa opinio non habuit locum in statu innocentia, qui purus est, & perfectus: Ergo multò minus poterit ibi esse error. Minor probatur per Comment. 3. de Anim. com. 3. ubi docet: Quod error, vel falsa opinio se habent in intellectu sicut monstrum in natura corporali, siquidem, neut monstrum est præter naturam agentis naturalis, & præter ejus virtutem, quatenus malum naturæ est; & malum omne evenit præter naturam, ut ait Dionis. 4. de Divin. Nom. sic error, vel falsa opinio est præter intentionem primorum principiorum, quæ sunt veluti virtutes seminales cognitionis; atqui monstra corporalia non sunt consuetudine possibili in illo statu innocentia: Ergo nec monstra illa intellectualia.

52. Probatur secundò conclusio, & alia via: Error, & inconsideratio, quæ fuisset negligentia considerandi ea, quæ debebat primus ille homo considerare, sive injudicando jam in consiliando non solum dicunt carentiam boni in linea intellectiva, verum & potius, & principaliter, corruptionem boni præhabiti; sed primum tolerabile esset in statu innocentia, qui licet perfectus sit & pluribus bonis abundans, non tamen est omnibus bonis repletus, ideòque aliquibus carere debet; secundum verò, scilicet, quod ibi adit corruptio alicujus boni, locum non habet in statu innocentia; & hoc satis probat littera sacra, hominem conditum extrinsecum ad Imaginem, & similitudinem Dei, animamque ejus per modum spiraminis Divini declarans, totumque hominem in spiritum elevans: *Et factus est homo in animam viventem: Genes. 2.*

igitur in eo statu non convenit alicujus boni corruptio; qualis esset inconsideratio, sive opinio adhuc certo probabilis, nam opinio ex natura sua excludit certitudinem, & bono isto privat.

53. Conclusio secunda: Homo in statu innocentiae non habuit, nec potuit, connaturaliter loquendo (quidquid sit de aliqua possibili providentia) deficere in voluntate leviter, & venialiter: De hoc ergo non habeo rationem expressam in R. ceterum ex antedictis hic satis colligi potest; & in istum modum probari: Per peccatum veniale nec corrumpitur gratia Dei, nec minoratur, aut remittitur; & determinate de gratia originali idem tenendum, cum ratio utrobique eadem sit; sed in sensu composito gratiae originalis non potest esse peccatum aliquod veniale in homine integro, & innocente: Ergo ita est. Minor probatur: tum, quia videtur implicare statum integritatis cum quocumque peccato, & corruptione; siquidem esse integrum, & defectuosum, vel deficientem simul, & secundum idem non bene coherent: Ergo nec stante integritate, & innocentia in primo homine, quod ibi esset corruptio aliqua & defectus moralis adhuc levis. Quod verò per peccatum veniale non corrumpatur status innocentiae alia via convincitur; & mirum ex Dei ordinatione decernente, quod solum per transgressionem praecepti prohibentis esum ligni scientiae deperdatur cum innocentia, & gratia, status originalis iustitiae; ut ibi: *In quacumque die comederitis ex eo morte moriemini*, & alia, quae sequuntur.

54. Denique utraque conclusio probari potest per rationem R. & D. Thom. quae in istum modum formari potest: Homo innocens, & integer non fuit reus, vel debitor alicujus poenae pro illo statu, & quoad in illo perseveravit; sed corruptio aliqua, quae eidem obveniret, pro eo statu esset poena à Deo infligta, & propter alicujus transgressionem infligta; cum non sit concepitibilis poena, quae aliquam culpam non supponat: Ergo talis defectus, & corruptio in intellectu, & voluntate hominis pro illo statu possibili moraliter non fuisset: Major patet, &

minor probatur: Corruptio illa nec esset à natura, nec à Deo dante, & condente hominem; tum, quia; nemo intendens ad malum operatur; tum, quia esset à Deo, quatenus bonum occasio-natum esset, sicut est omnis poena ab ipso infligta: Ergo culpam aliquam supponeret: sed hoc esse non potest; sequeretur enim, quod secundum idem esset poena, & culpa, quod esse non potest: Ergo deveniendum erit ad hoc, quod illa corruptela non esset homini in eo statu possibili.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

55. **A**rguitur primò contra primam conclusionem: Non esset contra naturam status innocentiae, vel non conforme illi, quod in aliquibus est levibus, deficiat intellectus primi hominis, vel ex inadvertentia, inconsideratione, aut vi apparentis veritatis motus; sed tunc leviter in hac parte deficeret: Ergo istud non incongruit. Major probatur: primo: Quod effectus moralis esset talis secundum quid; sed à dicto secundum quid nil sequitur contra tale simpliciter: Ergo si homo primus deficeret secundum quid in suis cognitis, adhuc diceretur in hac parte simpliciter rectus, & secundum eam rationem, quam rectitudo competit statui innocentiae. Secundò probatur illa major: Ea obliquitas intellectus primi hominis, nec esset poena, quae culpam supponeret, nec esset contra debitum status innocentiae: Ergo non est, ubi haberetur talis incoherentia. Non primum; quia homo in eo statu esset pura creatura, & ideo defectibilis, & obliquabilis; nec secundum; quia non constat, quod Deus ad hoc teneatur in vi alicujus pacti: Ergo de primo ad ultimum non est fundamentum ad adstruendam talem rectitudinem in intellectu hominis innocentis imperdibiliter.

56. Ref.

Quaest. III. Utrum homo statu innocentiae, & c.

56. Respondetur ad argumentum, negando majorem, & ad ejus primam probationem, quae primo aspectu apparet urgens, & cogens; dicimus; quod absolute verum est assumptum; sed non semper: v. g. leve mendacium in Sacris litteris infert necessario, quod ea non fiat veritatis simpliciter infalibilis; sicut quod Deus leviter fallat; aut fallatur, laedit simpliciter suam veritatem, & veracitatem; hoc ideo est, quia defectus ille levis destruit totum esse rei, quod afficit; unde non quia levis, & secundum quid talis est, opponitur ei, quod simpliciter est, & dicitur; sed per connexionem, quam dicit cum non esse rei: Clarius, & ad rem nostram: Levis defectus in parte intellectiva hominis innocentis non opponitur simplici perfectioni intelligendi ipsius, sed contrariatur innocentiae statui, propter quod deficiente leviter, status deficeret, & alia, quae ad eum sequuntur: Ad secundam pariter respondetur: Quod defectus, & obliquitas intellectus primi hominis poena esset ex aliqua culpa orta, non absolute, sed ex suppositione Divini Conditoris, hominem ita integrum creantis, ut nec in minimo haberet, à quo posset maculari, semper ac in eo puro statu perseverasset: Sic colligitur ex Sacris litteris Gen. 1. & 2. & in Eccl. lib.

57. Secundò arguitur: Adamus ignoranter peccavit, est non deceptus; provocatus tamen à muliere; sed ignorantia haec, & error praecesserunt ad malitiam ipsius, & in sensu composito status innocentiae primi hominis fuit ejus intellectus vulneratus: Ergo status ille non est incapax vulneris erroris, & ignorantiae. Major est Aug. 3. de lib. arbit. ubi ait: *Primus homo quando peccavit, stultè recessit à Deo*: Ergo ad malitiam talis peccati praecessit in primo homine stultitia, ex qua ortum habuit ad verba mulieris assensus. Minor verò probatur: Stultitia illa primi hominis, cujus ratione à Deo recesserat, praecessit omnem malitiam voluntatis Adami: Ergo & inventa fuit in homine primo in statu innocentiae, & in sensu composito illius; cujus haec est ratio: Quod solum per malitiam primi hominis pecca-

Tom. IV.

tum intravit immundum, maculata fuit natura, & status innocentiae everfus: igitur si stultitia hominis praevit malitiam suae libertatis, compatibilis fuit cum illius innocentia.

58. Argumentum propositum facit contra plura, quae in Philosophia morali, & etiam apud Theologos resolvuntur quacumque via; & semita explorentur; quomodo videlicet, se habeat ratio, judicium, praxis, & c. ad liberum arbitrium, & ad actus deliberatos? & ex hoc fit transitus ad particularia dubia, ut est illud, quod habemus praemanibus. De hoc R. in 2. dist. 22. & 29. & in 4. dist. 1. q. 5. & alibi; nosque non semel de eo, & specialiter tract. 1. tom. 3. de quibus aliqua hic recapitulabimus. Et ante omnia tenemur ad concordiam D. R. in isto passu. In secundo etenim citato, ubi loquebatur de statu innocentiae primi hominis, à qua omnem errorem, & ignorantiam tentat excludere; cum sibi objicisset commune argumentum, de scientia juris, & facti necessario praerequisita ad peccandum; per varias rationes, se remittit ad dist. 29. ejusdem 2. Ubi resolvit, quod potest dari malitia in voluntate, quin praecedat error in intellectu; & ut fieret satis argumentum sibi factis pro statu innocentiae primi hominis, necessario illa resolutio de possibili, quam affer dist. 29. deberet esse defecto respectivè ad statum innocentiae; consequenterque erat tenendum; quod primus homo peccavit, ceterum praevit ad suam malitiam non erravit ignoranter, sed stultè recessit à Deo concomitanter, & consequenter: quia in casu suo fuit in ejus voluntate malitia, quin praecessisset error in intellectu.

59. Solutio tolerabilis est ex R. ibi, ceterum habemus in contrarium doctrinam expressam in 4. dist. 1. q. 5. tenet enim ibi propter simile argumentum, & ut ostendat, quomodo Angelus, aut homo peccare possint, stante in eis hoc iudicio universaliter certissimo, & demonstratione ista praehabita: Quod, scilicet, Deus est per se, & summum Bonum, & quod tale Bonum esset eligendum: Teneo, inquam, & ait ibi: *Licet enim stet recta ratio, tamen concupiscentia, qua est*

Xxx


est

est ei contraria, distrabit intellectum concupiscentis, ut non sit ei visa recta ratio coram se principaliter, & stante distractione hac facta, voluntas, quæ pronâ est ad consentiendum concupiscentiæ carnis, consentit; & peccatum committitur: Ex quibus hæc conficitur instantia: Numquam verificatur peccatum sine distractione intellectus, saltem defacto, & regulariter loquendo: Ergo aliquis defectus præit in intellectu adhuc primi hominis, & ad primum peccatum ad malitiam suæ voluntatis: Ergo defectus ille compatibilis est cum statu innocentiae ejusdem primi hominis.

60. Instantia optima est, sed facilis solutio illius differtis Verbis R. in isto 4^o docet ibi: Quod concupiscentia, etsi non sit fortior ratione, est fortius movens, & transmutat hominem in amentiam, ut ait Philosophus 7. Eth. cap. 5. exemplumq; ponit de Vinolento, Irato, vel venerea concupiscenti; hærgo, & passiones similes, quæ intellectum distrahant, sic agant in illum, ut ipsi non appareat visa ratio recta, & rectum judicium de eligendis; hoc modo peccaverunt Angeli sine errore, & defectu, vel corruptione intellectus, sed per novam opinionem supervenientem ab ipsa concupiscentia, qua Deum esse, & similem Altissimo possibile, & bonum judicarent; eo modo peccavit primus homo; nam mortis vehementi concupiscentia eadem non fuit illi visa recta ratio pro hora passionis; & in dementiam raptus, non habitu, sed actu fuit ignorans, & absq; defectu pravio intellectus, sed solum consequenti, & concomitanti, transgressus fuit Divinum præceptum, amisit innocentiam, & gratiam: Vides, quo jure omnia, quæ affert D. R. locis citatis, concordantur; & quod in statu innocentiae nullam pateretur corruptionem intellectus; & præterea, quod deliquerit sine pravio errore, pro hoc præcisè, quod pro hora passionis non fuisset ei visa recta ratio; ac denique quod in sensu composito hujus integritatis componibilis sit ignorantia in actu cum perfectione suæ scientiæ in habitu.

61. Tertio arguitur contra aliam conclusionem: Ideo, quia peccatum veniale non opponitur gratiæ, nec justitiæ ori-

ginali esset contrarium, esset compatibilè cum ea; & maximè cum constitutivè, & in recto hæc innocentia sit ipsa gratia sanctitatis: Igitur compatibilia sunt. Alia via argui posset, per hoc: Si homo innocens potuit lethaliter peccare: Ergo potius venialiter: Nam vel venialitas ista destruit statum innocentiae, vel si non hoc dicatur: Ergo compatiuntur; si vero primum dicitur: Igitur inconvenit peccatum veniale statui innocentiae, quia respectu illius dicit oppositionem aliquam; si vero opponantur, hæc oppositio alia esse non potest, quam ea, quæ est gratiæ cum peccato; vel assignetur alia: Ergo si hæc non est, nulla alia erit. Ad primum hujus tertii dicimus: Quod peccatum veniale in se, & quatenus macula est, non pugnat cum justitiâ originalis; ceterum in suis principiis, & causis certam dicit repugnantiam cum illo statu; quatenus vel oriatur à motibus semiplene deliberatis, vel ex parvitate materiæ prohibita, utrumque non est dabile cum statu innocentiae, cujus integritas opponitur cuicumque, etsi levi, defectui. Nec secundum cogit: Venialitas namque peccati non destruit per se, & directe innocentiam, ut sanctitas, sed ut præcisè integritas naturæ rationalis est, ideoque cum illa est incompatibilis.



QUÆST.

QUÆSTIO IV.

De Natura humana lapsa, & de ejusdem naturæ casu.

72

HOMO in maxima felicitate constitutus paulominus ab Angelis minoratus, gloria, & honore coronatus, & super omnia opera manuum Dei exaltatus, cum ad tantum honorem esset erectus, non intellexit, sed jumentis comparativus insipientibus similis factus est illis; amisit Dei gratiam, abdicavit originalem justitiam, & reus factus atrocis criminis de innocentiae statu translatus fuerat ad Dæmonis servitutem, & captivitatem, & cui bruta animantia obsequium, & obedientiam præstiterant in œlici rebellionem in eum insurrexerunt. Quæ tanti mali causa? Peccatum, transgressio Divini præcepti pro statu innocentiae unice impositi, interdictio enim de non comedendo de fructu ligni scientiæ, boni, & mali, quod plantaverat in Paradiso contempta, & pro nichilo facta ab homine illo. A quo seductus fuerat? A nullo: Adam non fuit seductus, ut Paul. 2. ad Timoth. 14. ait: A quo provocatus, & persuasus, ut ederet de illius arboris fructibus? Non constat, quod nec à seducta Muliere ad istud persuaderetur, aut precibus importunis adigeretur: Hæc est in summa cassus utriusque ratio: Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Totum patet in Gen. 3.

63. Quamdiu duravit Staturus innocentiae? Credo, quod eo tempore, Tom. IV.

quo in Paradiso permanfit; & licet de hoc non habeamus expressum fundamentum, colligitur ex eo, quod peccante Adamo, & à Deo de suo delicto recõvento, & pœnis correspondentibus inflitis eidem, statim: *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Gen. ibi. Ceterum per hoc non solvitur adhuc nodus quæsti; cum sub dubio sit, quo tempore durasset in justitia originali? Nam non nulli tenent per quadraginta dies, totidem correspondentes illis, quibus Christus in Deserto jejunavit. Barzephaz, & plures ex PP. tenent una tantum die conservatum fuisse in statu innocentiae: Alii sex horas; non desunt, qui triginta annos in vitæ abdite tenebris delituisse. Sex deniq; dies tertur fuisse necessario commoratos, & sanctos, it ad numerum creationis, quos Moyses refert, comparatur status ille justitiæ. De hoc non possumus terre sententiam: Ex littera aliquod denotatur tempus stationis, cum diceret Hæva serpenti: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur.* Gen. ibi. Ubi habitualis statio denotatur.

64. Sed quidquid de hoc sit, de statu lapsæ humanitatis scire debemus ante omnia, quod per peccatum primi hominis, non solum dicitur homo ille corruptus, sed & tota humana natura vitata, & lapsa, quatenus peccatum illud primum fuit personæ, & naturæ; sic enim hominem Deus condiderat, ut qui esset omnium aliorum à se descendendum principium, esset etiam illorum caput, à Deo constitutum, & ordinatum, ut Dominus omnium est, & Rector. Sub illa go ratione fuit primus ille homo constitutus, ut non tibi solum, sed & posteris suis gratiam, & justitiam conservaret, ita quod eo contradicente, & amitente illam, successores contraherent cum debito, & obligatione eam habendi, privationem ejusdem gratiæ, quam in sua ipse transgressione contraxerat. Constat generale assertum, maximè in Canone novi Testamenti variis in locis; & in illo Geneleos 3. ubi de casu hujus hominis satis, ibi enim recensetur quidquid expressius apud sacros legis

Xxx 2

gra.

gratiæ Scriptores. Infra in hoc tom. cum de peccatis protactius de illa materia.


65. Restat, ut duo alia quæ hujus sunt tractatus scrutemur; relictis, quæ propitia sint, & specialia constitutiva peccati originalis, ad tom. 5. tract. 21. ubi de eo latè. Primum est: Circa speciem peccati primi, & originalis; secundum, de illius effectibus; specialioribus. Et quoad primum loquendo, scimus, quod in peccatis solet quandoque materia illius, & objectum, ex variis adjacentibus circumstantiis, & extrinsecis finibus, magis, & magis vitari, adeo ut non solum intra eandem speciem graviora appareant, verum multinomia sint, & in varias abeant species. Non erit alienum ab atrocitate hujus criminis primi Parentis non modo asserere, & de illo sentire, fuisse non solum ex objecto suo, & in sua materia gravissimum, sed ulterius circumstantiatum multiplici deordinatione adhuc ex suis finibus præconceptis: Quod caret omni ratione dubitandi est; fuisse in persona Adæ, & in semine suo violationem juris Divini, & naturalis hujus juris, quia natura jubet, regulari benefactorem ut est Arist. in Eth. & Polit. & ulterius; cum Dominus veluti ore ad os præcepisset, vel potius prohibuisset esum de ligno scientiæ. Præcepit ei, dicens: De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas. Gen. 2. Quid gravius, quam coram oculis Domini contemptus, & inobedientia illa?

66. Quoad speciem præfati primi hominis peccati, primo aspectu patet, fuisse constitutam denominatione inobedientiæ virtuti obedientiæ Deo debita oppositam: De hoc non habemus notius fundamentum, quam quod frequentissimè in sacris litteris, & maxime in textu Paul. sic asseritur, ut ad Rom. 5. Per inobedientiam unius hominis, peccatores sunt multi. Fuit inobedientia in affectu, & in re, cum Deus explicitè imperasset, nè comederent de illo lignivertiti fructu: Ad hoc sequitur, cupiditas Deo similis evadendi: Eritis sicut Dii: Gen. 3. Desiderium omnia sciendi: Sciens bonum, & malum; Si-

cut Deus omnia scit; quod totum indicat inordinatos spiritus affectus, & præsumptionem nefariam, quæ incidit in enormem superbiam, & hæc in primis parentibus fuit fons aliorum criminum, ut puta cæcitas mentis, cordis jactantia, gula, &c.

67. Quoad effectus, & erumnas, qui ex originali illo peccato proveniunt, DD. omnes in unum conveniunt, & hoc idem docet fides; sic nimirum; quod primus est humana massa corrupta, vitiata, & damnata, vulnere ignorantie, homo læsus, arbitrium debile, & infirmum, rebellio appetituum inferiorum contra partem superiorem rationis, donum integritatis penitus extinctum, beneficium immortalitatis negatum, & deletum, sanitas, valetudo, æquale temperamentum, & alia innumera natura prærogatiæ negata, brutorum animalium contra homines insultus; ac denique homo ille, qui Dominus Paradisi fuerat nominatus, ab illo exul, & extorris ad terram, de qua sumptus fuerat, reversus, & ad illius principium damnatus: Quia pulvis es, & in pulverem revertetur. Alia quam plurima annotarunt PP. ad hos effectus pertinentia, quæ pro nunc omitimus, quatenus ad dicta reducuntur. Homini imposuit jugum vescendi pane in sudore vultus sui; Mulieri vero dolorem in pariendo, fovendo, & nutriendo filios suos; ac præterea ejus partus, & prægnationes multiplicando; ex quo infero Adamo non peccante, non fuisse totum homines nascituros. Hæc summam dicimus, ut apud

Theologos expositivos videantur reliqua.



QUEST.

QUÆSTIO V.

De statu naturæ humanæ reparatæ.

68. **D**E reparatione, & naturæ humanæ restitutione ad statum gratiæ, & salutis æternæ tract. 16. fatè per tot. ceterum cum aliqua, vel fortassis leviter omiſſa, vel potius ad hunc tractatum pertinentia relidua unt, & scitu digna, de illis pro methodo, & Marte in præfati instituto. Ergo humana natura per peccatum lapsa, & omni prorsus cælesti bono destituta, spoliataque eis charismatibus, Donis, indultis, quibus affluenter abundabat, Deo misericorditer decernente, & disponente ad perfectius eveſta, & exaltata, & à vulnere inflicto liberata, & sanata, ad ultimum de morte in vitam rediviva restituta est. Hic est status naturæ humanæ reparatæ, de quo impræfentiarum. Et antequam de eo aliquas proponamus conclusiones, supponendum est, in iis præfandi a dubiis, & quæſtionibus, quæ supra discussa reliquimus, & maxime ab eis, quæ de ordine decretorum Divinorum circa hominis reparationem circumferuntur, ut puta, si Deus præintendisset remedium reparationis ex præviſſione lapsus; vel permisisset casum, ex præviſſione redemptoris; & aliis adhuc modum.

69. Demodo, & serie hujus naturæ reparationis non habemus expressum quid in sacro scriptore, & maxime in Gen. ubi Moyses speciale, & primam de historia ista tractavit materiam; immo est peccatum primorum Parentum retulisset, nobis reliquit sub velamine totius naturæ infectionem, postea per legem Gratiæ, & ejusdem legis scriptoribus declarandam; quanto minus ejus reparationem referret; cum æqualiter symbolis, & figuris ejusmodi veritatem declarasset. Sic

enim res se habent: Peccaverunt Parentes, in quibus tota humana natura continebatur, & ad omnes sustinuerunt mortis sententiam, rei facti sunt in eorum capite omnes homines futuri: Ergo culpæ subjerunt jacturam: Ejecitque Adam; Gen. 3. hoc est, expulit, exulem fecit à Paradiso, & maledictionibus pro illis benedictionibus, quibus cumulaverat: Benedixit illis, Gen. 2. replèvit: Descernit Deus hujus castus miserabilis reparationem, quod & similiter umbraticè à Moysè narratur: Ut in eodem 3. Gen.

70. Primus locus illius capitis, ubi reparatio hominis adumbratur, est hic: Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso: Vocavitque Dominus Adam; Ubi es? Super quem locum crediderunt Veteres aliqui, filium Dei Adæ apparuisse se deambulando videlicet ad auram; sed filius Dei de ambulans, est Verbum homo factus: Ergo sic fuisset ea apparitio primò post lapsum Adæ facta: Igitur ad illius reparationem, & solatium. Aug. Authore lib. 11. cap. 33. super Gen. ad litteram. Secundus locus est ejusdem 3. Gen. & continet maledictionem serpenti inflictam: Maledictus es inter omnia animantia: inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter seminum tuum, & semen mulieris. Ipsa conteret caput tuum; ibi. Nunc novissima Ecclesiæ Lucerna: Hæc est inter magis explicatas, clarasque venturi Messiæ prædictiones, qui genus humanum erat liberaturus, & a Dæmone victoriam reportaturus. Hæc Mulier, quæ contemere debet Serpentis caput, est Sanctissima Virgo, quæ vires, ac imperium Sathanæ diruit, in lucem enixa Jesum Christum victorem universæ malitiæ hostis humani, & everſoris scelerum, quæ Sathanæ imperium constituebant. Per quæ statuitur.

71. Conclusio prima: In signo immediate sequenti ad permissionem peccati primi hominis, decrevit Deus illico suam reparationem: Est communis resolutio, & fatè dogma fidei, cum ex textibus Sacris valde constet, præcindendo ab ordine, & methodo adstruendi divina decreta inter Scolasticos grassantibus. Immo sub his terminis de fide, sic expresse nullibi legeram: Primòque probari potest

test ex illo Gen. 3. citato, & relato: Si enim de ordine Divinorum decretorum analogizemus secundum seriem in re extitutorum, immediatè ac Parentes prolapsi sunt, eis apparuit Dei filius, vocavit eos, vestivit, & eorum misertus contruxit tunicas pelliceas, & suam nuditatem contexit: Quid hæc indicant? Nisi immediatè post lapsum reparatio; ad cassum erectio; nedum infirmi jam sanati; ò misericordia Samaritani Piusissimi! Audiatur S. Leo Magn. serm. 2. de Nativit. *Deus Omnipotens :: statim ut nos diabolica malignitas veneno sua mortificavit invidia, prædestinata revolvendis mortalibus sue pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit; denuntians serpenti futurum semen Mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute consereret; Igitur statim ac Deus præviderat infirmitatem humanam, medelam præparaverat. Hujus ratio, quæ? Omnia! & inestimabilis dilectio caritatis! O sanx culpa, quæ talum, ac tantum meruit habere Redemptorem!*

72. Conclusio secunda: Gratia habitualis, & sanctificans, & actualis gratiæ actuales, sicut etiam auxilia de quolibet ordine, quæ Deus primis Parentibus post reparationem præparat, & etiam confert, sunt ejusdem speciei, & idem in substantia cum illis indem gratiis, quæ illis collata fuerunt in sua conditione. In hac conveniunt omnes quotquot asserant, quod primi homines fuissent in gratia conditi; probarique potest conclusio sic. Gratia præfata, & quæ vel habitualiter pertineant ad gratum faciendum, dicuntur constitutivè esse supra totam naturam, ac confortes Divini esse, hominemque evehentes ad amicitiam Dei, vel formaliter, vel dispositivè; sed in his formalitatibus æquè se habent gratiæ hujusmodi primorum Parentum in utroque statu lapsus, scilicet, & reparationis: Ergo ita est. Minor probatur: Nam gratia habitualis est Divinæ naturæ participatio, ubique constituitur, semen Gloriæ, Amicitia, Filiatio, & hæreditas Dei; & similiter gratiæ actuales deserviunt huic principali, vel ut motiones, habilitationes, excitationes, ut possit, & ut actu operetur natura rationalis in vitam æternam; sed hæc propriissimè sunt gratiæ commu-

nicatæ cujuscumque statui ipsius naturæ: Ergo æquè se habent.

73. Conclusio tertia: In pluribus differunt gratia sanctificans, & dona alia habitualia, & actualia naturæ humanæ reparatæ insula ab aliis status innocentie, accidentaliter tamen ad ea dona pertinentia. Hanc conclusionem tenent omnes quotquot sentiunt primum hominem præditum fuisse cum originali justitia, ea etiam sanctificatione. Probatumque quoad secundam sui partem, de prima enim postea: Quæ ad aliquod pertinent, adjacenter, & supponunt rei quidditatem, accidentaliter dicuntur; sed gratia, & dona utrique statui naturæ humanæ concessa, solum accidentaliter differunt pœnæ status; siquidem in sua cujusque essentia, & substantia, nec variantur, nec possunt; admodumquo, communiter sentitur de Gratis, & Donis Angelis infusis, quæ ab hominis conditione plus differre debent, attentò præcisè utrorumque statu, quam si inter status naturæ humanæ innocentis, & reparatæ fiat comparatio; sed gratia Angelorum, & hominum, immò & Beatitude, & adhuc illa Christo Domino insula, eadem est in sua essentia: Ergo nec erit gratia Adami innocentis, & reparati.

74. Ergo differunt Dona gratiæ utriusque status, primò ex parte principii, & causæ; siquidem prima Gratia innocentie concessa fuit homini omnibus modis hoerè, gratiosè, & misericorditer, quatenus nil de suo apposuisset, quod ad eam quomodolibet faceret, non sic confertur Gratia alterius status, quæ etsi plena sit liberaliter misericordis, tamen coexistit in nobis suo ordine & jure efficaciam nostram, per Dei adiutorium habitam, ut in vi meritorum Christi per ejus Sacramenta, in re, aut in voto suscepta applicatorum, gratiam inveniamus pro tempore opportuno: Sic primus homo adeptus fuit gratiam, quia de peccato pœnituit, de hoc infra. Secundò; quod Gratia reparationis fuit homini insula, quatenus empta fuit, & est, vita, passione, morte, & resurrectione Domini: Alia verò nullo præcio redimita, insula, aut communitata est. Tertiò: Quod gratia status reparationis est effectus Prædestinationis præ-

propriè dictæ, quæ & liberativa vocatur ab Aug. Alia verò est alterius providentiæ specialis, ut est gratia sanctitatis in præscitis. Quarto: Illa est reconciliationis per unum mediatorem habitæ; nam cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo; ad Rom. 5. illa verò pure sanctificationis.

75. Quoad gratias actuales (loquimur de illis, quæ sunt de linea gratum facientis, & in quantum faciunt ad veram sanctitatem) præter respectum, quem dicunt ad reparatorem, & Redemptorem Jesum, vi cujus subinduunt novum gradum accidentarium activitatis, motionis, & excitationis; addunt præterea ubertatem auxiliorum, tam in numero, tum inefficacia eorum; quorum hæc est ratio; prima: Autoritas principii, & causæ moralis eorum, quod est Christus Dominus; & quis vereretur in dubium, quod perfectio principii, & causæ refundatur in principiatum, & effectum? Secunda sit; urgens necessitas auxiliorum Divinæ Gratia pro statu naturæ humanæ corruptæ, & lapsæ, in quo præter rebellionem carnis, ejusque appetitus sensitivi, de quo ad litteram Job. 7. *Milicia est vita hominis super terram;* & Paul. ad Roman. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ipse Doctor Gentium in persona propria responderet: *Gratia Dei per Jesum Christum;* ibi: Igitur pro hoc statu talia auxilia uberiora sunt, efficaciora, & magis necessaria, ut Spiritus in Deum erigatur, sua amicitia conferyetur, quatenus cum inimici hominis sint domestici ejus, his abundat pro nunc natura, & ideo superabundabit & gratia.

76. Queritur, num Adamus fuisset personaliter à suo lapsu reparatus? vel ipsi fuisset remissum peccatum statim; aut quo tempore, sive quamdiu durasset in peccato, & Dei inimicitia? Pro certo habemus, primos Parentes pœnituisse de perpetratis peccatis, & majori fere certitudine hoc obtinuisse vi meritorum Christi prævisi, & venturi; ita quod primæ hujus Domini misericordia in primis Parentibus primò sit exercita: De ultimo hic notato nullam habemus difficultatem de fide esse januam Cæli: & pœnitentiæ appetuisse Christum omnibus omninò peccatoribus; sicut pro omnibus natus, pas-

sus, & mortuus est; de quorum numero primi extiterunt Parentes humani generis, ideo primitiæ Christi Domini Redemptoris dici debent. De isto aliqua dedimus supra tract. 16. ubi de merito Christi Domini respectu veterum Sanctorum, & Patrum antiquorum, inter quos necesse esset, Adamum numerari, & suam consortem non excludere; & maximè si ad litteram 3. cap. Genes. attendamus; ubi Deus ad Serpentem, in quo Dæmon apparebat: *Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem. Et: Ipsa conteret caput tuum.* Quæ verba etsi mysterium alius in proprietate significant, de quo nos supra hic; non tamen excludenda sunt à veritate pœnitentis; sua attenda cõrtice litteræ.

77. Quoad primum; res perspecta est, pœnitentiam Adam egisse; & quod à Deo veniam impetrasse; conveniunt in eo PP. omnes Latini, & Græci, & Ecclesia in quibusdam Littaniis primum Parentem sanctum nominat, & sanctum invocat, & suas preces exoptat, dicens: *Sancte Adam ora pro nobis;* & de fide tenendum assertum censeo, fundatus in illo Sap. 20. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo. Patre Orbis terrarum: Cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo.* Antea que in ultimo versu 9. cap. probatum reliquerat, eam liberationem primi hominis à delicto suo fuisse per veram ejus sanitatem: *Nam per sapientiam, inquit, sanati sunt, quicumque placuerunt tibi Domine à principio.* Quæ si perpendantur, silentium ori hæreticorum imponunt, & fide certam relinquunt pœnitentiam Adami, justificationem, & beatitudinem adhuc.

78. Quod satis indicant PP. ut Hilar. supra Pl. 19. *Adam, inquit, venia reservatus, & glorificatus in Christo est.* Præterea Aug. de primis homin. cap. 34. ait: *Post peccatum justè vivendo, merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberari.* Ubi per hos Patres declaratur beatitudo, & canonizatur sanctitas consummata primorum Parentum; videlicet; *glorificatus,* quod indicat prædestinationem præparativam; & *Ab extremo supplicio liberari;* etiam declarat liberativam prædestinationem: Igitur Hilarius, & Augustinus in unum de ista prædestinatione primorum hominum conspirant. Rationes, quæ istud probent, &

& convincunt, sunt matè congruentiæ; nimirum, quod primi Parentes fuerunt homines primi, primitiæ Redemptorum; oves primæ, quas Deus in ovile Ecclesiæ venerat introducere, aliarumque Pastor, & Rector; & congruebat Divinæ pietati, ut ista perdita dracma, inter alias prætiofa undequaque non periret: Ergo:

79. Hæc est ratio, quæ frequens est apud DD. in isto passu, & certe nobis placet, & valdè; nam per illam satis declaratur sensus noster, & R. super probabilissimum de causa nostræ prædestinationis; si enim quia primus homo, Pastor, & Rector omnium quotquot redempti sunt a Domino, & inter oves humanas primitiæ congruit, ut ipse esset primus dilectus, & prædestinatus: Quid miraris, quod non improbabiliter dicamus cum R. quod quia homo benè finaliter in moralibus operatur, & sic est à Deo prævisus, congruere videtur Divinæ misericordiæ, & justitiæ, ut ad supernaturalia gratiosè eveltus, veniam consequatur, glorificationem in Christo, ac liberationem ab æterno supplicio, sicut Hilar. & Aug. notarunt de Adamo. Similiter, si ista naturalis, & moralis præferentia Adami allicere congruit Divinam prædestinativam providentiam sine præjudicio fori Divine Gratiæ, idem, & nos dicimus tom. 3. tract. 9. qq. 8. & 9.

80. Contra hucusque datas doctrinas, & propositas resolutiones, non est argumentum, nec ratio nugens afferri potest, solum in medium adducunt aliqui Angeli prævaricatoris peccatum; quod plusquam argumentatio est nobis motivum majoris gratitudinis, & erga Deum benevolentia, & charitatis amoris amoris: Angelus peccavit, homo deliquit; Angelus in superbiam elatus, similitudinem cum Deo exopraverat; homo superbus Divinitatem ambiebat: utriusque peccatum atrox, gravissimum, immediatè ad beneficia maxima perpetratum: Et quid? Homo redimitur, & copiosè; homo lapsus reparatur, & misericorditer; homo è Paradiso extorris; revocatur, & gloriosè: Angelisque peccantibus non peperit Deus. Quid ergo dicemus ad hæc? Respondeat Paul. ad Hab. 2. per totum

ubi satis de ista materia differens, ait: *Numquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*: Quod refundit in liberalem, munificam, & misericordem conditionem Dei erga hominem; quatenus hominem fieri inter homines, juxta illud Ps. 8. *Minuisti eum Paulominus ab Angelis*, decrevisset ista motus ratione: Undè debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. Ibid.

81. Et ut ea, quæ ad primi hominis sanctificationem, reparationem, penitentiam, & vocationem, compleamus, curiosè scire prætendimus; quantum temporis Adamus perseverasset in peccato, & Dei inimicitia? Correlativa quæstio ad aliam supra tactam, de duratione status innocentia; & illa supposita; moti, quarimus nunc pro persistencia illius primi hominis in injustitia. Nec inanis est, nec inutilis; cum non parum deservire posset resolutio ad exemplum, ad extolendam penitentiam, ad magnificandam Divinam misericordiam; ac præterea ad accidentalem gloriam Sanctorum Parentum Ada, & Havæ, de qua idem cum PP. sentimus sicut & ad peccatum, sic ad resurgendum, & respiciendum: Præterquam quod littera satis indicat utriusque penitentiam; ubi delictum ipsis commune refertur: ut Gen. 3. ad illud: *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent, se esse nudos*. Et prosequitur: *Et tum audissent vocem Domini Dei de ambulantis in Paradiso ad auram post meridiem: Abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini Dei, &c.* Per quæ denotatur timor, retractatio peccati patratii, poenitentia: Ergo utriusque Parentis.

82. Judico prudenter, quod statim, ac Parentes cognoverunt delictum, planxerunt peccatum, sicut Deus totius humanæ naturæ corruptæ continuo illius misertus est: Congruentia facti satis indicat textus Genesis; ubi refertur expressè patrationem ejusdem peccatis ad quam immediatè in littera accedit cognitio proprii delicti, & quod magis est, Divina vocatio, à qua incipit initium justificationis impii: *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es Adam? Quæ vocatio fit con-*

jungatur cum responsione, vel sortiatur effectum invocatio, efficax est, & talis dicitur; ita legimus de Adam à Deo vocato: *Vocem tuam audivi in Paradiso, & timui*: Ibi. Similiter Deum ita fecisse legitur cum Havæ, eaque respondente æqualiter: *Quæ respondit*: Ibi. Efficitur utriusque efficax Dei vocatio; utriusque responsio; utriusque timor filialis, utriusque dolor de peccato commisso, utriusque prompta, & immediata penitentia: Ergo statim ad peccatum penitentes effecti justitiam receperunt, & gratiam: Ergo parum duravit eorum impietas. De aliis ad hoc atinentibus infra cum de peccatis.

QUESTIO VI.

Ubi de Terrestri Paradiso, de ejus natura, situ, existentia, & duratione.

83. **C**ontinenter ad status recensitos humanæ naturæ congruit aliquid de Paradiso differere, quatenus fuisset inter opera manuum Dei sigilatum nota speciali conditionis; sicut de Aquarum creatione notatur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Gen. 1. sic de Paradiso: *Plantaverat autem Deus Paradisum voluptatis à principio*. Gen. 2. Ex quo aliquid singulare innuitur, & dignum majori attentione, quod equidem censéo, esse debet speciosus status innocentia, & originalis justitiæ ob quam, & ut homines innocenter viventes in deliciis degerent, plantaverat Paradisum, quod voluptatis, sive deliciarum nuncupavit Sacer Scrip-tor. Hinc & propter obscuritatem litte-Tom. IV.

ræ, & loci dignitatem, dubitare ceperunt, de ordine creationis, & conditionis Paradisi, & de ipsius substantia, & veluti materia, quibusdam falso oppinantibus, primo; & ante omnia factum fuisse; contra illud Gen. 1. *In principio creavit Deus Cælum, & terram*. Ast si cum moderazione, ut par est, accipiat sensus litteræ hujus: *Plantaverat autem Deus Paradisum voluptatis à principio*: Ibi; & cum alia: *In principio creavit Deus Cælum, & terram*; non longè videtur à veritate sensus D. Hieronim. super quæstiones Habreorum asserentis in principio sicut Cælum, & terra creata, plantatum fuisse Paradisum voluptatis, & postea in illo positum hominem à Deo formatum.

84. Ab hoc supersedemus, & supposito, quod Paradisus non fuisset ante mundum plantatum, dicamus; vel quod *in principio* denotat simultatem inscribi cum terra; vel, quod magis congruit latinis P. P. & Græcis; quod *in principio* sumi debet secundum varias versiones, pro eodem, ac *in oriente*, & hoc valde convenienter concordatur cum littera textus: Unde in ea parte orientali terræ Deus locum delegerat, ut in eo plantatis ad delicias, & fructus variis arborum, & florum speciebus, ibi hominem innocentem, & justum poneret, & collocaret, ut operaretur pro libertate, & cum tueretur veluti suam hæreditatem, caveretque damnum, quod stolta animantia ei inferre possent. Ex quibus, & littera textus perpenis satis convincitur, quod Paradisus sit viridarium quoddam ex industria plantatum in aliqua parte terræ mundi hujus ad decorem, delicias, & pulchritudinem, & ut ostendatur Dei cura, benignitas, & erga hominem formandum Amor.

85. Nunc amergunt plures, & frequentes quæstiones circa essentiam, & substantiam Paradisi, de Loco, & situatione ipsius, de Duratione & Existencia, & ejus dimensionibus, de fluxu minibus, de arboribus, & specialiter vitæ, & scientiæ; de illius custodiis cherubica; ac denique de inhabitantibus

bus in eo post exilium Primorum Parentum: de his, suppositis antedictis, & quod materia preles potior est ad expolitivos pertinens, quam enucleanda ab Scholasticis, aliqua dicenda proposuimus, ut ductum eorum A. A. qui nos precesserunt, sequamur; cum in eo non erit facile aberrare. Ad nostra placita quoad priora declaranda supponimus unam sententiam Magnifici scripturarii hujus sæculi 18. *Nullam fortasse in scriptura questionem inveniatis, quæ scriptorum magis in diversas jactaret sententias, quam hæc de situ Paradisi terrestris; neque aliquid magis impeditissimam hujus materiae difficultatem offendit, quam hæc sententiarum varietas.*

86. Igitur Paradisus, sicut & plures determinis, quibus frequenter utimur, ut in plurimum habet unam propriam significationem; aliam vero, & alias famosas pro hominum libito applicatas; significat enim propriissime locum destinatum pro delitiis, vel amenum viridarium; famosè verò Patriam caelestem, Cælum Empireum, & quandoque Dei visionem; quomodolibet quis intelligere velit sacra loca, ubi de Paradiso, alio ab eo, quem nunc quaerimus: Ut illud Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*: Ad Latronem: Et aliud: Apoc. 2. *Vicenti dabo edere de ligno vite, quod est in Paradiso Dei mei*. Relinquitur, quod in presentiarum solum loquimur de illo proprio; & reali Paradiso, & de quo Moyses in lib. Geneseos. Substantia ergo, & natura Paradisi hujus materialis, & terrestris deberet esse, semper ac historia hujus capituli ea parte, qua de Paradiso loquitur, in sensu purè litterali accipiatur; ibi enim de viridario quodam floribus, & arboribus confito sermo habetur expressius, quod unicè fieri potest in solo materiali, & terreno plantis, herbis floribus, & arboribus exposito; juxta litteram aliam: *Germinet terra, &c.* Gen. 1. De hoc sicut, & de aliis dubiis hic propositis sine assertionè aliqua dicemus, quæ nobis verisimilia appareant.

87. Et in primis circa substantiam, & veluti naturam Paradisi S. Aug. super Genes. ad litteram cap. 7. & alibi questionem instituit: Num videlicet Paradisus, qui à Moyse descriptus legitur, materialis sit? Spiritualis? Aut utrumque simul? Tota ratio dubitandi innititur in eo, quod, maximis difficultatibus implicatur conditio, & status Paradisi; si ad litteram intelligatur ejus descriptio, ut à Moyse refertur in historia Gen. Minoris esset angustia; si allegoricè, & spiritualiter accipiantur, ut voluerunt Philo, & Origines in hoc passu. Ceterum ab opposito satis clarè indicat textus Gen. literaliter intelligendum esse, cui tenemur; cum in eodem non nisi indirectè spiritualis status Ade explicetur. Concludit Aug. quod locus Paradisi materialis est in se, & sua naturà, status verò beatorum, & innocentia Primorum Parentum, & alia; quorum simbolus gerebant, spiritualia.

88. De situ Paradisi, ac de eà mundi visibilis parte, in qua plantatus à Domino fuerat, varii varia, & valde dissimila senserunt; quidam eum constituunt in tertio, & alii in quarto Cælo, vel in concavo Lunæ; vel in monte Cælo Lunæ proximo: Quidam in media aëris regione super terram; plures extra terram, sub terra in abdito loco ab hominibus incognito, & in permeabili alii: Vidi plurimos dicentes, Paradisum esse insulam Cælianam sacus fluvium Indum, vel inter Gangem, & Indum fluvios, aut in Tartaria, Armenia, ac in Africa sub Equatore Mesopotamiæ affinis etli non displiceat inter tot adversas, & diversas sententias, est, qui scripsisset Europam nostram dignam fuisse honore hoc, ut esset in qua parte Deus plantasset voluptatis Paradisum. Resolutio hujus dubii non est adeò facilis, cum multitudo opinantium eam impertransibilem constituat, sed qualemcumque offeramus, in qua de nostro solum ap-

ponere.

ponemus laborem de lectione plurimum, qui de materia ista tractatur.

89. Conclusio, & resolutio sit: Situs, & locus Paradisi est in terra Edem ad orientalem plagam, quæ correspondet Arabiæ desertæ, ubi Moyses scripserat historiam Genes. De hoc non indigemus probatione alia, quam littera textus expressa constituens Paradisum in Edem ad Orientalem plagam; atqui Edem vox est, quæ denotat, & exprimit locum aliquem determinatum terræ; sicut Bætica, Castella, &c. Ergo in hoc loco situs à Deo fuit Paradisus: Ergo ea circumstantia loci, quæ in littera adnotatur, qualis est orientalis plaga, Edem situs est Paradisi: subliniamus: Sed plaga orientalis cujusvis locationis consideratur per respectum ad locum, in quo quis residet; Nam civitas Carmonensis, quæ mihi Hispali loco est orientalis; occidua erit, si Altigiis essem constitutus: Ergo plaga orientalis Edem, de qua textus, accipi debet panes situm, & locationem sacri Scriptoris.

90. Hanc orientalem situationem Paradisi credimus esse in ea parte terræ, quæ hodie Terra Sancta nuncupatur, Palestina, aliàs terra Canaan, & Promissionis, in qua illa quatuor flumina Paradisi coadunantur in suis fontibus, & capitibus, quæ est occidua respectu Armeniæ; incipit præterea locus ille deliciarum ab his fontibus, & desinit propè unum Persicum, ubi exonerantur fluvii Tigris, & Euphrates, qui inter quatuor illos, de quibus in littera textus Gen. ad oculos habemus; undè medium ad illos consideramus Paradisi extensionem, & ambitum ad pœnè triginta Hispanicas leucas pertingentem. De hoc, quæ ratio offerri potest? Israelitis residua fuerunt vesti-

Tom. IV.

gia aliqua, quibus orta fuerunt de hoc hinc inde opiniones; ad nostra tempora solum duos habemus testes; ut sunt flumina Tigris, & Euphrates nisi tertium velimus addere Indum; ex quorum situatione, & iis, quæ textus loquitur, circa eorum originem, aliqua conjectamus, quæ subjecta offeruntur.

91. De fluminibus Paradisi sic legimus: *Et fluvius egrediebatur, qui inde dividitur in quatuor capita; Gen. 2.* Hi sunt fluvii quatuor illi de quibus in littera: Phison, primus, qui nodiè Phatis dicitur, Septentrionalis, & exonerat in Ponto Euxino: Secundus est fluvius Gehon, qui nunc Araxes orientalis, & defluit ad Mare Caspium: Alii duo, qui adhuc suis utuntur nominibus à tempore Moysis ipsis impositis, Meridionales sunt, & versus Occidentem tendunt, ibique suas aquas exonerant. Videretur congruum, quod quatuor isti fluvii ortum ducant à lacu quodam, qui in Paradiso fortè scaturiret juxta terræ illius summam in omnibus, quæ ad delicias pertinent; ut est aquarum abundantia, quæ terræ vulgo sanguis dicitur, quæ locundatur, & delitescit.


92. De Paradisi duratione hucusque consentienti PP. aliqui sententur, Henoch, & Parentem Eham ibi fuisse translatos, ad litteram intelligentes illud Eccli. 44. *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum*; per quod concludunt, residuum esse in aliqua mundi parte, quæ numquam ab hominibus detegi potuisset. Et hic est flammeus Cherubicus gladius, qui obitat introitum, & exitum illum, & ex illo; Dei, scilicet, lex, & statutum, si sustineri posset. Minime enim ambigimus, quod locus, ubi Paradisus situs fuerat, subsistit, quamquam omnino eo exutus decore, quo olim adeò fuerat ornatus; quæ propter careret qualitatibus illis, quæ

Xyy 2

per-

perfectam temperiem ingerebant; delitiis in amoenitate, floribus, & arboribus; quatenus talia mereretur peccatum hominis contra Authorem insurgentis. De Arboribus Vitæ, & scientiæ, an sint duo, vel una? Juxta varietatem sensuum, sic & nos sentimus; certum tamen teneo, quod supernaturaliter, & scientiam conferrent, & vitam; vel extrinsecus sic Deo volente fructus earum ordinate; vel intrinsecus qualitatibus respectivè præditos con-

stituentè, ut sic una quæque suam fortiteretur effectum. De hoc, sicut & de aliis nuper dictis nil certi statuimus. Et hæc sufficiant pro hoc tractatu, & sint ad laudem Dei, & suæ Amantissimæ Matris, & Carmelitarum Domini, S. Joseph, Pazzi, & Sanctorum.



THEO:



THEOLOGIAE
BACCONICAE
CARMELITANAE
SPECULI
DE ULTIMO FINE HOMINIS,
ET DE EJUS NATURALI
BEATITUDINE.
TRACT. XVIII.
PROEMIUM.



PECULUM ILLUD SINE MACULA, ET QUOD EST super substantialis Divinae Bonitas Imago, omnia fortiter, & suaviter disponens à fine usque ad finem, & quasi inter fines duos medium, cum sit unum, omnia potest, & in se permanens, in animas Sanctas se transfert, Amicos Dei constituens, & Prophetas perficiens: De isto speculo inter duos fines, quasi lucenti: Quam dulciter quidam; Salom. 3. Prov. Procul, & de ultimis finibus prærium ejus. O! finis! O! prærium! Finis summus; prærium infinitum; omnia etenim propter semetipsum operatus est Dominus. Si fortè erit finis iste, quem-

quærimus? Si ultimum, in quo quiesceret intellectualis natura, rationalis voluntas & Si

Si satiativum appetitus sine quo usquam satiabilis foret? *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*; alius decantabat. David 16. Pf. Belle de illo bono, & sine: *Animam satiavit in aeternum*; 106. immò & *Esurientes bonis illis satiavit*, pro sequitur idem: Notque istam finem ambimus; ut in illo quiescamus; illum scimus, ut inebriemur ab ejus ubertate torrentem Divinae voluptatis agredimur, ut exalteretur caput nostrum, hoc est, lumen scientiae, & intellectus, ut discamus, quis, & quid sit iste finis ultimus nostrae rationalis, & moralis voluntatis; et si forte accedat sermo opportunus, ad superna iterum ascendemus: Parcite opportunitati, quae nos cogit ad hoc, & urget.

QUAESTIO I.

Quid sit finis in se, & respectu voluntatis hominis? & quo duplex.

1. **P**OST datam notitiam de hominis esse, constitutione, & sua natura statibus, de ejus ultimo fine praemanibus habetur sermo opportunus, ut eo praesentem, & praesupposito, gradum faciamus ad ea, quae hujus finis sine propria, & nostri muneris non aliena; & per prius de fine utcumque, pro modo philosophorum naturalium, & moralium, aliqua in praesenti tractu, praescribimus, ut ad Theologiam in sequenti fiat ascensus. Est enim Philosophiarum naturalis, tum moralis, sicut & Methaphysica ministeriales scientiae unius Theologiae practicae, & speculativa; ideo ut incipiat Theologus, debet definire Philosophus. Deo itaque providè disponente, pro nostra promovenda imbecillitate in rerum cognitione, & maxime, quae ita super excedunt caput nostrum.

2. Concorditer ad ista, quae hic afferuntur, de fine in sua generalitate inquirimus, quamvis de eo alias in nostris philosophis, ut quid sit praesentem patens ad nostra iter agamus. Finis enim habet duplicem acceptionem, una est propria, & talis in rei veritate; alia verò impropria, methaphorica, similitudinaria, & quam D. R. sapientius in hac, & in aliis mate-

illis vocat, famosam significationem: Sic in communi usu, & frequentissima astringatione, mors dicitur finis vitae; & propterea exiit in proverbium: *Qualis vita, finis ita*; & quis propriè loquendo, & veritate verborum usurpata, diceret, quod animantia vivunt propter mortem, tamquam finem suum; & maxime cum finis verus, & proprius sit causa, mors decessio: per finem incipiunt res esse, & per mortem si delinuat, corrumpuntur, & non sunt. De fine in hac consideratione, & quatenus est primum non esse rerum, non est praesens institutum; sicut quando tractatur de homine, nullus de homine picto disquireret, quia tantum similitudinariè homo dicitur; sic finis famosus est; & dicitur finis, sed non sicut à Philosophis desideratur.

3. Est alia species finis propria, de qua Arist. 2. Phylis. 9. meth. & 12. D. R. sapientius, & specialiter in 1. dist. 1. art. 3. & deinceps. D. Thom. 2. 2. q. 1. 2. D. Sub. in 4. dist. 49. & communiter AA. suis in locis, quod esset longum referre: Hic est finis in verborum proprietate, & cujus definitionem afferemus per generales doctrinas concinnatas: Finis igitur erit bonum primum intentum à natura, vel a proposito: est & ultimum in re positum, & possessum. Dicitur finis *Bonum*, quia nemo intendens ad malum operatur; sic finis à natura intentus bonum verum est, cum nil falsum, aut frustra natura molitur, alias hoc deficeret in suo Authore: Si tamen finis esset expectatus à proposito, & secundum iudicium rationis, esset etiam bonum, ceterum vel verum, vel apparens propter defectum rationis, sive obliquitatem libertatis creatae: Semper enim finis bonum requiritur esse. Dicitur primo intentus, ut salvetur, ubi prius

Quaest. I. Quid sit finis in se, & c.

prius est, & locum habet, ordo perfectionis, sicut, & generationis in ultima sui possessione; aliter finis perfectissimus est; nam prima illius intentio, & ultima possessio in re idem sunt. De aliis quaerere diligenter R. hic; dum nos magis ad rem nostram accedamus.

4. Propter quae D. R. tenet ibi, quod aliud est finis, & aliud causa finalis; haec est, cujus gratia aliquid fit, ille verò est ultimum bonum, quod per operationem à fine originatam assequitur; & exemplificat per deambulationem, & sanitatem, sanitas ergo est finis deambulationis, & haec est operatio illa per quam assequitur; unde sanitas in apprehensione erit causa finalis, & deambulationis, & sanitatis in re possessa, & habitata, & haec erit finis deambulationis; unde sanitas eadem erit, & causa, & effectus; erit causa finalis intus in apprehensione existens; erit effectus in re possessa; & sub ista acceptione propriè finis dicenda erit; consequenterque sanitas haberet duplicem causam sui; nimirum efficientem, & finalem: Efficiens deambulatio; finalis verò ipsa ut existens in apprehensione; deambulatio verò insuper suam haberet causam efficientem per motum localem exercitam; & finalem similiter, sanitatem videlicet, cujus gratia sanandus deambulat; nam ideo deambulat, ut sanetur, vel propter sanitatem fit deambulatio: Ergo eadem finalis causa duplicem effectum haberet, & in eodem genere causae, quod non videtur conforme doctrinis causarum; immò, & implicatorum apparet, quod uni causae duplex disparatus effectus respondeat; sicut, unus duplici causae; & ad minus hoc esse deberet contra processum naturale rerum; hic apparet imbibita replica quaedam, quam R. praevenerit contra assertam doctrinam ibi §. 2. per totum.

5. Quam instantiam per pulchras doctrinas Arist. solvit ibi, & roborat suas; ad quod supponit causas finalem, & efficientem extrinsecas esse, sicut materialis, & formalis intrinsecas sunt; ideoque sanitas, ut forma est subjecti sanabilis non est finalis causa deambulationis, sed in quantum per illam habet homo bene, & late vivere; & hoc est, cujus gratia deambulat, non propter sanitatem, utcumque,

& quatenus dicit humorum concordiam, sed ut secum concomitanter afferat vitam latam; semper enim sanitas esset finis deambulationis, sed non sub omni sua acceptione causa finalis dicenda foret. Ratio hujus habetur in R. ibi secundum Philosophum; tenet namque, quod in plus, vel latius patet finis, quam causa finalis; finis dicitur id, ad quod consequendum aliud ut medium ordinatur; licet actus secundi sunt fines potentiarum, quia potentiae sunt propter suos; sed actus non sunt causa finalis potentiarum; quia gratia actuum potentiae non fiunt, & istud est definitio causae finalis: Ergo. Dicamus ad rem nostram; quod sanitas apprehensa, & prout concomitanter dicit, bene vivere, est causa finalis ipsiusmet sanitatis in re habitata, & possessa; & haec est unicus effectus illius in isto genere causae; ipsa verò sanitas erit finis deambulationis, quia propter eam homo ambulat, sed non causa finalis, cum non sit cujus gratia fiat deambulatio, tamquam finis, sed veluti medium ad finem sanitatis assequendum. Ecce summa totius doctrinae, quantum sufficit ad praesens.

6. Finis, ut titulo respondeamus, primum dividitur in generalem, & specialem; hoc est; vel accipitur generaliter, ut est omne positivum, quod finit, & terminat; ut forma, quae, quia est perfectio rei, & est terminus generationis, dicitur illius finis. Finis alio modo sumitur specialiter pro eo, cujus gratia aliquid agitur, estque ultima perfectio rei, & ejus operatio strictè dicitur finis rei genitae, & terminus, ut R. hic. Utraque species finis est propria, & non methaphorica; ceterum prima est latior; secunda strictior; & ad hanc pertinet formalitas causae finalis. Finis hic proprius, alius est ipsius actionis secundum se, & alius agentis, & generantis; qui & solet quandoque vocari finis operis, & operantis; de hac divisione ponit R. inter alia aptiora exempla, de quibus infra. Praeterea finis alius est naturalis, qualis est finis operis; alius à proposito, & dicitur moralis, propriusque est rationalis voluntatis, specificatque suos actus inesse morali eos constituens.

7. Finis hic est scopus hujus tractatus, pertinetque ad Theologiam moralem suo or-

ordine; & ad ultimum pervenire debet ad Deum, qui objectum est totius nostri instituti: Hic finis est, quem inquirimus; & qui propriissime pertinet ad humanam voluntatem; & est etiam multiplex; nimirum operis, & operantis; est præterea circa bonum verum, & quod tale est juxta verum ordinem, & insuper apprensens, quale quisque sibi pro suo libito constituit. Et etiam finis uterque, proximus, & remotus; ultimus, & non ultimus, de quibus R. in 2. dist. 42: Ex qua doctrina deducemus aliquas conclusiones, per quas demus intelligere finem proprium humanæ voluntatis; quid videlicet sit, & an unus sit omnium voluntatum finis hujusmodi bonarum, & malarum, & sub qua ratione sit strictè finis accipiendus?

8. Conclusio prima: Finis humanæ voluntatis, ut præciscens à proximo, & remoto, ultimo, & non ultimo, est bonum proprium illud, cujus capax est, abstrahens à vero, & apparente; signatè tamen loquens de humana voluntate, quatenus comprehendit ipsius statum, & inesse naturæ, & inesse morali. Conclusio hæc videtur esse eadem cum eo, quod R. docet in 2. dist. 42. citat: ubi tenet omnium voluntatum humanarum eundem esse finem, & maxime voluntatè in esse naturæ inspecta: Ergo si præcisivè accipitur, & quatenus rationalis est, unum; & unicum finem respicit; atqui hic finis alius esse non potest, quam bonitas, sive bonum: Ergo. Minorem subsumptam sic probamus; primò per Arist. 5. Methaph. ubi in Coment. 2. docet, quod finis est causa causarum, ideoque deberet esse optimum naturæ; sed quod optimum est, est bonum per se, & primum analogum: Ergo Bonum ut sic erit voluntatis humanæ finis in generali abstractione considerata.

9. Secundò probatur illa minor: Finis in stricta sui acceptione est bonum, & optimum, propter quod productum producit, & hoc est illud, cujus gratia aliquid fit, ut R. ibi. Ergo quod constituat finem in generali, deberet esse universalis ratio boni, sicut quod specialem finem specificet, deberet esse speciale. Antecedens probatur per exemplar, quod R.

affert in 1. dist. 1. q. 1. in hunc modum: Finis strictus artis factiva domus, non est ipsa domus facta, sed illud propter quod fit, scilicet, ut cooperiat nos à temporalibus calamitatibus, &c. Sed hoc est illud optimum, & bonum, cujus gratia aliquid fit: Ergo bonum istud finis est, immo & finalis causa in sensu proprio. Denique probari potest, quod finis sit idem formaliter cum bono; ita quod dicantur ad convertentiam; sicut cum actu, & perfectione; nam eo jure, quo actus est perfectio, bonum perfectum est, & ex debitis omnia habens; sic erit finis voluntatis humanæ ut naturalis, & moralis est, & ut ab his abstrahit, quatenus sub qualibet consideratione ad actum tendit ut ad bonum, perfectum, & optimum; & hoc totum est illius finis; siquidem cujusque finis est invenire suam perfectionem.

10. Conclusio secunda: Finis ultimus, & per se talis voluntatis humanæ in ea abstractione propriè obtinet rationem finis; alius verò proximus nec est per se finis, nec propriè talis. Deducitur asserta conclusio ex datis doctrinis R. in hoc, & 2. sub citatis distinctis: cujus rationes coincidunt cum antedictis, & una est: Finis ultimus voluntatis, quod est bonum illud extrinsecum in actu possessum, est quarta causarum, & propter quod cetera fiunt, & ad cujus acquisitionem movetur agens, à quo primò incipit motus juxta ideam Arist. hic sapius relati; sed solum finis, qui est quarta causarum, est specialiter, & strictè finis: Ergo solum finis ultimus est propriè finis dicendus. Alio tendit secunda pars assertæ conclusionis; & ideo aliter probatur: Finis proximus voluntatis sub quacumque acceptione potius mediū est, quam finis; ergo non potest in sensu proprio finis proximus, finis denominari. Antecedens constat: Tum; quia talis finis proximus solet à pluribus vocari finis effectus; sed hic est finis cum addito talis: Ergo non propriè. Tum; quia finis est ultima rei perfectio in sua proprietate: Ergo finis ille proximus, qui referibilis est ad ulteriorem actum, nec ultima perfectio est, nec finis propriè erit dicendus.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

11. Primò arguitur contra primam conclusionem: Bonum sub ea generalitate acceptum præciscit adhuc à ratione finis in propria acceptione: Ergo illud bonum præciscens non erit finis proprius. Antecedens: Bonum præciscens ab omni qualibet determinatione, & sigillatione, non dicit illam peculiarem quidditatem, & determinationem, vi cujus coarctetur ad conceptum proprium finis: Ergo sub ea generali ratione finis proprius non est. Antecedens patet. Bonum in præfata abstractione non dicit esse, cujus gratia fiat aliquid; sed hoc est esse propriè finis: Ergo. Omnia probantur simul: Bonum ita præciscens, nec dicit esse medium, nec propter se appetibilitatem, nec ullam aliam rationem determinativam ad certam speciem, quæ sub illius generalitate caderè potest; cum solum exprimat esse objectum extensivum, & primum voluntatis sub eadem abstractione conceptæ: Ergo aliquid addi eidem debet, ut propriè finis obtineat quidditatem.

12. Argumentum sua æquivocatione laborat, & præterea ordinem prædicationis inter finem, & bonum invertit, nam finis proprius bonum est quoddam; & hæc est essentialis prædicatio; ceterum non omne bonum est propriè finis; ratio est: Quod bonum latius patet, quam finis, ideoque ab illo non valet affirmativa consequentia ad istum; sicut non valet à qualibet ratione communi ad particulari sub ea contenta. Per hæc totum, quod continet argumentum, solutum manet, & enodata ejus æquivocatio; sic dicendo: Quod finis in sua propria acceptione divagari potest per omnia quilibet bona, & cujusvis sint rationis, cum sua quidditas in quocumque bono reperiri possit; ceterum non omne bonum obtinet rationem finis proprii, nisi illud, Tom. IV.

vel quod à natura instituitur, & determinetur ad esse talium finem; vel à proposito à rationali voluntate ad tale munus finalizandi assumatur, de quo sequenti.

13. Secundò arguitur: Bonum, quod proprius finis sit, & quarta causarum, debet esse talis prout in anima existens: Ergo non in sua generali ratione consideratum. Probatur antecedens. Bonum, quod sit finis, & quarta causarum, debet prius causare, quam alia tres causæ; cum illæ omnes sint causæ propter finalem, ideoque Arist. eam vocavit 5. met. *Causa causarum*: Sed prioritas hæc solum in anima inesse potest; nam finis in re est ultimum, quod acquiritur ab agente naturali propter bonum universi; vel à proposito, propter Divinum, vel proprium commodum: Ergo finis proprius, & qui talis sit quarta causarum, est bonum prout in anima: Ergo non in generali sui acceptione, & prout præciscit à quocumque statu.

14. Nec argumentum hoc urget, aut præmit: Nam Bonum esse in anima nil detrahit de sua acceptione, aut generalitate; potest enim prærequiri ad speciem in actu finalis causæ, quod finis in apprehensione præcedat ad sui causationem, & quod status hujusmodi apprehensionis non obstat ejusdem generalitati in esse finis, & boni; per hoc præcisè quod salvetur, quod quodlibet bonum potest esse proprius finis, dummodo suam causalitatem exercent in apprehensione existens; cum apprehensio rerum statum non variet; nam eo modo, quo bonum existet apprehensum, esset finis; & cum sub omni sua acceptione apprehendi possit, poterit & rationem proprii finis sic obtinere. Nec apprehensio aliquid facit, ut bonum sit finis, & causa, sed solum reputatur ut conditio necessaria ad causandum: Sic D. R. in 1. §. 3. docet, quod accidit bono, ut apprehendatur, ad esse propriè finem, & exemplificat per Avicenn. sic: Finis essentialis Serræ est scindere; sed ad hoc quod scindat, necessario coexistit duritiem; discurret similiter de apprehensione boni ad esse finalem causam, sicut de duritie aleindendum; atqui durities se habet ut conditio inferræ ad

sciendum: Ergo eo modo apprehensio boni ad finaliter causandum.

15. Tertiò arguitur contra a iam conclusionem: Finis propriè talis est id, in quo natura invenit suam perfectionem, & complementum; ideoque finis, & Beatitudo est operatio nobilis, & in qua quiescit agens naturale, & à proposito, de quo sequenti; ideoque invaluit apud Philosophos, quod unumquodque est tale propter suam operationem; sed operatio naturæ, vel agentis à proposito non est ultimum in linea boni, sed medium ad illud ultimum adquirendum: Ergo ad minus utriusque obtineret rationem finis proprii, scilicet, intermedii, & ultimi. Major videtur certa, ut infra, & minor constat: Quia utrumque obtinet rationem boni per se; & operatio ea perfectissima, & illud bonum per eam assequutum: Ergo finis intermedius sic est proprius, sicut ultimus.

16. Similiter proponitur argumentum factum, non quia de illo habeamus difficultatem specialem, sed ut demus pro doctrina panem non arctum, nec aquam brevem; ideoque ad illud responderetur, distinguendo, majorem propositionem: Actus perfectissimus, & in quo contumatur naturæ dignitas, est finis beatificans, & quietans, prout secum coaccipit objectum suum, concedo; actus ille est talis, si præcisè, & secundum se expectetur, nego majorem. Ecce rota doctrina R. & solutio argumenti facti: Namque operatio secundum se expectata, & juxta suam propriam est unicè medium ad proprium finem obtinendum, propterea finis non erit; cum aliud sit finis, & aliud medium ad ipsum; ipsa verò operatio aliunde considerata, & in quantum coaccipit objectum suum, illud quasi uniens subjecto, tunc erit proprius finis, sicque transit ad bonum extrinsecum, in quo quiescit, & quietatur agens: Exemplum redeat de fabrica Domus, vel propter me cooperiendum, vel propter ipsam edificationem. Doctrina procedit de iis, quæ amore amicitia, & concupiscentia profinetur; habita solum differentia inter utriusque fines, quorum unus est, quem aliqui vocant *Cui*, & est subjectum, cui bonum & finis assequitur, & alius ultimus, qui dicitur *Cujus gratia*.

QUÆSTIO II.

Utrum unus, & idem sit finis ultimus bonarum, & malarum voluntatum?

17. **S**iloiqui velimus de illo fine ultimo per se, & simpliciter tali, & quatenus sic ultimus est, ut ad nullum alium sit referibilis, & ordinabilis; certissimum est, solum unum esse hujusmodi finem; & hic est D.O.M. in quem omnia tendunt, & ipse ad aliud non respicit; ad quem omnia ordinantur, & ipse irreferibilis est ad quodcumque sit præter se; in ipsoque omnia quiescunt, & ipse in se, & propter se, ac non in alio suam beatitudinem habet. Ad hunc ergo finem omnes venire tenemur, & quia fides docet; & ex his lux naturalis nos instruit; quod principium, & finis ultimus in idem conspirare videntur; & eo jure, quo Deus Unus est rerum omnium principium, fundamento ipsissimo erit earum ultimus finis. Totum complevit Itai. 48. *Propter me; propter me faciam: Et gloriam meam alteri non dabo: Ecce verba clarissima, quibus Deus attenditur, & declaratur sic esse omnium principium, & finis, ut hæc magnitudinis gloria alteri non participet, nec item faciet esse communicabilem.*

18. Quo sic stabilito; & supposita ista infallibili veritate, habemus locum pro nostris quæstionibus firmandis, & circa alios fines ultimos nostras fundare conclusiones, non tantum, ut de illis patefiat philosophorum sensus, sed potius, ut dignitas, & præstantia veri, & proprii ultimi finis, & declaratur, & extollatur; & hæc est ratio inferendi id, quod præmanibus habemus ad nostram Theologiam Scolasticam, cujus scopus Deus est. Con-

se.

sequenter ad quæ, & suppositis iis, quæ de fine, & finalitæ causa remanent dicta præcedenti quæstione, superaddimus, quod in hac, & sequentibus præsentis instituti procedimus de fine in sua formali, & propria acceptione, & in quantum convertitur cum finali causa, & est qui cum ea dicitur ad convertentiam; & cujus gratia fiunt à suis respectivè agentibus, quæ fienda sunt. Cumque ut notabimus, horum quædam sint agentia naturalia, alia rationalia, & libera; à primis abstinemus, & pro Philosophis relinquimus; de secundis verò, quia propinquiora sunt moralitè Theologiæ, aliquantulum agendum erit.

19. Recolimus divisionem eam voluntatis ut natura est, & ut agens à proposito, quam & assertit R. locis q. præcedenti sæpius citatis: At quia ibidem concisio calamo, quid esset voluntas, ut natura est, dedissemus, aliquid ad ibi dicta addendum censuimus. Voluntas ergo, ut natura est, vel accipitur, in quantum potentia vitalis est; & in ista generalitate, & sub ista ratione nec operatur, nec est operativa; nisi eidem copuletur hoc quod est vitaliter agere per modum rationalis inclinationis, & appetitus; siquidem hæc est quidditas voluntatis apud særè omnes; nunc ratio clara dubitandi contra assertam divisionem; sed voluntas ut rationalis appetitus est, & ut illo modo operativa, non est naturale agens, sed à proposito, & liberum: Ergo divisio ea voluntatis per modum naturæ, & per modum voluntatis inanis est, & inutilis; cum non sit conceptibilis voluntas operativa, quæ non ut voluntas operetur.

20. Urgeri potest ratio dubitandi super istam divisionem juxta doctrinam R. quem latius dedimus tom. 2. traët. 5. & 7. docentis: Voluntatem esse potentiam essentialiter liberam in suis actibus, taliter quod usque ad Divinam ascendendo, Amor Dei, quo se diligit, & producit amorem subsistentem, liber est simpliciter, ut tom. 3. dicebamus traët. 10. Igitur semper ac voluntarem utralem concipimus, deberet esse per modum principii agentis liberi, rationalis, & à proposito, & nunquam per modum naturæ. DD. extranei Tom. IV.

faciliter se expediunt à præfata ratione, & urgentia, per hoc, quod voluntas tum creata, & adhuc Divina habet duo illa officia, & operandi per modum naturæ, & ut potentia libera; sumpta diversitate ista à conditione objectiva, quæ sicut dat speciem, sic tribuit, & modum liberi, & necessarii: Quando enim objectum simpliciter necessarium est, voluntas circa illud ita procedit, & per modum naturæ agit, & operatur; si vero non habeat omnimodam necessitatem efficiendi objectum hujusmodi specificum, ab opposito dicitur, quod voluntas erga illud libera est, & liberè agit, & à proposito operativa declaratur.

21. Nos verò parum urget ratio in contrarium; cum non teneamus, omnem quoscumque actus voluntatis liberos esse, sed eos solum, qui rationales sint, & secundum ordinem, & dependentiam à ratione distante, regulante, ostendente, eliciantur; hi etenim sunt ii, qui liberi sunt, & à proposito elicti, & hos vocat R. in præfati systemate dist. 42. lib. 2. morales; ad distinctionem aliquorum, quos elicere potest, & de facto sæpius elicit inadvertenter, absque judicii consideratione; & ulterius illi primo primi dicti, vel ex impetu ipsius, vel aliqua obligantè passione, tales igitur sunt à voluntate creata, per modum naturæ operante, & de his assertit R. aliter discutendum esse, & resolvendum in præfati, ac de aliis liberis, & rationalibus, de quo nos infra: Deducamus hanc ultimam consequentiam; ergo adhuc in doctrinis R. non superfluit, aut supervacanea est divisio illa voluntatis per esse principium naturale, & liberum; cum utroque modo operetur, & exerceatur.

22. Desine voluntatis humanæ bona sit, aut mala sub ista acceptione acceptæ, & per modum naturæ considerata non est locus quæstionandi; nam idem finis proximus, & finalis utriusque voluntatis in specie erit, cum eadem sit ratio specifica utriusque voluntatis, & bonæ, & malæ; si ut natura est, concipiatur; de quo concludit R. hic art. 1. quod earum, quæ sunt idem, & unum in specie, una, & eadem est operatio in specie; operatio enim naturæ cujusvis est finis illius: Et-

quo singularum voluntatum est unus secundum speciem finis proximus: Bonitas vero Divina, si ponatur ultimus finis talium voluntatum, tenet idem R. ibi, quod est una secundum se, & unus finis, etsi multiplex pro multiplicitate representantium. Semper enim deveniendum est ad hoc, quod finis proximus voluntatis creatae, ut natura est, bona sit, aut mala, inesse naturae loquendo, est sua operatio propria: Ultimus vero Deus, at eum Deus sit in se unus, & idem est finis ultimus utrarumque voluntatum in se, etsi respectu ad diversitatem representativitatum plurificari, & multiplicari, intentionaliter possit.

28. Adhuc inculcanda, & dissolvenda veniunt species aliae, seu divisiones ultimi finis; nimirum in finem generaliter acceptum, & specialiter, hve particulariter; est divisio haec allata à R. in hoc loco; ultimus finis generaliter acceptus est perfecta quies, summa felicitas, perpetua, & stabilis possessio boni, &c. In hoc ultimo fine hominis conveniunt cum Theologis Philosophi adhuc Gentiles, & qui legem non habent; diciturque ob istam rationem hic finis ultimus voluntatis humanae, generalis, quia est ab omnibus sic acceptus, & contra nil apparet vel quia quicumque sit, aut assignetur particularis finis ultimus voluntatis, debet subinducere illas omnes formalitates de fine ultimo generali predicabiles. Particularis finis ultimus humanae voluntatis est determinata illius quies, felicitas, & Beatitudo; & hic est etiam duplex; proprius, & apparens; finis ultimus humanae voluntatis, qui verè talis constituitur, ac unus est talis voluntatis, in eoque omnes, ejusque actus conspirare debent, est proprius finis illius ultimus, est necessario bonum summum; nam solus Deus satiare potest, & implere ambitum humanae voluntatis.

24. Finis alius ultimus voluntatis humanae, quae communiter dicitur apparens, improprius contrapostus alteri, Divino, scilicet, est ille, quem sibi quisque constituere & quasi fabricare potest: Nam cum beatitudo, & felicitas in operatione perfecta consistat, in quantum eum coaccipit bonum objectivum illud, in

quo quies, & delectatio invenitur potest voluntas sibi facere, & constituere finem ultimum inqualiter ex illis operationibus, quarum Domina est, pronuncere suae amplissimae libertatis; & hic erit finis illius ultimus particularis; apparens, sic accipiat secum bonum obiectum, quod tale sit apparenter, & delectabiliter proprius, si sit de objecto per se, adaequato, & perfectissimo bono, usque dum deveniamus, ad summum, & infinitum; de hoc infra. cum de vera, & propria felicitate humanae voluntatis tractemus.

25. Conclusio prima: Finis ultimus generalis humanae voluntatis est idem in specie, omnibus bonis, & malis voluntatibus. Est expressa in R. 2. dist. 42. & debet esse certa apud Theologos, & Philosophos, immo & lumine naturae notari. Probaturque primo juxta Philosophos, & Theologos: Bonum felicitatis, quietis perfectae, & beatitudinis stabilis in operationibus perfectissimis habitum, est finis ultimus humanae voluntatis; sed haec formalitates aequè dicuntur de bonis, sicut de malis voluntatibus: Ergo idem est finis ultimus utriusque voluntatis. Assumptum probat R. in 2. citato per Arist. 4. ethicor. ubi ait: *Felicitas est, quae est optima, esse finem totius vitae humanae; nec tamen oportet, quod huius finis actualiter, & explicitè intendatur, sed sufficit, quod intendatur in habitu, & implicitè.* Quod dictum Arist. ut pro Theologis applicetur, prosequitur D. R. *Sicut ad bonitatem voluntatis sequentis rationem illuminatam perspicuum, non requiritur, quod actu explicito semper intendatur Beatitudo: Multi enim sunt boni fideles, qui explicitè nesciunt, quid sit Beatitudo.* Ergo Beatitudo, felicitas, actus perfectissimus naturae intellectualis, & stabilis quies est finis ultimus bonarum, & malarum voluntatum.

26. Conclusio secunda: Finis ultimus particularis malorum voluntatum non est unus, sed multiplex. Est communis, & expressa in 2. citato R. art. 1. Fundari potest hic modus dicendi primo sic: Finis ultimus malarum voluntatum est ille, quem quis sibi constituit, & facit; sed quisvis poterit, & potest, pro suo arbitratu, & nutu unum ultimum finem constituere: Ergo eadem ratione poterit plures: Ergo non unus, & idem erit finis malarum voluntatum, sed quotuplex pro libertate sua finis sibi constituendus decreverit. Major constat: Nam finis ille pravae voluntatis nec à Deo est, nec à natura: Ergo praecise què quisque sibi statuit, erit talis finis ultimus voluntatis. Minor etiam liquet: Finis ultimus est qui ex se talis est, ut in eo quiescat voluntas, & foelix constitutatur, tanquam in bono ulterius irreferibili; sed mala voluntas pro suo nutu, & libertate finem ultimum adstruit, & sibi constituit, derelinquens fontem aquae vitae, cisternas fodens, quae nec aquas perfecti finis continere valeant: Ergo voluntas mala non habet alium finem ultimum particularem, quam quem quisque sibi constituit.

27. Secundò probatur conclusio: Finis ultimus bonarum voluntatum unus & idem est: Ergo malarum non est talis identitatis. Antecedens est certum, de quo infra, & consequentia probatur: Finis bonarum voluntatum, quia bona sunt, unus, & idem est: Ergo malarum, quia mala, non est unus, & idem talis finis. Consequentia, in qua est major difficultas, probatur: ideo bonae voluntates bonae sunt, quia earum finis ultimus unus est. Ergo unus esset talis finis malarum, non malae, sed bonae essent: Ergo quia malae sunt, non est idem, & unus finis ultimus earum. Antecedens est certissimum: Quia finis hic continet perfectè bonitatem ulterius irreferibilem, ac bonam facit voluntatem eam, est cuius finis; sed unus, & idem est finis huiusmodi, siquidem bonum tale implurificabile est: Ergo necessario deveniendum erit ad hoc, quod sicut bona voluntas, quia bona, unum, & eundem habet finem ultimum: per rationem a contrario; mala voluntates non eundem, & unum finem ultimum haberent, sed quot sibi quisque constitueret. Alia qq. sequentibus dabitur.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

28. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Omnium voluntatum creatarum deberet esse unus finis, si ut agentis naturalis sit respectus ille finis cuius gratia; sed hic aliter resolvitur inter bonum, & malum voluntas: ergo in his non habet conclusio locum. Syllogismus per probationes ordinabitur: & sic in joris propositionis ratio: Solum voluntas operativa per modum naturae movetur à fine ad unum determinato: Ergo si voluntatum bonae, & malae unustantum sit finis generatis, talis erit respectu illius, non ut agens est à proposito, sed quatenus agens est naturale. Nunc minor probatur: Non datur discretio ea bonae, & malae in voluntate, ut agens est naturale; siquidem bonitas, & malitia voluntati accidit, ut agens est à proposito: Ergo si loquatur de fine voluntatum bonae, & malae, non de ea ut agens naturale, sed ut à proposito operativa accipi debet; sed ut agens à proposito non unum, sed plures fines ultimos habere potest; nam si ad unum determinetur, esset operans per modum naturae: Ergo ita non est locus argumenti.

29. Respondetur ad argumentum facillime, & breviter: Quod voluntas, ut agens à proposito est, adhuc ad unum est determinata generaliter ad suam nimirum specificam terminationem objectivam; & ideo bonum est unicum objectum voluntatis Divinae, creatae, Angelicae, humanae, bonae, vel malae, adhuc ut agens à proposito considerata; quin hoc oblit suis peculiaribus, & particularibus inclinationibus. Nunc solutio prout ad rem nostram conducens: Unus est finis generalis omnium voluntatum adhuc, suo modo, divinae, & sub ea ratione, quae Deus propter finem operatur; sua videlicet, Beatitudo, felicitas, quies perpetua; & stabilis; & hoc non est ipsius, ut natura est, sed quatenus à proposito, & cum cognitione operativus; ratio huiusmodi



sic est transcendens ad omnes quascumque voluntates, ut etiam malè operantes in suis functionibus pravis, saltim interpretativè intendant esse felices. Discretio ergo bonæ, & malæ voluntatis sumitur pœnes earum fines particulares, & pro eorum natura; ac non præcisè per hoc discernuntur formalitèr agentia naturalia, & à proposito; cum agens à proposito quandoque immutabiliter etiam ad unum determinetur, de quo pluries in decursu nostri operis.

30. Secundò arguitur: Actus naturæ debet esse inter omnes perfectior, ut sit finis ultimus voluntatum; sed hic non est unus in omnibus, vel hæc ratio non convenit cuique voluntati, in quantum intendit beatitudinem, & felicitatem, & maximè si sit comparatio bonæ ad malam voluntatem: Ergo non est unus earum finis in ista generalitate. Minor probatur: Natura voluntatis ut agentis à proposito, intendit actum perfectissimum, quatenus vel verè, vel apparenter inclinatur, juxta regulationem intellectus: Ergo si hæc comparatio bonæ ad malam non tendunt æquè ad beatitudinem, & perfectionem actuum suorum tamquam in propriam felicitatem: siquidem, si unus esset earum finis generalis, & hic esset felicitas, unus esset illarum actus circa finem istum, unaque intentio; & ad hoc esset obligatus intellectus; & de eo rationem non habemus convincentem: Ergo conformius ad processum voluntatis, & intellectus, alter sentire debemus de fine bonarum, & malarum voluntatum ultimo, adhuc generalitèr accepto. Solutio hujus secundi habetur q. sequenti, conclusione 2.

31. Tertio arguitur contra secundam conclusionem: Finis ultimus malarum voluntatum non est talis in esse rei, sed solum in apprehensione illius, qui sibi talem finem assumit in ultimum; sed hujusmodi institutio nec est ultimi finis, nec plurimum potest esse: Ergo nec unus, nec multiplex est finis ultimus malarum voluntatum. Minor probatur: Finis, quem sibi quisque statuit, non est, nec potest esse stabilis, sed mutabilis, varius, & inconstans: Ergo deficeret à ratione ultimi finis, & ab ejus felicitate, & quiete, quod ultimum finem necessario comitantur.

Respondetur: Quod sicut finis ultimus malarum voluntatum, ut pravæ sunt, est bonum apparens, & delectabile, isto modo quietans, & felix esse potest; & sub ista apparenti beatitudine, & esset firmus, & stabilis, quin eidem obesset voluntabilis humani arbitrii hinc illucque profuo arbitrato; facillitèr declinantis; sic sunt mundanæ felicitates, delitiæ, honores, & omnia quotquot constituere potest ultimum finem particularem malarum voluntatum.

QUESTIO III.

Utrum Bonæ, vel malæ voluntatis possint esse plures ultimi fines particulares?

32. **B**onarum, & malarum voluntatum indiscriminatio inquiritur, non quia æqualis sit de eis difficultas, sed ut detur intelligi dignitas, & præstantia finis bonæ voluntatis super alterius finem. Nec præterea respectu earum voluntatum si insensu quasi collectivo accipiuntur: Nam ultimus finis bonæ alius esse debet à malæ voluntatis fine: Ergo utrarumque in ista collectione esset alius, & alius finis, & consequenter essent plures fines ultimi. Tota devolvitur quæstio ad eas voluntates divisivè, & veluti comparative acceptas; an videlicet quilibet in sua linea possit sibi statuere plures ultimos fines; & est ratio dubitandi: Quod finis ultimus hominis, ut agens à proposito est, est illem, que sibi quisque statuit, cum uniuscujusque finis ultimus sit sua operatio perfectissima, in qua sit felicitas, beatitudo, & quies; sed promalis voluntatibus communiter habetur pluralitas finis istus ultimi à quolibet, & qualibet assumptibilis: Ergo idem dici posset de bonis.

33. Conclusio prima: Bonarum voluntatum

luntatum unus est omnium ultimus finis particularis, & plures non possunt habere, nec simul, nec successivè. De prima parte hujus conclusionis satis supra; de secunda non est major difficultas: Omnes enim conveniunt in illius asserto, expressumque habetur in R. in 1. dist. 1. q. 1. art. 4. & sic primò probat quoad primam partem per Arist. 12. meth. text. Com. 32. ad finem dicentem: *In ordine ad ipsum bonum, & Dux exercitus; & magis iste: Nam enim iste propter ordinem, sed ille propter hunc.* Nunc R. ratio: Causa finalis, quæ est finis, in propria acceptione, de quo hic, est bonum illud extrinsecum propter quod est ordo in omnibus aliis ad ipsum; ut ibi Arist. & 2. Physicorum de quo ponit exemplum in sanitate respectu purgationis, & arenationis, & aliarum causarum finalium, quæ non ultimæ sunt, quia eth omnes dicunt ordinem ad hominem; & ab invicem, totus hic ordo est propter sanitatem ultimo; sed Deus non est propter ordinem, ut Arist. supra, sed ordo omnium rerum visibilium, & invisibilium est propter Deum: Ergo Deus est illud bonum ultimum extrinsecum finale omnium rerum.

34. Quibus stabilitis directè ex iis probatur illa secunda pars conclusionis: Deus est finis unicus ultimus rerum: Ergo maximè bonarum voluntatum. Antecedens constat: Nam solum Deus, & Deus solus est bonum illud omnibus rebus conveniens, & propter quem omnia, & ad quem omnia, & ipse à se, per se, & propter se est, irreferibilis, & inordinabilis ulterius; sed hoc est proprium ultimi finis, & cujus gratia omnia fiunt: igitur, & est talis finis, & unicus est. Prima consequentia probatur per doctrinam R. ex eodem Arist. Bonum illud, de quo loquebatur per exemplar Ducis, est bonum regiminis per istam rationem: *Entia nolunt malè disponi; sed pluralitas Principatum, non est bona: igitur unus Princeps.* Ergo ad bonum regiminis, quod erat prius intentum à bonæ voluntate, unus necessario desideratur ultimus finis, qui talis est propter illud bonum regiminis.

35. Secundò probatur idem: Bonæ voluntas hominum deficeret à vera bonitate, si plures ultimos fines respiceret, &

haberet: Ergo ad illius rationem unus, & unicus desideratur. Patet hæc consequentia per aliam rationem Arist. qui in his primatum obtinet in eodem 12. meth. text. Com. 44. ubi dicit: Quod Deus est communis finis omnium intelligentiarum, quia omnes ordinant actiones suas ad ejus actiones, sicut est de omnibus Civibus ad ejus Principem; ideoque actio Dei est bonum illud ultimum extrinsecum intelligentiarum: Ergo ad earum conservationem in bono, & perfectio regimine, unitas hujus ultimi finis necessario requiritur: Ergo si bonæ humanæ voluntati plures ultimi fines assignentur, defineret esse bona, quatenus deficeret à bonitate regiminis; & nollet benè disponi. Processimus hic de voluntate humana, ut voluntas est, & agens à proposito, & in quantum seligit, & constituit sibi, & suis actionibus ultimum, & proprium finem, non modo in suo esse, quia hoc est proprium ipsius; ut natura, sed specialitèr in quantum voluntas est.

36. Conclusio secunda: Plures esse possunt fines ultimi humanæ voluntatis malæ; hæc sicut alia est communissima inter DD. & solum adinvenio diversitatem in earum probationibus, de utraque conclusione expressè D. Thom. 1. 2. D. Subr. in 4. dist. 49. & utriusque affecta: D. R. hic, & in 2. dist. 42. & ante ejus probationem supponamus, quod de nostro adjicere tenemus; si hi plures ultimi fines sint tales actu, vel virtute? simul &; an successivè in eadem pravæ voluntate? Adæquatè, vel inadæquatè? hoc est, quod quilibet ex iis sit taliter ultimus, ut adæquet totum ambitum humanæ voluntatis pravæ; vel taliter sit cum alio compatibilis, ut benè inter sese habeant unitivè se cohæreant, & unus alterum non impediat; sicut de duobus portantibus lapidem, vel asserem; &c. pro qualibet uniuscujusque sententia non parvam ingerit difficultatem, & ad eam solvendam non erit facilis expeditio, nisi ad esset recursus ad illusiones, & monstra, quæ in intellectu humano relinquuntur ex concupiscentiis fragilis ejusmodi voluntatis. De hoc non semel Jacob.

37. Probaturque conclusio in sua stabilitate generalitate; primò per R. in 2. dist.

42: ubi expresse tractat de ista materia, & sic ex Philosopho 2. Ethic. ubi dicit: *Rectè agere, solum contingit uno modo, deficere autem multis.* Consonat sibi in 1. similiter Ethic. dicens: *Multis operationibus & doctrinis multi dicuntur fines;* sed hoc attendi debet secundum à se interius dicenda de operibus deficientibus: Ergo in his entibus &c. multi dicuntur fines. Assumptum Arist. explicat R. & suam, & nostram roborat conclusionem: Finis ultimus voluntatis attenditur pates intentionem illius; vel in quantum intendit in malum, vel non in bonum virtutis, sive in parte bonum; cumque bonum hoc sit unum in omnibus actibus bonis, unus debet esse hujus finis; *at malæ voluntatis,* verba sunt R. *circa eandem materiam in diversa, & quandoque in contraria feruntur, sicut voluntas intemperati, & sensualis circa delectabile gustus, & tactus:* Ergo his instantibus, & pro comperto habitis in malis voluntatibus, sequitur, quod tot, & plures possent in eis esse ultimi fines.

38: Probatum ratione: Finis ultimus pravæ voluntatis est talis non ex ipsa rei natura, sed ex delectu ipsius voluntatis, & pro suo libito statutus; atqui mala voluntas potest sibi constituere unum, & plures ultimos fines pro suo arbitrio: Ergo in istud valet. Major patet: Siquidem finis ultimus voluntatis est bonum primò, & per se, ac principaliter intentum à voluntate, & in quod suos omnes actus referibiles sint, vel aliqui ex iis, quos elicere valet; sed voluntas potest intendere quodlibet, quod utcumque possibile judicetur, sive in plura apparenter bona, in quæ ultimò tendat, & non sint ulterius referibilia, vel in unum per se, & verè ultimum bonum: Ergo finis ultimus voluntatis est bonum illud, quod tale pro suo arbitrato constituit. Nunc minor principatis probatur: Voluntas prava potest in plura apparenter bona, etsi non sibi coherentia, nec mutuo referibilia, aut ordinata ad aliud ulterius bonum: Ergo potest talia bona, vel plures ultimos fines seligere. Antecedens constat per exemplum sensualis, & intemperati, quorum bonitas intenta nec mutuo correferatur, nec ad ulteriorem finem est ordina-

bilis; sed hoc est esse finem ultimum unius voluntatis intemperati, & luxuriosi fines: Ergo hujus voluntatis duos ultimos fines cognoscimus.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

39. **P**rimò arguitur contra primam conclusionem: Bonarum voluntatum sic Deus est ultimus finis, ut secum permitat alios fines ultimos, licet non illius præstantiæ, & dignitatis: Ergo plures possent esse ultimi fines bonarum voluntatum. Antecedens probatur per doctrinas Philosophi & Sanctorum, in quibus quædam legimus, quod sonant eam assignatam compatibilitatem plurium finium in rectis, & bene ordinatis operationibus; patet per experientiam plurium, qui propter bonitatem, & honestatem virtutis operantur, & moventur, & in simul, aut successivè jam unam, jam plures intendunt, nil de Deo curando; & maxime in Etnicis, & qui fortè Deum invincibiliter ingorarent, experitur; sed tunc illæ operationes bonæ voluntatis tot fines ultimos, & quorum gratia, haberent, quot essent bona virtutum, à quibus moverentur: Ergo. Assumptum convincitur: In istis exemplaribus fines illi essent ultimi, & gratia eorum elicerentur diversæ respectivè operationes: Ergo. Antecedens satis probari potest per hoc: Quod non essent ulterius relati ad alium finem: Ergo essent ultimi fines.

40 Respondetur ad argumentum, & in primis, si possibilis sensetur invincibilis Dei ignorantia, certum est, finem illius hominis taliter operantis non esse Deum expresse, & formaliter, ceterum nil prohibet esse talem virtualiter, & ex opere operato; & hoc ipsum discurre, & sentire debemus de pluribus ex hominibus, qui sæpè numero virtuose agunt, nil de Deo curando in suis respectivè operationibus moralibus honestis, & hoc quidem sufficit, ut ex ubique eliciantur, & à quolibet, habeant unum, & non plures ultimos fines, quo ad fieri moveantur. Et licet cathalogus harum virtutum sit ex plu-

pluribus compactus, sicut est vitiorum cumulus; cum omnes non se habeant ut proprii fines operis, & rectè operantis, sed ulterius ad alium, qui verè finis est, referantur; nullius bonæ voluntatis ita multipliciter operantis assignari possunt multiplices fines ultimi, sed unus erit omnium, ad quem & opera, & operans respiciunt, & ordinantur. Denique semper ac Arist. tum in lib. Meth. tum in lib. Physic. & Aug. de Civit. Dei, aliquid contra hoc innuere videantur, debent explicari, & accipi de pluribus finibus intermediis, & imperfectis, non verò de strictè talibus, qui sub hac acceptione unus est, & socium non permitit.

41. Secundò arguitur: Sequitur ex datis doctrinis, quod taliter bonæ voluntatis sit unus finis suarum operationum, ut earum omnium sit unica finalis causa; sed hoc non videtur congruere ordini rerum: Ergo plures fines hujus voluntatis in suis actibus posibles saltim sunt. Major constat. Siquidem causa finalis, & finis ejus gratia solum est id, quod propriè, finis sit: Ergo si unus sit proprius finis bonarum voluntatum, unà erit earum finalis causa. Minor verò probatur: Multiplex species aliarum causarum intervenit in rerum omnium executione; ergo cum hac pluralitate aliarum causarum in eadem bona voluntate, non videtur congruere unitas finalis causæ: Vel detur de hoc disparitas. Aliter probatur illa minor principalis. Non est ea unitas finalis causæ de conceptu operationis à proposito: Ergo non est undè incongruat, vel repugnet pluralitas finis propter quem, vel cujus gratia respectu humanæ bonæ voluntatis. Probatum antecedens. Non repugnat, plures habere fines ultimos pravam voluntatem; sed hoc convincit, non pertinere unitatem assignatam ad conceptum ultimi finis voluntatis: Ergo ita est, & non repugnat pluralitas ista ex genere suo respectu bonæ voluntatis.

42. Ad argumentum respondetur, negando minorem, & ad ejus probationem libenter concedimus, quod in concursu aliarum plurium causarum una sufficiat finalis; & est ratio diversitas causalitatis inter eas reperta: Causæ etenim efficientes à prima incipiendo, sunt verè causæ,

quamvis plures convenient intermedia, quia omnes habent verum, & proprium influxum, suo ordine, & sphaera propria, & sibi correspondenti, & ideo omnes verè dicuntur causæ, quia omnibus competit propria formalitas causalitatis; ut si dicamus: Deus, Sol, & homo efficienter se habent in hominis conditione, quia quodlibet ex his agentibus suum habet respectivum influxum in hominem genitum, & productum: Nunc ad finalem causalitatem; hæc ergo est bonitas per se talis, ut ejus gratia effectus in re ponatur; cumque solum sit unum per se bonum, & reliqua bona intermedia bona sint propter istud; & hujus ratione talia constituentur, non possunt subinducere veram rationem finalis causæ, quæ unice determinata est ad bonitatem per se talem: Ecce cur una sit solum causæ finalis causalitas, quamvis plurificentur alia genera causarum: doctrina est R. hic.

43. Ad aliam illius principalis minoris probationem respondetur, negando antecedens, & ea, quæ sequuntur solvenda, & discutienda, dicimus: Quod unitas est taliter de conceptu causæ finalis, ut semper ac fines hujusmodi plurificentur, accidere est necessum ob ejusdem causalitatis deformitatem, & de ordinationem, & sic videmus, loquendo de agentibus à proposito, & propter finem, quod si quandoque propter plures fines operentur, invertunt rerum ordinem naturæ; & præponunt bonum apparens, falsum, & deficient, bono per se tali verò; & perfectio, confunduntque rationem motivam, & finalem, ubi talis causalitas nec est in rei veritate, nec esse potest; & per hujus, ut sic dicamus, fictionem, fines plurificantur ad nutum, & prohibito pravæ; & defectuosæ voluntatis; ex quo nec leve argumentum sumi potest, quod convincere possit contra unitatem unius per se finis à voluntate humana inspecti, & desiderati; nec insuper derogat suæ perfectioni, aut extollit pravam voluntatem obliquè, & defectuosè plures fines ultimos sibi constituentes.

44. Tertio arguitur contra aliam conclusionem. Finis ultimus pravæ voluntatis, ut in plurimum non est talis prohibito humanæ voluntatis: Ergo non est,

unde hæc finium pluralitas accipiatur: Patet hæc consequentia: Siquidem plures esse possunt tales ultimi fines, in quantum conficti sint; cum veri fines ultimi, & in rei natura non sit dabilis multiplicitas; & antecedens probatur: Sæpè numero homo prava utens voluntate, & in peccato actuali nil define operis cogitat, nec ullum sibi operanti præaccipit, sed solum trahitur à delectatione v.g. abstractus, & illectus, consentit in peccatum, recedit à Deo, avertitur à vero ultimo fine; sed horum nil apparet de alio sibi constituendo ultimo fine: Ergo nec unum, nec plures fines ultimos multoties arbitratur. Assumpti probatio habetur ab experientia peccantium; ac præterea à natura ipsius operis, quod vel sit irascibilis, vel concupiscibilis, distrahit intellectum, nec curaret, vel statueret posset finem cujus gratia, & ultimum suorum operum; unde multo minus ad plures sufficeret, si ad unum non valet attendere.

45. Responderetur ad argumentum, quod æquè facere potest de bona, sicut de mala voluntate; utraque ergo, certum est, quod multoties sua respectivè opera patrat, nihil de fine statuendo illis, vel ex defectu attentionis, confiderationis, vel ad summum advertentiæ in ordine ad opus operatum curando; & ex isto capite oritur, quod nullus assumatur actu formali, & expresso finis ultimus suarum operationum ab ipso operante exercitè; ceterum nunquam nec operi, nec operanti deficiet vel in habitu, sive in virtute, ac veluti interpretativè finis ultimi correspondens illi operi, & similiter operanti: Unde quando communiter sentitur, quod agens à proposito propter finem agit, debet intelligi, vel actu cogitando, scilicet, & intendendo actu expresso ultimum finem sui operis, vel, etsi nil de hoc curet actualiter, & explicitè, imbibitur tamen, & interpretatur, inestque operationi, finis proprius propter quem, & cujus gratia fuisset elicita. Aplica doctrinam ad pravam voluntatem, & solves argumentum; nam eadem est ratio define ultimo in habitu, & in actu respectu

pravæ, sicut est bonæ voluntatis.

QUÆSTIO IV.

Qui sint fines ultimi pravæ voluntatis? Et quomodo se habeant ad illam?

46. **Q**uamvis sufficienter de his, quæ hic noviter inquirenda proponimus, in præcedentibus dixerimus, ut pleni or de illis notitia habeatur, iterum rea sumuntur tractanda. Dicimus, quod mala voluntatis possint esse plures fines ultimi, & dubitari licet, quinam sint isti fines? Et an ordine quodam, & successione se habeant prænes voluntatem pravam, vel simultate quodam coadunentur, ut moveant ad suas defensas operationes? Ratio, quæ nos movet ad hoc dubium, est: Quod finis ultimus, & cujus gratia est bonum illud extrinsecum, in quo ultimo quiescit, & quietatur voluntas; si namque creatura ipsa operans sit hujusmodi, & bonum illud commutabile, ad cujus conversionem sequitur aversio, & recessus à Deo, in eodem dicendi finis cujus gratia confunderetur cum alio fine, qui finis *cui* denominatur, & est improprie finis: Veli aliud quid est creatura ea bonum illud commutabile, & extrinsecum operanti, quinam sit, ignoramus? Et ulterius de mala voluntate, quæ prosemper non est tam mala, ut in omni opere suo aliquando non bene operetur, teste Ecclesiæ declaratione, & ulterius experientia: etiam in his operibus boni ab ea elicitis, se offert dubitatio, si Deus possit esse illarum finis ultimus? Et incidimus in hoc, quod plures fines ultimi assignati, possent esse tales prænes malam voluntatem; & resolutio contrariari videtur adhuc luminis rationis.

47. Circa ordinem horum plurium finium, est etiam non levis difficultas; si enim plures sint possibiles eidem pravæ

voluntati successione quadam, non plures, sed unus finis ultimus erit eidem operanti; & quoad hanc partem quæstionem non habemus; si vero simul coadunentur, incidimus in non minorem difficultatem de duabus causis totalibus simul concurrentibus ad eundem effectum: Vel si aliter discurrere velimus, ex eo sequeretur, quod quilibet ex his finibus ultimus esset, & non esset ultimus; esset, ut supponitur, & non esset, quatenus alius præter ipsum esset ultimus; vel alia via: De talibus finibus ultimis simul acceptis traheret totam connatum voluntatis quilibet; & tunc totum effectum motionis omnibus illis, & cuicumque tribueretur simpliciter, quod parit implicationem superius notatam. Ab istis expediemur per varias conclusiones.

48. Conclusio prima: Malorum voluntatum sunt plures fines ultimi particulares, quos sibi constituunt per eorum conversionem ad bonum commutabile. DD. communiter, & æquè de hoc modo dicendi sentiunt, immò attentis his, quæ R. habet in 1. & 2. in isto tract. sapienter citatis, sic, vel sic idem in quolibet hujus ultimi finis quidditatem speculari: Et ut nos nostram cum eo resolutionem præveniamus, & quid de istis finibus teneamus, supponimus per prius ad declarationem, propositæ conclusionis; quod sicut, de fine ultimo loquendo, alium esse generalem, alium particularem dixerimus, sic in præsentiarum analogizamus ad malas voluntates, & ad has trahimus divisionem, & dicimus; quod finis ultimus earum alius erit generans, particularis alius; primus est bonum commutabile illud, quod est delectatio quies, & foelicitas creaturæ per recessum, & exclusionem alterius boni per se talis: Alter finis ultimus particularis est determinata bonitas apparens, delectabilis, vel utilis, in qua quiescant, & cujus gratia tendant in ultimam illius possessionem. De hoc ultimo fine particulari malorum voluntatum est præsens resolutio, nam de alio generali non est locus difficultatis cum certum sit, ideo malas esse tales voluntates, quia verum bonum pro bono apparenti, & delectabili commutarunt.

Tom. IV.

49. Ceterum cum adhuc curiosius scire desideremus, qui, vel quid sit finis hic particularis? & quam sit illius bonitas in individuo, vel saltem in specie? Quomodo voluntas mala recedat à Deo per se bono summo, & convertatur ad bonum creaturæ commutabile; brevibus explicabimus. Est enim bonum hoc, quod talis finis est, & dicitur, extrinsecum illud, in quo ultimo quiescit prava voluntas, & in illo quietatur; ut incontinens in sensualibus tactus delectationibus & intemperatus in voluptuosis foelicitatibus gustus, &c. quas delicias & appetit, & intendit ea prava voluntas, simulque eligit media ad earum delectationum affectionem, exequitur media electa, & ad ultimum, finem in reponit possessum, in illo sistit, & quiescit, & nullum alium expectat, ceteros excludit, & ab eis avertitur: Hi sunt fines particulares pravæ voluntatis, & de eis asseruimus, in eadem posse plures hujusmodi fines ultimos convenire: Et denique hæc est resolutio, & illius explicatio, & solum superest, ut probemus, ita esse.

50. Et in hunc modum convincitur, & ex dictis formatur ratio: Pluralitas finium particularium respectu plurium, vel ejusdem voluntatis simul, & successivè non implicat, immò & apparet ita esse ex ipsorum natura signata, & determinata, ratione, scilicet, illius boni extrinseci delectabilis ultimi, & irreferibilis, secumque superiori non compatientis: Ergo sic possunt esse plures ultimi fines malorum voluntatum. Antecedens constat per experientiam, & certè adhuc, per ipsa opera peccaminosa, quibus mala efficitur voluntas: Voluntas pro suo arbitrio sibi finem ultimum constituit in bono illo extrinseci, in quo ultimo quiescit, delectatur, & ultra quem alius superior ipso non apparet; sed videmus in pluribus operibus voluntatis successivè, & simul plures istos fines apparere, ut puta, delectationes in gustu, tactu ex irascibili, & concupiscibili viciatis ortum habentes, ut in luxurioso, vino dedito, & aliis, qui tales accumulunt fallaces beatitudines suis appetitibus: Ergo.

51. Conclusio secunda: Plures fines ultimi malæ voluntatis non sunt plures

positivè, & adæquatè, sed tantùm inadæquatè, negativè, & apparenter. Nec resolutio continet specialem difficultatem; omnibus enim obvium esse debet, quod fines, de quibus hic, nec sunt perfecte boni, nec ad illos bonum aliquod referri possit, etsi illud superiorem non ordinentur, nisi super experientia teste, tales fines non continent omnem rationem boni apparentis, & delectabilis: Ergo plures fines illi particulares plures dicunt inadæquatas apparentes, falsas, & fictitias bonitates: Ex quibus ista deducitur consequentia, quæ summa est propositæ conclusionis: Ergo plures fines illi, qui simul, vel successivè possunt esse tales respectu malarum voluntatum, non sunt plures, nisi inadæquatè, negativè, & aparenter, sub qua solutione, boni sunt, & appetibiles.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvuntur.

52. **P**rimò arguitur: Plures sunt malæ voluntates, quæ quidem non ita pravæ sunt, ut in eis aliqua bona opera verè talia non adinventiantur, ut actus fidei, & spei in Catholico peccatore, & alia adhuc virtutes pietatis, misericordiae, justitiæ, &c. sed respectu harum malarum voluntatum, etsi plures fines ultimi concipiuntur; videlicet, & qui correspondet operi peccaminoso, & qui proprius esset virtutis, ideo non essent plura apparenter bona, nec inadæquata, & negativè talia, & alia ad hunc modum, quæ hos præfatos fines maculant: Ergo utrumque manus possent obtinere præfati plures fines, & esse tales apparenter & simul verè, & propriè, pro qualitate operis. Probat minor: finis particularis ultimus malarum voluntatum in operibus earum virtutum supernarum, & naturalium debet esse Deus, ut Author gratiæ, & natura: Ergo in parte hac non declinaret mala voluntas in bonum apparens. Patet antecedens: Siquidem ejusmodi operationem alius finis obliquus assignabilis non est.

53. Ad solutionem argumenti distinguimus inter fines proximum, & ultimum, operis, & operantis, in agentibus scilicet, à proposito; per quorum notitiam epodatur proposita difficultas: In agentibus a proposito datur finis proximus, qui & est objectum, & materia actus, immò & operatio ipsa; juxta quod in mala voluntate, & morali peccato affecta, aliquando bonè moraliter operante, finis proximus suæ operationis, & erit materia virtutis, & ipsa virtuosa operatio; finis verò ultimus, cum sit bonum illud extrinsecum, quod per se intendit, & in cujus possessione quietatur, non potest aliud apparere, nisi illud habituale, quod unice habere potest in illo statu infelici peccati, nimirum bonum commutabile; undè Deus, ut summum bonum, licet esset finis proximus talium bonarum operationum; & probabiliter, ac veluti specularivè, & interpretativè solum, ultimus ipsius operantis; nunquam tamen posset esse talis finis per se, & cujus gratia crederet, speraret, &c. peccator; nam si taliter ageret, cum eis actibus necessario conjungeret dilectionem Dei peritam ab illo summo bono per se intento in fide, spe & aliis virtutibus, & à peccato resiliret, quia cum talidilectione inconjungibile. Ecce quomodo voluntas mala virtutè operans in Deum tendat, quin Deus esset finis ultimus, & cujus gratia suarum talium bonarum operationum.

54. Secundò arguitur: Ideo tales plures ultimi fines possunt esse malarum voluntatum, quia unaquæque ultimo quiescit in bono illo delectabili sibi intento, & amato multiplici via, & ratione; sed hoc non potest plures ultimos fines constituisse ab eadem mala voluntate sibi dilectos: Ergo. Major est certa, & minor probatur, primò: Quia hæc multiplex ratio boni delectabilis, tactus v. g. vel gustus non possunt esse propriè fines diversi, cum non sint nisi fictitiè, & apparenter bona; sed quod ita bonum est, eo modo erit finis; siquidem finalis causa sub ratione bonitatis finalizat: Ergo ea ratione, qua bonum, sic & finis est: Ergo nunquam verificari potest multiplex finis ultimus respectu unius, etsi malæ voluntatis.

55. Se,

55. Secundò probatur illa minor: Ea ratione sequeretur, quod etiam in bona voluntate plures ultimi fines darentur tepius; sed hoc non dicitur: Ergo nec aliud. Major probatur: Defacto bona voluntas pluribus, & diversis venialibus peccatis multiplicata, plures res, etiam haberet ut ultimos fines, quales essent bona illa delectabilia, in quibus quiesceret sic delectata; sed hæc essent plures fines, & ultimi: Ergo adhuc respectu bonæ voluntatis esse possunt plures ultimi fines. Minor probatur: Bonum illud delectabile, quod intendit, & appetit venialiter peccans, & in quo quiescit sua operatio taliter leviter delectuosa, est ultimus finis illius; siquidem est bonum tale, quod ad Deum, qui ultimus finis sub omni ratione est, ordinari non potest, ideoque irreferibilis ad aliud: Ergo ultimus. Ergo si plura sunt hæc irreferibilia bona delectabilia, adhuc leviter, & cum bona voluntate compatible, plures etiam hujus bonæ voluntatis assignabiles sunt fines ultimi.

56. Respondetur ad argumentum, concessa majori, & ad primam minoris probationem necesse habemus distinguere inter bonum, & finem: latius patet bonum, quam finis, nam plura sunt bona, quæ non obtinent finis quidditatem; ut sunt utilia, & delectabilia; at finis cujus gratia, & etiam proximus bonum quoddam est: Et propter hoc, vel ad hujus instar discurrendo, dicimus: Quod bonum illud delectabile, in quo ultimo quiescit mala voluntas, & esset apparenter, & non per se bonum, & adhuc est propriè finis, ceterum quasi bonum apparens, quia ut tale fingitur ab humano appetitu; est ergo finis propriè, quatenus est cujus gratia propriè, & verè operatur prava voluntas; unde compatitur, quod bonitas illius sit apparens, & causa ita finalis, propria. Nec ratio in contrarium urget: Nam finis est talis, quia bonum; ut tale apprehensum; ideoque semper ac datur vera, vel apparens bonitas, dummodo ut talis sit apprehensa, verè, & propriè ad esset ratio finis.

57. Ad solutionem secundæ probationis illius minoris necesse habemus doctrinis accedere; quas de peccato veniali supra incidenter dedimus non semel

undè peccata hæc supponimus esse errorem circa media, non verò circa fines; hæcque voluntatem deviant à mediis; & à fine peccantes sic non recedunt, nec ab eo avertuntur: Etiam supponimus, quod in peccante venialiter nil de sanctitate amittitur, propter quod, etsi actus ille leviter peccaminosus non sit actu ad Deum referibilis, est tamen habitu voluntas illius elicitiva, undè hujus ultimus finis erit Deus, quamvis non esset talis finis præfati mali operis; consequenterque nunquam verificaretur, quod ea voluntas plures fines ultimos haberet, sed unum tantum; licet compatitur pluralitatem in finibus intermediis, & proximis, de quibus non est quæstio. Hæc est doctrina communis, ac bonè recepta; & alia via non est talis discretio inter peccata, mortale, & veniale.

58. Tertio arguitur: Regulariter mortaliter peccans Deum plus diligit, quam se ipsum: Ergo in eo remanet ratio ultimi finis adhuc respectu malæ voluntatis. Antecedens docet experientia Magistra, & est effectus propriissimus fidei, & spei; quæ cum peccato mortali conveniri videntur, & consequentia probatur: Quod objectum plus amatur, & magis irreferibile æstimatur; eo propriè obtinet rationem ultimi finis; sed sic se habet Deus in intellectu, & voluntate peccatoris fidelis: Ergo in hoc ad minus non est ea finium pluralitas conceptibilis. Etiam in solutione hujus argumenti in varias abeunt sententias Theologi; certum est enim, quod fidelis peccator Deum intendit, Deum inefficaci quadam complacentia diligit, cum hoc tamen suam dilectionem, commodum, & particulare bonum præponit Divino; & per se amabili, quatenus pro nihilo habet Divinam amicitiam, gratiam Dei contentum; diabolo se subjicit, & se Deo emancipari tentat; ex quibus liquido constat; bonum hoc delectabile sibi propositum, & præpositum esse ultimum, in quo quiescit, & quia tali, cum alio per se bono incompatible.



Quæst.

QUÆSTIO V.

De fine ultimo bonarum voluntatum.

Quinam sit? & quotu-
ple sit?

59. **H**ucusque de ultimo fine voluntatis humanæ ut natura est, & de eadem ut mala moraliter egimus, superest, ut de ipsamet voluntate, ut bona, sermonem instituamus, a quibus ad principale intentum ascendemus. Hæc ergo humana voluntas bona accipi, & considerari potest bonitate morali bona, ac præterea taliter bona, quod sit à Deo accepta, dilecta, & in superna sanctitate constituta. De prima certum est, ut ita immediatè ad hæc dicebamus, quod pro hoc statu, humana voluntas solum moraliter bona, est propriè; & formaliter mala; nam cum Dei inimicitia, & cum peccato mortali compatibilis est illa bonitas moralis, & de hac etiam nostrum sensum aperuimus. Verum enim cum non implicet bona moraliter humana voluntas, quæ nec mala sit, nec Deo grata, si nimirum condita fuisset, ut potuit, in statu puræ naturæ, & non elevata ad ordinem gratiæ, in quo gauderet medio illo bonitatis, scilicet, puræ moralis, cum negatione amicitiae Dei, ideo,

60. Et de hac hypothesi humanæ voluntatis in statu puræ naturæ consideratæ, dicimus: Quod finis ultimus hujus voluntatis esset Deus Author naturæ, quatenus in isto ordine est illius beatificativum, & quietativum expressum in actibus perfectissimis notitiæ, & amoris Dei ipsius naturalis; siquidem remanente humanitate in eo statu puræ naturæ, & Deum cognosceret, tum evidentè per demonstrationem à priori, vel à posteriori ex magnitudine creaturæ acceptam; ac præterea ali-

quibus topicis motivis, & conjecturis, & intusper illum amaret, a pretiario amore naturali, & super omnia; sed in his actibus staret Dei tentio, & possessio, est modo abstractivo, & imperfecto, possibile tamen pro illo statu: Ergo in eo bono summo apprehenso, & dilecto staret quies, & naturalis beatitudo hujusmodi voluntatis: Ergo illud esset bonum cuius gratia suas exerceret ultimo; & irreferibiliter operationes ea voluntas humana in statu puræ naturæ: Ergo finis ultimus, & objectiva beatitudo actus præfati circa illud, erit Deus, ut summum bonum est, & natura Author.

61. Ex hinc gradum faciamus ad altiore, & supernam considerationem bonæ voluntatis humanæ in statu gratiæ, & ordinis supernaturalis bonæ, & in quantum simpliciter bona est, sine alicujus mali admixtione; qualis necessario debet esse voluntas Deo grata, dilecta, amica per totius inimicitiae, macula, & peccati exclusionem, ut est ea, de qua Salomon: *Tota pulchra est amica mea. & macula non est in re.* Cant. 4. De hac pulchra, formosa, immaculata voluntate, & quæ propriè est, & dicitur bona statui est necessarium pro fine ultimo illius, & omnium suarum operationum, O.D.M. vel actu, vel habitu, vel virtute, sive denique interpretativè; siquidem finis ultimus hujus, & cuius gratia alius nec est, nec potest esse præter Deum; cum solus sit bonus juxta Christi sententiam, Matth. 19. *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus.*

62. Per prius tamen, ut ad assumptum accedamus, iterum explicare convenit, quæ immediatè dedimus de ordine actuali, habituali, ac virtuali, seu potius interpretativo: Actu enim refertur in summum bonum humana voluntas per actum perfectæ Charitatis; quia Charitatis actus est forma ex sua quidditate, quæ actu in finem istud tendit: Hæc insuper voluntas habitu refertur in Deum, quando quis in habitu Gratiae, & Charitatis existens quædam elicit opera pure naturalia, honesta tamen, vel ex sua specie indifferencia propter se ipsa, & nullo pensato ordine ad finem proprium Charitatis: In his ergo operibus remanet habitua-

lis ordo ad summum bonum, quatenus voluntas eorum elicitive illis habitibus infusis ditatur, quibus directè ad istum finem quandoque aspirat: Denique virtualis fit, & interpretativa ista habitualis ordinatio, quando præter habitus præfatos Gratiae, & Charitatis elicitur actus quidam determinatè bonus moraliter, immò & supernus, qui in se dicit capacitatem positivam, ut in finem illum ordinetur, ut sunt actus fidei, spei, Religionis, &c. ab homine iusto, & pio eliciti, qui quidem ultra habituales, dicunt virtuales, & interpretativum ordinem ad finem ultimum, & summum bonum ut tale.

63. Ex quibus suppositis satis clarè deduci potest una conclusio, per quam respondeatur ad quæsitum, & est hujusmodi: Finis particularis ultimus bonæ voluntatis unus est, & plures esse non possunt, qui necessario est D. O. M. Est resolutio dogma Catholicum, & fidei Divina tenendum, quidquid sit de apice Philosophorum circa hoc; nam de illo non curat Ecclesia. Conclusio ergo hæc licet tres partes continere videatur, ita inter se necessario connectuntur, ut una tantum probatione comprobentur; sic enim, si Deus finis ultimus est bonarum voluntatum, unus erit, & non plures; cum hæc ad convertentiam dicantur. Primòque probari potest per Apoc. 1. *Ego sum Alpha, & Omega, Principium, & Finis*: & in cap. ult. iterum: *Ego sum*: *Primus, & novissimus, principium, & finis.* Sed finis in ea proprietate accipi debet: Ergo sicut Deus verè, & propriè est unicuique principium rerum omnium, & aliud non est, nec plura possunt esse, ita erit unus finis novissimus, & ultimus voluntatis bonæ, & plures alii impossibiles erunt. De hoc quantum sufficit, & licet dictum reliquimus.

64. Adhuc tamen probari potest conclusio demonstrativa ratione, & in hunc modum: Philosophi demonstrarunt, Deum esse omnium unicum principium: Ergo æquo jure, & eadem ratione, demonstratur, quod sit ultimus, & unicus finis ultimus bonarum voluntatum, & demonstrari potest Consequentia satis constat: Si quidem nihil magis obvium Philosophis, quam convertentia ad in vicem

inter primum principium, & finem ultimum; si namque Deus unus, & solus est principium primum bonæ voluntatis, necessario erit finis ejus unicus particularis, & ulterius irreferibilis; atqui hæc sunt veritates demonstratæ sic, vel sic, & lumine naturæ notæ: Ergo præterquam quod asserita conclusio est fide Divina credita; est adhuc & alia via, modo, & medio naturæ lumine nota, sicut de Dei existentia, & unitate superius dicebamus. Doctrinam habes in R. dist. 1. in 1. q. 1. art. 5. per Arist. 5. & 12. meth. & 2. Physic. per varios textus, & in diversis Comment. Nosque tom. 1. tract. 2. q. 1.

65. Aliquali etiam ratione probari potest conclusio, & magis sigillata ad rem nostram: Voluntas bona, de qua hic, est ea, quæ sit determinata, & ordinata ad ordinem supernaturalè gratiæ, & bona hujusmodi bonitate, quæque est sanctitatis bonitas; siquidem de alia latiori bonitate intra metas naturæ considerata, vel cum peccato mortali comparibili, non procedimus; sed finis ultimus, & unicus hujus bonæ voluntatis est solus Deus, ut Author gratiæ est: Ergo sic est Deus finis ultimus istius bonæ voluntatis, ut secum alium non compatiatur. Minor probatur: Finis ultimus est, ad quem omnia alia ordinantur, ipse verò non refertur ad illa; omnia sunt, & fiunt propter talem finem, & finis ipse est à se, & propter se; & aliquo ex his deficiente, desineret esse finem, & ultimum; atqui Deus ad quem omnia, & propria talis bonæ voluntatis actu, vel habitu ordinantur, & his bonis non indiget, nec ad eam voluntatem refertur, sed propter se, & est, & à se, & ad nihilum extra se refertur: Ergo certissimè est finis ultimus bonæ præfate voluntatis. Hæc est etiam ratio ex R. ibi.

66. Non invenio contra dicta notabile argumentum, nec ratio fundata in contrarium, sed disputandi gratia objicitur in hunc modum: Causa finalis juxta ideam Aristot. est simul causa prout in potentia, & effectus agentis illius, cuius gratia movetur; sed Deo repugnat esse & causam prout in potentia, & effectum illarum bonarum voluntatum: Ergo & ipsi inconvenit esse illarum causam finalem. Majorem ita declarat per exemplum de

de ambulatione; sanitate, & lætè vivere per hunc ordinem: Lætè vivere est causa finalis sanitatis per deambulationem habitam; ideoque qui ambulat propter sanitatem adquirendam, vel cõservandam, habet pro fine hujus ultimo hoc, quod est lætè vivere in potentia apprehensum; & illud in executione positum est effectus deambulationis, & sanitatis: Ergo finis ultimus & finalis causa admisceatur ea imperfectione, scilicet, & esse causam cujus gratia, & effectus in re positum ab agente illo, cujus gratia movetur: Ergo istud Deo dedecet: Ergo improprie solum diceretur finis ultimus bonarum voluntatum.

67. Ad argumentum libenter concedimus, quæ Arist. in eo 5. meth. docuit ita esse, & juxta ipsius ideam, sed nulli dubium esse poterit, quod ibi loquatur de fine ultimo, & finali causa secundum quid tali, & quatenus ulterius esset ad aliam, & alios fines ordinabilis, usque dum ad summum perveniat, & irrefertibilem, ut ipse habet 12. meth. & explicat per exemplum de Duce respectu Exercitus, de quo nos aliquid supra innuimus; sub quo sensu, & acceptione finis secundum quid, certum est, simul esse causam, & effectum, quod de fine simpliciter talis nefas est dicere, cum sit rerum omnium principium, & causa: Lætè enim vivere est finis deambulationis, & hæc sanitatis, & utraque efficiunt, & causant in animo lætitiã promodo quo Medici sciunt, & docent; ceterum hæc mutua causalitas solum de fine accipi potest, qui talis sit secundum quid, non de fine prout in præfenti.

68. Sed objicitur adhuc, & instatur solutio: Sequitur ex ea, quod solus Deus sit finalis causa, & præter ipsum, nulla detur, quæ proprie talis sit, & miserabilior esset inter omnes species causarum; sed hoc videtur contra philosophum ita extollentem finalem causam, ut eam dicat esse causam causarum: Ergo non est acceptabilis solutio data: Sequela probatur: Solus Deus esset causa finalis simpliciter inter omnes, & maxime comparatus ad bonas voluntates creatas; sed hoc est, esse proprie talem: igitur solus Deus esset proprie finalis causa. Respondetur, concedendo sequelam; nullum habemus in-

conveniens in eo; nam finalis per se causa est bonitas per se sine mali admixtione, aut boni alicujus indigentia; atqui solus Deus ita bonus est: Igitur solus Deus finis proprie, & simpliciter est, & finalis causa, reliqua per ordinem ad istum. Nec hoc minuit dignitatem finalis causæ, immo eam extollit, quatenus quæ pro sua dignitate requirat esse de bono simpliciter tali conceptibilis, Alia enim dantur finales causæ, de quibus Philosophi, ceterum cum subordinatione ad istam, quæ sit summum bonum: Omnes alia sive sine agentis naturalis, sive à proposito, si præcisivè, & secundum se accipiantur, sua gaudent proprietate, si verò per comparisonem ad primam, tales dicuntur secundum quid. Disparitas inter efficien-tem, & finalem causas, quæ hic urget supra exposita relinquatur.

QUÆSTIO VI.

Utrum solus Deus ita sit finis bonæ voluntatis humanæ, ut sit unicum objectum suæ Beatitudinis?

* * *

69. **B**eatitudinem humanæ naturæ (de qua loquimur hic signanter) consistere in perfectissima operatione superius per Philosophos, & Theologos dicebamus, etenim non esset quietativum quid, & naturæ ejusdem ultima delectatio, si inter omnes, quæ elicere posset, primum locum non obtineret; nam alia operatio naturæ talis, quæ perfectior esset, potius esset, & jucundius quietativum, & satiativum illius. Et cum de hac Beatitudine loqui teneamus, & ut Philosophi morales, & ut Theo-

Theologi: siquidem utriusque debitores sumus; quatenus beatitudo, ut ad Philosophos, iterum viam ad aliam; ubi enim desinit Philosophus moralis incipit Theologus; propter hoc dividimus Beatitudinem nostram in naturalem, & purè moralem, ac in aliam supernaturalem; hæc est propriissima hujus instituti, alia verò ejus veluti pedisequa; ista ad Theologos, alia ad Philosophos expectat: Et de utraque pro nunc resolvendus est quæstio, reliquendo ad sequentem tractatum, quæ propria sint supernaturalis, & æternæ. Necte conturbet, quod fortassis Deus sit alterutrius subiectum; quia potest & ad Methaphysicam rationalem (hæc subalternat moralem Philosophiam) & ad Theologiam pertinere; modo, scilicet, superno ad istam attingibilis, naturaliter autem ad illam.

70. Credo, quod in hoc nil non commune annotavimus, & quod oculos alicujus offendere possit, & eo supposito, determinemus doctrinas ad has beatitudines, ut post modum de illarum quidditatibus differamus. Dari præfatas beatitudines, naturalem, scilicet, & supernam pro comperto habemus; autoritate, & rationibus probari potest: De hoc R. in 1. dist. 1. & in 2. dist. 42. & super Mathe. cap. 10. citans frequentissimè Arist. 5. 12. meth. & 10. Ethic. D. Thom. D. Sub. suis respectivè in locis; aliquas circa utrasque beatitudines affert, non simul, sed divisim, & pro cujusque ordine: De beatitudine naturali (quamvis non expressis verbis) ista ex Arist. 10. Ethic. habet: *Videtur enim Philosophia admirabiles delectationes habere puritate, & firmitate.* Nunc sic: Sed admirabilis delectatio pura, firma, & stabilis, si ad Philosophiam spectet, est naturalis beatitudo: Ergo hæc apud Philosophos cognoscitur, & ea non dedignantur Theologi. Immo Sancti, & Theologi probant, & discunt de supernaturali Beatitudine per discursum, & sententias Philosophorum; sed isti lumine caruerunt, ut supernam cognoscerent: Ergo asserta sua ad naturalem diriguntur.

71. Non est alienus a sacris litteris sensus hujus divisionis, nam de naturali

Tam. V.

beatitudine aliqua habemus scripta: Gen. 30. refertur, quod cum Zelpha Jacob concubina filium peperisset Liæ uxori adoptandum; hæc præ lætitiæ magnitudinè dixerat: *Hoc pro Beatitudine mea: Beatam quippe medicent mulieres:* Et propter istam felicitatem appellavit recenter natum Aser: Atqui Beatitudo, de qua hic Lia necessario est naturalis, & sumitur ibi pro maxima inter felicitates, quæ ipsi obvenire possent: Ergo non est alienum à beatitudine, esse, & dici naturalem; quidquid sit de stricta beatitudine, adhuc intra terminos naturæ. Ad hunc modum Paul. ad Galatas loquens, de eis conquestus legitur: *Quæ est enim beatitudo vestra;* 4. quasi pro eodem habens beatitudinem cum felicitate. Congruenti ratione convinceretur possibilitas hujus beatitudinis per non repugnantiam naturæ humanæ instatu purè naturali constitutæ, & ibi perpetuo relicta; sed in hoc statu sua gauderet beatitudine, & maxime, a tenentis meritis, & finali perseverantia in observatione naturalium præceptorum: Ergo hoc unum esset sufficiens fundamentum ad hanc adstruendam naturalem beatitudinem. Casus non est impossibilis; & beatitudo illius status lumine naturæ nota: Ergo non est de hoc ambigendi locus.

72. Et per prius ad conclusionem necesse habemus ex his, quæ de Beatitudine supernaturali dicta nobis relinquerunt Sancti, & D. D. & de naturali, Philosophi, & specialiter eorum Princeps Arist. & cum eo Averroës, unam concinnare beatitudinis definitionem, sub qua utraque comprehendatur, vel quæ sit ad eas communis, & meo videri, hæc erit conformior, & clarior: *Est status perfectus naturæ rationalis perpetuus, firmus, & purus omni felicitate completus.* Servat in omnibus regulas dialecticas; clara est, concissa, & nullo modo deficiens, ut ex se patet, est prædicabilis desuper, quatenus hæc est status omnium bonorum agregatione perfectus; & proprie dicitur de alia, de qua Philosoph. admirabiles delectationes prædicat, puritate, & perpetuitate, ut cap. 7. Lib. 10. Ethic. habetur: Ergo utramque comprehendit. Naturalis etiam, &

Bbbb

Lu

superna beatitudo suas patiuntur divisiones; & principalis, & ad rem est per imperfectas; & perfectas; imperfecta sumitur pro quacumque felicitate diuturna, & permanenti, attendita earum respectiva linea, & secundum suum ordinem; perfecta vero erit stabilis, summa, & quieta felicitas, & totius boni possessio.

73. Alias divisiones beatitudinis pro eius clariori noticia dabimus, una est in formalem, & objectivam; illa se habet ex parte naturæ beatæ, & forma is dicitur, quia ad eam se habet ad instar formæ, & perfectionis; alia est objectum ipsum in ordine ad quod habetur talis ultima quies in anima: Et hæc potest esse de primario, & per se; vel de objecto secundario; de primario denominatur beatitudo essentialis, de secundario accidentalis. Insuper beatitudo formalis adhuc potest esse actualis, & habitualis; de hac divisione prout ad supernaturalem non pauca dedimus tom. 1. tract. 3. sæpe per totum. De beatitudine naturali vel loqui volumus defacto, & secundum presentem providentiam; vel sub hypothese, quod hominem Deus condidisset in statu puræ naturæ: Si loqui velimus de beatitudine humanæ naturæ juxta presentem providentiam; ubi invenietur? Non in vita hominis, quia in hoc labor, & dolor apparent; nec post vitam; ubi vel superna felicitas, vel sempiterna miseria perfruetur; quæ nam ergo erit felicitas hæc naturalis hominis; & ubi locus ejus? Superest, ut sit imperfecta, æquivoca, cito transiens, & numquam habitualis, & permanens.

74. Aptius discurremus de beatitudine præfata naturali pro casu possibili, quod Deus in naturalibus nudis hominem creasset; & in isto casu, sicut non renuimus concedere veram beatitudinem naturalem, ut supra dicebamus; sic & illam divisionem in actualem, & habitualem, ad modum supernæ beatitudinis, admittimus: Actualis erit exercitium perpetuum, & purum naturæ rationalis in ordine ad per se verum,

& bonum, quæ sunt objecta propria eorum actuum, quos primario elicere potest talis natura, quales sunt, intelligere, & velle; & quia actus isti facilitatem quandam genuissent in principis suæ elicentiæ, hæc utique in perpetuum maneret; semel quod ea natura perveniret ad statum suæ beatitudinis; sed facilitas est habitus secundum Arist. & Sanctos: Ergo non incongruit habitualis beatitudo naturalis illi statui possibili; de hoc non habemus rationem aliam, quam in medium adducamus; nisi processum naturalem intellectus, & voluntatis hominum; sed illis ex sua natura convenit, & actu operari, & promptè operari, & faciliter operari: Ergo in quacumque hypothese, actu, & habitu operari est illius proprium: Nunc sic: Atqui beatitudo est operatio: Ergo habitualiter, sicut & actualiter inesse eidem naturæ humanæ pro quolibet statu. De sententiis circa hoc non immeror; quatenus assumptum non est nostri instituti; sed de eo aliqua dedimus, ut quæ nostra sunt, facilius capiamus.

75. Conclusio prima: Solus Deus est objectum adæquatum humanæ beatitudinis, quacumque sit. Est communis; de qua tract. 3. citato, & ad sequentem 18. ad quos remittimus legentem, ut quæ hic deficiant fortè, per ibi dicta, & dicenda adimpleat. Probaturque potest primò per textum Arist. quos D. R. affert in 1. dist. 1. q. 1. & iterum offerimus, quia valde proficiunt ad nostrum intentum, & sunt 5. & 12. meth. & ex illis sic formatur ratio nostra: Objectum nostræ beatitudinis debet esse finis perfectissimæ operationis; sed hic finis solus Deus est: Ergo solus Deus est objectum humanæ Beatitudinis: Major, præterquam quod est expressa in R. ibi art. 5. constat: Nam objectum beatitudinis debet continere eam rationem perfectionis in se, quæ desideratur ad speciem perfectissimæ operationis; sed hujusmodi perfectio haberi non potest, nisi finis esset illi, sicut est objectum; aliàs si finis non esset, haberet aliud supra se, ad quod

esset

esset ordinabile: Ergo objectum taliter beans, debet esse ultimus finis illius actus, qui esset formalis beatitudo: Minor principalis est Arist. ibi, ubi Deum assimilari duci exercitus, & Principi, asseriturque esse nostræ beatitudinis finem, quatenus omnia ad ipsum, & ipse ad nullum respicit; omnia enim propter Deum, & Deum propter se est; sicut Exercitus propter Ducem, & propter Principem Populus, & non è contra: Ergo sicut unus Dux est, unus Princeps, unus finis humanæ felicitatis; sic Deus unicus erit objectum nostræ beatitudinis.

76. Secundò, & corroboratur ratio: Si Deus solus non esset objectum nostræ Beatitudinis, vel esset simul cum creaturis, ut simul faciant ad homines beandos, vel hoc esset ens utrumque abstrahens à creato, & increato, siue denique aliquod ens purè creatum esset; sed omnia hæc tale esse objectum beans repugnant: Ergo deveniendum est ad Divinum ens. Probatur, quoad singula, minor. Deus, & creatura ex æquo, & primo specificare actum, vel potentiam dedecet Majestati, & creatura implicat; in quo enim esse potest creatura Deo coequalis? indecens est Dei Majestati, quod indigeret comparate aliqua creata, ut speciem tribueret actui, vel potentia: Ergo nullum est caput, ubi hoc non repugnat; & quod Deus simul cum creatura primo, & per se faceret ad constituendum objectum specificum nostræ beatitudinis.

77. Nec ens, ut abstrahit à creato, & increato, poterit hujusmodi speciem præstare actibus illis perfectissimis, in quibus consistit beatitudo; & propria felicitas humana: Nam ens sic abstrahens, est logica potentia, & prædicabiliter dicitur totum, quod pertinet ad esse Divinum, & creatum, quatenus de omnibus his prædicabile est, quod nullus negat; actu vero, & in linea perfectionis nil formaliter est, aut dicit; cum sit quid abstrahens à perfectione, & imperfectione, sicut abstrahit à Divino, & creato; sed actui perfectissimo, qualis est Beatificans, vel in quo beatitudo consistit; perfectio-

Tom. IV.

nem tribuere non potest, nec speciem objectum illud, quod actu perfectum non est, sed præcindens à perfectione: Ergo & illud ens in tali præcensione non erit specificans objectum perfectæ beatitudinis; cum tribuere non potest perfectionem, & actum, quæ à suo, conceptu, & in sua præcensione excludit: Ergo. Nec denique objectum purè creatum posset esse tale objectum beatitudinis humanæ; siquidem est bonum necessario sit, tamen habet mali admixtionem, & imperfectionem: Ergo speciem dare non valeret actui perfectissimo; immò nec illum felicem constitueret; nam anxium relinqueret ulterioris, & ulterioris perfectionis, quibus objectum quodlibet creatum caret: Ergo nec in hoc itare potest objectiva humana beatitudo.

78. Relinquitur, quod Deus solus sit, & nil præter Deum Beatitudinis humanæ naturalis primarium objectum (de superna infra) & hæc est conclusio secunda, quam teneo: Beatitudo naturalis humanæ naturæ, in ea hypothese superius notata, debet concipi in illo actu perfectiori ipsius & inter omnes actualiori, qualis necessario esset intellectus, vel voluntatis; siue utriusque, & in suo principali exercitio; sed actus hujusmodi perfectiores sunt circa Deum unice, & primario: Ergo hic Deus erit unicum objectum primarium beatitudinis naturalis: Major est doctrina Philosophorum, ut est Arist. 10. Ethic. & ratio insuper convincit; sic debere esse: Nam beatitudo est quies, felicitas, delectatio rationalis: Ergo sistit in perfectiori naturæ dignitate, qualis erit suus actus, & in linea sibi actualiori, & spiritaliori, de quibus nil cognoscimus superius ad intelligere, & velle.

79. Minor probatur: Tum, quia, ut est doctrina Arist. quam non semel dedimus, actus intelligendi in ordine ad intelligentiam primam est potior, & perfectior in humana natura, Deusque ordine naturæ est primò cognitum illius, immò & in citato 10. Ethic. Arist. expressissimus est de hoc; sed hic actus est beatitudo naturæ humanæ: Ergo hujus unicum

Bbbb 2

ob.

objectum est Deus. Secundò illa eadem minor probatur: Tales actus perfectissimi naturæ creatæ rationalis, & in quibus beatur, ejus debent esse conditionis, ut quo magis uniant, & prædictam naturam redire faciant ad suum principium, ac reducant ad identitatem illam principii ejus, & finis, eo fit potius beatifici; atqui totum hoc proprius dicitur de actibus intellectus, & voluntatis circa Deum solum; ipsi enim sunt unitivi, & transformativi, ut pluries supra, & nihil præter intellectum primum principium ultimo fini conjungere potest, propter istam rationem: Ergo & sunt beatifici, & unice in ordine ad Deum exerciti.

PROPONUNTUR ARGUMENTA, & solvantur.

80. **P**rimò arguitur: Etsi Deus sit primum, & specificum bens naturæ rationalem ad ordinem gratiæ expectantem, si tamen fingatur remanere in statu puræ naturæ, nulla apparet ratio, & fundamentum, quibus convincatur ita esse, immo nec in Philosophis: Ergo Deus non est tale objectum beatificum. Antecedens probatur: Philosophi loquuntur de felicitate quadam, quæ ipsi possent esse nota pro suo capto; sed nec de propria beatitudine loqui potuerunt: Ergo neque ejus objectum beatificum cognoscere. Totum assumptum probatur: Et in primis nullibi in eis constat, esse loquutos de propria beatitudine, & maximè cum eam sapius constitutam legamus in divitiis, voluptatibus carnalibus, sospitate animi, & c. Postea que homines sauci vulnere lethali primi peccati, & fortassis pluribus, & enormissimis personalibus, non apparet prudens judicium ad conjectandum quod eam prudentem existimationem, de na-

turali beatitudine efformare queant. Denique Philosophi de Deo suas statuerunt demonstrationes, ut de ejus existentia, unitate, infinitate, & c. sed hoc in eis fortassis speculativum fuisse: Ergo non practicum, & beatificum.

81. Argumentum propositum parum, aut nil difficultatis habet in suis probationibus; & primò Arist. Philosophorum Princeps, & quæ Sancti, & DD. venerantur, ut naturæ scrutatorem ad hoc à Deo instructum, tenuit, & docuit beatitudinem vitam naturalem, nam de alia, lumine fidei destitutus, terre non potuit sententiam; quod verò loquatur de propria naturali beatitudine, certum debet esse; cum in locis à nobis notatis non adsit ad contrarium fundamentum. Expresse insuper docuit in 10. citato Ethic. Beatitudinem naturæ rationalis vitam esse in cognitione intelligentiarum, & primæ maxime: Ergo fortassis hæc fuisse primum illius objectum: Cumque præterea de summa veritate primæ intelligentiæ differuisset, de illius bonitatis infinitate necessariò tenuisset, esse debere summè mandatum: Ergo non apparet, undè sentire valeamus, cognitionem eam, quam de Deo habuissent Philosophi, esse purè speculativam. Nec denique ex aliquorum Philosophorum gravioribus peccatis, & specialiter lucis fidei carentia, inferre non licet, eos naturaliter, & benè, non sentisse de iis omnibus, quæ propria sunt rationali naturæ: Nam peccatum primum sancit naturam eam supernis, & moralibus; at verò in naturalibus, est lesam, & vulneratam reliquisset, non tamen impotentem ad rerum naturalium noticiam, nec omnino lumine rationis destitutam; personalia verò ex genere suo similiter privant Dei amicitia, & gratia, sed naturæ lumen non inticiunt per se, quidquid sit de per accidens: Igitur non est unde contra Philosophos proferamus, non fuisse dignos, ut de naturæ secretis, ut oportet, loquantur.

72. Secundò arguitur: Non est conceptibilis ea beatitudo naturalis humanæ naturæ, si permansisset non ele-

vata ad ordinem gratiæ: Ergo multò minus, quod Deus naturæ author esset objectum bens, & specificum illius. Antecedens probatur: Siquidem beatitudo ea ipsi naturæ adveniret à Deo gratiosè, & instatu alicujus termini ab eo præscripti, vel pro omni tempore à sua creatione, & conditione; sed pro quolibet, non est conceptibilis actus ille purus perfectus stabilis, vi cuius, beata esset: Ergo certum debet esse, quod ea beatitudo supervacanea sit. Minor probatur: Nam desineret esse naturaliter creatæ, si in omni actu à suo primo esse elicitò esset pura, perfecta, & stabilis, etsi illi hoc inesset in termino aliquo à Deo præfixo; vel esset per modum debiti, quod incongruit libertati suæ, vel per modum præmii finalis perseverantiæ; & nec hoc percipitur, cum mèritum, cui hoc præmium responderet, esset etiam perfecta operatio, & propter hoc beatitudo etiam, & deveniendum esset ad processum in infinitum: Ergo sub omni ratione non percipitur, quid est talis beatitudinis, & ejusque formale specificum objectum.

83. Hujus argumenti occasione præsupponenda veniunt quadam ad assumptum præsens expectantia, ex quorum notitia aliqua, quæ ad idem facere possent, applicabimus: Et primò supponimus, quod etsi de beatitudine naturali hominis aliquid nobis innoverit per sententias Philosophorum in sua generali, & quasi specifica ratione accepta; de ea tamen, prout in individuo, & in sui facto esse, & prout vestita suis circumstantiis, quibus hic, & nunc existeret, nil, nec minimum deducunt; & maximè cum eorum doctrinæ versentur circa hypothèsim possibiliem de tali statu naturæ humanæ, in qua abstrahitur à questionibus defacto: Sic est impræsentiarum juxta proposita argumenta, ubi dubitatur de modo, & ordine gradus beatifici pro statu puræ naturæ possibili in individuo; undè illis ut fiat satis, nec habemus dicta sapientum, quibus innitamur, nec minus rationem cogentem, ut per eam solvantur; cæterum ut de illis aliquid con-

jectemur, præterea, & secundò

84. Supponendum est: Quod homo, in illa hypothèsi deberet concipi, ut liber in omni suo actu rationali, ea libertate, quæ propria est naturæ creatæ connaturaliter acceptæ; nimirum potentialitatis, indifferentiæ; & veluti a frenis activitatis; siquidem hoc est connaturale libertatis creatæ, etsi pro sua essentia permittat adhesionem ad bonum, & in illo immobilitatem, & determinationem, ratione alicujus Doni, & privilegii ab illius conditione concessis, cum ex sua quidditate, & essentialiter non constituatur tali potentiali indifferentiæ. Totum variis in locis supra dedimus ex variis doctrinis expressis R. Undè superest, ut intelligamus, quod homo nostræ hypothèsis, & in pura natura constitutus, possit bene, vel malè intra limites naturæ, moraliter operari; possit, inquam, servare omnia præcepta juris naturalis, & insuper, & ea omnia, vel singula transgredi: Consequentèrque aut rectè vivere, & laudabilia opera elicere; sive male, & lethaliter peccare.

85. Bonitas, & laudabilitas hujusmodi operum suum mèritum habere tenemus, correspondens statui, & ordini illi, videlicet intraterminos naturæ, in quo constitutum supponimus; & hoc erit naturalis beatitudo; de qua tractamus, cujus instantia infra solvetur. Mala verò, & turpis operatio, transgressioque legis naturalis abs dubio erit mortale peccatum hominem illum constituens à Deo totaliter aversum, & poena æterna dignum, qualis est gravitas, & infinita injuria Deo ipsi irrogata per violationem juris naturalis. Num si homo ille respicit, doleat, & contèratur de peccatis commissis per amorem Dei naturalem apreciativum super omnia, veniam impetret peccatorum? Est gravissima difficultas, & inter DD. non mediocriter dissidium, & maximè cum pro utraque parte contendendum, fortiora urgeant argumenta, quæ in medium adducenda censuimus, ut quisque patrem, quam maluerit, eligat; nam quantum ad nostrum sensum satis, superque tom. 4. tract. 13.

86. Docent enim, & tenent aliqui, quod homo in statu naturæ constitutus, semel quod fuisset legem Decalogi transgressus, præterquam quod graviter est Dei injurius, exosus, & inimicus, ac æterna pœna dignus, non haberet modum, & medium, quo ipsi fieret peccatorum suorum remissio, remanente, & relicto in eodem statu puræ naturæ; quorum ratio est: Quod homo ille per peccatum simpliciter a Deo avertitur non solum ut Author naturæ, verum ut etiam est Author gratiæ; quatenus Deum offendit, quantum offendibilis est: Ergo Deus nisi per suam gratiam ipsi non fieret pacatus, nec aliter remitteretur illi peccatum, nec condonaretur offensa; sed ad hoc non sufficit amor Dei naturalis, & ad ipsum naturalem conversio, cum etiam averfus fuisset ab illo ut gratiæ Authore: Ergo quin elevaretur ad ordinem gratiæ maneret irremissibile suum peccatum. Præterea: Peccatum commissum ab homine in statu puræ naturæ relinquit in illo reatum pœnæ æternæ per intrinsicam condignitatem ad ipsam; sed huic non potest æquivalens esse amor Dei naturalis; cum illa infinita sit, iste finitus, illa permanens, iste transiens, illa privat bono infinito, iste nullum bonum infinitum, nec honorem Deo restituit, & cogitur nec compensatur, nec dimittitur illud peccatum per naturalem amorem Dei, & similem penitentiam.

87. Est ab opposito non minus urgens argumentum, & unice fundatur in eo, quod remissio peccati non debet esse ultra, vel supra sphaeram offensæ Dei; immò & proportionari debent; in quantum illa erit solutio quadam debiti contracti propter peccatum: Ergo si hoc sit contra jus naturale; de illo ordine, & linea deberet esse remissio; quin sit necessarius recursus ad gratiam, & statum supernaturalem. Præterea: Peccator in statu naturæ recessit a Deo, & ab illo fuit averfus, quatenus illam læsit, & offendit; sed solum Deus ut Author naturæ fuisset offensus; cum aliter offendit non posset, quam secundum id, quod exigit natura peccati; quod est pure intra limites, ipsius naturæ: Ergo solum

ut Author naturæ fuisset Deus offensus: Ergo reconciliatio requisita ad remissionem deberet esse cum Deo natura Authore; atqui ad hanc sufficeret amor naturalis appetitivus Dei super omnia; sicut ad aliud requiritur supernaturalis conversio ad Deum de eodem ordine: Ergo peccatum illud illius status non esset prorsus irremissibile pro illo statu. Utraque probabilissima est, sed hæc ultima ad mentem R. conformior.

88. Nunc supponamus insuper: Quod homo ille in pura natura existens, esset legi mortis subiectus, mortalis enim est per naturam suam, quatenus indigeret nutritione ad sui vitam vegetativam, sensitivam, & adhuc rationalem; in qua quamvis esset bonæ temperaturæ ad ultimum mori esset necessarium ex defectu virium deperditarum in actione, & reactione continuis: Præterquam quod subesset occultæ luctæ appetituum contra rationem, qui naturali ordine contrariantur, & etiam ex isto capite sua haberet incommoda, & in mortem tenderet, ulterius ad vitam irrevocabilis: Corpus ad terram reversum, a qua ortum duxerat; anima verò a Deo destinata ad locum præparatum eidem juxta suæ providentiæ decretum; & quia ex sua natura immortalis est, licet & impassibilis, sufficienter conjectare possumus ibi æternaliter permanisse, ubi Deus præfatas animas collocare statuisset: Si enim in peccatis commissis decesserit, esset locus ubi lueret æternas pœnas correspondentes tamen infinitæ gravitati peccatorum: Sin autem moriatur integra, & a maculis peccatorum immunis, prudenter conjectari debemus, quod ibi perfruatur beatitudine ea, quam adstruimus, ut verificetur esse permanentem, stabilem, & perfectam quietem, quæ nisi in eo statu facile non concipiuntur.

89. Ex his ad argumentum responderetur, negando antecedens, ad cuius probationem, majori quoad primam partem omissa: Quia cum omnia sint intra purum ordinem naturæ, nil mirum, quod erga ea Deus pure permittive se haberet; vel si amor Dei naturalis,

ralis; cui corresponderet ea beatitudo pro premio esset supra vires connaturales ejusdem puræ naturæ, Deus gratiose & conferret auxilia de eodem ordine, quibus fortificaretur ea natura; ac per consequens ex eo sequeretur illius beatitudinem gratiosam fore: Et quoad secundam partem, adhaerendo sensui, & sententiæ, quod inter terminos illius hominis, ei adveniret sua beatitudo naturalis; non verò pro qualibet sui duratione; dicimus ad rationem in contrarium: Quod operatio meritoria; cui corresponderet naturalis beatitudo, perfecta esset, amor Dei esset, cognitio Dei esset, sicut est amor Dei nunc ut ad salutem oportet, & actus fidei, &c. ceterum non ita perfecta, ut sit stabilis, perpetua, & permanens; sicut desideratur ad beatitudinem: Ecce utriusque differentia; meriti, scilicet, & præmii, quin in eis, & ex eis sequatur assignata confusio.

90. Tertio arguitur: Ens in sua generalitate videtur conformius beatificans naturam hominis: Ergo non præcisè Divinum. Antecedens probatur: Ens sub ea generalitate acceptum comprehendit omne, quod est proprium intellectus, & voluntatis humanæ; sed quod implet capacitatem harum potentiarum est objectum beatificum: Ergo istud erit ens in sua generali acceptione. Major videtur certa, nam prima, ut licet dicamus, præcisio entis est a Divino, & creato: Ergo utriusque, quod videlicet, est omne ens, comprehendit. Minor etiam probatur: Objectum beatificum humanæ naturæ est id, in quo sit universale suarum potentiarum satisfiativum, quia in eo requiesceret, & in illo advenirent rationales potentia omne quodcumque experere possent: Ergo in hoc stare beatitudo. Assumptum sicut in hoc; quod in hac universalissima ratione advenitur omnis ratio boni, & perfecti, ac veri, creati, scilicet, & increati: Ergo omne intelligibile, & amabile.

91. Respondetur ad argumentum per doctrinas, quæ fortassis pluries dictas relinquimus, distinguendo primam majorem: Ens ita generaliter, & præcisive acceptum comprehendit in potentia om-

ne quod pertineat ad voluntatem, & intellectum, concedo; in actu, subdividitur majora pluribus, præter eos, qui tolerare non possunt conceptum entis objective præcisum: Ens in ea præcisione dicitur in actu implicito; & veluti confusio quidquid pertinet ad intellectum, & voluntatem, permittit; in actu explicito, & distincto, nego majorem: Dicebamus, quod eas ita præcisum dicitur omnem omnino rationem veri, & boni, ceterum hoc est potentialiter, & prædicabiliter; vel si cum suis differentiis dicatur mutuo, & convertibiliter transcendens, eas omnes actu dicit, & continet, ceterum implicitè, & confusè; & hoc non sufficit, ut sit specificum formale beatitudinis, quæ cum actus perfectissimus sit, exigit pro sui objecto specifico objectum, quod tale sit in actu formali satisfiativum intellectus, & voluntatis a quibus deficeret ens in ea præcisione, cum non actu, sed potentia esset summè verum, & summè bonum.

92. Quarto arguitur, & hæc instatur solutio: Ens Divinum etiam eminentèr dicitur omnem quancumque rationem veri, & boni, non tamen actu explicito, & formali exprimit totam entis veritatem, & bonitatem: Ergo aliud prædicatum abstractius, & universalius erit satisfiativum, & completivum capacitatis humani intellectus, & voluntatis hominis: Hæc erit ratio, quare Arist. 10. Ethic. volens adstruere objectum humanæ felicitatis asseruit esse intelligentias omnes a Prima: Ergo omne quodlibet intelligibile creatum, & increatum erit tale objectum beatificum. His non obstantibus, respondemus: Quod Divinum ens explicitè, & expressius dicit esse totum esse eminentèr subsistens; & hoc est esse actualis si finum satisfiativum cujusque intellectus, & voluntatis; ad quod nil addere potest cumulus totius entis creati, & creabilis, nec de actualitate, nec de perfectione; ideoque in eo solum est tota, & specifica ratio nostræ beatitudinis. Arist. loquitur de aliis intelligentiis, & specialiter de prima: Ergo ab hac erit species, ab aliis verò accidentalitas beatitudinis.

93. Ultimò arguitur: Ex Dei ordi-

dinatione statuto, & lege Deus est ob-
jectum unicum nostræ supernæ beatitu-
dinis: Ergo non ex genere suo, & qua-
tenus abstraheret à naturali, & super-
naturali; siquidem hoc divagaretur per
omnium genera entium. Antecedens
colligi videtur ex locis sacris, in quibus
sistit hic communis Theologorum sen-
sus, inter quos est illud Joan. 14. *Qui
autem diligit me diligetur à Patre meo, &
ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.*
Ecce pactum, lex, statutum; & pro-
missio Dei, qua se constituit liberè ob-
jectum specificum nostræ supernæ beati-
tudinis. Respondetur, quod lex, & sta-
tutum Dei ad se communicare videntur

dum facialiter, & tamquam obiectum
beatificans, certum est intervenisse; cæ-
terum hoc ex suppositione ordinationis
hominum v. g. ad ordinem Gratiæ, sem-
per ac pervenissent ad statum salvatio-
nis, necessario, & ex natura rei bearentur.
De hoc latius tract. sequenti. Sufficiant
dicta pro concludendo tractatu presenti
de ultimo fine hominis intra terminos na-
turæ: Quem tractum perfecimus, ut via
plana, pareretur ad ea, quæ sint alterius
propria. Cedat utique in Dei gloriam,
& honorem, suæ Sanctissimæ Matris
cultum, & in omnium Sancto-
rum obsequium.
Amen.

FINIS.



IN-



INDEX

TRACTATVVM. QVÆSTIONVM, ET RESOLUTIONVM, QUÆ IN HOC

QUARTO TOMO CONTINENTUR.

TRACTATUS XII.

De gratia Dei. Pag. 1.

- Q**uæstio I. An, quid, & quotuplex sit
gratia Dei? Pag. 2.
Quæstio II. De statibus, & conditionibus
naturæ hominis, sub quibus ipsi valeat
Dei gratia communicari. Pag. 4.
Quæstio III. Quidnam sit proprium con-
stitutivum innocentiae, & originalis ju-
stitiæ, sanctitatisque illius status? P. 7.
Resolutio I. Originalis justitia, ut de fa-
cto ea ditatus fuit primus homo, est
Dei donum, ipsique collata fuisset
permodum habitus, & permanen-
ter. Pag. 8.
Resolutio II. Justitia originalis ex genere
suo, secundum communem usum, ac-
cepta, est de specie gratiæ gratum fa-
cientis. Pag. ibid.
Resolutio III. Justitia originalis est effe-
ctus formalis secundarius gratiæ sancti-
ficantis primum hominem innocen-
tem constituentis. Pag. 9.
Quæstio IV. Qualiter homo per naturam
suam valeat, & sine gratia Dei, in or-
dine ad opera bona naturalia morali-
ter, & nulla ratione superna? Pag. 14.
Resolutio I. Nullus hominum in natura
lapsa potest scire collectivè, aut divi-
sivè omnes veritates practicas, quæ
quomodolibet conducere valeant ad

- opus morale naturaliter bonum. Pag. 16.
Resolutio II. Homo lapsus, & adhuc non
justificatus potest viribus propriæ na-
turæ non simul, & collectivè, sed di-
visivè, & successivè eas omnes veri-
tates practicas cognoscere, quæ suf-
ficient ad impletionem naturalium
præceptorum. Pag. ibid.
Quæst. V. Qualiter homo in statu lapsæ
naturæ valeat ad opera pure natu-
ralia moralia elicienda, & facien-
da? Pag. 19.
Resol. I. Homo lapsus existens adhuc in
peccato mortali actuali potest elice-
re, & patrare aliquod bonum hone-
stum morale non solum ex objecto
sed ex omni circumstantia naturali bo-
num. Pag. 21.
Resol. II. Homo lapsus suis viribus reli-
ctus non potest in omnia qualibet ope-
ra bona moralia collectivè accè-
pta. Pag. 23.
Resol. III. Homo lapsus suis viribus inni-
xus non potest totam legem natura-
lem collectivè, & perfectè serva-
re. Pag. 24.
Resol. IV. Homo lapsus potest in omnia
præcepta legis naturæ suis viribus
quoad substantiam implenda, in ipso-
rumque observantia aliquanto, et si
non diuturnè, & finaliter, persevera-
re. Pag. 25.
Cccc Re:

- Resol. V. Homo lapsus non potest viribus suae naturae vincere tentationem gravem contra aliquod ex praeceptis naturalibus. Pag. 26.
- Quaest. VI. Utrum gratia sanctificans desideretur in homine lapsa ad omnia praecepta naturalia perfecte adimplenda? Pag. 35.
- Resol. I. Non potest haberi totius legis naturae diuturna adimpletio, siue perfecta sit, siue quoad substantiam, solum ab homine lapsa non iusto, vel quod idem est sine gratia sanctificanti. Pag. 36.
- Resol. II. Gratia sanctitatis non est necessaria ad observationem diuturnam totius legis ex natura rei, & metaphysicè, sed solum moraliter, & quia ita congrueret divinis decretis. Pag. 37.
- Quaest. VII. An sit gratia sanctificans? Et quid sit in sua essentia? Pag. 41.
- Resol. I. Gratia habitualis est participatio vera, & propria divinae naturae. Pag. 43.
- Resol. II. Gratia habitualis est vera, & realis naturae divinae participatio. P. 44.
- Resol. III. Gratia habitualis est realis, & vera participatio formalis divinae naturae, ceterum in sensu stricta, & analogicae participationis. Pag. ibid.
- Quaest. VIII. An Deus sit ita efficiens causa gratiae habitualis, ut repugnet cuilibet creaturae ejusmodi causalitas? P. 46.
- Resol. Repugnat creatura, cui Deus tribuat virtutem creativam principalem gratiae sanctificantem. Pag. 47.
- Quaest. IX. Quinam sit effectus primarius, & essentialis gratiae sanctificantis? P. 50.
- Resol. I. Gratia Dei sanctificans non constituit hominem Dei amicum, & per se acceptum objectivè. Pag. 51.
- Resol. II. Dei gratia sanctificans constituit subjectivè connaturaliter, & intrinsicè hominem Deo gratum, ipsique eo modo acceptum. Pag. ibid.
- Resol. III. Effectus formalis primarius gratiae sanctificantis est hominem connaturaliter, & intrinsicè constituere Dei amicum gratum, & acceptum subjectivè per modum nobilissimi habitus, ac hominem sic regenerare. Pag. 53.
- Quaest. X. Quantam viam habeat divina gratia sanctificans? Ubi, & de modo quo cum auxiliis supernis se habeat, & ea inter se. Pag. 91.

- Resol. I. Gratia habitualis sanctificans vim habet ad praestandum effectus auxiliorum communium de ordine superno, & divino. Pag. 62.
- Resol. II. Gratia sanctificans, supposita divina ordinatione, & omni alio secluso, habet vim sufficientem dispositivam ad omnia venialia vitanda, ad finaliter perseverandum, & ad quodlibet opus supernaturale arduum agredendum. Pag. 63.
- Quaest. XI. Utrum gratia sanctificans realiter distinguatur à charitate? Et quodnam sit utriusque formae subjectum? Pag. 68.
- Resol. I. Gratia, & charitas sunt unus, & idem habitus realiter, & entitativè. Pag. ibid.
- Resol. II. Gratia, & charitas secundum id, quod dicunt de sua realitate, recipiuntur in anima iusti in suo modo essendi. Pag. 70.
- Resol. III. Gratia in quantum formaliter, & conceptibiliter distinguitur à charitate, recipitur in anima, ut eodem modo distincta a voluntate, & in hac similiter subiectatur charitas. Pag. ibid.
- Resol. IV. Si anima distingueretur realiter entitativè à suis potentiis, gratia, & charitas ut modo sunt una, & eadem realitas, reciperentur in essentia animae. Pag. 71.
- Quaest. XII. An, & quomodo possit quis certificari de Dei gratia eum informante, & sanctificante? Pag. 75.
- Resol. I. Homo existens in gratia potest physica potentia certitudinaliter, metaphysicè scire illam habere. Pag. 77.
- Resol. II. Homo fidelis non potest scire certo infalibiliter, & metaphysicè se esse in gratia & sanctitate potentia morali, unde ejusmodi certificatio, & notitia eidem esset moraliter impossibilis. Pag. 79.
- Resol. III. Potest quis morali potentia, ita conjectari propriae gratiae existentiam, ut taliter de illa moraliter certificetur, quod etsi non habitualemente, actualem tamen formidinem excludat. P. 81.
- Quaest. XIII. Utrum ad gratiae sanctificantis infusionem per se infundantur virtutes morales? Pag. 86.
- Resol. I. Praeter virtutes morales adquisitiones

- tas dantur & aliae supernaturales, & infusae, & distinctae a Theologalibus. P. 88.
- Resol. II. Gratia Sanctificans, & praefatae virtutes morales supernae, & infusae connectuntur necessario, ceterum non mutua connerione. Pag. 92.
- Quaestio XIV. Utrum dona Spiritus Sancti sint quid à virtutibus infusis specie diversum? Et quid de ejusdem Spiritus fructibus, animaeque beatitudinibus? P. 98.
- Resolut. I. Dona Spiritus Sancti sunt, habitus suapte natura supernaturales, & infusi. Pag. 100.
- Resol. II. Dona ea Spiritus Sancti enumerata sunt habitus superni non modo a virtutibus adquisitionis distincti, verum & a Theologalibus. Pag. ibid.
- Resol. III. Dona haec Spiritus Sancti tametsi acceptione considerata, sunt in sua specie distantia a virtutibus moralibus cardinalibus adhuc supernis, & infusis. Pag. 101.
- Resol. IV. Habitus Donorum Spiritus Sancti includunt virtualiter gradualiter habitus virtutum infusarum, & isto modo ab his distinguuntur. Pag. 102.

TRACTATUS XIII.

De justificatione impii.

- Quaestio I. De existentia, & quidditate justificationis impii? Pag. 108.
- Resol. I. Datur de facto justificatio impii, & hominis peccatoris. Pag. ibid.
- Resol. II. Natura, & essentia justificationis impii describitur per esse translationem ab eo statu, in quo homo, nascitur filius Adae primi in statu gratiae, & adoptionem filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum salvatorem nostrum per lavacrum regenerationis siue in re, siue in voto receptum P. 109.
- Resol. III. Justificatio impii vera, & stricta destinatione definitur per hoc, quod sit interior renovatio hominis per voluntariam suceptionem gratiae & Donorum, ex qua duo sequuntur, & quod non sit sola remissio peccatorum, & quod per eam homo ex injusto fiat justus, ex inimico amicus ut sit haeres secundum speciem vitae aeternae. Pag. ibid.
- Quaestio II. Utrum justificatio impii habeatur de facto per veram formam inherentem, non solum ut dicit interiori hominis renovationem, sed etiam in quantum est remissio peccatorum? Pag. ibid.
- Resol. I. Justificatio impii habetur per unam formam creatam, animaeque inherentem. Pag. 110.
- Resol. II. Forma creata justificans impium est remissiva peccatorum P. 111.
- Resol. III. Remissio peccatorum per gratiam justificationis habita in homine impio est vera, & propria remissio, & non modo suorum peccatorum non imputatio veluti extrinseca Dei. P. ibid.
- Quaestio III. Utrum haec forma justificationis impii sit de genere qualitatis? Et an habitus, vel actus? Pag. 113.
- Resol. I. forma justificans impium, est de genere qualitatis. Pag. ibid.
- Resol. II. Forma justificans est qualitas de prima hujus specie, nimirum habitus, & non actus secundi. Pag. 116.
- Resol. III. Non est adhuc ab Ecclesia definitum, formam impium justificantem esse de genere qualitatis, aut alterius determinati praedicamenti. Pag. ibid.
- Quaestio IIII. Utrum forma justificans impium ex natura rei, & veluti physice praestet suos effectus formales? P. 119.
- Resol. I. Gratia habitualis habet ex natura sua, & omni alio secluso, quidquid illiconvenit, quatenus est participatio physica, & formalis naturae divinae. Pag. 121.
- Resol. II. Gratia habitualis habet ex lege, & statuto Dei impium justificare, filium Dei adoptivum, & regni caelestis heredem connaturaliter constituere. Pag. ibid.
- Quaestio V. Utrum homo impius justificari possit absque aliqua forma sibi intrinsicè inherente? Pag. 140.
- Resol. Justificatio impii, ut praesè dicit sanctitatem, Dei filiationem, & reliquos omnes effectus formales positivos nostrae justitiae haberi, & obtineri potest, de potentia Dei absoluta, sine aliqua forma creata animae intrinsicè inherenti. Pag. 141.
- Quaestio VI. Utrum ad justificationem requiratur motus liberi arbitrii? Et quid circa hoc de possibili? Pag. 153.

- Resol. II. Potest adultus justificari de potentia Dei absoluta sine motu liberi arbitrii proprii. Pag. 154.
- Quaestio VII. Utrum Gratia infusio sit peccatorum remissio? Pag. 158.
- Resol. I. Infusio gratiae justificationis est peccati simul remissio. Pag. 159.
- Quaestio VIII. Utrum Gratia, & peccatum per aliquam potentiam Dei possint coexistere? Pag. 163.
- Resol. Cum peccato mortali actuali, & infuso esse, sicut & habitus per nullam Dei potentiam coexistere potest Dei gratia justificans. Pag. 167.
- Quaestio IX. Utrum Deus possit sine extrinseca infusione gratiae extrinsecus peccata dimittere, & condonare? P. 174.
- Resol. Potest Deus remittere peccata impii absque intrinseca gratiae infusione, & per solum extrinsecam condonationem. Pag. ibid.
- Quaestio X. Utrum peccatum mortale possit remitti sine alio in eodem impio, & simul existentibus? Uoi de aliis dubiis, quae sunt propria hujus tractatus. Pag. 180.
- Quaestio ultima. De remissione peccati venialis. Pag. 182.
- Resol. I. Peccata venialia defacto remittuntur per aliquid peccatori intrinsecum moraliter tantum, etiam connotata physica, & reali forma, etiam eidem intrinseca. Pag. ibid.
- Resol. II. Per illud, per quod remittitur mortale sive ex opere operato, sive ex opere operantis, per id ipsum remittantur venialia, addita tamen expressa horum retractione. Pag. 183.

TRACTATUS XIV.

De merito Justii. Pag. 185.

- Quaestio I. Quid, & quotuplex sit meritum? Pag. 186.
- Resolutio: Meritum supernaturalium operum & in ordinem ad praemium, similiter gratiae, & gloriae dividi per meritum de condigno, & congruo. P. 187.
- Quaestio II. Utrum justus possit de condigno mereri apud Deum? Et quomodo? An ex justitia ipsi debeatur praemium

eternae gloriae? Ac denique qua specie justitia? Pag. 188.

- Resolutio I. Opera superna justii, quae alias meritoria sunt aeternae gloriae, habent ex ipsa eorum natura esse condigna aeternae mercedis. Pag. 189.
- Resol. II. Opera justorum aeternae gloriae condigna sunt meritoria ipsius gloriae ex sua natura signata, & in actu primo, ut vero sint ejusdem gloriae meritoria exerceant, & in actu secundo, desideratur pactum, & promissio Dei de illis premiandis, & coronandis. Pag. 190.
- Quaestio III. Utrum corona gloriae justis retribuatur a Deo ex toto rigore justitiae. Pag. 193.
- Resol. I. Justitia ea, qua Deus praemiatur justorum merita, distributiva est, ceterum non formaliter, sed eminenti quadam ratione. Pag. 194.
- Resol. I. In justis premiandis non consideratur in Deo ea justitia commutativa, qua stricta est, & versatur inter datum, & acceptum, ut in commutativis emptionis, & aliis hujusmodi reperitur. Pag. 195.
- Resol. III. Actus, quo Deus aeternaliter coronat merita justorum, est propriae justitiae commutativa, ut praecise respicit jus depositarii, & deponentis. Pag. ibid.
- Quaestio IV. Utrum opera omnia justorum bona, & deliberata sint aeternae gloriae meritoria a charitate praescripta? Pag. 201.
- Resol. I. Actus solius charitatis, nec fidei similiter solius unice, & per aliarum virtutum actuum exclusionem non possunt esse sic aeternae gloriae meritoria. Pag. 202.
- Resol. II. Actus virtutum, qui pure naturales sint, & non subsint imperio charitatis, non sunt praemii essentialis meritorii. Pag. ibid.
- Resol. III. Actus omnes virtutum infusarum, quae ab homine justo elicantur, sunt vitae aeternae meritorii, adhuc non expectato actuali, vel virtuali imperio charitatis, sufficere tamen si habituale esset. Pag. 203.
- Quaestio V. Utrum possit dari meritum aeternae gloriae, in quo non sit charitas infusa? Pag. 208.

Re.

- Resol. I. Potest Deus sua absoluta potentia, & secundum connaturalem creatae voluntatis, hanc constituere in actu meriti supernaturalis, nulla praecedente charitate habituali infusa, aut motione aliqua extrinseca, aut intrinseca Dei, sive Spiritus Sancti illo lapsu. Pag. 209.
- Resol. II. Potest Deus per suam absolutam potentiam hominem constituere in statu meriti, hoc est expeditum, & in actu primo potentem mereri vitam aeternam, nulla praeventum habituali, aut actuali gratia, sed solum per suam extrinsecam acceptionem ad gloriam. Pag. 210.
- Resol. III. Ut homo constituatur in actuali merito, sufficit motio actualis cito transiens, qua excitetur sua voluntas ad supernaturaliter operandum. P. 211.
- Quaestio VI. Utrum prima gratia, & remissio peccatorum alterius cadat sub merito de condigno, sive ad minus de congruo? Pag. 213.
- Resol. I. Nullus purus homo quantumvis sanctus potest alteri primam gratiam de condigno mereri, si de potentia Dei ordinata, & de actuali, & exercitio merito loquamur. Pag. 214.
- Resol. 2. Potest quis de posse Dei absolute alteri primam gratiam promereri de condigno, & exercere, si de prima ea gratia intelligatur resolutio post lapsum in peccatum quomodo libet, ac de injuria satisfacta, vel libere a Deo condonata simul. Pag. ibid.
- Resol. 3. Potest purus homo justus, & de facto potest, alteri primam gratiam de congruo mereri. Pag. 215.
- Quaestio 7. Quid requiratur ad meritum de congruo? Et ad quae se extendat? Ac denique in quibus? Pag. 217.
- Resol. I. Sic requiratur bonitas in opere de congruo meritorio, ut aliqua ratione sit de ordine supernaturali. P. ibid.
- Resol. II. Non improbable censemus; si dem in persona merente sufficere ad meritum de congruo, sive in ordine ad se, vel respectu gratiae alteri obtinendae simul cum aliis actibus virtutum infusarum. Pag. 218.
- Resol. III. Non potest dari meritum de congruo, quod sit vere tale respectu

- bonorum temporalium in se, bene vero ut ad spiritualem profectum ordinantur. Pag. ibid.
- Quaestio VIII. An perseverantiae Donum cadat sub merito justii? Pag. 221.
- Resol. Non habemus pro inconveniensi, quod opera ea facta in gratia, & ex genere suo meritoria, sint talia de condigno in actu secundo respectu continuationis gratiae, & perseverantiae finalis. Pag. 222.
- Quaestio IX. Quomodo meritum Christi Domini faciat ad merita justorum hominum. Pag. 225.
- Resol. I. Gratia Dei sub hac triplici consideratione homini infunditur in vi meritorum Christi Domini, quae de facto, & juxta legem ordinariam accipiuntur, per modum unius favoris. Pag. 227.
- Resol. II. Si attenda Dei omnipotentia, triplex gratiae formalitas superadita separatim homini communicaretur, esset utique per novum, & distinctum favorem, & applicationem meritorum Christi stante, ut nunc est, infusione gratiae in anima justii. Pag. ibid.
- Quaestio ultima: Appendix de reviviscencia meritorum? Pag. 228.
- Resol. I. Merita vitae aeternae, quae per peccatum mortificata sunt, eo remisso per penitentiam, & gratiae infusionem, reviviscere, hoc est quoad jus & valorem, & ad praemium iterum vivere. Pag. ibid.
- Resol. II. Non reviviscunt merita per penitentiam secundum illud esse physicum, quod in illis praeserat ante peccatum. Pag. 229.
- Resol. III. Merita per peccatum mortificata, reviviscunt, & redeunt moraliter per penitentiam, & quantum ad jus, quod dicunt ad aeternae gloriae mercedem, & secundum totum, quod ipsis corresponderet, si mortificata non essent. Pag. 230.

TRACTATUS XV.

De fide, spe, & charitate. Pag. 233.

- Quaestio I. Quid sit fides Theologica? Pag. 234.
- Quaestio II. Quodnam sit fidei Theologicae objectum? Pag. 237.

Re.

- Resolutio Obiectum formale specifi- cum fidei divinæ, quæcunque sit, est divinum testimonium dictum revela- tum. Pag. 239.
- Quæstio III. Utrum fidei divinæ possit subesse falsum, non obstante hac sui ob- jecti infallibilitate? Pag. 241.
- Resol. I. Deus absolute loquendo menti- ri, & falsum dicere non potest. P. 241.
- Resol. II. Deus nec per alios potest falsum dicere, sive mentiri. Pag. ibid.
- Resol. III. Impossibile est Deum falsum di- cere quia in adjecto implicatoria est hypothesis assumpta; nimirum quod obliquitas præcindibilis esset amenda- cio. Pag. ibidem.
- Quæstio IV. Utrum fides essentialiter sit de in apparentibus, & non visis? vel aliter: An obscuritas, & inevidentia sit essentia fidei infusa? Pag. 245.
- Resol. I. fides est certa notitia, & firmus assensus intellectus essentialiter enig- maticus, & obscurus, atque a sua ra- tione evidentiam excludens. Pag. 246.
- Resol. II. Fides Mysterii revelati compa- tibilis est cum evidentia divini testan- tis, & ejus testimonii. Pag. 247.
- Quæstio V. Utrum possit esse simul fides, & lumen gloriæ? Sive actus credendi, & visio clara Dei in eodem intelle- ctu? Pag. 251.
- Resol. Fides Theologica potest simul exi- stere in eodem intellectu cum visione Dei, & lumine gloriæ de posse Dei ab- soluto, non vero connaturaliter, & juxta præsentem providentiam. P. 252.
- Quæstio VI. Utrum sint mysteria nostræ fidei evidenter credibilia? Pag. 257.
- Resol. Mysteria nostræ Catholicæ fidei sunt evidenter credibilia. Pag. 258.
- Quæstio VII. Quot, & qui actus pertineant ad fidem Theologicam actu exercen- dam? Pag. 261.
- Quæstio VIII. An actus aliquis voluntatis prærequiratur ad fidem divinam? P. 264.
- Resol. I. Ad fidei divinæ assensum connaturaliter desideratur actus voluntatis, qui communi usu loquendi Theo- o- gorum vocatur, pia motio voluntatis, talibusque vocibus decoratur, ut ab actibus spei, & charitatis distingatur, & in ordine salutari, & ad pietatem con- gluente collocetur, & quasi constitui

- videatur. Pag. ibid.
- Resol. II. Hæc pia motio voluntatis est supernaturalis (quidquid sit de substan- tia, & modo, quod non est hujus in- tenti.) Pag. 265.
- Quæstio IX. De iis, quæ pertineant ad actum fidei interiorem? Pag. 267.
- Quæstio 10. Quomodo se habeat in fide illius intentio, & remissio. Pag. 270.
- Quæstio XI. Utrum per omne peccatum mortale fides divina amittatur? Vel per quod? Et quomodo? Pag. 273.
- Resol. I. Non per quodcumque pecca- tum adhuc lethale fides Theologica amittitur & perditur, P. 274.
- Resol. II. Solum per peccatum infideli- tatis amittitur fides Theologica. P. ibid.
- Resol. III. Per quodcumque peccatum infidelitatis amittitur fidei virtus Theo- logica. Pag. ibid.
- Resol. IV. Per quemcumque actum infide- litatis tota fides amittitur, non tamen in genere causæ quoquomodo phyli- cæ, sed solum moralis. Pag. ibid.
- Quæstio XII. De actu fidei exteriori. Pag. 276.
- Resol. I. Non licet fidelibus Christianis simulare, aut dissimulare religionem suam, fugere, abscondi, tacere aut ve- stibus indui infidelium quorumcum- que, si hæc facta, & omnia absolute, & ut sonant, expectentur. Pag. 277.
- Resol. II. Non licet simulare veram fi- dem sub ullo quocumque pretextu, dummodo hoc fieret per usum, & exer- ciciam falsæ sectæ; bene vero si absit contemptus religionis, & scandalum posset simulari per ceremonias com- munes, & non speciales ejusdem fal- sæ religionis. Pag. ibid.
- Resol. III. Licet Christianis fugere tem- pore persecutionis tyrannorum, tace- re, negare, ac negare responsa ad in- terrogata, si absit periculum contra fidem, & maxime si interrogatio fie- ret per privatam personam, & curiosi- tatis causa. Pag. 278.
- Quæstio XIII. De infidelitate. Pag. 279.

TRACTATUS APPENDIX

De Regulis fidei. Articulus I.

DE Sacra Scriptura, & traditioni- bus. Pag. 282.

Artic.

- Articulus III. De Summo Pontifice. P. 290.
- Resol. Papa potest se solo facere in bonis communibus Ecclesiæ, quod facit cum Cardinalibus. Pag. 292.
- Quæst. XIV. De virtute spei supernatura- lis. An, & quid sit? Pag. 296.
- Quæstio XV. Quodnam sit objectum for- male, & materiale spei supernatura- lis? Pag. 297.
- Resol. I. Obiectum quod, & terminati- vum spei Theologicæ formaliter, & specificè acceptum est bonum divinum in se, & immediatè eidem spei objici- bile. Pag. 298.
- Resol. II. Ratio formalis sub qua spei, & objectum motivum eam specificans pri- mario est bonum divinum, ut nobis proximè possibile, & assequibile est. Pag. 299.
- Resol. III. Omne quodlibet bonum créa- tum, quod posset ad possessionem summi boni, vel hujus completam as- sequutionem conducere, est objectum saltem materiale spei supernatura- lis. Pag. ibid.
- Quæstio XVI. De subjecto spei Theolo- gicæ. Pag. 302.
- Resol. I. In homine illo suæ damnationis conticio potest permanere spes Theo- logica habitualis, si aliundè eam recepisset, vel per actum oppositum non amisisset. Pag. 303.
- Resol. II. Homo ille posset adhuc sperare beatitudinem potentia antecedenti, & generali, & ad hoc teneretur. Pag. ibid.
- Resol. III. Homo, cui esset sua damnatio revelata, posset sperare beatitudinem potentia proximâ, impedita tamen & ligata. Pag. ibid.
- Quæst. XVII. Ubi de virtute charitatis quoad an est, & quid est illius. P. 304.
- Quæstio XVIII. Quodnam sit objectum normale adæquatum charitatis? P. 305.
- Resol. I. Bonum divinum in se infinitum & præcise ut determinatum ad essen- tiam divinam, attributa, & relationes est objectum adæquatum amoris Dei super omnia. Pag. 305.
- Resol. II. Bonum divinum sub speciali ra- tione bonitatis est objectum formale specificum hujus Dei amoris, adhuc illius, qui est superans, & charita- tis. Pag. ibid.

Quæstio XIX. De amore erga proxi- mum. Pag. 310.

TRACTATUS XVI.

De Sanctissimæ Incarnationis Mysterio.

Pag. 313.

- Q**uæstio I. Utrum possibilis sit Verbi Divini Incarnatio? Pag. 314.
- Resol. I. Possibilitas Incarnationis Domi- nicæ, nec à priori, nec à posteriori, demonstrari potest, adhuc fide suppo- sita. Pag. 315.
- Resol. II. Supposita notitia mysterii po- test topice, & probabiliter probari pos- sibilitas. Pag. ibid.
- Quæstio II. Utrum conveniens fuerit Verbum Divinum incarnari? Et quid de necessitate Incarnationis? Pag. 320.
- Resol. I. Naturæ humanæ valdè con- gruit assumptio ad divini verbi unio- nem. Pag. ibid.
- Resol. II. Congruit suo modo, Divino Verbo carnem assumere, & hominem fieri. Pag. 321.
- Quæstio III. De veritate Incarnationis, ac de ejus existentia. Pag. ibid.
- Resol. I. Christus Dominus in lege pro- missus, verus Deus est, & verus ho- mo. Pag. 322.
- Resol. II. Christus Dominus verus Deus, & homo de facto fuit missus, & venit in mundum. Pag. 323.
- Quæstio IV. Utrum unio Dei ad homi- nem facta sit in natura, vel in perso- na? Et quomodo? Pag. 326.
- Quæstio V. Quænam sit formalis ratio in Divina Persona assumendi naturam creatam? Pag. 329.
- Resolutio Ratio formalis, & proxi- mior, & qua Verbum Divinum assum- ptum humanam naturam, est sua poten- tia assumptiva. Pag. 330.
- Quæstio VI. Utrum hæc assumptiva po- tentia, quæ tribus Divinis Personis convenit, possit simul exerceri in una creatura? Vel unius suppositi Divini in pluribus naturis similiter creatis, quæ cumque sint? Pag. 332.
- Resol. Tres Divinæ Personæ assumere, & personare possunt unam natu- ram creatam, plures, & quæcum- que. Pag. 334.
- Quæst.

- Quæstio VII. Utrum Verbum Divinum assumere posset naturam humanam re-
sata propria personalitate? Vel vice
versa: Num retenta divina possit per
propriam subsistere post advenien-
tem? Pag. 339.
- Resol. I. Verbum potuisset assumere, &
personare humanitatem adhuc propria
retenta personalitate. Pag. ibid.
- Resol. II. Natura humana subsistens divi-
na substantia Verbi, non potest po-
tentia naturali, consequenter subsiste-
re propria. Pag. 340.
- Resol. III. Probabile iudico, posse de Dei
absoluta potentia, naturam creatam
subsistentem Divina Persona, postea
propria supponere. Pag. ibid.
- Quæstio 8. Utrum creata personalitas
posset divinitus alias se terminare na-
turas? Pag. 341.
- Resol. Personalitas creata potest alienam
terminare naturam attenda Dei absolu-
ta potentia. Pag. ibid.
- Quæstio IX. Utrum in Christo Domino
ut unum, vel plura esse, vivere, &
existere? Pag. 346.
- Resol. I. In Christo Domino, ut quod-
dam totum est à suis partibus divisivè
acceptis distinctum per modum inclu-
dentis ab incluso, datur unum esse,
hoc est unum existere, & subsiste-
re. Pag. 347.
- Resol. II. Hoc unum esse Christi Domini,
ut est quid compositum ex duabus na-
turis simul in eadem Divina Perso-
na subsistentibus, est divinum existe-
re. Pag. 348.
- Quæstio X. Utrum unio hypostatica sit
idem cum naturis divina, vel humana,
vel quid ab eis distinctum? Pag. 350.
- Resol. Unio hypostatica totalis est idem
realiter cum composito *Christus*, partia-
lis verò distinguitur à toto, & à perso-
na Divini Verbi. Pag. 351.
- Quæstio XI. Quomodo Beatissima Virgo
Maria sit, & dicatur Mater Dei. P. 356.
- Resol. I. B. Virgo Maria est, & dici debet
proprie, & strictè vera Mater Jesu. Im-
mò potiori ratione, quam reliquæ om-
nes matres quorumcumque viven-
tium. Pag. 357.
- Resol. II. B. V. Maria, quæ verè est Mater
Jesu, debet esse, dici, & prædicari,
& vera, & propria Mater Dei. P. 358.
- Quæstio XII. Utrum in Christo Domino
sint duæ filiationes distinctæ? Pag. 359.
- Resol. I. Una, & eadem est entitativè fi-
liatio Christi Domini ad Patrem æternum,
ut Deus est cum eadem ejusdem
filiatione intempore respectu Matris ut
homo est. Pag. 362.
- Resol. II. In Christo sustineri possent duæ
filiationes in sensu tamen in proprio fi-
liationis. Pag. 363.
- Quæstio XIII. Utrum Mysterium Domini-
cæ Incarnationis caderet sub meritum
ipsius Christi, B. V. Mariæ, & Sancto-
rum, qui ejusdem adventum præcesse-
re? Pag. 365.
- Resol. I. Christus Dominus per opera præ-
cedentia suum Mysterium, nullomodo
mereri potuit Incarnationem Divini
Verbi. Pag. 366.
- Resol. II. Opera quælibet Christi Domini
sunt meritoria de condigno Incarnatio-
nis Divini Verbi in actu primo; nullo
autem modo in actu exercito meren-
di. Pag. 367.
- Resol. III. B. V. Maria nullomodo po-
tuit mereri de condigno Incarnatio-
nem Divini Verbi, nec esse Dei Ma-
trem. Pag. ibid.
- Resol. IV. B. V. Maria per opera sua su-
perna potuit mereri de congruo, pro-
prie tamen, & in actu primo verbi Di-
vini Incarnationem, non verò in actu
secundo, & exercito. Pag. ibid.
- Quæstio XIV. Utrum non stante primi-
nomini lapsu, Verbum Divinum ad
huc fuisset incarnatum in vi præsen-
tis Decreti de Humanitate assumen-
da. Pag. 369.
- Resol. Adamo non peccante, si attenda-
mus ad decretum præsens, & in vi il-
lius Verbum Divinum carnem non as-
sumpsisset. Pag. 370.
- Quæstio XV. De satisfactione, & merito
Christi Domini. Pag. 377.
- Resol. I. Actiones, & opera Christi Domi-
ni sunt verè, & proprie, & non metha-
phoricè, & similitudinariè satisfacto-
ria, & meritoria, ita quod de Christo
Domino formali prædicatione ve-
rè dicantur satisfactio, & meri-
tum. Pag. 378.
- Resol. II. Satisfactio, & meritum operum
Christi Domini sunt valoris simpliciter
infiniti. Pag. ibid.

- Christi Domini sunt valoris simpliciter
infiniti. Pag. ibid.
- Quæstio XVI. Utrum Christi satisfactio
Deo exhibita pro peccato Adæ, sit ex
iustitia strictè accepta? Pag. 382.
- Resol. I. Christus Dominus pro peccato
hominis Deo exhibuit satisfactionem
ex toto rigore iustitiæ; vel fuit ea iusti-
tia strictè talis. Pag. 374.
- Resol. II. Christus Dominus satisfecit
Deo pro peccatis hominum iustitia
commutativa principaliter; minus
principaliter vindicativa, & retribu-
tiva. Pag. 384.
- Resol. III. Christus Dominus ex harum
specierum rigore iustitiæ satisfecit ju-
ræ naturæ, & rationis, ordo tamen
a iustitia epiquejæ. Pag. 385.
- Quæstio XVII. Utrum ex rigore iustitiæ
posset per absolutam Dei potentiam
purus homo pro suo vel alieno pec-
cato satisfacere; & ad minus pro ve-
niali. Pag. 389.
- Resol. I. Purus homo quam tumvis fan-
ctus non potest Deo satisfacere ex ri-
gore iustitiæ pro quocumque pecca-
to mortali. Pag. 391.
- Resol. II. Purus homo de quocumque
originem trahat; & adhuc à Deo crea-
tus in statu gratiæ; immò si dabile es-
set, quod esset in sua substantia su-
pernaturalis entitatis, per nullam poten-
tiam satisfaceret Deo condignè, & ad
æqualitatem pro suo, aut alieno pec-
cato mortali. Pag. 392.
- Quæstio XVIII. De merito Christi res-
pectu sui; Angelorum; & homi-
num. Pag. 398.
- Resol. I. Christus verè, & proprie me-
ruit per suos actus. Pag. ibid.
- Resol. II. Valor meritorum Christi est de-
condigno tale ad quodcumque præ-
mium comparantur. Pag. 399.
- Resol. II. Meritum Christi Domini est
valoris simpliciter infiniti. Pag. ibid.
- Quæstio XIX. An, & quid mereatur
Christus Dominus sibi, Angelis, &
hominibus? Pag. 400.
- Resol. I. Christus Dominus meruit sibi,
non Dona gratiæ, & gloriæ sed sui no-
minis exaltationem, carnis resurre-
ctionem, triumphum suæ gloriæ
Ascensionis, & alia hujusmodi. P. ibid.
- Resol. II. Christus Dominus meruit An-
gelis dona aliqua gratiæ, & gloriæ ut
cumque. Pag. 401.
- Resol. III. Christus Dominus meruit ho-
minibus omnia dona gratiæ à prima
vocatione, usque ad perseverantiam
finalem, & gloriæ consummatio-
nem. Pag. ibid.
- Resol. IV. Merita Christi Domini per-
tingunt, etsi non ita directè, & prin-
cipaliter, ad auxilia naturalia, quæ
hominibus fortassis conferri pos-
sent. Pag. ibid.
- Quæstio XX. Per quos actus, & quo tem-
pore Christus Dominus meruisset, vel
exerceatur suum meritum? Pag. 405.
- Resol. I. Christus Dominus verè meruit
per actus excellentissimos charitatis,
& dilectionis Dei super omnia. P. 406.
- Resol. II. Problematicè tenemus Chri-
stum Dominum non meruisse verè, &
proprie per actum charitatis à se eli-
citur. Pag. 407.
- Resol. III. Christi Domini meritum con-
clusum fuit in tempore ab instanti suæ
incarnationis; & usque ad mortem
currentem. Pag. ibid.
- Quæstio XXI. Quomodo meritum Chri-
sti Domini pertingeret ad sanctos vere-
ris legis, qui que ipsum præcesse-
runt? Pag. 410.
- Resol. I. Meritum Christi præexistit cui-
cumque dono gratiæ homini pro quo-
libet tempore collato; in esse tamen
intentionali, & objectivè expressum
in mente Divina, & in æternita-
te. Pag. 412.
- Resol. II. Præexistentiæ hæc objectiva
meritorum Christi sufficit ad esse cau-
sam gratiæ, & donorum adhuc eo-
rum, qui ejus adventum præcesse-
runt. Pag. ibid.
- Quæstio XXII. De gratia animæ Christi
Domini: quæ, & quotuplex sit? P. 413.
- Resol. I. Christus Dominus est sanctus
sanctitate substantiali, & Divi-
na. Pag. 415.
- Resol. II. Christus Dominus est substan-
tialis.

- trahitur sanctus, non solum ut quoddam totum est, & veluti collectum, sed & secundum ejus partes divisim acceptas. Pag. 416.
- Resol. III. Substantialis sanctitas Christi Domini habetur à Persona Verbi secundum conceptum naturæ principaliter, & minus principaliter per ejus formalitatem relativam. P. ibid.
- Resol. IV. Sanctitas hæc substantialis Christi ipsi convenit ex ipsa rerum natura, quoad omnes suos effectus. Pag. ibid.
- Quæst. XXIII. Utrum gratia habitualis sit in anima Christi Domini? Et ad quosnam effectus? Pag. 419.
- Resol. I. In anima Christi Domini est vere, & propriè ea gratia, quæ communiter dicitur habitualis. Pag. ibid.
- Resol. II. Gratia habitualis inexistens in ejus anima non facit per se primo, & principaliter, esse humanitatem Christi justam, sanctam, gratam, Deo acceptam, & dilectam, sicut nec Christum ipsum filium Dei constituit, & amicum, nec sui regni heredem. Pag. 420.
- Resol. III. Gratia habitualis non desideratur, nec deservit in anima Christi, ut sit connaturale principium suarum supernaturalium operationum. Pag. ibid.
- Resol. IV. Gratia habitualis existens in anima Christi Domini eam ornat, & decorat, ac dicitur per modum realis participationis, & physici naturæ Divinæ consortii, & insuper omnes eos effectus formales, quos aliis communicat per se, & quorum capax sit hæc sanctissima anima ab illa habet accidentaliter præstitos. Pag. ibid.
- Quæstio XXIV. Utrum natura humana Christi Domini sit ab intrinseco impeccabilis? Pag. 424.
- Resol. I. Christus Dominus est simpliciter, & ab intrinseco impeccabilis, ea parte, qua homo est, non modo proximè, verum & radicaliter ratione unionis hypostaticæ Divini Verbi. Pag. 426.

- Resol. II. Christus, ut homo attenda præcisè visione beata, & cunctis aliis seculo, & adhuc quibusvis auxiliis, quibus munitur, est impeccabilis sit simpliciter ab intrinseco, in sensu composito visionis, vi hujus non excludit omnem potentiam ad peccandum. Pag. 427.
- Resol. III. Probabile est, & subtrahi potest, quod natura humana ex se, & à sanctitate Divini verbi præscindens, immò, & à reliquis donis gratiæ, & gloriæ est simpliciter, positivè, & ab intrinseco impeccabilis contra præcepta naturalia. ibid.
- Quæstio XXV. Quomodo cohereat hæc impeccabilitas Christi Domini cum ejus libertate in adimplerione præcepti de morte subeunda? Pag. 432.
- Resol. Voluntas Christi Domini est liberè determinata, & infallibiliter ad subeundam mortem præceptam, ideoque, impeccabilis est, & meritoria in suis actibus. Pag. 434.
- Quæstio XXVI. De aliis donis, virtutibus, auxiliis habitualibus, & actualibus, quæ Christo Domino infunduntur. Pag. 438.
- Resol. I. In Christo Domino, nec fides, nec spes Theologicae infundi poterunt. Pag. 439.
- Resol. II. Pœnitentiæ virtus nec infusa est Christo Domino, nec potest. Pag. ibid.
- Resol. III. Donum timoris Dei verè, & propriè in Christo Domino fuit infusum. Pag. 440.
- Quæstio XXVII. Utrum gratia habitualis infusa Christo Domino sit alia in specie à gratia puræ creaturæ, ita quod ad infinitatem pertingat. P. 444.
- Resol. I. Gratia Christi Domini, quæ habitualis est, eadem est in specie cum alia quacumque justorum. Pag. ibid.
- Resol. II. Christus Dominus habuit istius gratiæ plenitudinem à principio sui esse, & pro ipsius connaturali statu non intensibilis. Pag. 445.
- Resol. III. Hæc gratiæ plenitudo finita est simpliciter, est secundum quid,

- quid, & moraliter quadam gaudeat infinitate. Pag. ibid.
- Quæstio XXVIII. De gratia Christi, ut est caput hominum. Et an, aut quomodo sit Angelorum? Pag. 447.
- Resol. I. Christus Dominus est actualiter caput omnium hominum viatorum in gratia sanctitatis existentium. Pag. 448.
- Resol. II. Christus Dominus eo jurè est caput totius Ecclesiæ triumphantis, & idem dicitur de illis, qui adhuc residui sunt in Purgatorio. Pag. ibid.
- Resol. III. Christus Dominus est caput bonorum Angelorum; nil de malis asserimus, nam de his, & in ordine ad hos nullum omnino habuit, aut habet influxum, nec in minimo ad primam illam gratiam, a qua exciderunt, influere potuit in vi præsentis decreti, eujus ratione Christus Dominus prædestinatus est filius Dei, & Redemptor prævisis, & transactis Angelorum conditione, & casu. Pag. ibid.
- Quæstio XXIX. Utrum Christus reduplicativè ut homo sit hominum caput, & adhuc Angelorum sub ista reduplicacione? Ubi de communicatione idiomatum. Pag. 452.
- Resol. Christus, ut homo, est caput Angelorum, juxta modum supra præscriptum. Pag. 453.
- Quæstio XXX. De scientia animæ Christi, & primo, an hæc esset ibi infusa, & ad quæ objecta? Ac qualis sit? Pag. 455.
- Resol. I. In Christo Domino datur, præter scientiam beatam, alia distincta, & infusa. Pag. 457.
- Resol. II. Anima Christi Domini habet pro objecto omne quodlibet scibile ipsi proportionatum, & congruum de omnibus. Imo. IV.
- hi linea naturali, & superna. Pag. 458.
- Resol. III. Scientia animæ Christi Domini est suo modo supernaturalis, respectu cujusvis objecti terminetur. Pag. ibid.
- Quæstio XXXI. Quid de scientia animæ Christi tenendum circa futura, possibilia, & secreta cordium? Pag. 462.
- Resol. I. Anima Christi videt in verbo actualiter possibilia omnia. Pag. 463.
- Resol. II. Anima Christi Domini similiter scit, & cognoscit omnium secreta cordium, & cogitationes intellectus humani. Pag. 464.
- Quæstio XXXII. De Prophecia, & quo jure de Christo prædicetur? Pag. 466.
- Resol. I. In anima Christi fuit Donum prophetiæ, verè, ac propriè. Pag. 467.
- Resol. II. Anima Christi Domini fuit vere prophetia dotata quoad ejus formalem & quidditivam rationem; at in mediis iis, quibus Deus prophetis sua secreta revelat, supereminenti quodam modo se habuit respectu animæ Christi Domini. Pag. 468.
- Quæstio XXXIII. Quænam potentia concipienda est in anima Christi? Et an sit ita eminens, ut ad omnipotentiam pertingat? Pag. 469.
- Resol. I. Anima Christi Domini, eujusque humanitas, ut pars quædam est ab alia divina distincta, & a toto illo, Christus, scilicet non gaudet ea omnipotentia, adhuc respectu factibilium omnium, & possibilem fieri. Pag. 469.
- Resol. II. Animæ Christi Sanctificatiæ Divinitate non communicatur Dei omnipotentia explicita, & formaliter, quidquid sit implicite, & identicè. Pag. ibid.
- Quæstio XXXIV. Quam causalitatem

- tem exercuerit anima Christi Domini in ea miracula, quæ idem Dominus patravit? Pag. 471.
- Resol. Anima Christi Domini est causa instrumentalis verè, & realiter influens, ac physice in sua miracula. Pag. 472.
- Quæstio XXXVI. Utrum Christus Dominus reassumpserit totum sanguinem, quem effuderat in sua passione? Pag. 477.
- Resol. I. Potest probabiliter substineri, quod sanguis ille aservatus, expositusque fidelium venerationi, non sit identicus cum sanguine naturæ humanæ, sed alius similis, de quo legitur, quod quondam fluxisset ex Imagine crucifixi per modum cujusdam humoris, vel sudotis ope divina rubescens. Pag. 479.
- Resol. II. Satis probabilè apparet, quod Christus reliquisset in terra aliquam partem sui effusi sanguinis in passione, venerationi fidelium exponendi. Pag. ibid.
- Quæstio XXXVII. De oratione Christi Domini. Pag. ibid.
- Resol. I. Christus verè, & propriè oravit. Pag. 480.
- Resol. II. Christus Dominus, ut homo, vel ratione assumptæ humanitatis pro hominibus oravit. Pag. ibid.
- Resol. III. Christus Dominus verè oravit in terris, & in Cælo continuat orationem suam pro hominibus hic de gentibus & in æternum duratura erit ejusdem oratio. Pag. 481.
- Quæstio XXXVIII. Quid sentendum sit de servitute Christi Domini? Pag. 483.
- Resol. I. Servitus secundum iuris rigorem nequit de Christo Domino dici; verbaque facta, quæ de hoc Domino servitutem prædicant, & enuntiant alio sensu latiori, & minori trahenda sunt. Pag. ibid.
- Resol. II. Sub alia acceptione propria, etiam famosa, & mediata, potest Christus Dominus dici servus, vel hanc propter homines subire dominationem. Pag. 484.
- Quæstio XXXIX. De religione habita in Christo Domino, & erga ipsum habenda; ubi de ejus Matris Sanctissimæ, & de Sanctorum reliquiis, adorandis. Pag. ibid.
- Resol. I. Christus Dominus adorandus est adoratione Latriæ. Pag. 486.
- Resol. II. Natura humana Christi Domini sub quacumque præcisione adæquatè, & primo intentionaliter accepta (de secundo intentionaliter non loquitur) est adoranda vero cultu, & propria religione. Pag. 487.
- Resol. III. Humanitas Christi Domini sub ista præcisione adoranda est hiperdulia. Pag. ibid.
- Resol. IV. Reliquiæ Christi Domini, quæ sunt representativæ, vel intentionaliter, sive moraliter suæ passionis, & mortis; ut Crux, clavi, spinæ, sepulchrum cum sindone, & Sudario, & quotquot hujus sint æstimationis, adorandæ veniunt adoratione divinitatis propria, quæ & Latria dicitur. Pag. ibid.
- Quæstio XXXX. De Adoratione, & cultu Sanctorum Imaginum. Pag. 488.
- Resol. I. Christi Domini Imagines, Beatæ V. Mariæ, & aliorum Sanctorum, sunt erigendæ & adorandæ. Pag. 490.
- Resol. II. Licet usus Imaginum rerum spiritualium juxta præcautionem supranotatam ex Tridentino, & primo de Angelis probatur. Pag. ibid.
- Quæstio ultima: De dominio, & jurisdictione spirituali, & temporali Christi Domini. Ac de illius naturali jure ad Regnum Israël. Pag. 491.
- Resol. I. Christus Dominus est verè, & propriè Rex Israël jure naturæ suæ humanæ, non possessione,

fione, sed debito, & ex eodem juræ quæsito. Pag. ibid. vel 493.

Resol. II. Christo Domino competit jus ad Regnum Juda secundum carnem, & naturam per Salomonem per lineam descendentem usque ad Joseph. P. 495.

TRACTATUS Appendix.

*De Purissima, & intemerata
Conceptione Beatissimæ V.
Mariæ.*

Pag. 497.

TRACTATUS XVII.

De homine ejus naturæ, ac statibus, quibus potest concipi.

Pag. 513.

Quæstio I. De hominè; ac de statibus naturæ humanæ. P. 514.

Resol. I. Status naturæ puræ in primo hominè, etiam realis fuisset, non tamen præviis tempore ad statum innocentiam, sed solum naturæ ordine, & à quo prior. Pag. 516.

Resol. II. Status innocentiam, & justitiæ originalis primi hominis est conjunctus essentialiter cum gratia justificationis. Pag. 517.

Resol. II. Homo in statu innocentiam habuit plenitudinem scientiæ naturalis à Deo infusæ supra omnes viros homines; & quantum sufficeret ad mundi gubernationem sibi commissi. P. 518.

Quæstio II. De Scientia, & Dotibus supernis hominis in statu innocentiam. Pag. 522.

Resol. I. In hominè primo Deum scientiam supernaturalem communicasset probabile est. Pag. 523.

Resol. II. Scientia hæc infusa est in primo hominè conceptibilis in ordine ad Deum; ut unus est omnipotens, æternus, simulque remunerator explicitè; implicite verò, & umbraticè ad omnia gratiæ mysteria, post Deum trinam revelata. Pag. 524.

Resol. III. Primus homo, ut primus, & caput humanæ propaginis fuit dote immortalitatis insignitus. P. ibid.

Quæstio III. Utrum homo in statu innocentiam potuisset leviter in intellectu delinquere, vel venialiter peccare? Pag. 526.

Resol. I. In hominis statu innocentiam non potuit esse error, inconsideratio in judicando, vel consiliandor. Pag. 527.

Resol. II. Homo in statu innocentiam non habuit, nec potuit; conaturaliter loquendo (quidquid sit de aliqua possibili providentia) deficere involuntate leviter, & venialiter. Pag. 528.

Quæstio IV. De natura humana lapsa, & de ejusdem naturæ casu. Pag. 531.

Quæstio V. De statu naturæ humanæ reparata. Pag. 533.

Resol. I. In signo immediatè sequenti ad permissionem peccati primi hominis; decrevit Deus illico suam reparationem. Pag. ibid.

Resol. II. Gratia habitualis, & sanctificati-

ificans; & alia simul gratia actualia, sicut etiam auxilia de quolibet ordine, quae Deus primis Parentibus post reparationem praeprarat, & etiam confert, sunt ejusdem speciei, & idem in substantia cum illis iisdem gratiis, quae illis collatae fuerunt in sua conditione. Pag. 534.

Resol. III. In pluribus differunt gratia sanctificans & dona alia habitualia, & actualia naturae humanae reparatae infusa ab aliis status innocentiae, accidentaliter tamen ad ea dona potentia. Pag. ibid.

Quaestio VI. Ubi de terrestri Paradiso, de ejus natura, situ, existentia, & duratione. Pag. 537.

Resolutio: Situs, & locus Paradisi, est in terra Edem ad orientalem plagam, quae correspondet Arabiae desertae, ubi Moyses scripsit historiam Genesis. Pag. 539.

TRACTATUS XVIII.

De ultimo fine hominis, & de ejus naturali Beatitudine.

Pag. 541.

Quaestio I. Quid sit finis in se, & respectu voluntatis hominis? & quoruplex. Pag. 542.

Resol. I. Finis humanae voluntatis, ut praecindens a proximo, & remoto, ultimo, & non ultimo, est bonum proprium illud, cuius ca-

pax est, abstrahens a vero, & a parente; signatè tamen loquendo de humana voluntate, quatenus comprehendit ipsius statum, & in esse naturae, & in esse moralis. Pag. 544.

Resol. II. Finis ultimus, & per se talis voluntatis humanae in ea abstractione proprie obtinet rationem finis; alius verò proximus nec est per se finis, nec proprie talis. Pag. ibid.

Quaestio II. Utrum unus, & idem sit finis ultimus bonarum voluntatum. Pag. 546.

Resol. I. Finis ultimus generalis humanae voluntatis est idem in specie, omnibus bonis, & malis voluntatibus. Pag. 548.

Resol. II. Finis ultimus particularis malarum voluntatum non est unus, sed multiplex. Pag. ibid.

Quaestio III. Utrum Bonae, vel malae voluntatis possint esse plures ultimi fines particulares. Pag. 550.

Resol. I. Bonarum voluntatem unus est omnium ultimus finis particularis, & plures non possunt habere, nec simul, nec successive. Pag. 551.

Resol. II. Plures esse possunt fines ultimi humanae voluntatis malae. Pag. ibid.

Quaestio VI. Qui sint fines ultimi pravae voluntatis? Et quomodo se habeant ad illam. Pag. 554.

Resol. I. Malarum voluntatum sunt plures fines ultimi particulares, quos sibi constituunt per earum conversionem ad bonum commutabile. Pag. 555.

Resol. II. Plures fines ultimi malae voluntatis non sunt plures positive, & adequatè, sed tantum in adequatè, negativè, & apparenter. Pag. 556.

Quaestio V. De fine ultimo bonarum voluntatum. Quinam sit? & quoruplex sit? Pag. 558.

Resol. Finis particularis, ultimus bonae voluntatis unus est, & plures

res esse non possunt, qui necessario est D.O.M. Pag. 559.

Quaestio VI. Utrum solus Deus ita sit finis bonae voluntatis humanae, ut sit unicum objectum suae Beati-

tudinis? Pag. 560.

Conclus. Solus Deus est objectum, adequatum humanae beatitudinis quaecumque sit. Pag. 562.

F I N I S.